CORTESIUS
PRACTIC.
MED.

I

1635

XVI 4.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

CORTESI, G.B.

66157/D

XVI4

LONDON·MEDICAL SOCIETY
X.c.5
Franc. Looker Chirurgi Lond

# COMITIS IO. BAPTISTAE CORTESII,

IN PATRIO OLIM BONONIENSI ARCHIGYMNASIO MEDICINAE, ET ANATOMES Profeſſoris eximij,

*NVNC IN FLORENTISSIMA MESSANENSI Academia triginta ſex ab hinc annis Praxim è prima Sede ſcientiſſimè Interpretantis*

# PRACTICÆ MEDICINÆ

## Pars Prima,

IN QVA EXTERNI, ET INTERNI CAPITIS affectus illuſtri methodo explicantur.

*Cum duplici Indice, Capitum, & rerum notabilium.*



MESSANAE, Typis hæredum Petri Breæ. MDCCXXXV.

*Superiorum Permiſſu.*

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO

# DON FERDINANDO AFAN DE RIBERA, ET HENRIQVEZ,

DOMVS DE RIBERA DOMINO, ALCALENSIVM DVCI,
Tariffæ Marchioni, Molarium Comiti, Prouinciæ Bethicæ Præfecto maiori,
Maiorique Notario, Hiſpalis, eiuſque Territorij Alguzerio maiori,
Ordinis Alcantaræ Equiti, Commendæq; vulgo de Beluis
de la Sierra Commendatario,

*DE MAGNATIBVS HISPANIAE, AC VNI EX PRAEFECTIS Cubiculariys Clauis aureæ Maieſtatis Catholicæ, eiuſque Status, ac Belli Conſiliario, Regni Neapolis Vieeregi, huiuſq; Siciliæ Regni Locumtenenti, ac Capitaneo Generali, Domino ſuo ſemper Colendiſſimo.*

QVi Solem Planetarum Principem, Princeps Excellentiſsime, omnium omnibus bonorum auctorem poſt Deum, atq; datorem negaret, amens eſſet profectò, atque imperitiſsimus rerum æſtimator ſublunarium: ita ſi te Principem Meſſanenſium Planetarum (ſex illos indigito Patres Patriæ Senatores Illuſtriſsimos) omnis melioris fortunæ meæ Numen amiciſsimum, omnis ſpera-

tæ gloriæ ſidus beneficentiſsimum, nõ agnoſcerem; amentisſimus eſſem, longiùs dubio procul, atq; ingratisſimus munificentiſsimæ reus Maieſtatis Præfulgidus enim Lucifer totam fugaſti noctem meam, dum ſiderali vidiſti oculo; Sol radioſus profundiores claraſti tenebras, dum benefico radiaſti lumine: viuificum ſidus animaſti vetareſcentem penè ſepulchralem, fouiſti gelaſcentem, abiectum erexiſti, cuſtodiſti deſtitutum: beneficus Planeta auxiſti imminutũ, ſterileſcentē fœcundaſti, perfeciſti inchoatum, totus benignus fortunaſti, ditaſti totus liberalis: totus Numen beaſti. Iam diu te, Solem Heſperios inter Planetas fulgentiſsimũ animaduerterã, etiam dũ finitore Atlanticæ zonæ te te continebas, tantũ effundere luminis circumquaque, vt non modò Hyperborea propinqua ſidera præſens obrueres, ſed omnē cœli ambitũ, remotiſsimaque terræ ſpatia illuminare videreris; imò & ipſe noſter Siciliæ mundus remotior albeſceret. Nunc verò mirũ quantùm luminis effundis, quantùm affundis ſplendoris, infundis quantũ virtutis, quantũ influis pulchritudinis, atq; diuitiarum cœleſtium! Ita eſt (te, fides, & veritas appello) è faſtigio tuo ſuperlunari, è Regia tua planetaria vidiſti Corteſium tuum, pla-

cuit

cuit potentiſſimum extendere brachium, arriſit ſalutarem porrigere dexteram: iuſsiſti, reſpexere ſex illa minora ſidera,aperti canales liberalitatis Regiæ, cœleſtes influxere gratiæ, immortalia inundauere beneficia. Ex eodem naturæ vtero,& prudentiam natam,& Catonem illum Romanum,raro virtutis elogio,non pauci ex Scriptoribus affirmarunt: tibi pariter (ſcienti, & experto parcite Corteſio) tibi pariter, inquam, qui liberalitatem coæuam duxerit, dixeritque, minùs errabit profectò, veriùs affirmabit: verùm, quæ ab illa profecta, longè faciliùs eſt admirari, quàm imitari. Mihi, quis inficiabitur, Siculiſque vniuerſis,tanquam Dioſcurorum alter,affulſiſti. quo meo, quoue cæterorum merito? nullo, fatemur omnes: ſed ſolo impulſu beneficæ, & humanæ naturæ, quæ fato, quæque genio innato, inter cæteras virtutes, propè dicam infinitas, propriè eſt tua. Quod in me collatum, eò maius beneficium interpretor, agnoſco,quia tam muneris fuiſti, in & re, & verbis hactenus immunem. Impotens vndequaq; grates pro meritis in me tuis, referre, moriar ingratus, obæratus ſepeliar. Plura vellem,& grandiora,& auguſtiora: verùm quemadmodum ij, qui apud Numen cœleſte legationem

obeunt

obeunt Oratores corpore proni, geſtu reuerentes, ſermone ſunt modici: ita prorſus me decet apud te Principem, & auguſtè venerari, & ſummè colere, atque admirari magis, quàm balbutiendo laudare. Ergo accipe hanc confeſſoriam, non liberatoriam tabellam. deuinctus meritis tuis ego ſum præter omnes, & grates, laudeſque verbis vtcumque dicere, voluntate, affectuque promittere poſſum, rebus, factiſque referre, vel pro minima parte, non eſt in mea manu, fateor, iuro, conſigno. Deus, homineſque teſtes ſunto, ergo ſileo, & ſilentio magnitudinem teſtor, affectum obteſtor.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus Seruus

Ioannes Baptiſta Corteſius.

# EPIGRAMMA
# FEDERICI PROSIMI
## AD AVCTOREM.

*Fertur in Eois ales celeberrima terris*
*Surgere, funereis deſuper orta rogis.*
*Vnica in orbe trahit longeuæ ſtamina vitæ,*
*Tempora Phœnices nulla tulere duas.*
*Non ſecus ipſe docens mira hæc præcepta medendi,*
*Haud fallor, Phœnix diceris eſſe recens.*
*Et rediuiua rogis Galeni exorta coruſcas,*
*Artis Apollineæ ſolus in orbe pater.*
*O Phoenix fęlix igitur iam lectula ponas:*
*Vnde cadens caſu e ſperis aſtra tuo.*

# BINI TRACTATVS

Alter Febrium, Morborum Particularium alte

## BINAE STELLAE.

*IN ſere Zancla caput Stellis, & vertice Olympum*
*Tange, tibi terris ſydera bina micant.*
*Hactenus è cælo tantum te inſpexit Orion,*
*At tria dum fulgent ſydera, qualis eris?*

## NDREAS TRIMARCHIVS
PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE,
AC ALMI COLLEGII MESSANENSIS
Ordinarius Doctor Patriam præ lætitia eſt
alloquutus.

## HAEC

# DIDACVS CAPRI

## I. V. CONSVLTVS MESSANENSIS,

In Operis Laudem D. D.

*TRadat Hippocrates aboleri volumina flammis,*
*Omniaque in Stygio dogmata obire lacu:*
*Explicat, en medicam Praxim ſpeculator, & Artem*
*Magnus; & ingenio melior Hippocrate.*
*Quæ tibi ſcripta patent, Lector ſtudioſe, reuoluas;*
*Inuenies ſtudijs plurima digna tuis.*
*Cedere ſæpe febres, deliria cedere cogit*
*Hoc opus; & præbet, quàm petit æger opem.*
*Non ſinit, vt quiſquam vitalia clauſtra reſoluat;*
*Traducit lætos, Neſtoreoſque dies.*
*Haud naturæ opus hoc, diuinum credere fas eſt;*
*Certe opus excelſum, quod veneretur habes.*



# AD PRAECLARISSIMVM COMITEM
# IO. BAPTISTAM CORTESIVM
# PAVLVS RVSSVS
## PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTOR.

*I, Liber, ingenui, quo te* CORTESIA *proles*
*Inuitat generis, docta corona, pacem:*
*I, quo germanis celebrata volumina ſignis*
*Norunt te patriæ haud degener artis opus.*
*I, bene nate ſeni, longos teſtaberis annos,*
*Canitiemque, ferax, ingeniumque Patris.*
*Cui toties ſeruatæ alijs ſtipendia vitæ*
*Dat læto annorum munere grata ſalus.*
*Quem ſibi vita hominum ſeruat, cui viuere vitæ*
*Humani generis ſic ſtuduiſſe fuit;*
*Vt poſt fata iuuent homines oracula functi,*
*Doctaq; languores ſcripta relecta fugent.*
*Non ingrata ferent vitale hoc ſæcula munus,*
*Libris condigno fœnore reſtituent.*
*Et tibi prę reliquis, capitalia damna, febreſque.*
*Et fixus morbos, qui muliebris habes.*
*Immortale ferent nomen, nec tempora duro*
*Aeternum poterunt rodere dente decus.*
*Sic viuo mundi dat viuere vita ſuperſtes*
*Auctori, & functo non potuiſſe mori.*

# BARTHOLOMÆI GOMEZ

## MEDICI, ET PHILOSOPHI MESSANENSIS,

## Ad Authorem

### Hexaſtichon.

*QVæ latitant mirata tuis penetralia chartis*
*Hic nobis deinceps regia; Pallas ait,*
*Præficit hiſce ſatum diuis, qui polleat enſe,*
*Loro, & ſpumanti comprimat altus equo:*
*Has pete ſiue toga ſint, aut armis meliores;*
*Pallados hoc ſanctum numen vbique cole.*

### ALIVD,

*MOrtales fixo conſiſtunt cardine ſortes,*
*Vitrea ſi Græcis clepſydra manet aquis.*
*Humor humus ſi factus; ages ſurgente fauilla,*
*Vt rediuiuus humo mitius humor eat.*
*Neſtoris hinc orbi naſcentur ſæcla perennes,*
*Hic vbi* CORTESIO *clepſydra nutrit aquas.*



# IOSEPHI BARTVCCII
## MEDICI, ET PHILOSOPHI
### AD CLARISSIMVM
# IO. BAPTISTAM CORTESIVM
### COMITEM PALATINVM
## Mecœnatem, Præceptoremque ſuum beneficentiſſimum.

*DImicat, an ſcribit CORTESI? munera Martis*
*Sunt hæc? an ſocia Pallade ſurgit opus?*
*Occidit en morbus; tenuit mors ipſa ſepulchrum,*
*Quæ didicit tanto ſub Duce poſſe mori.*
*Ite procul lachrymæ; ſileat iam funera Zancla;*
*Nam cuncta hoc vnum funera funus habet.*

### EIVSDEM.

*SI Diti rapuit iuuenes Epidaurius herbis,*
*Et mira cœlo reddidit arte Senex;*
*Græcia nè iactet; vidit Meſſana ruentes*
*In tumulos docta te rapuiſſe manu.*
*Ille ſed infelix ſuperum dum concitat iras,*
*Fulmineo ætherei vindicis igne cadit;*
*At tibi, CORTESI, multos dat Iuppiter annos,*
*Et te mortalem vix ſinet eſſe virum.*

# MATTHÆVS CVZZETTA
## PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTOR.

Ad Authorem.

*DVm tua, CORTESI, numeroſa volumina tracto,*
*Doctiloqua Archiatro dona ſacrata Deo;*
*Hæc ego; tranſigere annoſum ſcis artibus æuum,*
*Aſt non è tumulo ſurgere poſſe doces.*
*Hoc quoque præſtares; ni te ſua fata moneret*
*Apius ad Stygias fulmine adactus aquas.*

# ANTONINI SACCANO

## PHILOSOPHI MESSANENSIS

In laudem Authoris

*EPIGRAMMA.*

*NAſcere docte liber, medicorum lumen, & artis,*
*Fauſtis auſpicijs, naſcere docte liber.*
*Tu dabis auctori nomen, vitamq; perennem,*
*Et dabis excelſos inter habere viros.*
*Per te ſæuities Stygiæ vitabitur vndæ,*
*Et dabitur cunctis viuere poſſe diu.*
*Hic tuus ortus erit Solis iucundior ortu:*
*Ille fugat tenebras, tu fera tela necis.*

# IOSEPHI ANGELICAE
## AVCTORIS EX FILIA NEPOTIS
### Decaſtichon.

*FErtur Orionem fluctus domuiſſe furentes,*
*Et Zanclam inſanis ſurripuiſſe malis:*
*Te ſcio, docte parens, ſæuam domuiſſe cohortem*
*Morborum, & morti ſurripuiſſe viros.*
*Illius imperijs decurrit lympha; ſorores*
*Diſcunt imperijs ducere fila tuis.*
*Ille dedit merces; longam tu viuere vitam;*
*Tu crudas febres comprimis, ille feras.*
*Ille nitet Zanclæ ridenti lumine ſidus;*
*Tu nunc maiori lumine ſidus eris.*

Perilluſtris, & Reuerendiſſime Domine.

PErlegi Tertiam Partem Practicæ Medicinæ Comitis Ioannis Baptiſtæ Corteſij, & ne dum nihil in ea non ſanum reperi, & Chriſtianis moribus, Catholicæque doctrinæ conſonum; verùm, etiam opus vſquequaque ſaluberrimum, ac proficuum duxi, typiſque magna cum gloria conſignandum.

Vincentius Riccius Abbas Monaſterij S. Nicolai S. T. D. & Protonotarius Apoſtolicus.

*Imprimatur.*
D. Ioſeph Stagnus Canonicus, & Vicarius Gen. Meſſan.

*Imprimatur.*
Hieronymus Donato pro Illuſtr. Præſide de Blaſchis.

# ELENCHVS AVTHORVM,

## Qui in hac Prima Parte citati reperiuntur.

A

Albucaſis
Apicellas
Alexander de Benedictis
Aretæus
Arnaldus de Villanoua
Auicennas
Alexander Maſſarias
Aetius
Alexander Trallianus
Alexander Iatros
Auenzoar
Andræas Veſſalius
Ariſtotiles
Aſclepiades
Alideus
Aurelianus
Archigenes Christus
Auerrhoes
Andernacus
Azarauius

B

Bennardinus Gordonius
Bartholomæus Montagnana.

C

Conradus Giſnerus
Curtius Bapienſis
Chriſtophorus Aueiga
Cornelius Celſus
Cleopatra
Cœlius Aurelianus.
Crito
Conſtantinus

D

Dominicus Leo
Donatus Antonius ab Altomari
Dodonæus
Dalecliampius

E

Euſtachius Rudius
Eraſiſtratus.

F

Fœlix Platerus
Franciſcus Valleriola
Fracantianus
Franciſcus de Valeſca
Franciſcus Valleſius.

G

Gabriel Fallopius
Guglielmus de Varignana
Gerardus à Columba
Galenus
Guglielmus Placentinus
Guglielmus Rondeletius
Gaſpar Taliacotius
Gentilis Fulginas
Gerſon
Gordouius.

H

Hieronymus Caleſtanus
Hieronymus Cardanus
Horatius Augenius
Hippocrates
Haliabbas
Hieronymus Capiuaccius
Hercules Saxonia

Hie-

Hieronymus Mercurialis
Hieronymus Fabritius ab Aquapendenti

I

Iſaac
Ioannes Baptiſta Syluaticus
Iacobus de Partibus.
Iacobus Hollerius.
Ioannes Beneuenius
Ioannes Fernelius
Ioannes Serapio
Ioannes Coſtæus
Ioannes Fabritius
Ioannes Zechius
Ioannes Puluerinus.
Ioannes SchencKius
Ioannes Herculanus
Ioannes Gorræus
Iacobus Carpenſis
Ioannes Baptiſta Codronchius.
Iacobus Foroliuienſis
Ioannes Argenterius.
Iacchinus
Ioannes Andernacus.

L

Laurentius Ioubertus
Lemoſinus Hiſpanus
Ludouicus Mercatus.

M

Marcus Antonius Gattinara
Marcellus Donatus.
Meſues.
Mundinus.

N

Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Monardes
Nicolaus Piſo.

O

Oribaſius.

P

Plutarchus.
Paulus Aegineta.
Petrus Foreſtus.
Plato.
Plinius.
Petrus Aponenſis, ideſt Conciliator.
Petrus Andræas Matthiolus
Petrus Garcias Garrerus.
Petrus Hiſpanus.

R

Rhaſis
Rufus
Realdus Columbus.

S

Sabinus
Sanctorius de Sanctorijs.
Syluester Syluanus Romanus
Saluianus.

T

Theophraſtes.
Thadæus Florentinus
Turiſanus, pluſquam commentator dictus.
Thomas Eraſtus.
Thomas à Vega.
Tryphon
Theophilus
Thucidides.
Theophraſtus Paracelſus

V

Vidius Iunior.

# LECTORI BENEVOLO
## S. P.

*NIhil minus viribus præ ſenio exutus (amice Lector) quàm horum voluminum meditabar editionem: nec enim prælectiones in iJs velociſſimo exaratas calamo ea olim mente conſcripſeram, vt aliquando lucem aſpicerent; nec celerrimè euolantis vitæ extremum caducis, quamquam diù duraturis (vt ſpero) ſcribendi laboribus innectendum deſtinaueram. Sed Excellentiſſimi Alcalæ Ducis, Mecœnatis optimi, ac Proregis integerrimi flexus auctoritate, beneficentia, ac liberalitate illectus, dum mihi ab Illuſtriſſimo Meſſanenſi Senatu impenſas, vt prælo hos libros ſubijcerem, ſuggerendas decreuit, ſuadentibus interim amicis, iterum ſtylum exercere, penè dixerim, cogor. Itaque Practicam Medicinam iampridem in gratiam ſtudioſorum delineatam, diuque ab ijſdem percupitam typis euulgari conſentio; cui cum extremam, vt aiunt, manum apponere aggredior. magis excultam, longeque elegantiorem edi potuiſſe ſatis agnoſco; id quod nec per ætatem, nec per valetudinem licuit. Verùm ſi ſimplicitatem amas, nec verborum fuco rem ipſam vis oblinitam, nihil eorum, quæ ad partium affectus, vel cuiuſuis generis febrem attinent, deſiderabis; cuncta enim à Doctoribus Practicis è cathedris tradi ſolita explicare contendi, quamquam nunc ſtrictiori ſermone, ac conciſè, nunc magis fuſo, ac prolixo tractatu, prout ſcilicet rerum enucleandarum occaſio exigebat. Atque id diſcrimen eapropter maximè contigit, quod nec omnia eodem tempore, eademq; animi alacritate conſcribi datum fuit; nec ſingula eandem requirunt ingenij ſolertiam; plurima enim ſua natura, & facilia, & valde nota breuitatem accerſunt, nec incuriam omninò auerſantur. Quæ verò maiori egent explicatione, quorumue diſcuſſio negotium faceſſere hucuſque viſa eſt medicinæ ſcriptoribus, magis intenſo labore, ac longiori ſtudio declaratum conſpicies. In omnibus porrò aliquid noui, aut reconditi ab alijs non tactum, vel non ita dilucidè propoſitum paſſim obſeruare licebit. quæ res haud ægrè perſuaſit, vt poſt tot eximios Praxis Authores opus excudendum permitterem. Reſtat, mi Lector, vt te exorem, ne typorum menda mihi vitio vertas, qui opera ob oculorum hebetudinem aliena plerumque, nec ſatis accurata vſus ſum. Ita quoque vellem, ſi quid tibi forte vi-*

*tè videbitur perperam enuntiatum, tantiſper iudicium ſuſpendas, quoad ſcilicet ad rei finem examini ſubiectæ peruenias. Quod ſi interdum à veritatis ſcopo penitus aberraſſe deprelendes, vt ingenuè fateor, ac vltrò concedo euenire potuiſſe; ita te propenſum ad excuſationem cuperem; nihil enim humani à me alienum puto. Quid ſanè homini magis accidit, quàm ſubinde decipi poſſe? Eapropter dictum à me, ſcriptumue omne libentiſſimè alterius, præſertim cordati viri, ſubmitto cenſuræ. Ac dum gratias Immortali Deo, quod liber non poſthumus, ſed me ſuperſtite poſt varias ægritudines, prodeat, ago; eundem precor te quam diutius incolumem ſeruet, tuaque benè cœpta ſecundet. Vale.*

# INDEX CAPITVM HVIVS PRIMAE PARTIS.

## Procemium,

### CAPVT I.


De alopecia, & ophiaſi. fol. 6.
De cauſis alopeciæ. fol. 7.
De ſignis alopeciæ. ibid.
De futuro euentu alopeciæ. fol. 8.
De curatione alopeciæ per diætam. ibidem.
De curatione alopeciæ per pharmaciam. fol. 9.


### CAPVT II.


De capillorum profluuio. fol. 11.
De cauſis profluuij capillorum. ibid.
De ſignis profluuij capillorum. f. 12.
De futuro euentu profluuij capillorum. ibid.
De curatione profluuij capillorum. ibidem.


### CAPVT III.


De porrigine, ſeu furfuribus. fol. 14.
De cauſis porriginis, & furfurum. fol. 17.
De curatione porriginis, & furfurum per victus rationem. ibid.
De curatione porriginis, & furfurum per pharmaciam. fol. 18.


### CAPVT IV.


De phthiriaſi, ſeu pediculari morbo. fol. 19.
De cauſis phthiriaſis, ſeu pediculorum. fol. 20.
De ſignis phthiriaſis, ſeu pediculorum. fol. 21.
De futuro euentu phthiriaſis, ſeu pediculorum. ibid.
De curatione phthiriaſis, ſeu pediculorum. ibid.
De achoribus, & fauis, ſeu de tinea vocata. fol. 23.
De cauſis achorum, & fauorum. fol. 24.
De ſignis achorum, & fauorum. ibid.


§ De

De futuro euentu achorum, & fauorum. ibid.
De curatione achorum, & fauorum per diætam. fol. 5.
De curatione achorum, & fauorum per chirurgiam. fol. 6.
De curation achorum, & fauorum pr pharmaciam. ibid.
De curatione achorum, & fauorum, per medicamenta localia. ibid.

## De morbis internis capitis.

Proponitur ordo ſruandus. fol. 9.

### CAPVT VI.

De dolore capitis. fol. 30.
De definitione doloris capitis. fol. 35.
De differentijs doloris capitis. ibid.
De cauſis doloris capitis. fol. 37.
De ſignis doloris capitis. fol. 39.
De futuro euentu doloris capitis. fol 41.
De curatione doloris capitis à ſanguine procedentis per chirurgiam. fol. 43.
De curatione doloris capitis ex ſanguine nati per medicamenta localia. fol. 44.
De curatione doloris capitis à ſanguine facti per diætam. fol. 46.
De curatione doloris capitis à ſanguine producti per pharmaciam.
De curatione doloris capitis à bile enati. fol 48.
De curatione doloris capitis à pituita producti, per victus rationem.
De curatione doloris capiti à pituita per pharmaciam. fol. 52.
De curatione doloris capitis à melancholia facti. fol. 57.
De curatione doloris capitis ob calidam intemperiem. fol. 61.
De curatione doloris capitis ob ſiccam intemperiem. fol 62.
De curatione doloris capitis ob intemperiem frigidam. ibid.
De curatione doloris capitis ob ebrietatem. fol. 63.
De curatione doloris capitis per conſenſum geniti. fol. 66.

### CAPVT VII.

De vertigine. fol. 67.
De cauſis vertiginis. fol. 72.
De ſignis vertiginis per conſenſum. fol. 76.
De futuro euentu vertiginis. fol. 77.
De curatione vertiginis per victus rationem. fol. 78.
De curatione vertiginis per chirurgiam. fol. 79.
De curatione vertiginis per pharmaciam. fol. 81.

### CAPVT VIII.

De phrenitide. fol. 83.
De cauſis phrenitidis. fol. 86.
De ſignis phrenitidis. fol. 87.
Proponuntur, & reſoluuntur duo

quæ-

quæſita circa ſigna phrenitidis. fol. 89.
De ſignis cauſarum phrenitidis. fol. 93.
De futuro euentu phrenitidis. fol. 94.
De curatione phrenitidis per chirurgiam. ibid.
De curatione phrenitidis per victus rationem. fol. 101.
De curatione phrenitidis per pharmaciam. fol. 104.

## CAPVT IX.

De melancholia. fol. 111.
De differentijs melancholiæ. fol. 112.
De parte affecta in melancholia. fol. 113.
De cauſis melancholiæ. ibid.
De ſignis melancholiæ. fol. 116.
De futuro euentu melancholiæ. fol. 117.
De melancholia hypochondriaca. fol. 118.
De curatione melancholiæ per victus rationem. fol. 122.
De curatione melancholiæ per chirurgiam. fol. 125.
De curatione melancholiæ per pharmaciam. fol. 129.
De curatione melancholiæ hypochondriacæ per chirurgiam. fol. 133.
De curatione melancholiæ hypochondriacæ per victus rationem. fol. 134.
De curatione melancholiæ hypochondriacæ per pharmaciam. ibid.

## CAPVT X.

De mania. fol. 139.
De cauſis maniæ. fol. 141.
De ſignis maniæ. fol. 142.
De futuro euentu maniæ. fol. 143.
De curatione maniæ per victus rationem. fol. 144.
De curatione maniæ per pharmaciam. fol. 145.
De curatione maniæ à ſanguine excitatę per chirurgiam, & localia medicamenta. fol. 146.

## CAPVT XI.

De memoria deperdita. fol. 148.
De cauſis memorię deperditæ. f. 150.
De ſignis memorię deperditę. ibid.
Proponitur quæſitum, & ſoluitur. fol. 151.
De futuro euentu memoriæ deperditæ. fol. 154.
De curatione memoriæ deperditę propter intemperiem frigidam. ibid.
De curatione memoriæ deperditæ ob ſiccam intemperiem. fol. 156.
De curatione memoriæ deperditæ ob intemperiem cum materia pituitoſa. ibid.
De curatione memoriæ deperditæ ob intemperiem cum materia melancholica. fol. 158.

## CAPVT XII.

De ſoporoſis affectibus, ac primò de caro, comate, & cataphora. fol. 159.

Proponuntur, & explanantur quatuor quæſita. fol. 162.
De cauſis cari, comatis, & cataphoræ. fol. 164.
De ſignis cari, comatis, & cataphorę. fol. 165.
De futuro euentu cari, comatis, & cataphorę. fol. 166.
De curatione cari, comatis, & cataphoræ, per victus rationem. ibid.
De curatione cari, comatis, & cataphoræ per pharmaciam. fol. 167.

CAPVT XIII.

De catoche, ſeu catalepſi. fol. 169.
De cauſis catoches, ſeu catalepſis. fol. 174.
De ſignis catoches, ſeu catalepſis.
De futuro euentu catoches, ſeu catalepſis. fol. 178.
De curatione catoches, ſeu catalepſis per victus rationem. ibid.
De curatione catoches, ſeu catalepſis per pharmaciam. fol. 179.

CAPVT XIV.

De lethargo, ſeu veterno. fol. 181.
De parte affecta in lethargo, ſeu veterno. ibid.
De cauſis lethargi, ſeu veterni. fol. 182.
De differentijs lethargi, ſeu veterni. fol. 183.
De ſignis lethargi, ſeu veterni. ibid.
De futuro euentu lethargi, ſeu veterni. ibid.
De lethargi curatione per victus rationem. fol. 184.
De curatione lethargi, ſeu veterni per chirurgiam. fol. 186.
De curatione lethargi, ſeu veterni per pharmaciam. fol. 187.

CAPVT XV.

De comate vigili, ſeu typhomania. fol. 188.
De cauſis typhomaniæ. fol. 190.

CAPVT XVI.

De vigilia immoderata. ibid.
De cauſis immodicæ vigiliæ. f. 192.
De ſignis immodicæ vigiliæ. ibid.
De futuro euentu immodicæ vigiliæ. fol. 193.
De curatione immodicę vigiliæ per victus rationem. ibid.
De curatione immodicę vigilię per medicamenta topica. fol. 195.
De curatione immodicæ vigilię per pharmaciam. ibid.

CAPVT XVII.

De apoplexia. fol. 196.
De cauſis apoplexiæ. fol. 198.
Proponitur, & exponitur difficultas quædam. fol. 200.
De ſignis apoplexiæ. fol. 204.
De futuro euentu apoplexiæ. fol. 205.
De curatione apoplexiæ in acceſſione, & per chirurgiam. fol. 206.
De curatione apoplexiæ per victus rationem. fol. 208.
De curatione apoplexiæ per pharmaciam.

ciam. fol. 209.

fol. 231.

CAPVT XVIII.

De epilepſia. fol. 212.
De parte affecta in epilepsia. fol. 213.
Quem morbum ſequitur epilepſia. ibidem.
De cauſis epilepſiæ. fol. 214.
De ſignis epilepſiæ. fol. 216.
De futuro euentu epilepſiæ. fol. 217.
De curatione epilepſiæ in acceſſione. fol. 218.
De curatione epilepſiæ per victus rationem. fol. 219.
De curatione epilepſiæ per chirurgiam. fol. 222.
De curatione epilepſiæ per pharmaciam. ibid.
De cura epilepſiæ in pueris. fol. 224.
De amuletis. ibid.
De epilepſia per conſenſum. fol. 225.
De cauſis epilepſiæ per conſenſum. fol. 226.
De ſignis epilepſiæ per conſenſum. fol. 227.
De futuro euentu epilepſiæ per conſenſum. ibid.
De curatione epilepſię per conſenſum. ibidem.

CAPVT XIX.

De ephialte, ſeu incubo. fol. 228.
De cauſis ephialtes, ſeu incubi. f. 230.
De ſignis ephialtes, ſeu incubi. ibid.
De futuro euentu ephialtes, ſeu incubi. ibid.
De curatione ephialtes, ſeu incubi.

CAPVT XX.

De paralyſi. fol. 233.
De parte affecta in paralyſi. fol. 234.
De morbo, quem ſequitur paralyſis. fol. 236.
De cauſis paralyſis. fol. 237.
Proponuntur duo quæſita, & reſoluuntur. fol. 239.
De ſignis paralyſis. fol. 240.
De futuro euentu paralyſis. ibid.
De curatione paralyſis per victus rationem. fol. 241.
De curatione paralyſis per chirurgiam. fol. 243.
De curatione paralyſis per pharmaciam. fol. 244.

CAPVT XXI.

De ſtupore. fol. 246.
De parte affecta in ſtupore. fol. 247.
De morbo, quem ſequitur ſtupor. fol. 248.
De cauſis ſtuporis. fol. 249.
De ſignis ſtuporis. fol. 250.
De futuro euentu ſtuporis. fol. 251.
De curatione ſtuporis. ibid.

CAPVT XXII.

De tremore. fol. 252.
De parte affecta in tremore. f. 253.
Quis ſit morbus, quem ſequitur tremor. fol. 254.
De cauſis tremoris. fol. 255.
De ſignis tremoris. ibid.

De

*De futuro euentu tremoris.* fol.256.
*De curatione tremoris in communi.* ibidem.
*De curatione ſtuporis per pharmaciam, & localia.* fol.257.

## CAPVT XXIII.

*De conuulſione.* fol.258.
*De differentijs conuulſionis.* fol.261.
*De parte affecta in conuulſione.* fol.262.
*De morbo, quem ſequitur conuulſio.* fol.263.
*De cauſis conuulſionis.* ibid.
*De cauſis conuulſionis ex inanitione.* fol.266.
*De cauſis conuulſionis non proportionatæ.* ibid.
*De ſignis conuulſionis.* fol.267.
*De ſignis cauſarum conuulſionis.* fol.268.
*De futuro euentu conuulſionis.* fol.269.
*De curatione conuulſionis per chirurgiam.* fol.270.
*De curatione conuulſionis per pharmaciam.* ibid.
*De curatione conuulſionis per medicamenta localia.* fol.272.
*De curatione conuulſionis per diætam.* fol.273.

## CAPVT XXIV.

*De catarrho.* fol.274.
*De cauſis catarrhi.* fol.278.
*De ſignis catarrhi.* fol.279.
*De futuro euentu catarrhi.* fol.280.
*De curatione catarrhi, per victus rationem.* fol.281.
*De curatione catarrhi frigidi per pharmaciam.* fol.286.
*De curatione catarrhi calidi per pharmaciam.* fol.290.

---

# De morbis particularibus faciei.

## CAPVT XXV.

*De ophthalmia.* fol.295.
*De cauſis ophthalmiæ.* fol.297.
*De ſignis ophthalmiæ.* fol.299.
*De futuro euentu ophthalmiæ.* f.301.
*De curatione ophthalmię factę à cauſa externa.* fol.302.
*De curatione ophthalmiæ per victus rationem.* fol.304.
*De curatione ophthalmiæ per chirurgiam.* fol.305.
*De curatione ophthalmiæ per pharmaciam.* fol.307.

## CAPVT XXVI.

*De oculorum vlceribus.* fol.310.
*De cauſis vlcerum oculorum.* f.316.
*De ſignis vlcerum oculorum.* ibid.
*De futuro euētu vlcerum oculorum.* fol.317.
*De curatione vlcerum oculorum per victus rationem.* ibid.
*De curatione vlcerum oculorum per pharmaciam.* fol.318.

De

De curatione vlcerum oculorum per chirurgiam. ibid.
De curatione vlcerum oculorum per localia. fol. 318.

CAPVT XXVII.

De albuginibus oculorum. fol. 321.
De cauſis, & ſignis albuginum oculorum. ibid.
De futuro euentu albuginum oculorum. fol. 322.
De curatione albuginum oculorum. ibidem.
De curatione albuginum oculorum per localia. ibid.
De curatione albuginum oculorum per medicamenta coſmotica. fol. 324.

CAPVT XXVIII.

De pterygio, ſeu vngue. fol. 325.
De cauſis pterygij. fol. 327.
De ſignis pterygij. 328.
De futuro euentu pterygij. ibid.
De curatione pterygij. ibid.
De curatione pterygij per localia. fol. 329.

CAPVT XXIX.

De ſugillatione, & puris, ſub cornea collectione. fol. 330.
De cauſis ſugillationis, & puris ſub cornea collectione. fol. 331.
De ſignis ſugillationis, & puris ſub cornea collecti ibid.
De futuro euentu ſugillationis, & puris ſub cornea collecti. ibid.
De curatione ſuggillationis, & puris ſub cornea collecti. fol. 332.

CAPVT XXX.

De ſuffuſione, ſeu cataracta. f. 333.
De cauſis ſuffuſionis; ſeu cataractæ. fol. 336.
De ſignis ſuffuſionis; ſeu cataractæ, fol. 337.
De futuro euentu ſuffuſionis, ſeu cataractæ. fol. 338.
De curatione ſuffuſionis, ſeu cataractæ per victus rationem. fol. 339.
De curatione ſuffuſionis, ſeu cataractæ per pharmaciam. fol. 340.
De curatione ſuffuſionis, ſeu cataractæ per localia. ibid.

CAPVT XXXI.

De procidentia oculi. fol. 342.
De cauſis procidentiæ vueę. fol. 344.
De ſignis procidentiæ vueę. ibid.
De futuro euentu procidentiæ vueę. ibidem.
De curatione vniuerſali procidentiæ vuuæ. ibid.
De curatione particulari procidentiæ vueæ. fol. 345.

CAPVT XXXII.

De mydriaſi, ſeu pupillæ dilatatione. fol. 346.
De cauſis mydriaſis, ſeu dilatationis pupillæ. fol. 347.
De ſignis mydriaſis, ſeu pupillæ dilatatio-

tione. fol. 348.
De curatione mydriaſis, à cauſa ſicca producta. fol. 350.
De curatione mydriaſis, ab humiditate factæ, per victus rationem. ibidem.
De curatione mydriaſis, per pharmaciam. ibid.
De curatione mydriaſis, ſeu pupillæ dilatatione, per chirurgiam. fol. 351.
De curatione mydriaſis, ſeu pupillæ dilatatione, per localia. ibid.

## CAPVT XXXIII.

De tabe, ſeu pupillæ conſtrictione. fol. 352.
De cauſis tabis, ſeu pupillæ conſtrictionis. fol. 353.
De ſignis tabis, ſeu pupillæ conſtrictionis. fol. 354.
De futuro euentu tabis, ſeu conſtrictionis pupillæ. ibid.
De curatione tabis pupillæ à ſiccitate factæ. fol. 355.
De curatione conſtrictionis pupillæ ab humiditate factæ. fol. 356.

## CAPVT XXXIIII.

De lachrymis. fol. 357.
De cauſis lachrymarum. fol. 361.
De ſignis lachrymarum. ibid.
De futuro euentu lachrymarum. fol. 362.
De curatione lachrymarum. ibid.

## CAPVT XXXV.

De diminutione carnis lachrymalis. fol. 365.
De cauſis diminutionis carnis lachrymalis. ibid.
De ſignis diminutionis carnis lachrymalis. ibid.
De futuro euentu diminutionis carnis lachrymalis. ibid.
De curatione diminutionis carnis lachrymalis. fol. 366.

## CAPVT XXXVI.

De magnitudine carnis lachrymalis. fol. 367.
De cauſis magnitudinis carnis lachrymalis. ibid.
De ſignis magnitudinis carnis lachrymalis. ibid.
De futuro euentu magnitudinis carnis lachrymalis. ibid.
De curatione magnitudinis carnis lachrymalis. ibid.

## CAPVT XXXVII.

De anchilope, & ægilope. fol. 368.
De cauſis anchilopis, & ægilopis. fol. 369.
De ſignis anchilopis, & ægilopis. fol. 370.
De futuro euentu anchilopis, & ægilopis. ibid.
De curatione anchilopis, & ægilopis. ibidem.

CAPVT XXXVIII.

De viſione leſa. fo. 372.
De curatione viſionis leſæ in communi. fol. 377.

CAPVT XXXIX.

De ſtrabiſmo. fol. 379.
De cauſis ſtrabiſmi. fol 380.
De ſignis ſtrabiſmi. fol. 381.
De futuro euentu ſtrabiſmi. ibid.
De curatione ſtrabiſmi. fol. 382.

CAPVT XXXX.

De expreſſione oculorum. ibid.
De cauſis expreſſionis oculorum. fol. 383.
De ſignis expreſſionis oculorum. ibid.
De futuro euentu expreſſionis oculorum. fol. 384.
De curatione expreſſionis oculorũ. ib.

CAPVT XXXXI.

De morbis palpebrarũ oculi. fol. 385.

De morbis aurium.

CAPVT XXXXII.

De dolore auris. fol. 389.
De cauſis doloris aurium. fol. 292.
De ſignis doloris aurium. fol. 393.
De futuro euẽtu doloris auriũ. f. 394.
De curatione doloris aurium à materia frigida. ibid.
De curatione doloris aurium à caliditate excitati. fol. 396.
De curatione doloris aurium per medicamenta localia. fol. 397.
De curatione doloris aurium à cauſa externa enati. fol. 399.

CAPVT XXXXIII.

De auditione leſa. ibid.
De morbis, quos auditus læſus ſequitur. fol. 401.
De cauſis auditionis læſæ. fol. 403.
De ſignis auditionis læſæ. fol. 404.
De futuro euentu auditionis læſæ. fol. 05.
De curatione grauis auditus, et tinnitus à cauſa frigida prodeũtis f. 406.
De curatione auditionis læſæ à cauſa calida prodeuntis. fol. 408.

De morbis narium.

CAPVT XXXXIV.

De actione odoratus læſæ. fol. 411.
De cauſis actionis odoratus læſæ. fol. 412.
De ſignis actionis odoratus læſæ. f. 413.
De futuro euentu actionis odoratus læſæ. ibid.
De curatione actionis odoratus læſæ. ibidem.

CAPVT XXXXV.

De ſanguinis fluxu è naribus. f. 416.
De cauſis fluxionis ſanguinis è naribus

§ bus

bus. fol. 418.
De ſignis fluxionis ſanguinis è naribus. ibid.
De futuro euentu fluxionis ſanguinis è naribus. fol. 419.
De curatione fluxus ſanguinis è naribus per victus rationem. ibid.
De curatione fluxus ſanguinis è naribus per chirurgiam. fol. 421.

## De morbis oris.

### CAPVT XXXXVI.

De dolore dentium, fol. 424.
De cauſis doloris dentium. fol. 427.
De ſignis doloris dentium. ibid.
De futuro euentu doloris dentium. fol. 428.
De curatione doloris dentium per victus rationem. ibid.
De curatione doloris dentium, per pharmaciam, & chirurgiã f. 429.
De curatione doloris dentium per localia, fol. 429.

## De morbis particularibus thoracis.

### CAPVT XXXXVII.

De angina, fol. 433.
De cauſis anginæ, fol. 436.
De ſignis anginæ, fol. 437.
De futuro euentu anginæ, fol. 438.
De curatione anginæ, per chirurgiam. fol. 439.
De curatione anginæ per pharmaciam. fol. 441.
De curatione anginæ, per localia. fol. 442.
De curatione anginæ, per victus rationem. fol. 445.

### CAPVT XXXXVIII.

De tuſſi. fol. 446.
De cauſis tuſſis. fol. 449.
De ſignis tuſſis. fol. 451.
De futuro euentu tuſſis. fol. 453.
De curatione tuſſis per victus rationem. fol. 454.
De curatione tuſſis per pharmaciam. fol. 457.
De curatione tuſſis, per chirurgiam. fol. 463.

### CAPVT XXXXIX.

De aſthmate. fol. 464.
De parte affecta in aſthmate. fol. 468.
De morbo, quem ſequitur aſthma.
De cauſis aſthmatis. fol. 472.
De ſignis aſthmatis. fol. 473.
De futuro euentu aſthmatis. fol. 474.
De curatione aſthmatis, per victus rationem. fol. 475.
De curatione aſthmatis per pharmaciam. fol. 479.

### CAPVT L.

De pleuritide. fol. 486.
An pleuritis ſit morbus acutus. ibid.

De

De parte affecta in pleuritide. fol. 488.
De cauſis pleuritidis. fol. 489.
De differentijs pleuritidis. fol. 492.
De ſignis pleuritidis. fol. 493.
De futuro euentu pleuritidis fol. 500.
De curatione pleuritidis, per ſanguinis miſſionem. fol. 502.
De curatione pleuritidis, per pharmaciam. fol. 508.
De curatione pleuritidis per victus rationem. fol. 521.

## CAPVT LI.

De peripneumonia. fol. 522.
De cauſis peripneumoniæ. fol. 523.
De ſignis peripneumoniæ. fol. 524.
De futuro euentu peripneumoniæ. fol. 525.
De curatione peripneumoniæ per chirurgiam. fol. 526.
De curatione peripneumoniæ per pharmaciam. fol. 527.
De curatione peripneumoniæ per victus rationem. fol. 528.

## CAPVT LII.

De empyemate. fol. 530.
De cauſis empyematis. ibid.
De ſignis empyematis. fol. 531.
De futuro euentu empyematis f. 533.
De curatione empyematis per victus rationem. fol. 534.
De curatione empyematis per pharmaciam. ibid.
Proponitur quæſtio multiplex, & ſoluitur.

## CAPVT LIII.

De ſputo ſanguinis. fol. 540.
De cauſis ſputi ſanguinis. fol. 541.
De ſignis ſputi ſanguinis. ibid.
De futuro euentu ſputi ſanguinis. fol. 445.
De curatione ſputi ſanguinis in genere. fol. 547.
De curatione ſputi ſanguinis ab ore, faucibus, gurgulione, & palato emanantis. ibid.
De curatione ſputi ſanguinis à gula, & ventriculo fluentis. fol. 448.
De curatione ſputi ſanguinis à pulmonibus prodeuntis. fol. 550.
De curatione ſputi ſanguinis ex pulmone, & thorace fluentis ob materiam bilioſam. fol. 554.
De curatione ſputi ſanguinis per diætam. fol. 558.

## CAPVT LIV.

De phthiſi, ſeu tabe, fol. 559.
De cauſis phthiſis, ſeu tabis. fol. 562.
De ſignis phthiſis, ſeu tabis. fol. 563.
De futuro euentu phthiſis, ſeu tabis. fol. 564.
De curatione phthiſis, ſeu tabis per chirurgiam. fol. 565.
De curatione phthiſis, ſeu tabis, per pharmaciam. fol. 567.
De curatione phthiſis, ſeu tabis per victus rationem. fol. 571.

GA.

CAPVT LV.

De palpitatione cordis. fol. 172.
De cauſis palpitationis cordis. f. 573.
De cauſis palpitationis cordis. f. 576.
De ſignis palpitationis cordis. f. 579.
De futuro euentu palpitationis cordis. ibid.
De curatione palpitationis cordis, per victus rationem. fol. 580.
De curatione palpitationis cordis per chirurgiam. fol. 582.
De curatione palpitationis cordis per pharmaciam. fol. 583.

CAPVT LVI.

De ſyncope. ful. 587.
De cauſis ſyncopes. fol. 590.
De ſignis ſyncopes. fol 592.
De futuro euentu ſyncopes. fol. 595.
De curatione ſyncopes per chirurgiam. ibid.
De curatione ſyncopes per pharmaciam. fol. 599.
De curatione ſyncopes, per victus rationem. fol. 600.

# COMITIS IOANNIS BAPTISTAE CORTESII

## MEDICI, ET PHILOSOPHI

Præclariſsimi

# PRACTICAE MEDICINAE

## Pars Prima,

*QVAE EXTERNOS, INTERNOSQVE CAPITIS, ET THORACIS AFFECTVS ILLVSTRI METHODO EXPLICAT.*

(†)

---

### *PROOEMIVM.*

NI primùm humani corporis exactam proferamus in medium iuxta grauiſſimorum authorum ſententias, diuiſionem, haud quaquam pro dignitate particularium morborum tractationem aggredi poterimus, de qua hoc anno (diuino fauente Numine) dicturi ſumus.

Argumentum ſanè explicandum aſſumimus, quod propter amplitudinem, præſtantiam, & vtilitatem dignum quiſq; autumat, vt à nobis omni ſedulitate, neglecto verborum lenocinio, actionibus potiùs ſcenicis, quàm tradendis diſciplinis accommodato, examinetur; & à vobis maxima cum attentione, & aſſiduitate, intenſiſq;, vt aiunt, neruis comprehendatur.

Debetis quidem pro viribus mentis aciem intendere, omnique ingenio curare, vt ſenſus orationis meæ medullitùs præcipiatis, memoria tenentes non in thæatrum animi cauſa, ſed in ludum litterarium vos veniſſe, ad medendi artem omnium longiſſimam, ac difficillimam ediſcendam.

Qua in re imitandæ minimè ſunt mulierculæ ſerta, aut ex caducis floribus corollas efformantes, ſed apes dulciſſimum mel conficientes; illę enim ſpecioſa, & odorata folia ſectantes, roſas, hyacinthos, liliaq; legentes, pulcherrimum

quidem, & viſu iucundum opus præte-
xunt, ſed vno dumtaxat die perdurans,
omninoque infrugiferum, & inutile:
iſtæ per prata expatiantes ſuperuolant
in humilem plerumq; plantam, ſed acer
rimam, quam thymum appellant, eique
aſſidentes mel flauum meditantur, vti-
lique ſucco extracto ad ſuum opus per-
ficiendum regrediuntur.

Vos igitur, qui in hanc ſcholam ve-
niſtis, tum honoris mei cauſa, tum vt
ex his, quæ audituri eſtis, vtilitatem ca-
piatis; quoad poſſum, admoneo, enixeq;
rogo, vt aures veſtras mihi dicenti, &
docere vos cupienti, accommodetis;
ne quid dicendorum effugiat, eorum
inſtar, qui dum aquam è fonte per ca-
nalem effluentem colligere exoptant,
ſua vaſa ſic inclinare, & adaptare ſtudēt,
vſque dum aquam ex animi ſententia
abundè accipiant.

Equidem eos probare haud quaquā
potui, qui exiſtimarunt adoleſcentes à
pueritia exeuntes, atque virilitatem in-
duentes eſſe omninò liberos, quod nec
pedagogos audire, nec præceptis eorū
amplius obedire ſint coacti; imperium
enim minimè abijciunt, ſed ſolummo-
do Imperatorem mutant, quandoqui-
dem loco pedagogi mercenarij, diui-
num (vt ait Plutarchus) vitę ductorem
accipiunt, nempe rationem, cui qui o-
bediunt, ſoli ſunt digni; qui pro liberis
habeantur; nam idem eſt Deum ſequi,
ac rationi parere.

Et quamuis Theophraſtus, ſummus
reuera philoſophus, ſcriptis mandauerit,
auditum inter reliquos ſenſus, maximè
ad motus animi ciendos facere; quod ni
hil eorum, quæ viſu, quæ guſtu, quæ
tactu percipiuntur, tantas mentis alie-
nationes, conſternationeſq; affert, vt fit
ſtrepitibus quibuſdam, fragoribus, &
ſonitibus ad aures accedentibus: eſt ta-
men, eodem authore, huiuſmodi ſen-
ſus magis rationi, quàm affectibus ido-
neus, & ad capeſſendas ſcientias cęte-

A ris omnibus aptior, & præferendus.

Grauiter idcirco errare videntur ij,
qui antequam ſe ad audiendum aſſueſa-
ciunt, in dicendo ſe exercent, putantes
diſciplinam ſanè meditando tantùm
conſequuturos eſſe, poſſeque abſque
vlla audiendi arte vtiliter loqui, cum
tamen à natura ipſa redargui videan-
tur.

Primò enim audimus, antequam lo-
B qui valeamus, ſicut clariſſimè omnibus
patet; obſeruamus profectò pueros pro-
bè audire, qui nulla ratione loqui poſ-
ſunt: vnde eſt, quod vnicuique noſtrum
natura duas aures dederit, vnicam lin-
guam, quò ſcilicet multa audire, paucio-
ra loqui debeamus.

Confirmari idem facilè poteſt à ſtru-
ctura vtriuſque inſtrumenti, auditus ni-
mirum, & linguæ; inſtrumenta enim,
C quæ pro auditu facta ſunt, à principio
ſuæ generationis eandem habent ma-
gnitudinem tam in prouecta, quàm in
ſenili ætate, quod luce clarius Anato-
me demonſtrat in illis tribus oſſiculis in
aurium cauitate poſitis, nempe incude,
malleolo, atque ſtapede, quæ in qua-
cunque ætate eandem ſeruant magni-
tudinem, qualem ab initio generationis
à natura habuerunt.

D Et quod admirabile eſt, & præter a-
liorum oſſium naturam, eandem habent
duritiem in nuper natis, atque in alijs
ætatibus; nam nunquam augentur, quia
adepta ſunt illam perfectam compoſi-
tionem à primordio generationis, qua-
lis ad perfectam auditionem requiritur,
quod non contingit linguæ, quæ paula-
tim augetur pro corporis magnitudine,
quod ſanè eſt indicium naturam primò
E inſtituiſſe auditum, deinde locutionem.

Neque etiam poſſumus dicere, quod
in loquelæ vſu id contingat, quod in
ludo paruæ pilæ vſu venire conſueuit,
vbi ſimul, & ſemel addiſcimus, & pilam
iacere, atque reijcere, quia in ſermo-
nis exercitio ante edocendi ſumus, vt

ipſum

ipſum accipiamus, quàm eundem aptè fundere poſſimus.

Silentio igitur facto, auribuſque veſtris ad audiendum, animoque meo in veſtram vtilitatem accommodatis, Deo Opt. Max. concedente, B. M. V. intercedente, quod ab initio pollicitus ſum, aggredior.

Quocirca corpus humanum primò in ſuas partes diſtribuam; deinde morborum particularium naturam aperiam, methodumq; docebo, qua ij curari, homineſq; perduci ad ſanitatem queant.

Quod ad corporis diuiſionem attinet, Ariſtoteles 1. de part. anim. 1. memoriæ mandauit triplicem in nobis reperiri compoſitionem: prima fit ex elementis: ſecunda ex partibus ſimilaribus: tertia ex partibus organicis. Elementa componunt ſimilares, ex ſimilaribus cōponuntur organicæ, ex organicis deniq; coaleſcit vniuerſum corpus.

Rectè itaq; dicendum venit elementa eſſe facta in gratiam partium ſimilarium; ſimilares in gratiam diſſimilarium, ſeu organicarum; ac iſtæ demum in gratiam totius corporis, quod quidem cōſtructum eſt propter animam, à qua prodeunt omnes actiones tam vniuerſales, quàm particulares ipſius corporis.

Cum igitur tot ſint corporis compoſitiones, totidem ſanè poterunt eſſe diuiſiones; ſed duabus prioribus prætermiſſis, ad tertiam tanquam ad eam, quæ ad propoſitum noſtrum facit, accedo.

Corpus humanum ab antiquiſſimis medicis in tres fuit partes diuiſum, in caput, thoracem, & artus nomine thoracis intelligentes totam illam cauitatem, à iugulo ad pubem vſque protractam, in qua ſignificatione ipſe Hippocrates totius medicinæ parens thoracem accepit, vbi lib. de arte tex. 17. ſcripſit iecur ſituatum eſſe in thorace.

Quam diuiſionem Ariſtoteles naturæ genius libr. 1. de hiſt. animal. cap. 7. probare viſus eſt, vbi ſcriptum reliquit

A corpus diuidi in caput, collum, thoracem, duplex crus, & duplex brachium.

At Galenus Hippocratis mens 7. de vſu par. cap. 21. rem ipſam longè ſubtigentiùs ſcrutatus thoracem prædictum in duas diuiſum eſſe cauitates obſeruauit ab illo tam famigerato muſculo, quē diaphragma appellant; ſuperioremque cauitatem, in qua viſcus illud tam præ-
B cipuum continetur, nempe cor, propriè thoracem appellauit; alteram verò inferiorem, in qua iecur continetur, vocat epigaſtrium, quod Latini abdomen dixerunt.

Quare ſecundùm hanc ſententiam diuiditur corpus in tres ventres, & artus; caput enim conſtituit ventrem ſuperiorem; epigaſtrium inferiorem; thorax verò medium. Artuum verò no-
C mine intellexit duplex crus, & duplex brachium, & inter artus ceruicem connumerauit, quam Ariſtoteles membrū per ſe eſſe voluit à capite, & ab alijs partibus diuiſum.

Quamuis, vt verum fatear, idem Ariſtoteles 4. de part. anim. cognoſcit magnam illam cauitatem, quam diximus ab antiquis fuiſſe appellatam thoracem, ſepto tranſuerſo, aut diaphragmate me-
D dio in duas partes eſſe diuiſam.

Galeni itaque ſententiam, tanquam cæteris veriorem ſequentes, dicimus corpus humanum diuiſum eſſe in ventres, & artus, & quod ventres ſint tres: ideſt, ſuperior, inferior, & medius. Superior caput, inferior abdomen, medius thorax vocatur.

Artus diuiduntur in ſuperiores, & inferiores; ſuperiores ſunt manus, quæ
E comprehendunt totam illam molem, quæ à ſcapulis dependet: hæc continet tres partes, nempe brachium, vlnam, & extremam manum, quibus ceruix, ſeu collum annumeratur.

Per inferiores verò artus intelligenda ſunt crura, quæ & ipſa conſtant tribus ex partibus, videlicet ex fœmore,

tibia, atque pede.

Hæc eſt corporis humani in ſuas præcipuas partes organicas ſenſibus conſpicuas diuiſio; quæ & ipſæ continent in ſe alias partes, morbis particularibus obnoxias; alij enim ſunt morbi ſpectantes ad caput; alii ad thoracem; alij ad abdomen; alij ad ipſos artus, in quibus tradendis opus eſt, vt aliquem ſeruemus ordinem, ne per ignota procedamus.

A capite primùm exordiri expedit, cuius nomine nihil aliud intelligere oportet, niſi ventrem illum ſuperiorem, qui eſt pars noſtri corporis organica, ſphæræ oblongæ figuram præſeferens vtrimque depreſſa, ſupra primam, & ſecundam ceruicis vertebram poſita, duplicíq; motu annutionis nempe, atque abnutionis, & ad latera in gyrum mota.

Diuiditur idem caput in duas partes, in faciem, quàm græci vocant, proſopon, nec non in caluam, ſeu cranium, quam appellant capitis partem capillatam. Facies verò conſtat fronte, naſo, duobus oculis, cilijs, ſupercilijs, duabus auribus, ore, nec non maxillis ſuperiore, & inferiore.

Calua verò, quæ, & caluitium quibuſdam dicitur, conſtat ex ſincipite, occipite, & duobus temporibus appellatis: & hæc de capitis, eiuſq; partibus natura noſtris ſenſibus conſpicuis.

Atqui ad morborum capitis cognitionem habendam opus eſt, vt omnes illas partes contemplemur, quæ ſub caluitio iacent, in quibus morbi capitis reſidere conſueuerunt, ad quorum perfectam cognitionem, cerebrum ipſum vt conſideremus, oportet; quod ſit, vt diximus, tanquam animæ rationalis domicilium.

A cerebro igitur tanquam à norma, & regula certiſſima colligere facilè poterimus omnes partes caput conſtituentes; hac ratione, nam aliæ partes ſunt circa cerebrum, aliæ in cerebro, aliæ à

A cerebro, & aliæ ad cerebrum.

Primi ordinis, circa cerebrum, ſunt cū pilli, cuticula, cutis, membrana carnoſa, pericranium, cranium, dura membrana, quæ dura meninx dicitur, & pia membrana, ſeu pia meninx.

Secundi ordinis, in cerebro, eſt compoſitio, videlicet magnitudo, & figura capiti proportionata, quia in interiori, & poſteriori parte eminentiam habet, B ſed ad latera depreſſum, eiuſce anterior pars vocatur propriè cerebrum, poſterior verò cerebellum.

In ſuperiori cerebri ſuperficie gyri quidam, aut ſpiræ obſeruantur ex eadē cerebri ſubſtantia conſtructæ, ad illiuſq; extimam, & externam ſuperficiem, quæ oculis intuentium inteſtinulorum quorundam formam repręſentare videntur; adeſt connexio eiuſdem ſubſtantiæ, quę C medullaris eſt, corpuſq; calloſum.

Ad intimiora deſcendentibus occurrit, eſt diuiſio eiuſdem cerebri in duas partes laterales, quæ ab inuicem dirimuntur à membrana dura, cuius pars, quæ facit hanc ſeparationem, vocatur ob ſimilitudinem falx meſſoria.

Sunt ventriculi excauati in medullarem ſubſtantiam cerebri, qui quatuor D recenſentur, quorum duo anteriores ſunt, & magni, ac duo poſteriores & par ui ex communi Anatomicorum conſenſu. In Miſcellaneis noſtris Decade Prima oſtenſum eſt totum caput eſſe intus excauatum.

Denique multæ aliæ particulæ numerari poſſent, quæ ad inſtitutum noſtrum minimè ſpectant, cùm ſubtiles quædam anatomicę conſiderationes ſint; proinde de illis omiſſis, ad partes tertij ordinis, E quæ à cerebro prodeunt, deueniemus; hæ namq; ad morborum particularium conſiderationem maximè faciunt.

In his reponitur primò ſpinalis medulla, tanquam magnus quidam truncus, à qua nerui omnes prodeunt, per quos ſpiritus animales, tanquā per truncum, & canales quoſdam deferuntur ad

ſen-

ſenſum, & motum omnibus corporis partibus diſtribuendum.

Præterea diuiſa eſt ſpinalis medulla, in duas partes, quarum vna non tranſcendit limites cerebri, longa, quantus eſt digitus vnus, à qua oriuntur ſeptem illa neruorum paria tam diuulgata, quãuis adſint duo alia à me inuenta, vt ex meis Figuris Prima Decade Miſcellaneorum apparet.

Altera verò pars à cerebro per illud magnum foramen in occipite exculptũ exit, & deorſum per ſpinam ad omnes corporis partes deſcendit, ab ipſaque prodeunt trigintaduo neruorum paria.

Abſolutis partibus ad tertium ordinẽ attinentibus, ſuccedunt partes quarti ordinis, quæ ſunt venæ, & arteriæ: illæ à iecore demandantur ad caput, & ad ipſum cerebrum; quemadmodum arteriæ à corde, vt nutriri, ac viuere poſſit.

Diſtributo corpore humano in ſuas partes, ac præcipuè capite, ad morbos capitis particulares primùm accedendum venit, qui ordine quodam tradendi ſunt.

Ordo verò doctrinæ eſt in duplici differentia; vel eſſentialis, vel accidentalis. Eſſentialis porrò triplex eſt, reſolutiuus nempe, compoſitiuus, & definitiuus.

Reſolutiuus à notione finis ad ea, quę ad finem ſunt, via quadam per prius, & poſterius progreditur.

Compoſitiuus huic prorſus contrarius eſt, eò quòd ea, quæ ordine reſolutiuo inuenta ſunt, primò contemplatur, & ab ipſis exordiens ad finem vſq; progreditur, hoc eſt à ſimpliciſſimis ad compoſita, & ab vniuerſalibus ad minus vniuerſalia, & vſque ad ſingularia perueniens.

Definitiuus ordo ille eſt, qui à definitione exorſus omnes definiti differentias ad ipſam definitionem deducit.

Accidentális ordo arbitrarius eſt, cũ modò à notiori, modò à nobiliori, & digniori incipiat.

A Ordine reſolutiuo in tota tradenda medicina vix vti poſſumus, licet ipſum obſeruauerit Galenus lib. de conſtit.artis med. definitiuum verò ſeruauit lib. artis paruæ.

Auicennas verò totam medicinam docuit ordine compoſitiuo, quemadmodum etiam & Raſis in lib. continentis.

B At morbi particulares nequeunt ordine aliquo eſſentiali omnes explicari, niſi vtamur definitiuo, quare licet in aliqua parte medicinæ ab huiuſmodi eſſentiali ordine auſpicari, ac accidentalem ſequi, quod aliquando Ariſtotelem feciſſe obſeruamus.

Is enim lib. 2. de anim. vbi animę ſcientiam ordine compoſitiuo tradidit, ab hoc aliquando diuertit; nam quinque ſenſuum materiam docens, auſpicatur à ſenſu viſus, cùm tamen ordine compoſitiuo debuiſſet incipere à

C ſenſu tactus; memores igitur commoditatis poterimus quandoque ordinem proſequi accidentalem.

In materia igitur morborum particularium enucleanda auſpicabor ab ipſo capite, tanquam à parte omnium digniſſima, & nobiliſſima; in ipſo enim continetur cerebrum, animæ rationalis domicilium, & habitaculum, & ab ipſo omnes

D prodeũt ſenſationes tam internæ, quàm externæ, omneſque motiones corporis voluntariæ.

Deinde quia authore Hippocrate 4. de morbis præ cæteris alijs corporis partibus maximè morbis caput eſt obnoxium.

Tandem quia caput videtur eſſe corporis totius pꝛincipium, atque initium,

E hinc etiam eſt, quod ratione ſimilitudinis huius omnia rerum initia, dicuntur eſſe capita.

Succedit omnes Authores, qui morbos particulares docent incipere à capite, ſiue voce, ſiue ſcriptis hanc materiam proſequantur. Inter Græcos eſt Galenus lib. 1. de comp. med. loc. Paulus

lus Aegineta libro 3. Aetius tetrab. 2. A
lib. 2. Alex. Trallian. lib. 1. cap. 1. & alter Alexander dictus Iatros,

Inter Arabes eſt Raſis 9. ad Almanſorem, Auicen. lib. 3. fen. 1. tract. 2. cap. 1. Haliabbas 4. pract. cap. 6. Iſaac lib. 5. practicæ cap. 2. vſque ad ſextum caput incluſiuè, atque Serapio in ſuo breuiario tract. 1. cap. 7. de ſoda.

At non omnes hi authores inter ſe conueniunt; nam alij primùm conſide- B
rant morbos externos, nempe capillorum, atque cutis; alij verò his neglectis ad internorum contemplationem accedunt, inter quos primùm eſt Raſis 9. ad Almanſorem.

Hinc factum eſt, vt inter Latinos ſit diuiſio; cùm alij Raſim imitentur, alij verò præcitatos ſcriptores.

At equidem prius quàm ad internos me accingam, exteriores capitis morbos examinare contendam, quorum aliqui ad capillos ſpectant, vt ſunt ophiaſis, alopecia, & profluuium capillorum; alij ad cutem, vt ſunt achores, faui, & id genus vlcuſcula, quæ ab Arabibus ſub nomine tineæ comprehenduntur. His præhabitis iam fit initium.

# DE ALOPECIA ET OPHIASI.

## CAPVT PRIMVM.

Capilli, qui ſunt caluæ capitis partes ſenſibus primo occurrentes, affectus quoſdam præter naturam patiuntur, quibus à ſuis locis effluunt, & ſub nomine defectus capillorum comprehenduntur, quemadmodũ ſunt alopecia, ophiaſis (quæ à Celſo lib. 6. cap. 4. areæ appellantur) profluuium capillorum, caluitium, & tardus pilorum ortus; nam multos obſeruamus, quibus anno vigeſimo pili in mento deſiderantur.

Eſt autem defectus capillorum affectio, qua cutis capitis glabra redditur, cuius plures ſunt differentiæ à Galeno traditæ 1. de comp. med. cap. 1. vna eſt alopecia, altera ophiaſis, tertia capillorum profluuium; caluitium autem, ac tarda pilorum generatio effectus naturales ſunt; illi verò præter naturam.

Exordiamur igitur ab alopecia, & ophiaſi, quarum indaganda eſt definitio, deinde cauſę, tertiò, ſigna, quartò, C
prædictiones, poſtremò, curatio.

Sub vnica deſcriptione hi duo affectus comprehenduntur, qui ſunt præter naturam, quatenus capilli capitis deſfluunt; Galenus 1. de comp. med. ſecundum locos cap. 1.

Differunt verò nominis ratione, & figura, quam ſeruant; ſiquidem alopecia ita dicta eſt, quod vulpes hunc ſæpè patiantur affectum; alope enim grecè di- D
citur vulpes, vnde alopecia quaſi vulparia dicas.

Non deſunt tamen, qui ſcribant alopeciam ita dictam fuiſſe ab effectu, quem inducit vulpis lotium; etenim vbi illud inſperſum fuerit, herbas, ac plantas areſcere facit. Thiria ab Auenzoar dicitur ophiaſis, quæ ita appellatur, quod partes capitis ſerpentum in modum glabreſcant.

E Cornelius Celſus lib. 6. cap. citato ſcribit ratione modi, quo fiunt, hoc commune habere, quod in vtroq; emoritur ſumma pellicula primùm, extenuantur pili deinde, & excidunt. Differunt verò

ratio-

ratione figuræ, quam in profluuio pilorum acquirunt; authore Celſo loco præcitato; nam alopecia ſub qualibet figura dilatatur, in capiteque verè area apparet.

Ophiaſis verò incipit ab occipitio duorum digitorum latitudinem non excedens, & duobus capitibus ſerpit ad aures producta, quibuſdam etiam ad frontem, donec ea duo capita in priorem partem ſe committant.

Differunt tertiò partis, quam occupant, ratione, cum alopecia caput, & mentum inuadat; ophiaſis verò capitis partem capillatam nõ excedat, & ab occipitio ortum ſuum ducat.

Quartò alopecia omnes ętates indifferenter obſidet; ophiaſis ſolummodo pueros: deniq; illa vix vnquã ſine curatione; ophiaſis verò per ſe ſæpe finitur.

An modò huiuſmodi affectiones redigantur ad malam cutis intemperiem, an ad morbum in numero deficiente, quia pili, quæ ſunt quodammodo partes, deficiunt, conſiderare oportet.

At parum in præſentia id ſcire refert, cùm eadem medendi ratione vti debeamus, vt ait Galenus 1. de comp. med. per loca, quem omnes in hunc vſque diem ſectati ſunt;nam cauſa vtriuſque affectionis eſt alimentum vitioſum, ſeu fuligo illegitima, ac vitiata, qua capilli nutriri conſueuerunt.

## DE CAVSIS ALOPECIAE.

Galenus duplicem attingit cauſam profluuij capillorum; vna eſt defectus alimenti;altera vitium prauorum humorum, quod à ſimilitudine plantarum deducit.

Nam inquit, quemadmodum, plantæ aliquę ob humoris inopiam exiccatę corrumpuntur; aliquę ob humoris alieni cõmercium; eodem modo, & capilli, aut propter humorum, ex quibus nutriuntur, defectum, aut propter eorumdem vitium accidit, vt corrumpantur.

A Profluuium naturale, nempe caluities,fit ob humorum inopiam; alopecia verò, & ophiaſis ratione humoris vitioſi; ita vt concludendum ex Galeno ſit cauſam immediatam, & proximam eſſe humores vitiatos, qui ab eodem dicuntur eſſe ſeroſi; ab omnibus ſiquidem humoribus ſerum decidit, nempe à pituita, melancholia, bile, ac ſanguine.

B Humores autem praui,vel in toto corpore, vel in parte corrumpuntur; vnde & ſerum ſanguinis, & bilis, & melancholiæ, atque pituitæ meritò dici poteſt: ab horum igitur ſero magis excitantur affectus iſti,quàm ex humoribus; vnde rectè admonebat Celſus, ſi cutis capitis lædatur, exit ſanguis liquidus, & mali odoris.

Auenzoar cauſam reijcit in ſalſam pituitam, quæ ſua craſſitie maiori, & C minori efficit alopeciam, & ophiaſim; craſſior videlicet eſt cauſa alopeciæ, tenuior ophiaſis.

## DE SIGNIS ALOPECIAE.

Signa horum affectuum à ſenſu petuntur; nam ſupra ex Celſo à nobis dictum fuit, in vtroque eorum ſummam cuticulam emortuam eſſe; deinde D quod extenuantur pili; tertiò quod decidunt: addo,quod figura; quam in cadendo pili ſeruant, vtriuſque affectionis ſignum dignoſcitiuum eſt.

Qualis verò humor peccet in corpore, ex colore ipſius cutis dignóſci poteſt; nam ſi ex materia pituitoſa proficiſcatur, color albus erit; ſi bilis, flauus; ſi melancholicus ad nigredinem, ac liuorem mutata conſpicietur:at ſignum E illud, quod à capillis extenuatis deſumitur, eſt attendendum.

Sed ingenioſum audio à me inquirẽtem, quomodo emoritur cuticula,cùm non ſit pars, quæ nutriatur, ſed fiat ab excrementis; nam illa omni caret ſenſu, venaſque minimè habet, quibus nutriri poſſit?

Cùm

Cùm igitur alimento careat, non poteſt vita fungi, nec per conſequens mori: nam mori dicitur de partibus viuentibus verè, & prima ratione mori dicitur illud, cui alimentum deficit.

At dicuntur etiã mori, ſed impropriè, illæ partes, quæ minimè nutriuntur, ſicuti eſt cuticula, quę quamuis ab excrementis fiat, dicitur tamen mori, quia per aliquod accidens ſeparatur à ſubiecta cute.

Id enim in herpete obſeruamus, atque in alijs cutis affectionibus, vt etiam in huiuſmodi vitijs contingit; nam ob exceſſum excrementorum, eò confluentium inducitur cuti quędã mala intemperies, quæ eſt cauſa, vt attenuetur cuticula, atque ab ipſa ſeparetur; & hæc eſt mors ipſius cuticulæ, à qua quidem licet dignoſcere propoſitos affectus.

## DE FVTVRO EVENTV *Alopecia*.

Quod ad prognoſim ſpectat, huiuſmodi affectiones non ſunt ſpernendæ, cum fiant à vitioſis humoribus.

Difficiliùs curatur alopecia, quando cutis ſubpinguem tactum refert, diuriorque eſt, vel ex toto glabra: ſi maximè neq; fotu, neq; frictione rubeſcat.

Difficiliùs curatur, quàm ophiaſis, quæ quidẽ, vt ex Celſo ſupra audiuiſtis, non raro ſine medicamentorum ope euaneſcit, nunquam verò alopecia, quæ ſemper eget medicamentis, quibus etiã vix cedit; hæc de prognoſi, ac ſignis.

Quamuis huiuſmodi affectiones nullam actionem lædere videantur, cùm nec cutis actionem, nec minus capilli habeant, inducitur ei tamen intemperies, quo nomine, & ipſius functiones propriæ, nempe attractio, retentio, alteratio, atque expulſio læduntur.

Quare videtur morbus præſens, cui præſens etiam debetur curatio, quæ nõ niſi triplici illo medicinæ inſtrumento A perficitur, vt humores vitioſos omninò extinguat; qui quamuis varij ſint; ideſt, vel pituitoſus, aut bilioſus, vel melancholicus, in hoc tamen conueniunt, vt malignitate quadam, atque acredine radices pilorum conſumant.

Curandum proinde eſt, ne amplius humor prauus in corpore generetur, & ille qui genitus eſt, euacuetur, ne poſtea in caput feratur; aut ſaltem ipſius ma- B lignitas, & acrimonia mitigetur.

Primò quidem ipſius prohibebimus generationem, ſi materiam, à qua generari conſueuit, auferamus; deinde partes affectas, & cutem ipſam temperare ſtudebimus. Humores tales in toto fiunt corpore, aut in cute capitis corrumpuntur, etiam ſi boni fuerint.

## C DE CVRATIONE ALOPECIAE. *per diætam.*

Materia autem generationis horum prauorum humorum pertinet ad illud primum medicinæ inſtrumentum, nempe ad diætam, cuius ſubiectum ſunt ſex res non naturales, neceſſariò nobis occurrentes.

Aer primò temperatus eſſe debet D tam in actiuis, quàm in paſſiuis qualitatibus.

Deinde cibum, & potum oportet eſſe optimi ſucci, & facilis concoctionis: panis ſit optimè fermentatus, debetque eſſe pauciſſimo ſale conditus.

Inter olera, quæ optimum ſuccum, & ſanguinem laudabilem gignunt, ſunt eligenda.

E Omnia calida, ſalſa, acria, mellita, euitanda ſunt; caueantque ægrotantes omni caſeorum genere.

A leguminibus etiam, & ijs, quæ flatum generare ſunt parata, abſtineant.

Si tamen cacochymia ex humoribus frigidis prouenerit, aliqua calidę facultatis ſimplicia cibis iam dictis ſunt admiſcenda, vt ſimul, ac ſemel habeant alimenti, & medicamenti rationem.

Quod

Quod ad potum ſpectat, vinum debet eſſe tenue, atque pauciferum, quod Græci oligophorum appellant; vel ſaltem, quod multum aquoſum ſit antè factum; vel loco vini aqua coriandrorum, vel in qua modicum cinnamomi ebullierit.

Vbi tamen cacochymia frigida peccauerit, vini generoſioris vſum permittere conuenit, ſed cum cautela id agendum eſt, quia quamuis humores frigidi ſint, nihilominus acrimoniã, & malignitatem continent, proinde tutò cùm vino agendum venit, ne caliditas illa acquiſita magis augeatur, acrioreſq; humores fiant.

In reliquis omnia debent eſſe moderata, vt exercitia, ſomni, balneæ, ſudores, à venere etiam abſtinendum; denique alui deiectionem procurare conuenit (niſi ſponte fluat) clyſteribus quibuſdã, aut balneis, ſeu ſuppoſitorijs.

## DE CVRATIONE ALOPECIAE. per Pharmaciam.

Ita quoque & in pharmacia procedendum, vt ſcilicet id, quod eſt præter naturam, auferatur, abſque aliqua illius, quòd eſt ſecundùm naturam labe. Præter naturam dicitur humor vitioſus, qui eſt indicans, cuius multiplex fieri poteſt conſideratio; nam aut peccat qualitate, aut quãtitate, aut ſubſtantia, vel motu.

Si qualitate, vel prima, vel ſecunda; ſi prima, vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca erit, tumque indicat per contraria calefaciendum, refrigerandum, exiccandum, & humectandum eſſe.

Secunda etiam qualitas vel craſſa, aut tenuis ſe prodet, & pariter indicat eſſe aut attenuandum, aut in craſſandum.

Quod ſi peccat humor in ſubſtantia, aut quantitate, tunc indicatio ſuadet eſſe euacuandum, vel per ſanguinis miſſionem, vel per medicamẽtum purgans.

Si autem peccet motu, inſurgit indicatio ad reuellendum, aut deriuandum; at in hoc caſu videtur magis per vrinam ducendum eſſe humorem peccantem.

Iſtæ ſunt indicationes magis ſpecificæ, quę à prima illa indicatione ſuggerũtur. Prima indicatio eſt, quod morbus tollatur; omnes enim ruſtici etiam cognoſcunt morbum indicare ſui ablationem, & etiam per contraria, nempe calidum refrigerandum eſſe, & ſic de ſingulis.

Sed quantum, & quo modo id agendum veniat, & qua opportunitate munus eſt ſolius medici; vnde Galenus dicebat, ille, qui cognoſcit media, quibus ſatisfaciendum eſt ijs, quæ à prima indicatione ſuggeruntur, eſt verè morborum curator.

In huiuſmodi affectionib⁹ clara adeo eſt Galeni mens lib. 1. de comp. med. loc. cap. 1. vt nihil clarius in ſua doctrina reperiri poſſit; quia vult humores per hieram, ſcammonium, & colocynthidem eſſe eijciendos, atque purgandos.

Ipſius enim hæc ſunt verba: Quare iſtis primum purgationem corporis adhibebis, aut pharmaco pituitam educente exhibito, aut quod bilem pallidã, aut atram trahit; coniectura facta ex colore cutis humoris redundantis.

Ego verò ſemper per hieram purgaui, aliquando veratro nigro adiectã, vbi atram bilem expurgare volui; aliquando ſcammonio, cum bilis amara fuiſſet expurganda.

Si verò pituitoſum exuperare cognoui humorem, nihil admiſcui; hunc enim præſertim hiera ex colocynthide purgare conſueuit, ſimulque cum eo alios humores, etiam ſi ſcammonium, aut veratrum nigrum, aut epithymum non aſſumpſerit; quin etiam ex aloe cataporia, quæ colocynthidem, & ſcãmonium admiſta habent, vtiliter expurgare ſolent.

Quare à principio ad purgationẽ, nulla expectata coctione, deueniendũ eſt.

Sed vnum hoc loci dignum eſt conſideratione, quia paulò inferiùs in hoc capite ſcribit ſe purgaſſe bis iuuenem quendam alopeciam patientem hiera ex colocynthide, ſpacio quinque dierũ.

Priùs quàm verò ad has purgationes deueniret, vndecim catapotia ciceribus ferè magnitudinem parem habentia dedit. Coſtant autem catapotia hæc ex vna aloe parte, & duabus ſcammonij, & colocynthidis, quibus addebat ſuccum abſynthij, & chiam maſtichem, atque bdellium.

Non eſt ſanè dicendum has pilulas dediſſe, vt purgaret, quia in tam pauca quantitate aſſumpta, quanta eſt ciceris magnitudo, non poteſt corpus purgari. Deinde adduntur maſtiche chia, & bdellium, quæ incidendi, & atteuuandi facultatem habent, eaque ſimul cum ſucco abſynthij incorporat, qui ſuccus, & ipſe attenuandi facultatem habet.

Vnde huiuſmodi medicamentum nõ purgandi, ſed præparandi cauſa Galenus exhibuit; ideoq; dicendum eſt, quod oporteat primùm alterare, & præparare antequam ad purgationẽ deueniamus.

Multa ſunt præterea, quæ difficultatem habent in eo capite. Primò, quia ſcribit in prima purgatione ſe dediſſe drach. iv. in ſecunda verò drach. v. hieræ ex colocynthide, quæ cùm ſit validiſſimum medicamentum, non ſolet excedere drach. ij. ad ſummum.

Dinde cum tam breui tempore duas tam inſignes fecerit purgationes, aliud non contemnendum oritur, quod ſupra ſumpſerat catapotia ex aloe ſcilicet, ſcãmonio, & veratro ad purgandos humores, cum tamen concedere videatur loco alterantium, & quod magis eſt, poſtquam ſcribit iuuenem fuiſſe purgatum, addit ipſum poſt tres illas factas purgationes diſceſſiſſe: ſed his omiſſis reliqua proſequamur.

Expurgato corpore localia applicanda ſunt, quæ tribus cõditionibus pollere debent; primò, quod calida ſint, ſed non vrant; ſecundò, quod ſint tenuium partium; tertiò, quod ſanguinem bonum ad cutem trahere valeant.

Plura ab antiquioribus proponuntur, & à Galeno potiſſimùm 1. de comp. med. per loca, quorum quędam ſimplicia ſunt, aliqua compoſita, quæ per vos videre poteſtis.

Noſtrates medici, facta vniuerſali totius curatione decenti, abraſis capillis caput fouent lixiuio variè præparato; nam aliud mitius, aliud fortius parare conſueuerunt.

Mitius fit ex cineribus ſarmentorum vitis: fortius autem ex rebus nitroſis, nempe ex caulium cinere, aut fraxini, vel ficus, & in hoc ſimplicia, quæ detergendi facultate ſunt prędita incoquunt, vt ſunt.

Radices enulæ campanæ,
Bryoniæ,
Iridis,
Thapſiæ, & id genus.

Probatur linimentum ad alopeciam ab Alideo inuentum, à Petro Foreſto vſu confirmatum. Id autem conficitur ex cinere apum, & oleo myrtino, primò tamen fouetur caput lixiuio facto ex radicibus cannæ, polytrico, & capillis veneris. Prodeſt etiam emplaſtrum factũ ex muſcis tritis cum terebinthina, & vitellis ouorum.

Valet quoq; liquor prodiens à limacijs rubeis ſale aſperſis.

Duo linimenta à Petro Foreſto deſcribuntur, quorum vnum eſt Meſue, aliud verò ſuæ inuentionis, lib. 8. obſ. 3.

Primum eſt.

℞. Spumæ maris
Aphronitri, ſeu ſpumæ nitri,
Nucum.
Amygd. amar. combuſt.
Rad. cannæ vſtæ,
Cort. auellanarum comb.
Stercoris capræ, ana vnc. ſſ.
Adipis anatis, quantum ſufficit,

Ali-

Aliud eſt.

℞. Carnium limaciorum,
Veſparum,
Apum,
Sanguiſucarum,
Salis aduſti ana partes æquales;

A Pone in vaſe vitreo habente in fundo parua foramina cribri inſtar, & pone ſub eo aliud vas vitreum, quod colligat id, quod paulatim per multos dies manabit: & hæc de alopeciæ, & ophiaſis curatione ſufficiant.

# DE CAPILLORVM PROFLVVIO.

## CAPVT SECVNDVM.

QVamuis duę ſuperiores, de quibus egimus, affectiones ad profluuiũ capillorum, vt audiuiſtis, referantur, habent tamen propria nomina ab animalibus iam dictis deſumpta, nunc proſequimur illud capillorum vitium, quod generico nomine profluuium appellatur, quod quidem ſi rectè iudico, triplex dici poteſt.

Vnum, quod ex lue venerea prodit; alind, quod poſt aliquos morbos, vt docet Galenus, euenire conſueuit; tertium, quod nec à lue venerea, nec ab aliquo morbo proficiſcitur.

De priori non eſt, vt quidquam dicamus, quia pertinet ad tractatum de morbo gallico, proindeq; aliam requirit ab alijs curationem. Secundum in præſenti exponendum ſuſcipimus; omiſſo tertio, quod veluti accidẽs naturale ſit, à noſtris caluitium appellatum, ſtatutis quibuſdam temporibus, determinatiſq; & peculiaribus naturis contingens, & in quadam capitis determinata parte, nempe in anteriori.

Succedit, quod caluitium ex cutis quadam ſiccitate potiùs proueniat, quàm ex mala aliqua affectione; de quo atque de capitis canitie multi ſcripſerunt, quæ cum ad præſentẽ ſpeculationẽ non faciant, ea ſponte relinquimus.

B Venio itaque ad vocatum ſimpliciter profluuium, de quo egregiè, & doctè, vt ſemper loquutus eſt Galenus cap. 2. & quamuis de eo plures ſcripſerint, nihil tamen attulerunt, quod in primo de compoſitione medicamentorum per loca ſcriptum non habeatur.

### DE CAVSIS PROFLVVII Capillorum.

C QVid autem illud ſit, & ad quod morbi genus referatur, facilè ex dictis colligi poteſt; huiuſq; duæ cauſæ traduntur à Galeno loco præcitato.

Vna ex materia, à qua pili generantur, deſumpta; altera verò à cute, in qua eradicantur. Materiæ primùm inopia, ac penuria adeſt, qua deficiente, & eorum generationem defici neceſſe eſt.

D Si verò cutis nimium rara ſit, quamuis adſit materia, capilli fieri nequeunt; quemadmodum enim in terra, quæ ſicca nimis ſit, aut rara, plantæ conſiſtere nequeunt, ita cutis raritas in cauſa eſt, vt capilli firmiter non hereant, humoris itaque, à quo fiunt, inopia pili extenuantur, deinde excidunt, & qui remanent rari eſſe deprehenduntur.

E Sunt, qui alias cauſas addunt, nempe nimiam humorum copiam, exiſtimantes, quod, quemadmodum plantæ ex

nimio alimento ſuffocantur, ſic capilli. Deinde adijciunt,& cutis denſitatem.

Quam cauſam etiam tetigit Galenus lib. 1. de temperamentis, vbi cutem, in qua pilus debet firmari, aſſimilat caſeo mediocriter ſe habenti inter denſitatẽ, & raritatem; nam caſeus recens, ſi perforetur, ablata re perforante, non amplius veſtigium perforationis retinet, quod partes molles ſtatim concidant.

Eodem modo dum fuligines ſurſum aſcendentes cutem molliorem,& laxiorem reperiunt, extra cutẽ euaporantes nullum capilli veſtigium relinquunt; vbi verò ipſam duriorem nimis offendunt, perforare nequeunt, quo nomine, & capilli fieri non poſſunt.

Vt igitur capilli cutem pertundant, opus eſt, vt ea ſit mediocris in duritie,& mollitie. Etiam Galenus hanc eandem cauſam agnouit, quam lib. 2. compoſ. medicamentorum, non attulit, eo quod ex ſui contrario ſatis claram reddi arbitrabatur.

Alexander Trallianus imaginatus eſt expurgationem prauorum humorum meatus pilorum obſtruentium cauſam eſſe, vt ij defluant, non quidem corrodendo eorum radices, ſed non obſtruendo canaliculos.

Sed vix credibile eſt humores acres ſub cute reperiri, qui nihil pilorum radices moleſtent, repleant autem cananiculos, in quibus pili fieri, ac firmari debeant. Sed dato etiam, quod illud fieri poſſit, iam ſatis, ſuperque de profluuio capillorum à prauis humoribus enatis à nobis actum eſt.

### DE SIGNIS PROFLVVII Capillorum.

Igna profluuij capillorum à ſenſu ipſo petuntur; nam cum videmus alicui capillos rariores fieri dicimus pati profluuium capillorum.

Diſtinctio autẽ illius, quod à penuria materię ortum ducit, ex prægreſſo morbo dignoſcitur; nam dicebat Galenus rarò profluuium capillorum euenire, niſi infirmitas aliqua præceſſerit, ex qua contingat humorum in corpore adeſſe penuriam.

Præterea, quia à calore multum languido nequit quandoq; eleuari fuliginoſus vapor; ea propter etiam fit immediata cauſa penuriæ materiæ pro pilorum generatione.

Diſtinguitur verò cauſa defluuij capillorum vitio cutis ex cauſis externis, quæ adſunt, aut præceſſerunt, quibus poſſimus arguere cutem ab illis rariorẽ, aut denſiorem redditam fuiſſe, quemadmodum eſt nimia ſiccitas, aut acris humiditas.

### DE FVTVRO EVENTV Profluuij capillorum.

Vod ad prognoſticum ſpectat, ſi conſideremus profluuium capillorum in ſe, vt prouenit ex alimenti defectu, nullum vnquam periculum affert, temporiſque progreſſu, facilè curatur.

Si verò illud conſideremus, quatenus prodit à morbo, quemadmodum eſt, quod ſequi ſolet hecticas febres, quæ ſunt cum alui fluore, poſſemus dicere, vt nonnulli ex recentioribus ſcribunt, cauſam eſſe lethalem; ſed quia, hoc non eſt ſui, ſed alterius, nempe morbi, ratione, hinc dicere non poſſumus cum iſtis profluuium capillorum eſſe lethale.

### DE CVRATIONE PROFLVVII. Capillorum.

I curationem aſpicias, ſcribit Galenus, opus eſſe vti cibis boni ſucci, qui reſtaurandi vires facultatem habeant, & ſanguinem bonum generandi, cuius calore operante poſſint eleuari fuligines, vnde citra aliquod medicamenti genus multi curantur, & perfe-

ctè capillati fiunt.

Alimenta igitur, quæ à nobis propoſita fuerunt, aſſumere optimum erit, nempe panē probe confectū,atq; decoctum, carnes vitulinas, caſtrati, caponū, pullorum, & id genus: vinum ſit pauciferum, aut aqua lymphatum.

Ad localia medicamenta interim recurrendum eſt,quę facultatem habeant ad ſe trahēdi pilorum materiam, capitis cutem corroborandi; eamque ad mediocrem quandam raritatem, aut denſitatem reuocandi.

Inter alia medicamenta, quæ huic effectui ſuccurrere poſſunt, ladanum,vt præſtantiſſimum à Galeno proponitur, quod duplici facultate, & contraria ſit præditum, attractoria ſcilicet, & adſtrictoria.

Sed cùm ſit corpus quoddam glutinoſum, ac lentum,eget oleo quodam, vt ſimul cum ipſo eandem facultatem habeat. Celebrius, atque accommodatius remedium, nec inueniri, nec excogitari quidem poſſe, ait Galenus ipſo ladano cum oleo lentiſcino.

At ſi cutis rarefacta adeo ſit,vt capilli non poſſint firmari, iubet Galenus loco lentiſcini myrteum oleum accipiendum eſſe, ex quo Galeni loco patet, quantū allucinentur illi, qui ladano oleum chamæmelinum admiſcent.

Oleum roſaceum,vel omphacinum in hoc caſu ſimul cum ladano advnguēti formam redactum optimum eſſet. Aetius lib. 2. tetrab. 2. cap. 56. Paulus Aegineta lib. 3. cap. 1. probat, & nardinū oleum, nec non illud, quod ſpicatum vocant.

Ladanum liquefactum in duplici vaſe cum nardino; aut ſpicato vnguento, aut oleo pro diuitibus, vt præclarum remedium proponit Galenus, quem omnes authores adeo ſectati ſunt, vt pauca hiſce remedijs ab eo inuenta adiecerint.

Caput ex præcepto eiuſdem abradēdum, aut forfice tundendum; æſtiuo tempore radere oportet; hyeme verò tondere forficibus,deinde,vt ſupradictū eſt,fricare, aut balneo ipſum abluere, denique inungere, hâc conditione ſeruata, vt quando raditur, medicamentū ſit craſſius; quādo detōdetur liquidius.

Recentiores fomentis quibuſdam vti conſueuerunt eandem intentionem habentibus.

Forma fotus huiuſmodi eſt.

℞. Foliorum myrti ebullitorum in ſufficienti quantitate vini rubri, & aquæ abſynthij.
Stæchados,
Sarmentorum vitis contuſorum,
Capillorum veneris,
Polytrici.

Bulliant in ſufficienti quātitate aquæ fontis: hac decoctione è ſpongia quadam vniuerſum caput foueatur (quæ magis ad frigiditatem, quam ad caliditatem vergat) deinde hoc medicamenti genere vniuerſum caput illinunt.

℞. Foliorum myrti,
Roſarum rubearum,
Abſynthij,
Capillorum veneris,
Polytrici, ana p. ij.
Decoquantur in olei dulci,
Vini auſteri, ana quartarijs iij.

Quouſque vinum conſumptum ſit, omnia deinde exprimantur,& colentur, poſtea

℞. Huius olei, vnc. ij.
Maſtiches, vnc. ſſ.
Ladani, vnc. j.

Maſtiches, & ladanum in mortario piſtillo calido tundas, paulatim oleum infundendo, deinde pulueris capillorum veneris ſcrup. iv. conſperge, ac probè facta miſtione fiat vnguentum.

Ad pilorum regenerationem in ſupercilijs.

℞. Thuris, drach. iij.
Stercoris herinacei marini,
Rutæ ſ. pulueriʒatæ, ana drach. ſſ.
Cum axungia vrſi fiat linimentum.

Petrus Foreſtus lib. 8. obſer. 3.

Si

Si vellem omnia medicamenta, quæ à ſcriptoribus traduntur, vobis in medium afferre, longum eſſet, plura à Galeno compoſita ex Archigenis Chriti, & Cleopatræ ſententia ſcribuntur.

Legite per vos, & reperietis Galenū eſſe fontem, & caput omnium medicamentorum, ſed præter hæc, multa tradit ad capillos denigrandos, flauóſque faciendos.

Legite quoque Auicennam libro 4. fen. 7. tr. 1. cap. 1. vſque ad 7. quæ A cum ad coſmoticam, hoc eſt, medicinæ comptoriam partem faciant, nos qui therapeuticam ſolam profitemur, ſtudio prætermittimus: & hæc de capillorum profluuijs.

Iam expedit, vt ad cutaneas affectiones ſermonem conuertamus, à leuioribus ad grauiores progredientes, quas quidem breui oratione complecti enitar. Ex his primò occurrit diuulgatiſſima, B & familiaris affectio, quam noſtri porriginem vocant.

# DE PORRIGINE SEV FVRFVRIBVS.

## CAPVT TERTIVM.

Appellantur furfures, ſeu furfuratio libro 1. de comp. med. cap. 6. ſimilitudine quadam, quam cum furfure habere videntur, ſquamulæ quædam à capite deſcendentes. Diciturq; idem affectus porrigo, quia illi, qui tentantur eo, pruritu quodam affliguntur.

Quid verò ſit hæc affectio, non omnium eadem videtur opinio; nam & ſi conueniant, quòd ſit aliquid præter naturam, nihilominus Galenus ſcribit eſſe acceſſionem, aut ſymptoma; Auicennas verò eſſe leuem quandam excoriationem cutis, à qua prodeunt ſquamulæ lib. 4. fen. 7. trac. 1. cap. 1.

Paulus Aegineta lib. 3. cap. 3. inquit quod in ea tenues, & furfuraceæ ſquamulæ ex capitis, vel etiam reliqui corporis ſuperficie citra exulcerationem, reſoluuntur: idem Trallianus ſcribit ad verbum, quod Paulus.

Bernardinus Gordonius non ſpernendus author librò de paſſionibus capitis, hunc effectum ita definiuit; furfu- C res ſunt ſquamæ quædam in cutis ſuperficie, ſine vlcere capillos euellentes, ſic fœdam in capite diſpoſitionem inducentes.

Iſti tres authores dicunt eſſe ſymptoma, hoc eſt, caſum ſquamularum, in modum furfuris, ſed quod ſit abſque exulceratione, in hoc conuenientes, quod à cutis ſuperficie decidant ſquamulæ quædam, ex quo caſu procul du- D bio ſequitur capitis deruptio, quod adeò manifeſtum eſt, vt nulla egeat probatione.

Sed quomodo cum Auicenna conciliantur, qui dixit adeſſe excoriationē quandam; iſti verò minime reperiri excoriationem? niſi forte dicamus in grauiori affectu dari excoriationem, de qua Auicennas eſt loquutus; illi autem acceperunt exiguam furfurationem, & à principio, vbi nondum apparet exco- E riatio.

Sed cum triplex, vt audiuiſtis, detur ſymptoma, aliud in actionibus læſis; ſecundum in qualitatibus corporis mutatis; tertium in excrementis; nondum à quoquam determinatum eſt, in quonā

ſym-

ſymptomatum genere ſit reponendum.

Capiuaccius ab alijs, vt cõſueuit ſemper, diſcrepans, inquit non ſymptoma, ſed ſolutionem eſſe continui cutis capitis in ſuperficiẽ à materia furfurea; dicitque duplicem eſſe alicuius effectus à ſua cauſa dependentiam; aliam in eſſe, ſed non in conſeruari; aliam,& in eſſe, & in conſeruari.

Quæ cauſæ faciunt, & conſeruant ſuos effectus,illis ablatis, ſtatim & effectus ruũt;furfuratio talis eſt, vt ſit cauſa, tum eſſendi, tum conſeruandi, ideo ablata ipſa,auſertur etiam ſolutio continui.

Ex quo concludit ſolutionem hanc non eſſe morbum; ſed affectionem, at de ratione huius affectionis eſt, vt ad remotionem cauſæ, remoueatur etiam ipſa: ex quo Capiuaccij loco colligitur furfurationem eſſe cauſam malæ affectionis, nempe ſolutionis continui.

Sed cum in porrigine affectus præcipuus videatur caſus, ſeu excretio laminarum quarundam furfuris in modum, ſymptoma eſt in genere excretorum à toto genere præter naturam, cum ex capite aliquid ſecernatur,quod ſecerni non deberet, ergo magis rationabile eſt, quod ſit ſymptoma, quàm cauſa morbi.

Verũ cùm omne ſymptoma ſequatur morbum; qui vel eſt malæ compoſitionis, vel ſolutæ continuitatis, aut intemperiei, non poteſt dici, quod ſit morbus in compoſitione,vt notum eſt,ergo pertinebit, vel ad ſolutam continuitatem, vel ad intemperiem.

Sed ſoluta continuitas duplex eſt; apparens, quę lædit actionem; & latens nullo modo actionem lædẽs;eſt proinde affectio præter naturam, non tamen morbus, quia dicebat Galenus breues auerſiones à ſtatu naturali nondum actionem lædentes non debere dici morbum; ſolutio autem continui nõ lædens eſt breuis auerſio, & ſi non lędit aliquã actionem, nec poterit dici morbus.

A Cum autem furfuratio alia ſit, quæ habet manifeſtam excoriationem, & propterea manifeſtè lædit actionẽ; alia verò, quæ immanifeſtam, & latentem ſolutionem; non erit ſimpliciter verum, quod ſupponit Capiuaccius furfurationẽ eſſe ſolutionẽ continui,ſed non morbum; cum adſit in ea manifeſta excoriatio,in qua euenit lęſio in actione ſenſus tactus; igitur definitio Capiuaccij

B rem exprimere minimè poteſt.

Definimus igitur furfurationem eſſe ſymptoma in genere immodicè excretorum à capite,& à toto, cauſata ab intemperie, & ſolutione continui ſuperficiei cutis capitis, & totius.

Ac dicimus eſſe ſymptoma,ſequẽtes Galenum loco præcitato, in genere excretionum à toto genere præter naturam, quia excernitur aliquid, quod

C minimè excerni deberet, quid verò illud ſit, non omnibus eſt eadem ratio, ſiquidem varij varia ſcribunt.

Capiuaccius ait ichores eſſe factos ſimiles furfuribus, quod adeo à ratione alienum videtur, vt nihil abſurdius dici poſſit; nam ichores ſunt veluti humorum partes aqueæ, vt notum eſt, ideſt,illa pars,quæ, omiſſo ſanguine per venam,in matula ſupernatare vide-

D tur,quę non ſecus atque aqua terminari termino proprio nõ poteſt,ſed alieno, quod tale eſt, non poteſt ad tantam ſiccitatem peruenire, vt furfuraceã imitetur.

Cum igitur ichor eſſe non poſſit, ſequitur, quod ſit pars humoralis, vel ſolida,non quidem humoralis,quia non poteſt eſſe tam magna intẽperies calida, vt torreat ſiccas partes humorum, reſol-

E uat verò humidas; ſed cum furfurea illa corpora ſimilia ſint membranis, hinc procul dubio dicendum eſt prouenire ab aliqua membrana.

At adeſt cutis,mẽbrana carnoſa,& cuticula,quæ inter mẽbranas numerantur, ſed nec à carnoſa mẽbrana, neq; à cute prodeunt, tũ quia affectio eſt in extima ſu-

ſuperficie, tum etiam quia illę ſunt partes ſpermaticæ, quę denuò generari nequeunt; & ſi ab eorum corpore exirent, tot corpuſcula ; conſumerentur, cum, nec poſſent reſtaurari, niſi vix, & longo tempore.

Addo; quod appareret continui ſolutio, à qua exirent, ſed quando hæc affectio in extima ſuperficie appareat, nec ſolutio continui inſit in illis, ſequitur non prouenire à cute, aut mẽbrana carnoſa, tanquam à materia, ergo neceſſarium eſt, vt à cuticula ortum ſuum ducat.

Præterea furfures, & ſquamulæ, quæ nonnunquam decidunt, redolent naturam ipſius cuticulæ; nam ſunt corpuſcula tenuia, atque denſa, non ſecus atque cuticula.

Succedit cuticulam oriri ab excrementis craſſioribus, & glutinoſis tertiæ coctionis, quę abundant, proinde poteſt excoriata, & in furfurem abiens millies, ac ſemper reſarciri.

Cumq; cuticula omni prorſus careat ſenſu, hinc eſt, quod furfurea illa è capite ſine aliquo erumpunt dolore, ſed ne id videatur à me excogitatum, Galeni confirmo authoritate, vbi lib. 4. de locis affectis, de veſicæ paſſionibus ſcribens, inquit; quod quoties furfuri, ac lanis corpora ſimilia cum lotio exeunt, ſignificant ſubſtantiam veſicæ eſſe affectam: quia corpora hæc ſunt ſimilia ijs membranis, ex quibus ſubſtantia veſicæ cõnſtat.

Cùm igitur corpuſcula hæc appoſita ſint cuticulæ ſimilia, ab eadẽ prouenire, certo certius eſt, cum potiſſimùm abſq; aliquo exeant dolore, quod & ipſa omni ſenſu priuata ſit.

Cauſa igitur eſt intemperies, & ſolutio cõtinui: intemperies quidem calida, & ſicca, vt inquit Auicennas, ſeu mala complexio humoris aliunde venientis, aut in capite eandem complexionem, acquirentis ſub cute primùm collecti, ac ſua qualitate intemperantis cutem.

A Ab hoc humore acriuſculi vapores eleuati efficiunt illum, quem ægrotantes percipiunt, pruritum; ſuaque acredine ſolutionem in cuticula inducunt, vnde corpuſcula excidere ab ea cogunt, ita vt à principio continui ſolutio manifeſta in cuticula ſit, in cute verò latens, temporis verò progreſſu ablata cuticula in extima cutis ſuperficie apparet excoriatio, quemadmodum pulchrè Auicennas adnotauit.

B An verò dolor, qui percipitur, ab intemperie, an à ſolutione continui proueniat, alterius inſtituti eſt: exiſtimamus nos in hoc caſu ab vtraque prouenire, primò tamen ab intemperie, immediatè verò à ſolutione continui cutis, ſed de hoc fuſius ſuo loco.

Sed dicet quis, pruritum excitari determinaſti à materia ſubtili, atque euapo-

C rante extra cutem, contrarium tamen, ſubſtinere videtur Auicennas cum tota Arabum ſchola, dicens pruritum à materia craſſa, ſcabiem verò à ſubtili produci.

Quin ij rationẽ adijciunt, aliquid affirmantes in ſcabie per cutem exire, in pruritu verò nihil, vt ſenſus demonſtrat, quare ſignum eſt craſſiorem eſſe mate-

D riam in pruritu, cum exire nequeat, tenuiorem verò in ſcabie, quia materia, exit.

Nolo nunc longam hanc inter Græcos, & Arabes quæſtionem exagitare; Galenus enim lib. 2. de cauſis ſympt. cap. 6. quem ſequuti ſunt Paulus, Aetius, Trallianus, & reliqui Græci, ſcribit ex tenuiori materia pruritum excitari, ſcabiem, aut lepram à craſſiori ſecundũ

E magis, & minus.

Sunt qui ad cutis denſitatem refugiant, dicentes in ſcabie cutem eſſe rariorem, in pruritu denſiorem; nolo vt dixi morari in quæſtionibus, ſed affero meliorem, quam exiſtimo eſſe, ſolutionem, dicens, quod aliquod exire à cute dupliciter contingit; ſenſibiliter ſcilicet, & inſenſibiliter.

In

A In pruritu enim à cute aliquid exit, ſed inſenſibiliter, quemadmodum ſunt, vapores acriuſculi; in ſcabie verò,& ſenſibiliter, & inſenſibiliter: hinc apparet ſemper in ſcabie adeſſe pruritum, non quidem in ea parte, in qua eſt ſcabies, ſed circum circa.

Nam à minera ipſius ſcabiei eleuatur vapor acriuſculus, qui per cutem ttanſiens, dolorem illi inducit, quem pruritum appellamus: minera autem firma, permanens, acremque qualitatem acquirens ſoluit cutis continuitatem, & vlcuſcula illa efficit, quæ ſcabies appellantur.

Vnde Galenus ſecundo ad Glauconẽ loquens de generatione herpetis miliaris,& exedentis dicebat vlcuſcula illa à parua ad cuticulam excitari à ſubtili bile; herpetem verò à craſſiori,quæ impacta ſit, & inhærens cuti; ita in præſenti dicendum eſt, humorem illum acrem retineri in cute, cutemque exulcerare, & per exulcerationem exire.

Secundò ita diſtingui poteſt de materia; nam alia immediatè facit pruritum, & illa tenuis eſt; alia verò, à qua hæc eleuatur, & ipſa eſt craſſa, neque exire poteſt,quæ ſi compararetur cum ea, quæ efficit ſcabiẽ, longè craſſior exiſtit.

Quando Auicennas, & ſui ſequaces dixerunt eſſe magis tenuem, & ſubtilem, eam conſiderarunt, quæ ab hac eleuatur, quæ procul omni dubio longè tenuior eſt, quàm materia ſcabiei: hocque modo poteſt ſolui controuerſia.

Multa poſſent conſiderari circa pruritum;nam diximus eſſe dolorem quendam; alij tamen dicunt afferre voluptatem, non dolorem, vt ex Philebo Platonis videre eſt; quare nonnulli ſunt, qui dicunt nunquam percepiſſe maiorẽ voluptatẽ ea,quę ex pruritu percipitur.

Sed aliud eſt conſiderare pruritum in ſe; & aliud eſt conſiderare pruritum in ſcalptura:de ſe ſemper eſt triſtis ſenſatio & dolor, quia materia partes diuellit,in qua fit ſolutio continui, quæ eſt doloris cauſa,

Scalptura verò illa eſt, quæ voluptatem affert, eò quòd materiam euacuet, quæ diuulſionem iam dictam facit; voluptas enim contingit in hac euacuatione, quemadmodum etiam in alijs extraneæ materiæ emiſſionibus, & eò magis euenit in hac, quoniam tum ſubitò fiat, tum per plures cutis partes.

B Quamuis tamen ob nimiam ſcalpturam non raró augeatur dolor,tum quia ſucci attrahuntur, tum quia ex illo motu, maior acquiratur acredo, parteſque ex ſcalptione, vt ab vrtica pungantur; ſed hæc obiter dicta ſint,ex quibus ſatis apparere arbitror, quid furfuratio ſit, & quomodo fiat: nunc ad cauſas properandum eſt.

## C DE CAVSIS PORRIGINIS, *& furfurum.*

CAuſæ autẽ & antecedẽtes, & cõiunctæ ſunt. Sed immediata eſt vitiata ſanies, quæ vel à pituita,vel bile, vel melancholia, aut ſanguine proficiſcitur, de quibus ſatis ſupra diximus, & notas attulimus, quibus vnaquæque deprehenditur.

## D DE CVRATIONE PORRIGINIS, *& furfurum per victus rationem.*

NVnc ad indicationes properandũ eſt, quarum vna totum corpus reſpicit;alia verò partem affectam.Quæ totum reſpicit, à qualitate humoris acris, & mordacis deſumpta eſt, quæ E indicat per ſua contraria alterandum,maximè victus ratione, quæ ſit boni ſucci, quemadmodum ſupra diximus: hoc tamen peculiare habeat, vt cibi cuitentur, qui flatum generare poſſunt, vt tubera, de quibus Plutarchus diſputat,an ex tonitru fiant.

Cæterum Galenus vult, quod cibis

boni ſucci addatur modicum mellis; à bellarijs tamen abſtinendum eſt.

Quod ad condimenta attinet,acetum cum ſapa,cuminum, atque fœniculum laudatur.

Vinum à Galeno conceditur album, tenue,voluptatis verò cauſa dulce. Concedit etiam vuam, ac ficus, ſed quæ aſſumantur, ante reliquos cibos.

Deambulationes leues mane, & veſperi plurimum conferunt: ſomnus ad ſatietatem optimum eſt.

## DE CVRATIONE PORRIGInis, & *furfurum per Pharmaciam.*

PRimo vtendum eſt alterantibus medicamentis,quæ propriam humoris ſpeciem reſpiciant, nempe pituitam, vel vtramq; bilem, de quibus ſupra, vel eius quantitatem, quæ indicat euacuationem, ſiue pharmaco, ſiue ſanguinis miſſione, quemadmodum à nobis in capite de alopecia, & ophiaſi determinatum eſt. Vbi peccet motu,tum reuellere, tum deriuare, tum etiam ſi fuerit in principijs, euacuare eum oportet, vt dictum eſt.

Localia verò medicamenta, quæ capiti pro hoc affectu tollendo admouenda ſunt, debent triplici qualitate, pollere, nempe abſtergendi, diſcutiendi, & adſtringendi, vt humorem tum euacuare, tum abſtergere, nec non adſtringere,ac corroborare partem poſſint.

Multa ſunt medicamenta à ſcriptoribus poſita, quæ hiſce intentionibus ſatisfacere ſolent, quorum quædam tantummodo afferam, quæ probatiora, & experientia confirmata ſunt.

Primò quidem tonſis capillis ad cutem vſque caput abluendum eſt aqua marina. Galenus proponit aquam frigidam ex balneis. Si verò quis calida lauit, deinde totum caput frigida debet abluere: vel abluere poteſt lixiuio, in quo furfures, fumaria,beta, atque oxylapathum ebullierint.

A Abluto capiti, atque optimè linteo quodam exiccato,id genus emplaſtri apponendum eſt.

℞. Farinæ fabarum,
Lupinorum,
Orobi, ana vnc. ij.
Salis mineralis, drach. iij.

Subigatur ſal cum aceto,deinde cum oleo amygdalarum amararum fiat emplaſtrum,quod medicamentum per du-
B as, tres, aut quatuor horas detineri poteſt.

Deinde caput abluatur lixiuio prædicto cum ſapone, inungaturque oleo aliquo mitigante, vt tollatur intéperies inducta,quod ſi ijs liberum non maneat, ad præſtantius, validiuſque properandum, vt eſt.

℞. Fœnugræci,
Nitri.

C Cum ſucco betæ quantitatę ſufficienti reformetur linimentum: præſtantius eſt, quod ſubijcitur.

℞. Chalcanthi,
Salis mineralis,
Sulphuris ignem non experti, ana partes æquales.

Cum ladano diſſoluto in oleo maſtichino reformetur vnguentum.

Plura apud Galenum, Auicennamq;
D locis citatis comperietis medicamenta. Quod tamen nonnulli recentiores vſurpant, eſt lotio quædam, ſeu lixiuium ex ſarmentis vitium factum; deinde decocto lupinorum, tranſactis duobus diebus, denuò abluunt ſine alio medicamento locali, vel conficiunt decoctionem ex radicæ bryoniæ, aut cucumeris ſylueſtris.

Decoctio braſſicæ,ac lixiuium factum
E ex cineribus capillorum veneris eſt mirabilis operationis.

Præſtantiſſimum eſt remedium, ſi accipiatis folia, & radices canapis coctę ad perfectam coctionem, qua caput abluite, & videbitis furfures ſanari.

Idem præſtat vinum, in quo infuſæ ſint amygdalæ amaræ tritæ, & hoc habeatis

beatis vt arcanum.

Taceo vrinam humanam, quæ eſt remedium ingratum, & pro ruſticis ſolũmodo expediens; habet tamen omnes

A intentiones curatiuas, quę huic affectui conueniunt: & hæc ſatis ſint pro furfuribus, ſeu porrigine curanda. Ad phthiriaſim nunc gradum facio.

# DE PHTHIRIASI, SEV PEDICVLARI MORBO.

## CAPVT QVARTVM.

Oſt tractatum furfurationis, ordo propoſitus, vt phthiriaſi oratione noſtram applicemus requirit, de qua quidẽ eadem prorſus conſideranda accipimus, quæ in ſuperioribus affectionibus huc vſque rimati ſumus.

Dicitur Græcè phthiriaſis, hoc eſt, à pediculis, vel à corruptela; quia humores in hac corrũpũtur affectione, vt lib. de theriaca ad Piſonem cap. 18. Galen. ſcriptum reliquit. A latinis pediculatio, vel etiã pedicularis morbus appellatur.

Plinius lib. 7. cap. 51. ex opinione Marcelli Donati, pediculos ſerpentes appellauit, Græcos imitatus, qui ea ſerpeta vocant, ſed falsò mea quidem opinione, id Plinio adſcribit, vt vnicuique videre eſt.

Nam ille in eo capite ſcribens ſigna eorum, qui ſunt morituri, inquit, poſſe homines ex varijs morbis mortem oppetere, quemadmodum obſeruatum eſt Pherecidem Syrum copia ſerpentium, hoc eſt, pediculorũ obijſſe: ponit itaq; adiectiuum, non ſubſtantiuum, ſerpentũ, quo nomine pediculos ſignificauit.

Quæ certè affectio nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſolutio continui multiplex in cute facta à pediculis morbũ in numero faciẽtibus; hæc affectio omnibus corporis partibus euenire poteſt, at frequentius conſueuit caput, & partes pilis obductas inuadere, quemadmodũ ſub axil-

B lis, & in inguinibus; ſed in profundo ipſius cutis, non autem in ſuperficie.

Pediculi enim videntur eſſe morbus, & cauſa morbi: morbus quidem in numero, non ſecus atque lumbrici, quia adeſt aliquid præter naturam in corpore, quod priùs non aderat. Quoniam verò vias, hoc eſt, meatus cutis occupant, ſunt appellandi morbus in via.

Sunt etiam cauſa morbi, propterea

C quod continuum ipſius cutis ſoluere videntur, ſed huiuſmodi tam ſubtiles inquiſitiones nihil ad curationem facere videntur.

De ijs autẽ quatuor veniunt inquirẽda, locus nimirum, materia, efficiens, nec non & differentię: exordiamur à primo.

De loco ſcriptum eſt à Galeno lib. 11. de comp. med. cap. 7. ad intimas partes ſub cute pediculos ſuum locum generationis habere. Mercurialis lib. 1. cap.

D 7. Ariſtotelem reprehendit, qui dixit pediculos à carne putrida ortum ſuum ducere, aduerſuſque ipſum duplici mouetur argumento.

Primum eſt, quia pueri in cute capitis abundant pediculis, hinc tota eorum caro conſumeretur. Secundum, quia naſcuntur in phthiſicis, vbi nulla eſt caro.

Sed huiuſmodi rationes non valent;

E quia Ariſt. non dixit carnem putridam, ſed carnẽ ſolũ. Deinde Mercurialis intellexit, quod Ariſtoteles velit notare materiam, à qua ſiunt pediculi; ſed potiùs innuere videtur locum, vt ſenſus

C 2 ſit,

ſit, ex carne, hoc eſt, in carne; nam cum loquutus fuiſſet de culicibus,ac cimicis inquit illas ſedem ſuam habere ſiccam; cimices verò humidam, quæ ad animalium ſuperficiem eſt. Mox vt Marcellus Donatus ait, pediculos ex carne generari, locum, non materiam, deſignat, quæ intus eſt, non extra.

Locus igitur eſt ſub cute, inter hanc, & carnem,& vt inquit Altarauius,ex eo humore fiunt, qui ad cutem tranſmiſſus retinetur ſub cute. Plinius ſcribit Phryges iu Aegypto,qui cadauerum ſectioni præſunt ad morborum ſanationem, reperiſſe hunc morbum in corde,quod forte verum eſſe poſſet in ijs, quibus cor hirſutum eſt,quemadmodum idem Plinius ſcribit de illo Ariſtomene, qui ſectus exhibuit cor hirſutum: hæc de loco.

Circa pediculorum materiam, Theophraſtus lib. 2. de cauſis pl. cap. 12. ſcribit eos ex ſanguine corrupto,ac putrefacto fieri, quæ quidem viri opinio non eſt accipienda in ea ſignificatione, in qua Mercurialis ſumpſit; nam ex maſſa ſanguinis, non ex ſanguine intelligenda eſt.

Auicennas præcitato loco ſcribit eſſe humidam materiam; aliquando etiam pituitam fore affirmauit.

Celſus Aurelianus dixit fieri ex bile rubea: Serapio, & Altarauius dixerunt ex humida, & calida materia eos produci,ex quorum authorum opinione habemus poſſe pediculos ex omni humore fieri, humido,& calido putrefacto quidem, ſed qui nondum acrimoniam ſuſceperit,quia tunc non generarentur pediculi.

Quod ad efficientem cauſam pertinet, Auerroes 12. diuinorum tex. 18. loquens de animalibus à putredine ortũ ducentibus,dicebat,quod hęc animalia, etſi vilia ſint, difficilem admodùm habent inueſtigationem.

Cuius ſententia veriſſima eſt; nam alij dicunt à putredinali calore fieri, alij tamen ſunt, qui addunt naturalem calorem, alij addunt cæleſtem; nam cùm putredo in ijs fiat, quæ humida ſunt, à calore præter naturam correpta; hinc eſt, quod ab omnibus in generatione pediculorum calor præternaturalis receptus eſt.

## DE CAVSIS PHTHIRIASIS, *ſeu pediculorum.*

Cauſa autem inquirenda venit, à qua generantur iſti pediculi,quæ à Galeno lib. 1. de comp. med. cap. 7. dicitur eſſe humores calidi copia ſua excedentes, ſed non adeo calidi, vt acredinem acquiſiuerint.

Recentiores rem intimius ſcrutantes dicunt humores hos eſſe excrementa tertiæ coctionis, ſed ſiue ſint tertiæ coctionis excreta, ſiue humores, calidæ, & humidæ ſunt naturæ. Nec acres illi humores ad cutem tanquam ad totius corporis cloacam depulſi, atque in ea retenti, vt putreſcant, eſt neceſſe, quemadmodum omnium rerum calidarum mos eſt, quæ in loco ſunt alieno,ex quarum putrefactione animacula iam dicta ortum ſuum ducunt.

De animalibus ex putri materia genitis, & quæ generantur, loquutus eſt Ariſtoteles, ſed obſcurè adeo, vt vix, quid ſibi velit, intelligatur; nam dicit animalia fieri in his, quæ putreſcunt.

Siquidem caliditas, quæ ſegregatur, naturalis exiſtens, conſiſtere facit ſegregata, quæ putreſcunt, id perpetiuntur, quia ſunt calida calore aduentitio, proprio autem ſunt frigida.

Iam verò dum ex putri materia animalia generantur, ea in multas partes diuiditur, quarum diuiſarum partium calor naturalis efficitur, à quò animal illud & eſſe, & conſeruari recipit: ſed hæc alium requirunt locum, & tempus.

Supponatur igitur nobis pediculos ex putri quadam humorali materia ad cutem delata ſuum ortum ducere, ac in

in penitioribus cutis partibus retineri.

Hoc poſito ad quatuor genera oēs pediculi reducuntur. Primum,eorum eſt qui in capite generantur plures ha bentes pedes, atque ambulantes.

Secundum genus eorum eſt, qui ca- rent pedibus, & adeo cuti infiguntur, vt vix ſeparari poſſint; à quibuſdam mor- piones appellati, ſeu, vt vulgò ajunt, piattole.

Tertius genus eorum eſt,qui ſub cuti cula latitant, neque vnquam extra erū- punt,intus rodentes,& ſunt illi,quos ad ſolem cuſpide acus mulieres auferunt, & cyrones appellantur,noſtra verò lin- gua pedicelli dicuntur.

Poſtremum genus eorum eſt, qui ca- pillis affixi manent, & lendines vocan- tur.

## DE SIGNIS PHTHIRIASIS, *ſeu pediculorum.*

Signa à ſenſibus ſunt petenda: vnuſ- quiſque facilè id genus affectionis agnouit, quamuis imperitus ſit.

## DE FVTVRO EVENTV *phthiriaſis, ſeu pediculorum.*

Quod ad progrioſim attinet, affe- ctio iſta nullo modo ſpernenda, quia vbi vniuerſalis fuerit,poteſt homi- nem in interitum ducere,quemadmodū apud Ariſtotelem videre eſt, qui inter cæteros, qui ex hoc perierunt morbo, Pherecidem recenſet.

Plutarchus quoq; refert Syllam sū- mum Romanorū Dictatorem hoc mor- bo perijſſe. Alij addunt Platonem phi- loſophum tam illuſtrem.

## DE CVRATIONE PHTHIRIASIS, *ſeu pediculorum.*

Cvm igitur ſtatutum ſit materiam horum animalium eſſe putrediné, materia autem putreſcens duplici modo

A putris dicatur,vel in fieri,vel in facto eſ- ſe, hinc duæ inſurgunt curandi indica- tiones, alia quæ indicat prohibitionem eius, quod in fieri eſt, alia verò,quæ au- fert, quod iam factum eſt.

Quamobrem omnis pediculorum cu ratio ad duo capita reduci videtur; vnū eſt, vt demus operam, ne pediculi am- plius naſcantur; alterum, vt eos,qui na- ti ſunt, interimamus.

B Non naſcentur amplius,ſi materia, ex qua naſci poſſunt, non reperiatur;nō aderit autem, quoties in corpore non generabitur, & vbi genita fuerit, non feratur in cutem, aut ſi in ea retineatur, vt non putreſcat.

Non generabitur amplius materia, ſi victus rationem, quæ boni ſit ſucci, vi- ſceraq; attemperare poſſit,iuſſerimus.

C Carnes ſint pullorum, caponum,aſſa tæ potiùs, quàm elixæ: aues montanæ, turdi, & id genus præſtant, quæ ſunt boni quidem ſucci, & ad ſiccitatem pau lò vergunt.

Caro phaſianorum reprobatur,quod huiuſmodi animalia pediculos facere videantur. Condirique carnes poſſunt rebus acribus, vt

Aceto,

Omphacio,

D Succo berberis, & huiuſmodi, quæ putredini nonnihil reſiſtunt.

Vinum ſit mediocre, ſubſtātia tenue, album: nigrum etiam, quod paulò au- ſterum ſit,non eſt inutile.

Exercitium longè magis prodeſt,quā quies,ſed quod tempeſtiuè ſit factum, ante prandium per duas horas, & ſeptē poſt prandium.

E Cultus corporis neceſſarius eſt; vnde omnis ſordities tollenda eſt quotidie.

Balnea potiſſimùm aquæ dulcis, ſed magis marinæ ex vſu ſunt,quod adſtrin- gendi maiorem facultatem habeant.

Caput ſingulo mane pectendum eſt.

Commercia eorum, qui pediculis ſca tent,euitanda ſunt.

Hoc modo prohibebitur generatio hu-

humoris, ex quo fiunt pediculi, cùm, præſertim iecur, & ventriculus mali affe&ti ſint,corroborentur, de quibus alibi.

Materia genita prohibebitur ferri in cutem, ſi euacuetur, aut reuellatur, per ſanguinis miſſionem, aut per pharmacum educens.

Sed primo humor præparandus eſt.

℞. Syrup. lupulorum,
Bettonicæ,
Oxymel. ſ. ana vnc. ſſ.
Decocti lupulorum,
Tormentillæ,
Scorzoneræ, vnc. iv.

Offeratur ſyrupus ſingulo mane in aurora, ex quo humor præparabitur per ſpatiũ ſeptẽ dierum, quo præparato, educendus ſtatim venit hoc medicamento.

℞. Agarici trochiſcati, drach. j.
Carthami, drach. ſſ.

Infundantur in ſero caprillo, deinde facta forti expreſſione diſſoluantur iam dicta; addẽdo confect. hamech. drac. iij.

Vel

℞. Diacatholici, vnc. j.
Electuarij indi, drach. ij. ſſ.
Miſce, & cum ſaccharo fiat bolus.

Quibus medicamentis ſperandum eſt fore, vt humores putrefacti educantur, qui ad pituitoſos, atque melancholicos reducuntur; nam ex bile, quod amara ſit, pediculi minimè generari poſſunt, pilulæ ſint ex

Aloe, vel
Agarico vel
Hiera cum colocynthide.

Quæ maximè in hoc caſu laudantur: ſed non putetis vnica purgatione morbum auferri poſſe, proinde repetenda eſt purgatio, quoad opus eſſe videbitur, qua peracta, decocta ex

Guaiaco vel
Sarſa parilla,
China, aut
Sasfras,

Non erunt inutilia: ex quibus ſperandum eſt, vt non ſolùm totus humor putrefactus tollatur, ſed etiam, vt membra præcipua rectificentur.

Quod modò ſpectat ad localem curationem, medicamenta exiccantia eſſe debent, & quæ vim penetrandi intus habeant, atque in altum trahere, & euacuare materiam poſſint; hoc eſt deter-gentia, & diſcutientia ſint, quæ & diaphoretica dicuntur.

Inter quę plura proponuntur tam ab antiquis, quàm à neotericis ſcriptoribus, vt balneũ ex aqua lupulorum primùm, deinde accipiunt ſtaphidẽ agriam, quã herbam pedicularem appellant.

Huius ſeminis drach. ij. infundunt in aceti acerrimi vnc. j. ſſ. per totam noctem, deinde coletur, atque eo caput inungas: vel applica aliud linimentum, quod præſtantius eſt.

℞. Aluminis roccæ, drach. ij. ſſ.
Radicum betæ, vnc. ſſ.
Fellis taurini, drach. iij.
Olei amygd. amararum, vnc. ij.
Miſce, & fiat linimentum.

Mercurialis lib. 1. de morbis cutaneis addùcit tale medicamentum.

℞. Staphidis agriæ, hoc eſt, herbæ pedicularis, p. j.
Nitri drach. ij.

Bulliant in libris iv. aquæ communis ad medietatem vſque, factaque expreſſione, ponatur argenti viui extincti drach. j. atque aqua agitetur ſpatio duarum horarum, abluatur ex eo caput, deinde exiccetur, & capiti ponatur.

Vel

℞. Aloes ſubt. pulu. drach. ſſ.
Fellis taurini, vnc. j.
Olei chamæmeli, vnc. j. & ſſ.
Cum modico ceræ fiat linimentum.

Præſtantiſſimum omnium remedium, eſt argentum viuum ſaliua extinctum, aut in pomo ſub cineribus cocto: vel aqua ipſius hydrargyrij, aut eiuſdem oleum cæteris anteſertur, ſi arte chimica fuerit extractum: iucundiſſimum id, ac omnium in hoc affectu præſtantiſſimum eſt, ſed ſolum pro nobilibus, ac principibus viris.

DE

# DE ACHORIBVS, ET FAVIS SEV DE TINEA VOCATA.

## CAPVT QVARTVM.

AFfectio illa capitis vlce-
roſa, quæ à latinis vlce-
ra manantia, à Græcis
achores, & ab Arabi-
bus ſaphati nominatur;
dicta eſt vulgò tinea,
ob ſimilitudinem, quam cū tinea habet;
nam quemadmodum illa, multo, tenui,
atque continuo morſu, ac roſione, ve-
ſtes perforat, ita quoque achores capi
tis cutem corrodunt.

Nec deſunt ex Arabum familia, qui
arbitrantur id genus affectionis ſimul
cum capite faciem labefactare.

In duplici differentia ex recentiorum
placitis verſantur achores; nam alij ſunt
veluti humidi, alij verò ſiccitatem præſe
ferunt: priores lactumia potiùs ſunt; ſe-
cundi verò tinea appellantur, & cùm
ichor quidam ab ijs emanet, græce,
achores, quaſi ichores appellati ſunt.

De lactumia nihil dicturi ſumus, quia
ſolis pueris lactantibus euenit, & quia
ſponte curatur; tineam ſolummodo ſer
mone præſtingere eſt animus.

Quæ quamuis achoris nomine à Grę
cis ſignificetur, ſunt tamen alia nomina,
quæ eandem demonſtrare videntur,
vt apud Trallianum manifeſtè ſcriptum
apparet, vt ſunt pſydracia, & exanthe-
mata; quæ nomina à varietate materiæ
fluentis, & à varia vlcerum figura deſum
pta cenſentur, quæ tamen dico ad no-
mina generica reduci poſſe, nempe ad
achores, & fauos.

Hi, quantum ad eſſentiam attinet, ni-
hil aliud ſunt, quàm Galeno authore,
cutis capitis vlcuſcula quædam depaſcē
tia, non ineptè à Capiuaccio definita,
quod ſint ſolutio continui cum deperdi
tione cutis à mordente ſucco excitata.

Differunt tamen achores à fauis, tum E

A ratione modi deperditionis cutis, tum
ratione exeuntis excrementi; nam in
achoribus ſunt pauca, & exigua forami-
na; in fauis è contra quàm ſimill'ima
ijs foraminibus, quæ in fauis apum
conſpiciuntur, à quibus nomen deſum-
pſerunt.

Quamuis non deſint, qui ſcribant in
achoribus vix foramina conſpici poſſe
adeo ſunt exigua; in fauis verò è contra
B ſatis apparentia eſſe.

Alij dixerunt in achoribus vnum fo-
ramen cum cauerna quadam reperiri;
in fauis verò plures. Excrementum
exiens in achoribus ſubtile eſt, & icho-
roſum, à quo & ipſum nomen accipiūt;
quod verò ex fauis emergit, mellis ſimi-
litudinem quo ad colorem, & ſubſtanti-
am habet, quo nomine & melicerida à
quibuſdam appellatur.

C Haliabbas lib. 8. ſuæ theoricæ, ſex
tineæ affert differentias pro varietate
humoris emanantis, & varia figura.

Prima eſt, ex qua quidpiam inſtar fa-
ui emanat.

Secunda, in qua quidpiam ſimile
granis fauorum continetur, quæ ſphæri-
cæ eſt figuræ cùm rubore.

Tertia [illegible]x qua fluor manat aquæ ſi-
milis, in q[illegible] lota fuit caro.

D Quarta, quę ſimilis exiſtit papillis vbe
rum muliebrium cum rubore aſperſa, ex
qua ſanguinolentus profluit cruor.

Quinta, quæ lupinorum, formam, &
colorem repræſentat, à qua quidem
cortices inſtar ſquamarū candidarum,
decidunt.

Sexta, ex qua furfurea defluunt cor-
puſcula, interdum minutiſſima, interdum
denſiora.

## DE CAVSIS ACHORVM, A & fauorum.

PRoxima, & immédiata huius affe-ctionis cauſa, Galeno authore, eſt humor craſſus mixtus cum tenui ſanie, qui ferè eſt pituita ſalſa, magis tamen diluta in achore, minus in cerio, ſeu fa-uo, quamuis ex bile fiat.

Paulus Aegineta lib. 3. cap. 4. ſalſam pituitam poſuit, vt cauſam, vt potè quę caleat, aut calefacta ſit: hinc Gugliel-mus Placentinus dicebat modò cum incendio, modò cum ſiccis cruſtulis hanc affectionem reperiri.

Auicennas exiſtimat melancholicam materiam admixtam eſſe cum humidi-tate quadam aucta; quæ, vt inquit Mer-curialis, ſua acredine pungit, irritatque virtutem expultricem, vt eam expellat, ea autem expulſa à partibus internis ad cutem tanquam ad claoçam tranſit, in in eaq; diù permanens ſua acredine con tinuum ſoluit, vlceraque efficit. Poteſt igitur fieri ex pituita ſalſa, & pituita, cui admixta ſit bilis, quemadmodum etiam & melancholia.

Tenuior tamen in achore, quàm ce-rio, ſeu fauo adeſt: hinc eſt, quod fora-mina maiora, profundioraque in fauo, quàm achore appareant; nam quem-admodum Galenus loquens de herpe-te lib. 2. ad Glauconem cap. 1. dicebat, bilem craſſam in aliquam partem ſecre-tam efficere vlcera caua, atque exeden-tia cutem ad carnem vſque, vocarique hanc affectionem herpetem exedẽtem; tenuem verò bilem vlcuſcula in extima ſuperficie efficere, à quibus miliaris herpes ortum ſuum ducit; ita quoque in hoc affectu contingit, vt ſit craſſior bilis in fauo, quàm in achore.

Huius humoris generationis cauſæ, aliæ externæ ſunt, aliæ internæ; externę quidem referuntur ad prauam victus rationem, & ad cutis malam qualitatẽ, quę vel ſuccos trahat, vel eoſdem prom ptè recipiat.

Internæ cauſæ ſunt viſcerum præci-puè malæ affectiones, quod ſcilicet ea nimium intemperata ſint, inde copiam huius praui humoris generent, & ad cu-tem propellant.

## DE SIGNIS ACHORVM, & fauorum.

B SIgna, quibus recognoſcitur achor, & fauus tum à foraminibus, tum ab eo, quod exit, facilè ipſo ſenſu petun-tur; nam pruritum communem habent: humores deinde peccantes ex ſignis ſu-pradictis deprehendi poſſunt.

## DE FVTVRO EVENTV achorum, & fauorum.

C EX futuris Vidius ſenior ſcribit euẽ-tum vtriuſque tumoris ſalubrem eſſe, celerior tamen expectari poteſt ſa-lus achoris, quàm faui ob materiæ tenui tatem, quæ diſſipari facilius ſolet.

Verùm cùm potiores obſeruationes ſiant, videmus in dies huiuſmodi vlcera, pro vt magis, aut minus praua eſt ma-teria, non modò in alopeciam, & ophia-ſim degenerare, capilloſque capitis ex D toto auferre, ſed etiam cutem ad oſſa vſque corrodere.

Cùm verò hic morbus ſoleat vt pluri mùm pueros infeſtare, hinc quoque redditur ſæpe incurabilis, aut longæ, vel difficilis curationis, quod medicamenta conuenientia adminiſtrari nequeunt.

Addo, quod nonnulli non agnoſcen-tes morbum, neque diſtinguentes tine-am à lactumia vocata, parui faciunt illã E exiſtimantes à natura tandem temporis progreſſu abſque medicamentis ſuperari poſſe, quod tamen nequaquam euenire obſeruamus.

## DE CVRATIONE ACHORVM. & fauorum per diætam.

Conſilium curantis eò dirigi debet, vt omni ingenio tentet, ne morbus augeatur, & ille, qui genitus eſt, auferatur: non augebitur, ſi non fluat amplius humor ad cutem, cuius fluxus tollitur, ſi ipſius aufertur generatio, atque illius, qui iam genitus eſt, fiat purgatio.

At prohibebitur generatio praui humoris per rectam victus rationem, qualem ſupra iam inſtituimus, per cibos nẽpe, qui boni ſint ſucci, & facilè in bonũ ſanguinem conuertantur.

Verùm ſi proueniat ipſius humoris malities ratione iecoris malè affecti, aut lienis, auferetur, ſi attẽperabitur viſcus affectum, de quo ſuo loco.

Quo ad victus rationem, cùm, vt dictum fuit, frequentius pueri in hanc incurrant affectionem, nutrices curandæ ſunt, quibus prohibendi ſunt cibi acres, ſalſi, lacticinia, piſces ſalſi potiſſimùm, oua aſſata, elixa, vinum generoſum, atq; venus.

Debent, vt vnico verbo amplectar, euitare omnia, quę prauos, & craſſos ſuccos generare ſunt apta; nam cum quæ comedunt, in ſanguinem abeant, ex quo lac debet generari, opus eſt, vt ipſum optimis ſit præditum qualitatibus, quamobrem pueri, qui ex prauo lacte nutriuntur, vt ijſdem vitijs afficiantur, neceſſe eſt.

Sint carnes pullorum elixæ,
Gallinarum,
Veruecis,
Vituli, cum quibus ſimplicia quædã ebullire poſſunt, pro humoris peccantis varietate; ſed tamen cum acris, & mordax ſit ſuccus omnis, à quo prodit affectio præſens, non abſre proponitur,
Cichorium,
Pimpinella,
Acetoſa,
Borrago,
Lupulus, & id genus, quæ humorem acrem attemperandi facultatem habẽt, ſimulque, & aliquo modo iecoris intemperiem remittendi.

Vinum tenue, aut multa aqua dilutũ conceditur.

Aqua cinnamomi, aniſorum, atque acetoſæ propinetur.

Exerceri modicè corpus debet, non tamen frictiones ad crura, aut brachia agendæ ſunt, vt nonnulli perperam ſcribunt, quia periculum eſſet, ne materia lactis auerteretur, ad vterumque attraheretur.

Non tamen nutrices puerorum valdè ignauiæ indulgeant; nam præter quã quòd ea vniuerſum corpus hebetat, atque ineptum ad actiones reddit, multarum ſuperfluitatum corpus, & humores, à quibus lac generatur, replet, & eo magis, vbi illæ cibis ad ſatietatem vſque ſe ingurgitent.

Huiuſmodi mulieres ſunt vt plurimũ pauperes, nec aſſuetæ veſci varietate ciborum, ſed vitam potius parcè, ac duriter agere, induſtriaq; victũ quæritare, & vbi apud nobiles, diuiteſq; cauſa puerorũ lactandorum bene ſe haberi vidẽt, exiſtimant opiparè ſibi viuendum eſſe, atque in otio, vt inde maior, ac optima copia lactis generetur.

At profectò longè decipiuntur, quia & lauta, & inordinata viuendi ratio, quamuis alimenta optimi ſint ſucci, eſt cauſa, vt coaceruentur excrementa, quę cum per aſſuetum exercitium non expurgentur, caloŕque naturalis multitudine obrutus ea expellere ſit impotens, vt lac excrementoſum fiat, neceſſe eſt, ex quo poſtea nutriuntur miſerrimi infantes.

Vnde longè melius foret, ſi nobiles ipſæ poſſent ſuos liberos lactare: hoc dixiſſe volui, vt oſtenderem minimè conferre pueris, vt nutrices otio marceſcant; ſed conſueta obeant exercitia.

Vbi igitur nutrix prauis ſcateat humoribus, ita ſe gerere debet in regimine victus. Ad hęc ſi beneficium ventris non ha-

habeat, mollibus clyſteribus aluus ſub-ducenda eſt, ab iraque cauendum; in cæteris verò humor genitus, & in corpore coaceruatus euacuandus erit.

## DE CVRATIONE ACHORVM, *& fauorum per Chirurgiam.*

VEl per ſanguinis miſſionem oppugnandus eſt affectus, vbi adſit ſanguinis copia: ac vbi timeatur, ne vnica, & copioſa ſanguinis miſſione materia lactis à mammis reuellatur, repetenda ea eſt, & per vices adminiſtranda.

## DE CVRATIONE ACHORVM, *& fauorum per Pharmaciam.*

VBi humor ſit educendus aliquo cathartico medicamento, tunc ſpecies humoris cognita in primis alteranda eſt, quæ ſi craſſa nimis ſit, indicat eſſe attenuandam; ſi tenuis, incraſſandã.

Quibus autem ſyrupis alterandus vnuſquiſque humor ſit, iam ſupra à nobis dictum fuit, & in ſequentibus dicetur fuſiùs.

Si ſupponatur nobis pituitam craſſiorem, ſed ſalſam, nempe acrem, & mordacem in corpore alterandam eſſe, quia opus eſt inſpicere, ne menſes prouocentur, ideo vti poterimus his præſidijs, vt eſt

Syrupus de Cichorio,
Lupulis,
Acetoſa.

Cum aquis eiuſdem generis ſingulo mane in aurora.

Vel

℞. Hordei cum cortice m. j.
Fol. Cichorij,
Lupulorum, ana m. j. ſſ.
Paſſularum, vnc. j. ſſ.

Ebulliant in iuſculo pulli vſque ad hordei coctionem; at primò hordeum eſt ebulliendum, deinde reliqua, &

℞. Hujus decoct. vnc. v.
Syr. Lupulorum,

A Syr. acetoſi ſimpl. ana vnc. j. m.

Hoc apozema habet facultatem alterandi pituitam,

At ſi bilis ſit cauſa, quæ alterari debet ante euacuationem.

℞. Syr. de endiuia,
Violacei,
Nenupharis, ana vnc. ſſ.
Aquarum portulacæ,
Endiuiæ, ana vnc. ij. m.

B Si humor melancholicus fuerit.

℞. Syr. de fumaria,
Pomis,
Acetoſa, ana vnc. ſſ.
Decoctionis fumariæ,
Meliſſæ,
Borraginis, vnc. iv. m.

His itaq; poſſunt alterari humores iã dicti: ſi verò mixti ſint humores, miſceantur &

C medicamenta,

Ad pituitam educendam.

℞. Syr. roſati ſolutiui, vnc. v.
Agarici trochiſc. drach. ij. ſſ.

Infundantur in tribus vncijs vini odoriferi; deinde facta forti expreſſione diſſoluantur omnia, & fiat potio.

Probile.

℞. Syr. roſati ſolutiui, vnc. v.
Rhabarbari electi maturi ſubt. pulu. drach. j. ſſ.

D Ad melancholiam.

℞. Syr. magiſtri Auguſtini, vnc. iv.
Confectionis hamech. vnc. ſſ.
Miſce, & fiat potio.

Facta humoris præparatione, atque purgatione, vel ſanatur affectio, vel nõ; ſi ſanatur, ſtandum eſt in recta victus ratione, vt confirmari ſanitas poſſit. Atqui ſi non ſanatur, repetenda eſt purgatio, corroboranda deinde ſunt viſcera, deque

E quibus ſuo loco.

## DE CVRATIONE ACHORVM, *& fauorum, per medicamenta localia.*

VEnio ad localem curationem, cuius indicatio ſumitur à malignitate

ſtate humoris, & à parte affecta: humor vitioſus mixtus eſt ex craſſo, & tenui, qua craſſus indicat eſſe abſtergendum; qua tenuis, & humidus eſſe abſumendum.

Galenus docet medicamenta localia debere eſſe abſtergentia, atque exiccantia, ratione verò partis indicatur non eſſe reprimendum, ſed potiùs adſtringendum, ne tanta humorum copia recipiatur.

Medicamenta pro pueris mitiora eſſe debent, quale eſt iſtud, quamuis in parua affectione ſolis localibus, citra corporis totius euacuationem, Galenus contentus fuit, lib. 1. de comp. med. cap. 8.

℞. Cinerum gallarum,
Myrtillorum, ana ſcrup. j.
Leuigentur in aceto;
Pulueris tuthiæ, drach. ſſ.
Bulliant in aqua roſarum, qua ſæpè ablutus ſit, vnc. j.
Miſce; & ad ignem reformetur linimentum.

Aliud fortius.

℞. Pinguedinis anſerinæ aceto ablutæ, vnc. j. ſſ.
Olei roſati. vnc. ſſ.
Lithargyri,
Corticum granatorum, ſ. p. ſcrup. j.
Tuthiæ, drach. ſſ.
Miſce, & fiat vnguentum cum modico ceræ.

Huiuſmodi vnguenta extendantur ſuper linteo, & capiti applicentur, deinde cucufa ſuperponatur.

Pro cura verò adultorum, ita agendum, ſi opus ſit ſanguinem mittere, mittatur: ſi verò humor expurgandus veniat, prout erit varius, variè præparandus, atque euacuandus eſt ijs, quæ iam dicta ſunt. Præſtantiſſimum tamen pharmacum ad educendos humores iã dictos peccantes in huiuſmodi affectio-ne, eſt ſequens.

℞. Agarici,
Rhabarbari, ana drach. j.
Infundantur in ſero caprillo, &

℞. Huius infuſionis, vnc. iij.
Syr. roſati ſolut. vnc. v.
Miſce pro vnico hauſtu.

A principio cogimur quandoque ex Galeni decreto repercutere, ideò in adultis hoc remedio vti optimum eſt.

℞. Foliorum roſarum rub. m. j.
Plantaginis, p. j.
Myrtillorum,
Corticis nucis pineæ, ana p. ſſ.
Bulliant in lixiuio facto ex cineribus foliorum ſalicis, & aqua chalybeata, abluatur vniuerſum caput, deinde hoc liniatur vnguento.

℞. Succi foliorum ſalicis,
Oleaſtri, ana drach. ij.
Pul. roſarum rub.
Myrtillorum, ana drach. j.
Foliorum Omphacini,
Myrtillorum, ana vnc. j.
Miſce, & fiat linimentum.

Valet etiam vnguentum Gordonij ad tineam, quod admirabile eſt, & à Petro Foreſto laudatur.

Rondeletius multa medicamenta deſcribit huic affectioni idonea. Vide Petrum Foreſtum lib. 8. obſ. 19. ad ſcholium, vbi inter cætera hoc probat linimentum.

Pro pueris fiat lixiuium ex ſtipulis hordei combuſtis, quo caput abluatur, deinde inungatur, hoc vnguento.

℞. Thuris, drach. ij.
Reſinæ, drach. j.
Vitelli oui, num. ij.
Cum cera fiat vnguentum.

Vel

℞. Reſinæ, drach. ij.
Axungię porci, vnc. ſſ.
Pulu. ariſtolochiæ drach. j. ſſ.
Cum cera fiat vnguentũm.

Si quis cupit habere ſyluam horum præſidiorũ, legat caput 8. lib. j. de compoſitione medicamentorum, vbi ex Archigenis, & Critonis ſententia plura afferuntur, quorum quædam à Galeno probantur, quædam minimè.

Multa tamen leguntur ex propria ſen-

A tentia adducta, inter quę acetum comprobatur, quod frigidum ſit, atque tenuium partium, ac facultatem habeat adſtringendi,& reprimendi,potiſſimùm ſi admiſceatur alijs medicamentis, præcipuè metallicis.

Probat Galenus medicamentum ex aceto, & papyro, & quamuis papyrum antiquorum non habeamus, charta ſupplere illius vicem poteſt, ex qua aduſta

B ſimul cũ aceto Galenus ſpatio duorum dierum, dum ruri eſſet, nec ad manus aliud medicamentum haberet, ægrum ex toto liberauit.

Poſſunt componi ex aceto, & metallicis medicamenta, vt ex

Cadmia,
Pompholyge,
Lithargyro,
Flore æris,

C Chalcantho,

Et huiuſmodi, eò quod habeant facultatem abſtergendi, adſtringendi, & exiccandi, quę ſunt intentiones curatæ huius affectionis.

Paracelſiſtæ profitentur ſe hunc morbum, quamuis antiquatum vnctione quadam, quam auri balſamum appellant, perfectè curare.

D Paracelſus verò hanc appellat butyrum ſalis: componitur ex

Tenuium auri foliorum, ad drach. j.
Olei maſtichini more chimico diſtil. ad drach. vj

Quæ macerentur in fimo equino triginta diebus: deinde oleum ex aqua abluitur calida, aurũ verò ſpiritu vini perfunditur, digeriturq; diebus duodecim.

A Poſtea per balneum diſtilletur, dum oleum in fundo butyri remaneat, eoque ter tantummodo in ſeptimana vlcera inungenda ſunt.

Id genus medicamenti ab Andernaco ſummè probatur, & profectò rationabile eſt, cùm habeat intentiones omnes, quæ huic affectui requiruntur.

Empirici pice ſupra caput poſita hãc affectionem curare contendunt, quia

B pix habet facultatem attrahendi, qua attractione auferunt cruſtas, quæ in hoc morbo ſemper reperiuntur; deinde apponunt, quę adſtringendi facultatem habent.

Sed huiuſmodi modus curandi mihi probari non poteſt, quia ſemper adeſt humor tenuis, & calidus, & ad partem læſam eum trahi hoc medicamento periculum eſt, ex quo inflammatio exci-

C tari facilè poſſet.

Satius igitur eſt, vt aliquo vnguento leniente cruſtas auferamus, vt eſt vnguentum, quod ex althęa conficitur, aut illud, quod ex

Terebinthina,
Cera,
Oleo roſato, atque,
Thuris puluere paratur.

D Ablatis verò cruſtis, caput abluatur, deinde, vt dictum eſt, curetur.

Et hæc de illis affectionibus, breuiori quo potui ſermone, dicta ſint, quæ partibus capitis exterioribus contingere conſueuerunt: ad interiores partes nunc properandum eſt: de quibus in ſequentibus fuſiùs agemus.

# DE MORBIS INTERNIS CAPITIS.

## PROPONITVR ORDO SERVANDVS.

Morbis exterioribus capitis ſuccedũt interni declarandi, qui communiter dicuntur eſſe numero decem,& nouem à Raſi lib.9.ad Almanſorem propoſiti, videlicet.

1 Cephalalgia,
2 Cephalęa,
3 Hemicraniá,
4 Vertigo,
5 Phrenitis,
6 Lethargus,
7 Apoplexia,
8 Carus,
9 Catalepſis, ſeu catoche,
10 Coma, ſeu cataphora,
11 Paralyſis,
12 Stupor,
13 Tortura oris,
14 Spaſmus,
15 Tetanus,
16 Epilepſia,
17 Incubus,
18 Melancholia,
19 Catarrhus,

Morbi iſti omnes ( vno catarrho excepto ) ſpectant potiùs ad ſymptomata in actionibus læſis,quorum alij referuntur ad ſenſationes internas, vt ſunt,

Phrenitis,
A Lethargus,
Melancholia,
Carus,
Coma, ſeu cataphora,
Incubus.

Alij ad ſenſationes externas, vt ſunt,

Cephalalgia,
Cephalæa,
Hemicrania,
Vertigo,
B Stupor.

Alij ad motus voluntarios vt ſunt,

Apoplexia,
Epilepſia,
Paralyſis.
Catalepſis,
Tortura oris,
Spaſmus, &
Tetanus.

Catarrhus denique eſt ſymptoma in C excreto mutato.

Felix Platerus Heluetius morbos hoſce,vt ſunt ſymptomata in actionibus conſiderans, lib. de functionum læſionibus,ab hoc pręſcripto ordine omninò recedit, aliumque ſibi proprium conſtituit; nam tres illas ſenſationes internas, nempe imaginationem, ratiocinationẽ, & memoriam ſub mentis nomine comprehendit, ac ſupponit trifariam lædi, D ideſt diminutè,abolitè,& deprauatè.

Si

Si mens diminuitur, tunc fit mentis imbecillitas, ſub qua contineri vult has affectiones, A
- Hebetudo mentis;
- Tarditas ingenij,
- Imprudentia.
- Obliuio,

Si aboletur, fit mentis conſternatio, ſub qua ſunt.
- Somnus { immodicus; profundus.
- Carus,
- Lethargus,
- Typhomania,
- Sopor { dæmoniacus, cum ſtupore,
- Eclipſis,
- Apoplexia,
- Epilepſia,
- Conuulſio.
- Catalepſis,
- Ecſtaſis.

Si deprauatur, fit mentis alienatio, ſub qua multæ actiones deprauatæ continentur, vt
- Stultitia,
- Temulentia,
- Animi commotio,
- Amor irrationalis,
- Melancholia,
- Mania,
- Obſeſſio dæmoniaca
- Hydrophobia,
- Phrenitis,
- Paraphreneſis,
- Saltus Viti,

Si actiones nimium, quàm conueniat, exerceantur, fit mentis defatigatio; vt contingit in vigilijs, & inſomnijs.

B Affectionibus ſic examinatis, ad ſuas cauſas, & morbos redactis, & curatione ſimul eorum inſtituta, idem author conſiderat deinde ſymptomata in actionibus ſenſuum externorum eodem ordine, & tandem contemplatur actiones motrices læſas, ſub quibus reducit omnia ſymptomata facultatis vitalis, nec non naturalis,

Sed huiuſmodi author, licet per quã C doctus ſit, ordinatimque procedat in enarrandis ſymptomatis omnium corporis actionum, quia tamen longè recedit ab alijs, qui de morbis particularibus tractant: nec eius ordo facilis eſt proijs, qui nunc primùm medicinæ ſe applicant; eum idcirco prouectioribus legẽdum relinquimus, ordinemque Raſis in his morbis internis capitis tradendis paſſim ſeruabimus,

# DE DOLORE CAPITIS.

## CAPVT SEXTVM.

Galenus 2. de compoſitione medicamentorũ cap. 1. primò tractat de dolore capitis, quem Raſis 9. ad Almanſorẽ ſectatus eſt; nos igitur vtriuſque authoris ordinem ſequentes auſpicamur quoque à capitis dolore, cuius tractatum quemadmodum, & aliorum omnium capitis morborum in duas partes diuidemus, in cognitionem D nempe, & curationem.

Ad cognitionem ſpectat definitio, differentiæ, cauſæ, ſymptomata, futurus euentus; ſub quo continetur tempus, & modus.

Ad curationem verò attinent indicationes, auxilia, & materiæ auxiliorum.

Verùm cùm dolor ſit longè vniuerſalior, quàm dolor capitis, opus eſt pri- E mò, vt quid dolor ſit, cognoſcatis, de cu-

cuius quidem definitione. & cauſis in- vniuerſum aliàs fuſiùs à nobis actũ eſt, quare hic tantummodò compendioſè repetam dolorem ex Galeni ſententia, lib. 12. meth. med. cap. 7. & 1. de rat. vict. ac. cap. 1. eſſe triſtem, aut grauem ſenſum violentæ cuiuſdam mutationis ab obiecto ſenſibili factæ.

Vt igitur fiat dolor, pars dolens ſenſum habere debet, & obiectum violenter moueri; niſi enim adeſſet ſenſus, quamuis fieret violenta mutatio ab obiecto, non poſſet fieri dolor, quemadmodum, vbi non fit mutatio violenta, ab obiecto, quamuis adſit ſenſus, nec fieri poteſt dolor.

Cauſas autem facientes violentam mutationem in ſenſu diximus eſſe ſolutionem continui, vel intemperiem, vel vtramque ſimul: à ſola intemperie exigui fiunt dolores; à ſolutione fiunt magni; ab vtraque maximi, & intolerabiles.

Habita breuiter definitione,& cauſis doloris in vniuerſum opus eſt, vt præcipuum intentum nunc aggrediamur, quod eſt tractare de capitis dolore.

Et primò conſideremus varia nomina à ſcriptoribus allata. Greci in primis tria habent nomina, quibus ſignificant dolorem capitis: vnũ eſt κεφαλαλγία Gal. lib. 2. de cõp. med. loc. alterum κεφαλαία; tertium eſt ἡμικρανία.

Per primum intelligunt totius capitis recentem, & nuper natum dolorem: nomine κεφαλαίας, intelligunt quidem dolorem totius capitis, ſed antiquatum: appellatione denique hemicraniæ dimidiæ partis capitis dolorem audiunt, ſiue ſiniſtræ, ſiue dextræ.

Eſt etiam homonopogia, quæ ſignificat quartæ partis capitis dolorem, vel etiam lateris.

Arabes verò vnico nomine vtuntur ad dolorem hunc ſignificandum, iſtud autem eſt ſoda.

Latini quoque ſua habent nomina, vt eſt dolor capitis, quo in genere ſigni-

A ficant dolorem tam totius capitis, quàm dimidiæ partis.

Habent quoque, & particularia nomina ſignificantia aliquos capitis dolores, vt ſunt ouum, & clauus; per quæ intelligunt dolorem in aliqua capitis parte fixum occupantem tantam capitis quantitatem, quanta eſt vnius oui, vel claui magnitudo.

Nihilominus videtur Auicennas ſen. B 1. lib. 3. tract. 2. cap. 1. per ouum intelligere illum capitis dolorem; per clauum verò intelligit dolorẽ claui in modum perforantem, quem ſæpè cilijs contingere dicunt: & hæc de nomine.

Venio ad definitionem eſſentialem, quã tamen antequam in medium afferatur, neceſſe eſt, vt declaremus, in quo genere rei præter naturalis ea reponi debeat. Res namque præter naturales C ſunt morbus, cauſa, & ſymptomata; cauſa autem huius inquiſitionis eſt, quia aliqui authores ſcribunt ex Galeni ſententia eſſe morbum; alij verò aſſeuerantèr dicunt non morbum eſſe, ſed ſymptoma.

Qui putant eſſe morbum, inter quos eſt Conciliator differentia 73. adducũt Galenum lib. 3. de cauſ. ſymptom. 2. D 2. de locis affectis, & 9. de different. morb. 2. vbi dicebat cephalæam eſſe affectionem permanentem, affectio verò permanens, vt 1. de diff. morb. 2. eſt morbus, ſequitur igitur, quod cephalæa ſit morbus, atqui cephalæa eſt capitis dolor, ergo capitis dolor eſt morbus.

Secundò idem Galenus 2. de locis aff. citato enumerat delirium inter affectiones permanentes, ergo multò magis dolor capitis debet numerari inter E affectiones permanentes quia longe plus permanet dolor capitis, quàm delirium.

Tertiò idem Galenus ſcriptum reliquit 2. de comp. med. localium cap. 2. curationem deberi dolori, ergo dolor eſt morbus. Valet conſequentia, quia morbus eſt indicans curatorium,

cui

cui debetur curatio primò, imo verò omnis curatio, quæ à medicis inſtitui-tur, eſt in gratiam morbi; quare cùm Galenus ſcribat dolori deberi curatio-nem, ſequitur etiam in eius doctrina dolorem eſſe morbum.

Pro ſolutione harum rationum, quæ nullius ſunt conſiderationis, dico per-manentiam, ſeu permanere habere tri-plicem ſignificationem.

Prima ſignificatio accipitur pro eo, quod eſt in facto eſſe, ad differentiam il-lius, quod eſt in fieri.

Secundò modo accipitur pro diutur-nitate quadam, & pro mora alicuius af-fectionis.

Tertiò pro contumacia, vel rebellio-ne, quando affectio non cedit medica-mentis.

Qua ſtante determinatione Galenus de diff. morb. 2. conſiderans naturam cephaleæ dicebat eſſe affectionem per-manentē; hoc eſt in facto eſſe, ad diffe-rentiā cephalalgiæ, cuius eſſe eſt in fieri. Et ſic quando dixit cephaleam eſſe affectionem permanentem noluit intel-ligere eſſe morbum, ſed quod ſit affectio permanens, non in relatione ad paſſio-nem, ſed per comparationem ad ce-phalalgiam, hoc eſt cephalæa eſt affe-ctio permanens, quæ trahit longam in córpore moram, & multum durat, ad differentiam cephalalgiæ, quæ non mul tum durat: accepit igitur permanentiā in ſecunda ſignificatione.

Vel poſſumus etiam dicere accepiſſe permanentiam in tertia ſignificatione, declarare volens cephaleam ad cepha-lalgiæ differentiam eſſe contumacem, & difficilis curationis.

Eadem ratione ſatisfaciendum eſt ſe-cundo argumento; nam aliquando deli-riū eſt longæ, & difficillimæ curationis.

Ad tertium reſpondeo dupliciter; pri mò Galenum intellexiſſe dolorem, quā-tenus dependet à ſuo morbo, & mor-bum à ſua cauſa, & tunc poteſt appellari morbus, & illi competit curatio.

A Secundo dico duplicem eſſe curatio-nem, aliam regularem, & aliam coactā. Regularis curatio competit dolori, quā-tenus is dependet à ſuis cauſis. Primo enim auferenda eſt cauſa, deinde mor-bus, ad cuius ablationem ruit dolor, cum ſequatur morbum tanquam vmbra cor-pus; ablato enim corpore vmbra euane-ſcit, vt clariſſimum eſt.

At curatio coacta competit dolori, B vt habet vrgentis rationem; Galenus igitur potuit conſiderare dolorem pri-mo, aut ſecundo modo.

Si primo rectè dixit curationem do-lori competere, ſed regularem; ſi ſecun-do modo, tum competit dolori curatio, non regularis, ſed coacta, quam non-nulli irregularem vocant.

Hanc diuiſionem curæ regularis, & coactæ, etſi communiter medici tan-C quam veram recipiunt, Alexander ta-men Maſſarias libro apologetico de ve-ſicantium vſu aduerſus Herculem Saxo-niam, & Ioan. Baptiſta Syluaticus lib. controuerſ. 84. non admittunt, eamque potius videntur explodere.

Primò quia à nullo ex antiquis Græ-cis ſcripta reperitur, neque ab Hippo-crate, nec à Galeno, aut alio quocunq; Græcorum, ergo non eſt admittenda.

D Deinde omnis curatio dogmatica procedit ab indicationibus, ſed omnis curatio regularis eſt dogmatica, ergo omnis curatio regularis procedit ab in-dicationibus.

Rurſus, quæ curatio procedit ab in-dicationibus eſt regularis, ſed omnis cu-ratio procedit ab indicationibus, ergo regularis eſt.

Quod verò antecedens iſtud verum E ſit, clariſſimè apparet ex eo, quod a-xioma, & principium ſit medicinæ dog-maticæ, & à Galeno vbique decantatū, & in hoc conſiſtit præſtantia, atque cer-titudo huius partis medicinę ad differē-tiam empiricæ, quæ vtitur fallaci expe-rientia, & analogiſmo.

Conſequentia verò inde deducitur; nam

nam in indicationũ inuentione vtimur ſemper methodo reſolutiua; illudq; indicans, quod in mente priùs à nobis accipitur, habet rationem vltimi indicantis, & finis omnium indicantium, & ſic procedimus vſque ad vltimum reſoluendo; vbi verò reſolutiua methodus quieſcit; ab hoc, quod vltimo loco per reſolutionem eſt inuentum, in operatione exordimur, vt id, quod vltimũ eſt in intentione, primum ſit in executione.

Rem hanc ſenſatiſſimo exẽplo vobis patefacio, ſit primò febris propoſita, vt à vobis curetur. Febris prima eſt in intentione; hanc enim curandam ſuſcipitis, hæc curari non poteſt, niſi auferatur ſua cauſa, quę eſt ſecundum indicãs, putredo videlicet, hæc verò non poteſt auferri, niſi auferatur prohibita tranſpiratio.

Neque hæc preterea tolli poterit, niſi remoueatur obſtructio; nec iſtã vnquã auferes, niſi ſuæ cauſę tollantur, quæ ſũt in corpore humores, vel nimia ſua copia, vel craſſitie, vel lentore peccantes, qui indicant euacuandos eſſe, ſi copia peccent, ſi craſſitie, & lentore, attenuandos, & abſtergendos.

Quare videtis, quod vltimum indicans per reſolutionem inuentum eſt primum indicans, quod per executionem auferendum eſt auxilijs indicatis; & hæc eſt vna regula ſeruanda in curatione.

Galenus 5. meth. 9. prædicta indicantia per methodum reſolutiuam iuuenta, ad tria præcipua capita reducit, nempe ad vrgens, ad cauſam principalem, & ad cauſam ſine qua non, quæ impedimenti rationem habet.

In propoſito febris exemplo nihil eſt, quod vrgeat, ideo ad auferendam febrem, opus eſt auferre putredinem, quæ eſt cauſa efficiens, ſed antequam ipſam auferatis, neceſſarium eſt tollere omnia impedimenta, nempe prohibitam tranſpirationem, obſtructionemque.

Sed hoc ordine, primò euacuare oportet humores peccantes, obſtructionem facientes; inde prohibitam tranſpirationem; nunquam enim auferre poteritis putredinem, niſi tollatis prohibitam tranſpirationem, neque illa relicta, obſtructionem, neq; obſtructionem auferemus, relictis humoribus eam facientibus.

Et hæc eſt curatio vna, quæ ab ablatione cauſæ, & impedimenti procedit ad effectus ablationem.

At vbi adſit aliquod vrgens, vt eſt capitis intenſiſſimus dolor, vel ſyncope, vel ſanguinis fluxus, tunc regula, & ordo propoſitus minimè ſeruari poteſt, 7. meth. 2. ſed ſtatim ad id, quod vrget pro perãdum eſt, illudque auferendum ſpretis prędictis regulis.

Nam id, quod in mente primùm cõcipitur, illud quoque primùm in executione eſt, & hoc modo licet primum ordinem variare.

Ex hoc diſcurſu apparere ſatis poteſt, tam eum, qui vtitur primo modo medendi, quàm illum, qui ſecundo, ſeruare regulas mediciuæ à Galeno propoſitas; nam in vtraque procedit ab indicãtibus ad indicata, qui eſt progreſſus à medico dogmatico ſeruandus.

Sequitur igitur omnem curationem eſſe regularem, nullã irregularem; nam vel adeſt vrgens, vel non. Primo modo vrgenti attendendum, alijs omnibus quandoque neglectis, & quandoque non neglectis: in ſyncope omnia negliguntur, quemadmodum etiam, & in intenſiſſimo capitis dolore, & in fluxu ſanguinis.

At ſi nihil vrgeat, cauſa efficiens auferenda, ſi nihil impedimento ſit, quod vbi adfuerit, tollendum ſe primò offert, & tandem ſtudendum eſt ablationi morbi.

Et iſti ſunt duo medendi modi, neq; alius inueniri poteſt in dogmatica curatione; cum autem ſeries, & vtriuſque modus, vt apparet, ſit regularis, nulla igitur eſt irregularis curatio, & illi qui hãc irregularem curationem inſtituunt, vel

admittunt,nullum pro ſe fundamentum habere poſſunt.

Sed pro defenſione propoſitæ curationis coactæ, quam aliqui irregularem appellant, dico, quod curatio alia eſt, quę ſemper regularis,& ordinata exiſtit; nec vnquam irregularis dici poteſt, & illa eſt, in qua indicationes, quæ tam à cauſa, quàm à morbo deſumuntur, ſunt eiuſdem naturæ.

Vt cùm vnico auxilio, indicato ab vtroq; ſatisfacere poſſumus vtrique indicanti,vt febris eſt à bile ortum ducēs, quæ vnico auxilio refrigerante tolli poteſt,& hęc dicitur curatio ſemper regularis; vtitur enim regulis medicinæ vniuerſalibus, ordinemque, & curationis proceſſum ſeruat,qui eſt ab ablatione cauſæ ad effectus remotionem.

Altera autē curatio regularis quidē eſt,eo quod vtitur regulis medicinę,verum irregularis quoque dici poteſt,quę duorum eſt generum.

Prima eſt,in qua indicationes inter ſe contrarię ſunt,ſibique ad inuicem repugnantes, in ipſaque nihil eſt, quod vrgentis rationem habeat.

Secunda eſt, quæ præter indicantium repugnantiam, & contrarietatem, habet aliquid vrgens.

Primi generis curatio dicitur regularis,& canonica,eo quod ſeruatmedicinę regulas,ſedquia adeſt inter indicationes contrarietas, & repugnantia, nec poteſt tam facilè ſuum progreſſum facere, qui eſt à cauſæ ablatione ad effectus remotionem, neque vnico auxilio poteſt ſuū effectum producere, ſed cogitur pluribus vti, & inter ſe contrarijs, hinc eſt, quod per comparationem ad curationē illam, in qua nulla reperitur inter indicantia repugnantia, & contrarietas,poteſt meritò dici irregularis.

Altera verò,in qua vrgens reperitur, ad quod primò,&maximè eſt reſpiciendum, & contra ordinem prioris; quæ regulariter à cauſa ad effectum procedit, dici meritò poteſt irregularis, quia

A vrgens primò reſpicit, quod aliquando eſt ſymptoma, aliquando eſſe quoque poteſt cauſa, vel morbus, tum quia quandoque omnibus ſpretis,cogitur ſatisfacere ipſi vrgenti.

Irregularis quidem hæc appellatur, quia non procedit à cauſa ad effectum; coacta verò, quod medicos cogit, vt ſpretis omnibus, nempe cauſa, & morbo,vrgens de medio tollant,& quamuis

B Galenus hanc irregularem minimè appellauerit, clariſſimum tamen eſt ex ſuis libris eam appellaſſe coactam, vt apparet 3. meth.9.in quo huiuſce curationis coactæ plura affert exempla.

Ac inter alia fluxus ſanguinis mentionem habet, qui ſupprimi nequeat, cui indicationi cum medicus ſatisfacere non poſſit, iubet ſtatim ſecandam eſſe venam tranſuerſim, deinde ligandam;

C quæ curatio procul dubio eſt coacta.

Vnde luce clarius eſt Galenum agnouiſſe hanc curationem coactam, quæ facilioris doctrinæ gratia appellari poteſt irregularis, cùm non fiat in ea progreſſus à cauſa ad effectum, quæ eſt regula ſemper ſeruanda in curatione dogmatica, quare non videtur res tam irrationalis, quemadmodum putat Maſſarias;

D & Syluaticus.

Sed dato, quod Galenus huius curationis nullam habuiſſet mentionem, vt grauiſſimi authores exiſtimant, proptereain medicina non eſt recipienda?

Argumentum enim ab authoritate negatiuè nihil concludit; non enim valeat hæc conſequentia, Galenus non docuit hanc curationem,ergo in medicina non eſt recipienda; omnes ſiqui-

E dem artes; & ſcientiæ per additamenta in dies perfectiores fiunt.

Multa enim tam ab Arabibus poſt Græcos,quem à Latinis,quibus ars medica ampliata,& locupletata eſt, inuēta ſunt,vt ſit nūc in perfectiori ſtatu,quàm vnquam fuerit.

Poſſem afferre multa medicamenta, quæ non fuerunt à Galeno cognita, &

tamen

tamen feliciſſimo cum ſucceſſu in vſu ſunt quotidiano. Inter alia eſt illa tam celebris, & frequentata curatio narium per inſitionem à Gaſpare Taliacotio ſuis doctiſſimis commentarijs illuſtrata, quam nec Galenus, nec Arabes, nec alij ſomniarunt, quæ non ſolùm eſt vtilitatis magnæ, ſed honoris, & decoris hominibus medicinam facientibus.

Quare non probo iſtud grauiſſimorũ virorum Maſſariæ, & Syluatici argumentum, quod cum à Galeno hæc curatio irregularis, & coacta non fuerit tradita, ergo non eſt recipienda; ea enim vſi ſunt Arabes doctiſſimi, & qui eorum doctrinam ſequuntur, vt Nicolaus Florẽtinus, Iacobus de Partibus, Gentilis, Thadæus Florentinus; quin etiam nunc doctiores Medici recipiunt, & communis medicorum ſchola in vſu habet frequentiſſimo.

Et nos ſequentes communem eorundem opinionem dicimus in cura regulari curationem deberi dolori capitis, vt eſt affectus dependens à morbo, & ſuis cauſis; in cura verò coacta primò, & maximè ei attendendum eſt, vt rationẽ habet vrgentis: & hæc de huiuſmodi curationis diuiſione in regularem, & in irregularem. Ad propoſitum redeo.

## DE DEFINITIONE DOLORIS *Capitis.*

NOminibus declaratis doloris capitis, quibus tam Græci, quàm Arabes, & Latini vtuntur, oſtenſoque dolorem non eſſe morbum, iam ipſius definitio aperienda eſt, quæ talis eſſe poteſt.

Dolor capitis eſt ſymptoma actionis animalis ſentientis ad tactum deprauatæ.

In hac definitione aſſumo ſymptoma tanquam genus.

Actionis eſt prima differentia, qua ſeiungitur ab excretis, & qualitatibus; nam non eſt ſymptoma in qualitate A mutata, aut in excretis, ſed actionis, quę cum triplex ſit in genere, naturalis, vitalis, & animali, ponitur (animalis) vt reliquæ excludantur actiones.

(Sentientis) additur ad motricis differentiam.

(Ad tactum) vt ſeiungamus ab omnibus alijs ſenſationibus tam internis, quàm externis.

Vltima differentia eſt (deprauatæ) B vt oſtendatur non eſſe diminutam, nec abolitam, quia nullus adeſſet ſenſus; ad hoc enim, vt fiat dolor, quemadmodũ ſupra diximus, requiritur ſenſus partis, & obiecti alterantis violentia. Ad differentiam quoque ſtuporis, & paralyſis, quæ ſunt actiones ſenſus tactus læſæ, ſed diminutè, & abolitè.

## DE DIFFERENTIIS DOLORIS *Capitis.*

C

PLures ſunt doloris differentiæ; alię enim à ſubiecto deſumuntur, quã doquidem vel interni, vel externi ſunt: & rurſus ſiue interni ſint, ſiue externi, alij ſunt omnium partium ſimul; alij verò vnius tantùm partis: externi poſſunt eſſe cutis tantùm, aut pericranij: per cutem etiam intelligo membranam carno- D ſam: interni verò poſſunt eſſe duræ, aut piæ membranæ, vel ipſiuſmet cerebri.

Sed cũ tam partes internę, quàm externæ habeãt ſuas venas, arterias, & neruos, hinc fieri poteſt (docente Gal. 2. de comp. med. loc. 1. aduerſus aliquos, qui dicunt venas, & arterias non ſentire) vt dolor ſit, vel in neruo, vel arteria tantũ, vel in vena: quare alij ſunt dolores cutanei, alij profundiores, vt in pericrani- E o: & iſti ſunt dolores capitis externi.

Interni ſpectant, vel ad duram, vel ad piam membranam, vel ad pericranium; & alij ſunt pertinentes ad cerebrũ. Et iſtæ ſunt differentiæ, quæ dicũtur dẽſumi à ſubiecto, nempe à parte affecta.

Aliæ deſumuntur à cauſis, quarum aliæ internæ ſunt, vt ſuo loco intellige-

tis, aliæ externæ : inter internas eſt humorum multitudo, ex eodem Gal. loco prçcitato, à qua fit dolor ille, qui ab Hippocrate 6. epid. comp. 1. καρηβαρία appellatur, nos vocamus dolorem grauatiuum.

Cauſa alia eſt intemperies ſimplex ſine materia, quæ vel calida, vel frigida, vel ſicca, aut humida eſt : ab vtraq; intemperie actiua fiunt magni dolores, nempe acuti, & pungentes : à ſiccitate verò exigui: at ab humida intemperie nullus producitur dolor.

Alia intemperies eſt cum humorum complexu, qui humores vel calidi ſunt, vel frigidi, ſi calidi producunt pungitiuos, & etiam exulceratiuos dolores : ſi frigidi, & pituitoſi laxatiuos : ſi melancholici eos faciunt dolores, quos frangitiuos vocant ; non ſecus atq; contingere ſolet in acceſſionibus quartanarijs ab humore melancholico naturali enatis, in quibus fiunt dolores frangitiui per omnes corporis partes; idq; ſepiùs contingit, ſi affectio fuerit in pericranio.

Adducit Gal. duas alias cauſas internas, à quibus fiunt dolores, vna eſt obſtructio, nempe, vt ipſe loquitur, quando humores tranſitus liquorum, & vaporum obturauerint; & varij fiunt dolores, prout vt varij ſunt humores, & vapores detenti ; nam ſi vapores detineantur tãtùm, dolor tenſiuus fieri poteſt, at humores calidi, & frigidi detenti ſibi proportionatos, & iam dictos dolores faciunt.

Altera eſt capitis imbecillitas, propter quam colligitur in aliquibus partibus, & innaſcitur ſpiritus flatuoſus. De dolore autem pulſatiuo, qui etiam habetur inter doloris differentias, nullam aliam cauſam afferre ex Gal. poſſumus ; nam 13. meth. & lib. de tumoribus pulſatiuum dolorem adducit tanquam ſignum inflammationis, non cuiuſuis partis, ſed illius, in qua reperiuntur arteriæ; ita vt dolor pulſatiuus ſit propria arteriarum affectio, cum non niſi ab ipſis

A ferè producatur.

An verò ſtupor reponi debeat inter dolores, nulla eſt ratio, quæ demonſtret ipſum eſſe dolorem, cum iam diximus dolorem eſſe ſenſum deprauatum ; ſtupor autem eſt ſenſus diminutus, quare nec recenſeri debet inter capitis dolores, quod ſuo loco fuſiùs demoſtrabitur. Et iſtæ ſunt doloris capitis differentiæ à ſubiecto, & cauſis deſumptæ.

B Aliæ ſunt differentiæ à modo, quem ſeruant, acceptæ, & ſic dolor eſt.

Pulſatiuus,
Pungitiuus,
Acutus,
Exulceratiuus,
Mordax.
Tenſiuus,
Grauatiuus,
Laxatiuus,
C Frangitiuus.

Aliæ ab ordine, nam dolores alij sũt, qui ſtatutis quibuſdam diebus veniunt, alij verò, qui abſq; periodo accidunt, vnde etiam alij ordinatè, alij inordinatè inuadunt, alij deniq; vehementes, alij vehementiores, alij vehementiſſimi sũt.

Tandem alij ſunt dolores per eſſentiam in capite, quorum alij ab ardore fiũt, ab inſolatione, frigore, vulnere, ab ebrie-
D tate: & alij per conſenſum à partibus inferioribus, vt ab hepate, ventriculo, liene, inteſtinis, renibus, veſica, & vtero, à quibus tot doloris differentiæ per conſenſum deſumuntur.

Per cõſensũ morbi ex Gal. 1. de locis aff. 3. & 3. eiuſdem cap. 1. ſunt quando materia, quæ deberet ſecundùm naturã ferri in vnam partem, non fertur : ſecundò, quando facultas aliqua non tranſmit-
E tit : tertio quando materia præternaturam ab vna in aliam partem mittitur : ſit verò talis conſenſus Gal. authore 1. epid. 4. tribus modis, vel ratione vicinitatis, aut ratione generis, vel ratione communitatis operis.

## DE CAVSIS DOLORIS Capitis.

CAuſæ aliæ ſunt internæ;aliç exter-
næ:internæ referuntur ad res præ-
ternaturales,& naturales: externæ verò
ad non naturales tam neceſſariò, quàm
non neceſſariò nobis occurrentes.

Internæ cauſæ doloris capitis ſunt ea
omnia præter naturam,quę vel toti ca-
piti, vel ipſius parti poſſunt ſoluere cō-
tinuitatem, & ipſum caput intempera-
re, vel vtrumq; producere. Verum ad
dolorem efficiendum non eſt ſatis indu
cere ſolutionem,& intemperiem, ſed
opus eſt,vt violenter vtraq; cauſa indu-
catur.

Hanc violentiam in primis inferre
poſſunt humores nimium copioſi, vt eſt
plenitudo ab humoribus facta,aut etiam
à toto ſanguine; copia enim ſanguinis
ſolius,vel cum alijs humoribus producit
dolorem, ſed non quamcunq; ſpeciem
doloris, ſed grauatiui: vbi verò ſanguis
faciat inflammationem in partibus, in
quibus adſunt arteriæ,ſiue internæ,ſiue
externæ fuerint, dolorem pulſatiuum
gignit, vt ſupra diximus.

Deinde intemperies tam calida, quã
frigida poſſunt cauſare dolorem mor-
dacem, pungitiuum, & exulceratiuum:
ſed dolor mordax nunquam fieri poteſt,
niſi inducta ſolutione continui, quæ tã
à calidō, quàm à frigido inferri poteſt, à
frigido quidem conuellendo, à calido
laxãdo: at dolores acuti pungitiui, &
exulceratiui magis à calidis efficiuntur,
nempe à bilioſo humore, & à pituita
ſalſa; à bilioſo etiam humore fiunt ma-
gis illi dolores, quos cephalalgias appel
lari diximus.

Ab humoribus autem pituitoſis, &
melancholicis fiunt magis cephalalgiæ,
& lōgæ hemicraniæ tam periodicæ, quã
minimè.Fiunt quoq; ab eadem pituita
dolores laxatiui; vt dicendum ſit dolo-
rem capitis, & recentem, & antiquatū,
tam totius, quàm partis pendere à bile,
A pituita, & melãcholia,vel ab his mixtis,
ita vt aliquando bilis ſanguini, aut pitui
ta, aut etiam melancholia admiſceatur
dolorem producens.

Habemus hactenus ex doctrina Gal.
2. de comp. med. local.cap.1.tres cau-
ſas cuiuſcunq; doloris capitis, nempe
humorum,& ſanguinis multitudinem,
intemperiem ſimplicem ſine materia;
nec non complicatam intemperiem
B cum materia.

Addamus ex eodem, & quartam
cauſam, quæ eſt obſtructio, à qua natu-
ralia vaſa ita obſtruuntur, vt ſuccis, &
vaporibus via, & fluxus naturalis inter-
cluſus ſit, quod fieri minimè poteſt, niſi
vel à copia humorum, vel à craſſitie,aut
lentore ipſius pituitæ. Quare pituita, &
copia, atq; craſſitie, aut lentore poteſt
generare capitis dolorem, non primò,
C ſed ſecundariò,quatenus non permittit
alijs humoribus, aut vaporibus,vt poſ-
ſint ad ſua loca permeare: vnde vno ver
bo dicendum eſt obſtructionem eſſe
cauſam doloris capitis.

Alia cauſa adducta eſt à Gal. partis
imbecillitas, cuius ratione naſcitur ſpi-
ritus quidam flatuoſus, qui eleuatus fa-
cit dolorem tenſiuum: adhæc etiam ca-
put imbecillum, quod facilius vapores
D à partibus inferioribus recipit, facileq;
à vaporibus extrinſecus delatis lęditur.

Sed antequam vlterius progredia-
mur dubitatiuncula quædam in mediū
afferenda, ac ſoluenda venit, circa
καρηβαρίαν, vel capitis grauitatem,quam
ſtatuit Gal. loco præcit. de comp. med.
loc. fieri minimè poſſe, niſi à copia hu-
morum; experientia enim rerum magi-
ſtra oſtendit nobis grauatiuum capitis
E dolorem fieri à ſuffitu aromatum,à ven-
tis auſtralibus, à vini potionibus, à cibis
plurimum fœtus, & vaporis continenti-
bus, nec ſolum ab his huiuſmodi dolorē
naſci obſeruamus, ſed etiam à longiori
ſomno,à tuſſi,à febre, à quibus omnibus
caput ea ratione repletur, vt inde ſequa
tur grauitas capitis.

Sed dubitatio hæc quamuis prima facie videatur afferre aliquã difficultatẽ, ſi tamen rem intimius ſcrutemur, videbimus Gal. veram eſſe determinationem; aliud enim eſt conſiderare vapores, & flatus, qui à prædictis rebus eleuantur, & aliud ipſos conſiderare, quatenus ſecum ducunt humores.

Primò modo accepti non poſſunt grauatiuum dolorem gignere: ſecundo modo poſſunt eum inducere nõ ſui, ſed humorum copiæ ratione: quare Gal. ſententia vera eſt ſemper, quod ab humoribus multis fiat capitis grauitas.

Inter cauſas doloris capitis internas ponit Auic. lib. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 3. vermes in capite natos, qui motu ſuo lædunt, addens multoties eos in anteriori capitis parte generari, & quandoq; apud velamina, ſed non rarò obſeruarũt recentiores fieri vermes in capite.

Scribit enim Hollerius lib. 1. praxis cap. 1. & refert Foreſtus lib. 9. obſer. 2. ad ſcholium Italo cuidam ex frequenti odoratu ocymi herbæ natum fuiſſe ſcorpionem in cerebro, qui vehementes, & longos dolores, & tandem mortem intulit.

Raſis x. continentis referente etiam Schenckio lib. obſer. 1. de cap. dol. obſ. 82. ſcribit ſodam generari ex vermibus in capite genitis, & Thomas à Veiga comm. ad cap. quintũ quarti lib. de locis aff. ſcriptum reliquit, quod vermes in cerebro ſæpè viſuntur, frequentius in dentibus, & naſo.

Non deſunt, qui ſcribant animaduertiſſe in cerebro non modò vermiculos enatos, ſed cimices, vt Cor. Gemma Schenckio teſtante obſ. 84. Petrus Foreſtus loco præcitato duos caſus deſcribit, quibus facilè concluditur vermes in cerebro oriri.

Primus eſt, quod Beneuenti cum multi ignoto morbo decederent, tandẽ hoc modo interemptum medici inciderunt, & in eius cerebro inuenerunt vermem rubrum breuem, quem cum multis medicamentis vermes occidendi facultatem habentibus enecare non potuiſſent, vltimo loco fruſtis raphani inciſis, & in vino maluatico coctis vermes eos occidi obſeruarunt.

Alter caſus, quem ipſe vidiſſe teſtatur, eſt is: quidam cum gallica lue affectus fuiſſet, deinde etiam curatus, à dolore tamẽ capitis maximè cruciabatur, quare à Chirugo perforatus fuit in ſuperiori frontis parte, vbi dolor inſignis percipiebatur, & ſub cranio, & ſupra duram membranam nigriuſculum quid inſtar curculionis, qui eſt vermiculi cuiuſdam ſpecies, inuentum eſt, quo ablato æger dolore fuit immunis.

Quibus authoritatibus patere ſatis cenſeo dolorem (vt dicebat Auic.) à verme in capite genito fieri poſſe, quod & rationi non repugnat; nam ex communi medicorum opinione vermes ex putridis humoribus fiunt, pituita præſertim putreſcente, quæ facilè in capite coaceruatur, & putreſciit: quare cum calor putridus excitatur, qui efficientis rationem habet, adſitq; idonea materia, qualis eſt pituita, neceſſariò ſequitur effectus.

Præter vermes eſſe poteſt lapis, vel etiam caries in oſſe. Huiuſmodi cauſæ dolorem capitis inducentes ſuas cauſas & ipſæ habent deſumptas à rebus non naturalibus, videlicet à victus ratione; ſanguis enim, & humores in corpore gignuntur abundè plenitudinem facientes à copia alimenti, quæ ſit boni ſucci, valeatq; ſanguinem generare, vt ſi quis multum comedat, probè, diuque dormiat tempore ſomni vitam ducens otioſam abſque animi affectibus immoderatis, beneficiumq; alui habeat, conferente habitu ſanguineo, complexione temperata, is omnino poterit colligere multam humorum copiam in corpore, à qua tandem procedat dolor in capite grauatiuus.

Et hæ ſunt cauſæ collectionis humorũ, à qua excitari poteſt dolor in capite.

At

At intemperies calida abſq; materia produci poteſt ab inſolatione longa, à nimia vigilia, ab immoderatis animi affectibus ad iram, furorem, & ad vehementes paſſiones hominem inducentibus; à nimia cogitatione, nimio ſtudio, & ab immoderato motu.

Ad hæc ſi ciborum ad bilis generationem aptorum nimiam, quàm par ſit, quantitatem aſſumat, ſitq; bilioſi habitus, calidæ, & ſiccæ complexionis, qui & delectetur vino generoſo pro potu, poterit talis homo induere intemperiē calidam tam cum materia, quàm ſine; ſi potiſſimùm retineantur in corpore, quæ euacuari debent.

Quod idem dicēdum eſt de alijs duobus humoribus, pituita nempe, & melancholia, quæ & ipſæ à modo viuendi ortum ſuum ducunt, ab immodicè retentis, conferente ad humorum generationem tam ætate, quàm complexione, & habitu corporis proportionato.

At obſtructio faciliùs generatur in corporibus pituitoſis, ijſque qui victui ſuo non conſulunt, ſed vtuntur cibis pituitā generantibus, cruditateſq; facientibus, de quibus ſermo erit nobis capite de lethargo, de apoplexia, & paralyſi; licet obſtructio non ſolùm fiat à craſſitie, & humoris lētore, ſed ab humorum copia, vt in tractatu de febre oſtendemus.

Debilitas autem capitis prouenire poteſt à rebus naturalibus, ita vt caput debile ſit à primordio generationis, quando laxum nimis, aut rarius quàm oporteat, vel intemperatum, vel malè compoſitū eſt: vnde Gal. cap. 11. lib. artis paruæ, dicebat caput paruum vitioſum, & de neceſſitate prauum; magnū verò non ſemper bonum.

Quando igitur caput eſt improportionatum corpori, illud eſt malè conformatum, hinc debile, vel poſt ortum ob aliquod accidens ipſius mutata tēperie ab intēperie aliqua, vel calida, vel frigida, vel humida, aut ſicca, vel complicata, redditur debile, ideoque in ipſo generatur aliquid, vel in eo recipitur, quod eſt in cauſa doloris. Poteſt etiam debile reddi à rebus non naturalibus, & ab aere potiſſimum. Et iſtæ ſunt omnes cauſæ capitis doloris internæ.

Externæ verò ſunt plures, vt externus ardor, æſtus, inſolatio, frigiditas, ebrietas, plaga, caſus, ictus, concuſſio, contuſio, vulnus, punctura, victus ratio, medicamenta tam aſſumpta, quàm applicata, vapor virulentus, atq; odor, quandoq; malus, nonnunquam bonus, ventus. &c. Et hæc de cauſis.

## DE SIGNIS DOLORIS Capitis.

EX ſignis licet alia ſint, quæ futurum, alia, quæ præſentem dolorem demoſtrant, cum tamen verſemur circa partem medicinæ therapeuticam, non præſeruatoriam non opus nobis eſt ea inquirere ſymptomata, quæ ducunt nos in cognitionem futuri capitis doloris, quem ex quibuſdam cōiecturis prædicere poſſumus, vt ex capitis debilitate, & ſenſus acredine, 3. de locis aff. ex antegreſſis, & ex præſentibus quibuſdā cauſis, vt ex præſenti plenitudine, aut cacochymia, ex vigilijs præcedentibus, aut ex nimio, & profundo ſomno, & alijs huiuſmodi coniecturis.

Sed maximè circa duo laborandum nobis eſt: primum eſt, an dolor per cōſenſum, an verò per eſſentiam in capite fiat: ſecundum eſt poſito, quod in capite fiat per eſſentiam, in qua nam parte determinata ſit capitis, an interna, an verò externa, & an ſit dolor nerui, an arteriæ, an venæ?

Galen. lib. 1. de comp. med. loc. 1. dicebat difficillimum eſſe cognoſcere locum affectum, ſiue vnus, ſiue plures exiſtant, aut qui tandem ipſi ſint. Additque non modò partem affectam cognitu eſſe difficillimam, verùm etiam affectionem, à qua dolor prouenit, egereq; homine non ſolùm ratione exercita-

citato, ſed etiam qui per longam inſpectionem ægrorum, & affectionum eorundem egregiè verſatus ſit;& ratio eſt, quia proprietates indiuiduales vix referri queunt, aliquæ autem egregiè ijs, qui eas obſeruarunt, cognitæ ſunt.

Sed hoc loci Maſſarias difficultatem affert circa affectuum præter naturam cognitionem; nam dicit Gal. lib. 1. de medicam. local. cap. 1. in fine ſcripſiſſe eam maximè eſſe coniecturalem, alterā verò, quæ ad curationem facit, eſſe ſciētificam, & certam: idem repetens 8. lib. med. loc. 1. 2. de rat. vic. acut. 5. de tu. val. 11. & tandem lib. de plen. ad finem, idem è contra 12. meth. 7. docet cognitionem quorūdam affectuum eſſe ſcientificam, & certam, vt ſunt pleuritis, & dyſenteria.

Cui difficultati reſpondet ex Galeno lib. de plen. dicens ſigna indicantia morbos eſſe in triplici differentia: alia ſunt ſcientifica, alia ijs inferiora, & quædam adhuc minus certa. Signa ſcientifica illa ſunt, quæ accipiuntur à ſymptomatibus, & in triplici differentia verſantur; vel enim ſunt actiones læſæ, qualitates mutatæ, & excreta, & retenta, exempli gratia ſit dolor capitis ex plenitudine vniuerſi corporis, primum erunt actiones læſæ, extenſio, grauitas, pigritia ad motum; ſecundo exeuntia mutata, nempe lotia rubra, craſſiora, copioſa capitis excrementa: tertio qualitates mutatæ color circa oculos, & faciem mutatus, turgentia venarum, & alia id genus, quæ omnia, ſi ſimul coniungantur, certam capitis, & totius corporis demōſtrare poſſunt plenitudinē.

Secundi ordinis ſigna à Gal. enumerantur, vt ſunt vita otioſa, alimenta copioſiora, ac potus, excretionum ſuppreſſio, balnea poſt alimentum adminiſtrata, quæ tamen eodem Gal. à ſcientificis, ſi omnia concurrant, non longè diſtant.

Tertij ordinis ſunt, ſi homo plethoricis morbis familiariter corripiatur, cōſuetudo, regiones, anni tempora, temperamenta, habitus corporis: ex quibus facilè intelligere poſſumus, quæ nā corpora magis, & minus idonea ſint ad plenitudinem colligendam.

Sed huiuſmodi ſigna, quę à Maſſaria afferuntur loco exempli de capitis dolore à plenitudine, non videntur ſcientifica, vt ſunt ſigna pleuritidis, ac dyſenteriæ; proindè Gal. ſcripſit coniecturalem eſſe notitiam doloris capitis, & affectionis, à qua prouenit propter indiuiduales proprietates, quæ non niſi ab homine docto, & exercitato cognoſci poſſunt.

Quare poſſumus dicere coniecturalē eſſe cognitionem ijs, qui nondum exercitati ſunt in operibus medicis: è contra illis, qui continuò exercitati ſunt, propterea quod proprietatum indiuidualium notionem habent. Hinc cognitio morborum illis videtur certa eſſe, & quaſi demonſtratiua: ſed vtcunq; ſit, ad habendam cognitionem alicuius rei opus eſt; vt à notioribus nobis procedamus, nempe ab ijs, quæ ad noſtros ſenſus ſeſe clarè offerunt.

In dolore igitur capitis dignoſcendo ſpeciem doloris non aliunde habere poſſumus, quàm ex reſponſione ipſius ægrotantis, qui dicat ſe percipere dolorem grauatiuum, aut pungitiuum, vel alium quemcunq; ſeq; maximas habere exacerbationes, adeò vt neq; ſtrepitum, neq: vehementiorē vocem, neq; lumen ſplendidum, neq; vini potionem, neq; odoramenta ſufferre poſſit, neq; etiam motum obire, ſed in quiete, ac tenebris manere cupiat, videaturque percuti, quemadmodum ſi à malleo læderetur, vel dicat ſe percipere dolorem pulſatiuum, vel intolerabilem, vel videatur lædi, quemadmodum ſi à terebra quædam oſſa ſibi, & aliæ partes perforatæ eſſent.

Habita hac relatione ab ægrotante tunc neceſſarium vobis eſt, vt inquiratis, an dolor ſit per eſſentiam in capite,

an

an per conſenſum? Rurſus quocunque modo eueniat, adhuc inquirendum eſt, quænam capitis partes læſæ ſint, internæ, an externæ? Tertiò oportet indagare cauſam efficientem internam, nempe humorem peccantem.

A Signa igitur quædam erunt demonſtrantia dolorem eſſe in capite per eſſentiam; alia per conſenſum; alia quæ partes internas; aut externas læſas eſſe oſtendunt; alia tandem quę cauſas, à quibus dolor prouenit, nobis patefaciunt.

Primò igitur inueſtigemus ſigna, quę caput per eſſentiam lędi indicant, quę ſunt dolor capitis continuus; deinde nulla pars eſt in corpore, quę affecta ſit, in quam reijci poſſit huiuſmodi dolor: & quamuis aliqua pars reperiatur malè affecta, ad ipſius affectus auctionem, aut remotionem, dolor capitis non mouetur, neq; augetur, neq; diminuitur, ſed ſemper perſeuerat in ſua continuitate, Gal. lib. 2. de locis aff. 4.

Signa verò doloris in capite per cõſenſum à Gal. iam citato loco deſcribũtur; nam cum dolor per conſenſum poſſit à toto corpore, & à varijs partibus in capite produci, primùm ſymptomata in toto corpore, aut in parte affecta ſe oſtendunt, quàm dolor fiat in capite, & maiori ex parte vehementiora ſunt ſymptomata in partibus, quàm ſit dolor capitis, & quando recedunt, etiam à capite dolor remittitur, ac recedit, quod vſu euenire minimè obſeruamus, quando dolor per eſſentiam eſt in capite.

Cùm igitur dolor fieri poſſit per conſenſum à toto, & à varijs partibus, vt à ventriculo, vtero, pulmone, iecore, vel corde, oportet, vt cognoſcatis, quando à toto, & quando à partibus prouenit.

Dolorem in capite per conſenſum fieri oſtendunt totius plenitudo, atque etiam febris, quod Gal. 1. ad Glauc. 15. ſcriptum reliquit, deinde in mulieribus purgationes retentæ, vt habetur 3. de criſ. 11. adeo enim clarum eſt à febre, à plenitudine, & à menſibus retentis vapores eleuari, & caput ferire, vt non egeat maiori declaratione, proq; vaporum diuerſitate varij fiunt dolores, qui-bus ceſſantibus dolor quoq; euaneſcit: his indicijs cognoſcitur dolor per conſenſum à toto corpore.

Ex 3. de locis aff. cap. 7. à ventriculo fieri coniectura rationali percipitur: etenim ſenſus quidam acer in ventri-

B culo ſentitur, vbi potiſſimum per inediam flaua bile tentatur, vel quando adeo imbecillis eſt, vt cibos conficere nequeat, quo tempore quis plus vini calidioris biberit, aut cibos ſumpſerit ſuapte natura vaporabiles; demũ quando quis euomat bilem, quæ ventriculũ iuuet, capiti quoque opem ferat: & ſi quis nimia inedia ventriculum infeſtet, capiti quoque nocet: tandem quando

C ſymptomata in ventriculo priùs ſe oſtẽdunt, deinde in capite, indicia ſunt capitis dolorem per conſenſum à ventriculo produci.

Signa porrò, quæ ab alijs partibus petuntur, ad ſymptomata, quæ priùs eas inuadunt, deinde ad caput obrepunt. ſecundò ad iuuantia, & nocentia referuntur; nam ſi quis medicamenta apponat illis partibus, quæ opem ferunt, ca-

D pitiq; opitulantur, & è contra quæ illis nocent, capiti obſunt, concludendũ erit dolorem ab hac parte in capite per cõſenſum fieri, ſiue pulmones ſint, ſiue cor, aut alia pars quæcunq; fuerit, quę capiti conſentiat.

## DE FVTVRO EVENTV Doloris capitis.

E Propero nunc ad prognoſtica. Dolor capitis triplicem euentum ſortiri poteſt; nam vel ſanatur facilè, aut difficulter; vel non ſanatur; aut tandem hominem ad interitum ducere poteſt, ſed hoc rarò, aut nunquam contingit, niſi illi grauius malum ſuccedat, nempe febris aliqua maligna.

Quandoquidem Gal. authore 2. de comp. med. cap 1. nunquam per ſe tam vehemens eſt, vt interficere poſſit, quemadmodum oculorum, aurium, inteſtini coli, quarum partium interdum dolores ingentes ſunt, vt virtutes illicò profternant, quod capiti vix contingere ſolet: ſi verò id accidat non fit ratione, doloris, capitis ſed morbi alicuius peioris febre, vt dictum eſt, quemadmodum mulieribus euenit vtero gerentibus, quibus ineſt capitis dolor cum maxima ad ſomnum propenſione.

Hippocrates ſcriptum reliquit 6. aph. 51. quod illi, qui valente capitis dolore de repente corripiuntur, muti fiunt, ac ſtertunt, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febris euenerit: è contra autem vbi nihil tale accidat, non ſequitur interitus, ſed plerunque ſalus: nonnunquam verò adeo prauæ naturæ, ac moris eſt, vt nullo modo medicamentis cedat, ſed ſemper perſeuerat; & ego aliquos agnoui, qui à capitis dolore omnibus etiam tentatis medicamentis nunquam liberati fuerunt.

Quod ſpectat ad tempus, in quo curari poſſit, & auferri dolor, breue, & longum eſſe ſolet, ratione conſtitutionis capitis, ratione materiæ, à qua prodit, & ſecundùm quod recens, vel antiquatus fuerit; ſi enim recens fuerit, materiaq; tenuis, & nondum in partibus impacta, caputq; benè conſtitutum fuerit, ac minimè debile, ſed robuſtum, breui, & facilè curabitur.

E contra ſi debile caput ſit, morbuſq; antiquatus, adhæc materia craſſa, & in meatibus capitis impacta, atq; obſtruens, difficili negotio, & longo tempore ſanabitur.

Sed ſi cum his addatur cacochymia, aut cachexia, vt in lue venerea fieri cōtingit, vix ſanari poterit, & fortaſſe incurabilis redditur.

Si verò cum virium languore febris aliqua euenerit capitis dolori intolerabili, & continuo, rem in anguſto eſſe præſentibus, atq; affinibus prædicendum eſt.

Dolor capitis ſenum inueteratus rarò curatur. Caput dolenti, ac circumdolenti ſanies, aut ſanguis, aut aqua, per nares defluens, vel per aures, vel per os ſoluit dolorem, Hippocrates 6. aph. x.

Dolor capitis ex vulnere mēbranarum lethalis eſt; ſi verò oriatur à ſolutione in cranio facta, à diligenti medico curabilis eſt.

Arnaldus è Villanoua, referente Franciſco de Valiſca, ſcriptum reliquit cephalæam grauiſſimam ex repletione portendere aliquando apoplexiam.

## DE CVRATIONE DOLORIS capitis à ſanguine procedentis per Chirurgiam.

Morbi omnes curātur triplici medicinæ inſtrumento, videlicet diæta, pharmacia, atq; chirurgia.

Iam verò Raſis quatuor doloris capitis ſpecies affert, prima à ſanguine, altera à bile, tertia à pituita, quarta à melancholia, quas omnes complecti videtur duobus capitibus, frigiditate, nempe, atq; caliditate; auſpicaturq; à ſanguineæ cephalalgię curatione, quam curare docet per chirurgiam, per localia, per diætam, atque per pharmaciam.

In primis igitur iubet venam cephalicam ſecandam eſſe eiuſdem lateris, in quo eſt dolor, vel in quo magis infeſtat.

Hoc loco videtur ambiguitas de loco venarum, à quibus ſit extrahendus ſanguis; nam communiter ab omnibus medicinam facientibus cephalica vena illa dicitur, quæ ad cubitum ſimul cum baſilica, ſeu hepatica, ſiue iecoraria reperitur; ex quibus duabus ramulus quidam ſatis inſignis emergit vtramq; venam coniungens; & ſecundum hanc ſignificationem ſenſus authoris eſſet, vt ex brachio eiuſdem lateris dolentis ſanguinis fieret extractio.

Verum cum cephalica ita appelletur quia ad caput, quod græcè κεφαλὴ dicitur, referatur, ſenſus authoris videtur eſſe, quod ſanguis emittatur ab aliqua vena, quæ in capite ſit: quod cōfirmare videntur verba illa, vbi author dicit: vel in qua dolor magis infeſtat: ita vt ſignificatio ſit, ſanguis mittendus eſt à vena capitis eiuſdem lateris, vbi dolor eſt; vel in ipſa parte eiuſdem lateris, vbi magis percipitur dolor.

Ad tollendam hanc difficultatem, quæ eſſet inſignis momenti, ſi verus eſſet ſecundus ſenſus, dicendum exiſtimo, quod per cephalicam venam intellexerit Raſis venam cubiti eiuſdem lateris dolentis, etiam ſi dolor ſummè infeſtet.

Nam cum ſanguinis miſſio habeat rationem plurium medicamentorum, indicatio ipſius è corpore extrahendi ſumitur quidem à ſanguine, ſed præter naturam alio, & alio modo ſe habente, quandoquidem, vel peccat quantitate, ſeu multitudine, quæ affectio plethora, vel multitudo appellatur; vel peccat ſecundùm motum, quia fluit repentè quò fluere non deberet; vel peccat ſecundū quietem, quod remaneat præter naturam alibi, vbi non expediat; vel tandem ſubſtantia ſua redditus eſt inutilis ad nutriendum, quemadmodum 9. meth. ex Gal. ſupra declaratum eſt.

Vt verò peccat multitudine, indicat ſui euacuationem ſimpliciter: quatenus peccat motu reuellendus eſt. Sed in reuulſione facienda requiritur oppoſitio, & rectitudo, ſeu conſenſus: oppoſitio autem accipitur quatuor modis, vna ſecundum longitudinem corporis, alia ſecundùm latitudinem, tertia ſecundùm priùs, & poſterius, poſtrema ſecundùm intus, & extra.

Cum verò partes noſtri corporis, quæ ſunt ſupra iecur dicantur ſuperiores, quæ infra inferiores (quamuis de renibus adſit aliqua dubitatio) in morborum principio fluente ſanguine, opus eſt ipſum non modò euacuare, ſed reuellere, quod ſanè haud ignorans Raſis locum adnotauit, ex quo non modò fieret ſanguinis peccantis euacuatio, ſed etiam reuelleretur.

Iubet itaq; ad brachiū ſecandam eſſe cephalicā, quia capitis reſpectu brachiū eſt pars inferior, à quo ſanguinis miſſio facta non modò euacuat, ſed etiam reuellit, ſeruatur oppoſitio, & conſenſus venarū, qui eſt inter venas capitis, & cephalicam brachij ortum ducentem à venis iugularibus, à quibus omnes rami venarum capitis emanant; dextræ quidem per dextrū latus, ſiniſtræ verò per ſiniſtrum; ita vt vena cephalica brachij cum venis capitis ſui lateris maximum habeat conſenſum.

Rectè igitur Raſis noſter docet ſanguinem ex cephalica mittendum eſſe brachij eiuſdem lateris, vbi in capite reſidet dolor, & à principio quidem, ex Gal. decreto 4. meth. vbi ſtatutum eſt curationem morborum ex repletione decerni debere ab euacuatione, iuxta illud: morbos ex repletione curat inanitio, hoc eſt euacuatio; eorum autem, qui ex cacochymia fiunt, inſtituit Gal. curationis initium à purgatione. Ad cauſam igitur antecedentem, ac fluentē reſpexit Raſis.

Præceptum eſt quoq; Principis Arabum fen. 1. 3. tr. 2. cap. 11. in quo non modò antecedentem cauſam reſpiciēs, ſed etiam coniunctam, nempe ſanguinē quiete peccantem, qui indicat ſui deriuationem ad propinquiora loca partium dolentium, & partem affectam; iubet quoties adhuc appareant, miſſo ſanguine à brachio, ſigna plenitudinis, ſeu ſanguinis in capite exiſtentis, mittendū eſſe ſanguinem à venis, quæ intra nares ſunt.

Optimè quidem quoties dolor in partibus internis fuerit, & maximè in dura, aut pia membrana, id præcipit, ſiquidem multitudo illa venarum, quæ à venis iugularibus tam internis, quàm externis ortum ducunt, & ad ambas

membranas hinc inde ſparguntur, in ſinum quendam duræ membranæ (qui tertius ſinus vocatur) fundit per venarum oſcula ſanguinem.

Is igitur ſanguine venæ in modum (præter naturæ conſuetudinem) repletur, & cum ad ſupremam oſſis cribroſi ſuperficiem tendat, vnde venulæ prodeuntes ad internam narium capacitatem diſtribuuntur, fit, vt ex harum ſcarificatione, deriuato ad has venas ſanguine, capitis dolor tolli facilè poſſit. Meritò igitur proponitur phlebotomia vteri uſq; naris.

Secundo loco proponit Auicennas deriuandi cauſa ſectionem venę frontis: eſt tamen animaduertendum ex ſectione huius venæ faciliùs deriuari materiam, quę ad partes exteriores fluit, nempe ad pericranium, cutemue; nam ipſa ab exterioribus iugularibus ortum ducit; atque id magis præſtat, quando dolor in anteriore parte fuerit, quia quando eſt in poſteriore, reuellit potiùs, quàm deriuat: deriuatio autem nunquã fieri debet, niſi præceſſerint vniuerſalia præſidia; at reuulſio à principio poteſt celebrari.

Omiſit Auicennas hoc loco venam illam, quæ ad naſi pinnam reperitur, vena leporis à nonnullis vocata, quam tamen ſecãdam eſſe, ſen quarta primi cap. 20. in quibuſdam capitis affectibus dixit; cuius quoq; meminit Celſus lib. 2. cap. 20. dicens ſecandam eſſe in phrenitide.

Cæterum Auicenna (vt omnia diuertendi inſtrumenta in hoc affectu habeantur) dicit venas à lateribus capitis eſſe detegendas, & ſecãdas ſi opus fuerit, quæ vbi non ſatis pateant, quò ſecari poſſint, ad cucurbitas recurrit, quas ex Arteſagori cuiuſdam conſilio proponit, & ad tria alia præſidia recurrit, quibus ex toto dolor capitis auferri queat.

Poſita igitur cucurbita ſatis magna ad primam vertebræ regionem, cuteq; nouacula ſecta, ex qua multus exeat ſanguis, non ceſſante dolore, primò vult, vt inſpergatur ſal ſupra vulnera facta, eoq; fricentur, vt excitato in hac parte dolore ceſſet capitis dolor, attracto nempe ob dolorem à capite humore; vultque deinde eaſdem ſectiones oleo oliuarum iniungi, vt apertæ ſeruentur, à quibus humiditates exire valeant, & à capite educi.

Tertium medicamentum eſt aliquod corroſiuum, quod vlcus ad collum poſſit inducere, quemadmodum ſunt veſicatoria, quæ etiã applicari præcipit vulneribus factis, vt maiori inducto dolore ad has partes, poſſit caput liberari: quod medicamenti genus omnibus capitis doloribus rebellibus, vt ipſe inquit, à materia fraudulenta ortis, quàm maximè proficuum eſt: hęc Auicenna, ex quibus omne genus diuerſionum non modò in hac ſpecie cephalagiæ habemus, ſed & in omnibus alijs proficuum.

## DE CVRATIONE DOLORIS

*Capitis ex ſanguine nati per medicamenta localia.*

Venio ad localia medicamenta, à Raſi noſtro propoſita, quæ eandem habent reprimendi intentionem, cum tamen ſecundum longè validius ſit primo. In principio inflammationum reprimendum eſſe, & qua opportunitate id faciendum ſit, vobis in vteri inflammatione demonſtrabo, vbi dicã ex Gal. ſententia in principio, hoc eſt in inſultu morbi, prorſus eſſe reprimendum, atq; in principio principij; nam quemadmodum tempora morborum vniuerſalia, nempe principium, augmentum, ſtatus, atq; declinatio ſuas habent partes; ita quoq; & tempora particularia.

In principio igitur principij cephalalgiæ ſãguineę Raſis medicamenta proponit repercutientia, vt materia prohibeatur ferri in cerebrum, quod eſt membrum præcipuum: oportet igitur omni curare ingenio, vt ſanguis recurrat, vnde

de venit, quod conſequimur per medicamenta propoſita.

Primum eſt diuulgatiſſimum medicamentum ex roſacea aqua, oleo roſato, & aceto conſtans; doſis eſſe conſueuit in hunc modum.

℞. Aquæ roſ. vnc. iij.
Olei roſ. vnc. ij.
Aceti, vnc. j. m.

Vel ſic.

℞. Olei roſ.
Aquæ roſ. ana vnc. j.
Aceti, vnc. ß.
Miſce pro oxyrhodino.

Modus vtendi eſt, vt lintea intus immergantur, deinde capiti applicentur potiſſimùm ad ſinciput ad regionē ſuturæ coronalis, per quam, & per oſſis raritatem faciliùs virtus medicamenti permeabit.

Addit Raſis medicamentum actu gelidum, & per niuem refrigeratum debere applicari, quod dictum ſano modo intelligendum venit; nam aliquid in hoc caſu regioni, tempori, & conſuetudini condonandum eſt, & totius corporis habitu; iſtæ enim conditiones ſemper intelligi debent in medicina facienda.

Quare ſi æſtas ſit, regio calida, corpuſq; quadratum, quod capite detecto ſæpe conſueuerit permanere, huic facilè refrigeratum niue medicamentum ex vſu eſſe poterit. Idem Gal. 1. de comp. med. localium, cap. 1. ſcribit de niue, ſed id agendum tempore æſtiuo calido, regione calida, &c. Aetius tamen ſemper vult oxyrhodinum calidum applicandum eſſe.

Aliud medicamentum validius reprimens ſunt ſemina althææ in mortario contuſa, ſimulq; cum aceto incorporata ea ratione, vt reſurgat emplaſtri forma, quod extenſum ſuper linteum capiti ſuperponatur.

Gal. proponit ſemperuiui ſuccum, portulacæ, lactucæ, polygoni, ſolani, & id genus; vt

A ℞. Succi ſemperuiui,
Portulacæ,
Lactucæ,
Polygoni,
Solani, ana vnc. j.

Miſce, & cum aceto, quantum ſufficit, fiat linimentum. Meſues quoque cap. de ſodâ à ſanguine proponit hoc remedij genus.

B ℞. Olei roſati,
Violati,
Aceti,
Succi agreſtæ, ana vnc. j.
Camphoræ, drach. j. miſce.

Aliud quoq; ex pſyllij mucagine cũ aceto paratum hoc in caſu probatur.

Eſt tamen animaduertendum, quod pſyllium duplicem habet partem, corticem nempe, atq; medullam: cortex eſt frigidus, ac humidus, medulla autem

C ſummè calida, ac cauſtica, ideo ad mucaginem faciendam ſolum corticem accipere conuenit, qua mucilagine perfecta ea cum aceto admiſcenda venit, atq; emplaſtrum efformandum.

Inſuper notandum ex Auicennæ, & Gal. conſilio opus eſſe in hac affectione à ſanguine ortum ducente, ſemper aliquid admiſcere medicamēti, quod adſtrictionis facultatem habeat. Idem præ-

D cipit Nicolaus Florentinus, quò facilius reprimat, & caput corroboretur.

Auicenna eodem loco, hoc eſt, fen. 1. 3. tr. 2. cap. 11. admonet, vt medicamenta localia ſint ſicca potiùs virtute, quàm humida, ne ſanguinem ad putreſcendum diſponant: hinc ſuccum granatorum commendat, ſuccum berberis, pyrorum, cotoneorum.

Vel

E ℞. Fol. plantag.
Arnogloſſi,
Herbæ paſtoris,
Salicum,
Contunde, &
Succum extrahe.

Sed quemadmodum Raſis curationē præſcribit doloris capitis à ſanguine in prin-

principio, ita quoq; noſtrum erit eandē docere in augmento, ſtatu, ac declinatione. In his igitur morbi tēmporibus admiſcenda ſunt quædam, quæ diſcutiendi facultatem poſſideant, ac tenuium ſint partium, vt intus penetrare queant, quocirca prędictis oxyrhodinis admiſcemus tantam copiam olei chamæmelini, pro vt materia flaxa erit, & diſcutiendū veniet; modò enim diſcutientium doſis augenda, modò minuenda eſt; vt tandem in declinatione ſolis reſoluentibus vtamur.

In hoc ordine, exempli gratia, ſunt fotus, aut embrocæ ex ſeminibus altheæ.

Lini,

Fœnugreci,

Floribus chamæmeli, &c. Præſtat quandoque gallum viuum, vel columbam viuam in duas partes diuidere, & ſtatim iam calentes capiti applicare: & hæc eſt cura localis, quæ debetur cephalalgiæ ex ſanguine.

## DE CVRATIONE DOLORIS *capitis à ſanguine facti per diætam.*

RAſis propterea quod in alijs libris de victus ratione in vniuerſali in calidis, ac frigidis affectionibus ſatis abundè loquutus fuit, in hac parte ſe breuiſſimè expedit, ea tantummodo attingens, quæ ex cibis euitare debet ægrotus; nec non docens cuius facultatis eſſe debeant olera, & fructus, quibus nutriturus eſt; vnde ait, vt abſtineat ſe à carnibus, & vino: olera verò, & fructus ſint frigidæ qualitatis.

Sed vt exactam viuendi rationem habeatis conuenientem affectionibus hiſce à cauſa calida prouenientibus, declarandum nobis eſt, vt ſe gerere oporteat ægrum in omnibus ſex rebus non naturalibus neceſſariò nobis occurrentibus, inter quas aer primò examinandus eſt, qui in actiuis qualitatibus moderatus eſſe debet, magis tamen vergens ad frigidum, quàm ad calidum; in paſſiuis magis ad ſiccum, quàm ad humidum.

A Cubiculum propterea, quod Aquilonem reſpicit, optimum erit, à quo hominum turba arcenda venit: ſolum aqua lymphandum cum folijs, ac floribus ſalicis.

Vitis,

Arundinum,

Iuncorum,

B Nymphęæ,

Roſarum,

Et ſimilium.

Cauendum à fumo, à vento immoderato, ac ſtrepitu: ſi æger videatur diſpoſitus ad ſoporem, iubent ſcriptores, vt conclaue non careat lumine, ſed ſplendidum ſit: è contra verò ſi tendere videatur ad vigilias, vt obſcurum reddatur, melius exiſtimant.

C Cibus debet eſſe optimus, hoc eſt, minus mali ſucci, quamuis ſit frigidæ, & ſiccæ qualitatis, facilis digeſtionis: vt eſt panis tritus, aut in talleolas diuiſus cum pulli iuſculo dilutus, in quo ſimplicia huiuſmodi ebullire poſſunt.

Endiuia,

Lactuca.

Portulaca,

Atriplex,

D Spinachium,

Acetoſa,

Cichorium,

Malua,

Succus ptiſanæ eodem iure paratus.

Panis lotus in aqua, cui ſaccharum inſpergatur, optimus eſt.

Potus eſſe debet aqua ſimplex cum modico ſaccharo, vel hordeacea, vel cui ſuccus granatorum ſit admixtus.

E Necnon vinum tenue, quod oligophorum appellant, optimum eſt multa aqua dilutum.

In declinatione verò carnes pullorū conueniunt, gallorum teſtes, oua recentia, caro hœdina, vitulina, quę ſucco agreſtæ, vel limoniorū, vel aurātiorum ſit condita, vel ſucco granatorum: in fine

cibi

cibi concedit Raſis aliquos fructus, vt A funt.

Pyra,
Cotonia cocta,
Mala punica,
Pruna,
Ceraſa,
Cappares.

Cucurbitæ, quæ Genua huc conditæ ſaccharo veniunt, lactucæ itidem, lingua bouina, quę bugloſſa dicitur, pruna, & alij fructus conditi concedantur.

Aegrotans quieſcat animo, & corpore; proinde nuntia triſtia fugienda ſunt, & quæ ipſum ad irã mouere poſſint: de cũbat igitur vſq; ad declinationẽ morbi.

Somnus ſit moderatus, magis tñ dormiendum, quàm vigilandum; à ſomno enim humores, caloreadaucto, diſſipantur: à vigilia autem circumferuntur.

Euitanda præterea ſunt ex Gal. & C Auicenna locis citatis,

Oliuæ nigræ,
Eruum,
Semen viticis,

Lactis potio, & id genus, quæ dolorẽ capitis augere proprietate quadam poſſunt: ſic etiam crocus, quia ipſum auget, non conuenit.

Quod ſpectat ad inanitionem, oportet, vt inteſtina à fœcibus vacua ſint, ne D ex illis vapores eleuati in caput ferantur; quæ vbi à natura non expelluntur, opus eſt; vt educantur clyſteribus, quibus etiam fiat à capite reuulſio, vt

℞. Decoct. emollientis, lib. j.
Mellis roſati col.
Olei commmunis ana vnc. ij.
Diacathol. vnc. j. ſſ.

Cum ſale, quantitate ſufficienti, & vitello vnius oui, fiat clyſter.

Vbi validius, & magis abſtergens requiritur clyſma, addere poteſtis hieræ picræ Gal. vel logadij ad vnc. ſſ. vel bened. laxat. drach. iij. vel loco clyſmatum ſi neceſſe erit, vtemur aliquo lenitiuo, cuiuſmodi eſt hoc.

℞. Elect. lenitiui, drach. vj.

Caſſię nouiter extr. vnc. ſſ.
Pulpę tamar. extr. cum aqua endiuiæ, drach. j. cum ſacch. fiat bolus.

Vt verò fiat humoris à capite maior reuulſio, effici debent frictiones ad crura, & ad fœmora: licet quandoq; & cucurbitas applicare tibijs, atq; cruribus.

Et hæc eſt cura per diętam.

## DE CVRATIONE DOLORIS B *capitis à ſanguine producti per Pharmaciam.*

RAſis pauciſſimis proponit medicamentum ex myrobalanis citrinis, prunis, tamarindis; & ſaccharo albiſſimo; vt

℞. Myrobalan. citrin.
Prunorum damaſc.
Tamarindorum, ana vnc. ſſ.

Cum ſacchari quantitate ſufficienti fiat bolus.

Myrobalani verò, citrini potiſſimùm, facultatem habent educendi bilem, vnde conſueuerunt practicantes eas in cholericis febribus propinare.

Idem quoq; præſtãt tamarindi; ſiquidem authore Meſue lib. 1. cap. 7. ſunt cholagogi, & ex his medicamentũ ſimul cum prunis, & ſaccharo confectum, licet ſit ex genere medicamentorum, quæ benedicta nuncupantur; habet tamen vim, & facultatem educendi bilem.

Dicet aliquis videtur abs re proponi, cum ſanguis non poſſit educi, niſi ſanguinis miſſione, non per pharmaciam? hic autem agitur de cura ſodæ ſanguineæ.

Dicendum eſſe exiſtimo non fuiſſe E præter rationem hoc medicamentum, propoſitum, quandoquidem docente Auicenna, & Meſue cephalalgia à ſanguine nunquam fit, quin aliqua bilis copia admiſceatur: meritò igitur Raſis prope benignum hoc medicamentum proponit, quo educatur bilis portio, quę in ventriculo, & primis vijs continetur,

pro-

prohibeaturq; hac ratione in caput fer-ri: at medicaméti huius doſis fieri poteſt ad hunc modum.

℞. Decoct. prunorum coctorum in aqua ad ſimpl. coctionem, vnc. v.
Tamarind. pulpæ,
Cort. myrobal. ana vnc. j. infundantur per nocté, deinde facta forti expreſſione adde ſacchari q. ſ. fiat potio.

Sub forma boli.

℞. Pulpæ prunorum coctorum, vnc. j.
Pulpæ tamarindorum,
Corticum myrobalanorũ, ana vnc. ſſ.
Cum ſacchari q. ſ. fiat bolus.

Ad alterandum valet,
Syr. ex ſucco limoniorum,
Acetoſitatis citri,
Ex ſucco acetoſæ, &c.

Et quoniam in hac affectione, vt ſupra diximus, curandum omni ingenio eſt, vt aluus exoneretur, Auicéna tria proponit medicamenta: vnum eſt ius braſſicæ, hoc eſt, prima aqua decoctionis braſſicæ, ſed potiſſimum rubeæ: ſecundum eſt ius lentium, quæ ſint abſq; cortice; cortex enim aſtringendi potius, quàm laxandi facultate pollet: tertium eſt aqua, ſeu ius piſorum vſq; ad perfectam coctionem coctorum, quæ iura accipienda ſunt ſummo mane abſque condimento aliquo, ne natura ijs tanquam alimentis quibuſdam vtatur.

Et hęc ſatis dicta ſint de curatione cephalalgiæ ſanguineæ.

## DE CVRATIONE DOLORIS
### *Capitis à bile enati.*

CVratio huius affectionis, quoad diætam attinet, eadem eſſe fere debet, qualem ſupra in ſanguinea ſtatuimus, niſi quod ex Auicennæ præcepto victus magis ad humidum vergere oportet.

Circa pharmaciam Raſis breuibus ſe expedit, quia medicamentum ex myrobalanis, & tamarindis cum prunis, & ſaccharo iam dictum putat eſſe ſufficiés

A ab bilem educendam. Quomodo tamen curanda hæc affectio ſit ex Auicennę, & practicantium opinione aperire conabor.

In primis conſiderat Auicenna, num bilis admixta ſit ſanguini, nec ne? ſecundo ſi ſola à ſanguine ſecreta ſit, vult cótemplandam eſſe ſubſtantiam ipſius; an videlicet ſit tenuis, an craſſa? & ſi reperiatur bilis ſanguini admixta, ſanguis ſe-
B cta vena demendus eſt; ſin verò ſanguis non adfuerit, biliſq; ſit tenuis, nullaque adſit febris, medicamento purgante, ſed benigno vtendum eſt, quemadmodum eſt ſuperius allatum.

Neoterici practicantes alterandam eſſe dicunt bilem cum ſyrupis refrigerantibus; vt eſt
Syrupus de nenuphare,
De papauere,
C Oxyſacchara,
De citrio,
De limonijs,
De roſis,
De violis,
De intubo,
De granatis, &c.
Cum aquis endiuiæ,
Borraginis,
Portulacæ, &c. vt

D ℞. Syr. de nenuphare,
De papauere,
De oxyſacchara,
De citrio, ana vnc. ſſ.
Aquæ borraginis,
Portulacæ,
Endiuiæ, ana vnc. j.
Miſce pro ſyrupo.

Syrupus artificialis ad temperandam tenuitatem, & caliditatem bilis, & ad
E prohibendam ipſius generationem.

℞. Sem communium frigid. drach. ij.
Florum viol.
Nenupharis,
Roſarum, ana drach. j.
Fol. endiuiæ,
Scariolæ,
Lactucæ,

Por-

Portul. ana manip. ſſ.
Summit. papau. albi, vnc. ſſ.
Bull. in lib. iv. aquæ font. puriſs. ad conſumpt. mediet. hoc artificio, vt primùm bulliant ſemina, deinde folia, tertiò flores, colentur, & cum vino gran. ad vnc. iv. & ſacch. quantitate ſufficienti fiat ſyr. cuius ſingulo mane offerte ægrotanti lib. ſſ.

Facta hac præparatione ad validius medicamentum eſt properandum, quo eradicatiuè educatur vniuerſa bilis, quod ad hunc modum parari poteſt.

℞. Supradictæ decoctionis, vnc. iv.
Infunde rhabarb. elect. in talleolas diuiſi, drach. j.
Cinnamomi, gr. v.
Per duodecim horas, deinde facta forti expræſſione adde.
Elect. ex ſucco roſ. drach. ſſ.
Syr. viol. vnc. j. Fiat potus.

Si magis bolo delectetur æger, poterit hoc modo parari.

℞. Floris caſſiæ nouiter extractæ, vnc. j.
Rhabarb. ſubtiliter pulu. drach. j.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Si bilis craſſior fuerit, alterari oportet primum cum ſyrupis præparantibus, qualis eſt.

℞. Oxyſacch.
Syr. endiuiæ,
Acetoſæ,
Byzant. ana vnc. ſſ.
Aqua cichorij,
Endiu.
Acetoſæ, ana vnc. j. ſſ.
Miſce, fiat ſyrupus quinq; vicibus offerendus.

Auic. iubet deinde cum hiera picra eſſe educendam bilem è corpore, ſi fuerit imbibita in tunicis ventriculi, neque cedat medicamentis lubricantibus iam dictis, quæ niſi ſatis ſint, ad ſcammonium properat. Ad Auicennæ autem mentem tale eſſe poteſt.

℞. Syr. roſ. ſolut. vnc. vj.
Elect. roſ. Meſ. vnc. ſſ.
Miſce cum aqua acetoſ. fiat potus.

Sub forma boli.

℞. Diacatholici, drach. vj. vel vnc. j.
Hieræpicræ Galeni drach. iij. vel. vnc. ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Sub forma pilularum.

℞. Pilul. aggreg. ſcrup. iv.
Diagridij, gr. iv.
Fiant pilulæ num. vij. & aurentur.

Foreſtus, & Maſſarias proponunt pilulas aureas in hoc caſu, ſed hæ pilulæ ducunt pituitam, vt apud Nicolaum eſt legere, qui fuit earum inuentor.

Et hæc eſt formula.

℞. Pil. aurearum,
Aggregat. ana drach. j.
Diagridij, gr. iij.
Fiant pilulæ num. vij, & aurentur.

Expurgato corpore curandum eſt, vt refrigeretur, & incraſſetur bilis.

Interna ſub forma conſeruæ.

℞. Conſeruæ nenupharis,
Roſarum,
Acredinis citrij, ana vnc. ſſ.
Trium ſantalorum,
Diamargar. frigidi, ana drach. ij.
Requiei Nicolai, drach. iij.
Cum ſyr. violato, & de papauere fiat conditum, addendo fol. auri num. 4.
Doſis ſit ad vnc. j.

Sub forma tabellæ.

℞. Spec. triumſantal.
Margaritarum præp. ana drach. j. ſſ.
Philonij Romani, drach. ij.
Sacchari diſſoluti in aqua lactucæ, vnc. iv.
Fiat confectio in tabellis.
Doſis ſit ad drach. ij. aut iij.

Et hæc eſt ratio medendi in cephalalgia ex communi practicantium doctrina.

Modò accedo ad localia, quæ frigidæ, & humidæ virtutis eſſe debent, vt à principio humorem ad caput fluentem repellere poſſint, quemadmodum ſupra diximus; ſed in præſenti caſu maiorem reprimendi facultatem habere debent.

Quatuor olea proponit Raſis, quibus ſinciput, & frontem inungi iubet, quibuſue irrigationes fieri poſſunt. Ad nares quoq; ponenda præcipit oleum nenupharis,

Violarum,
De floribus ſalicis,
Cucurbitæ dulcis,
Simulq; camphoram,
Aquam roſaceam,
Salicis, &c.

Poteſt autem ex dictis huiuſmodi odoramentum parari.

℞. Florum nenupharis,
Salicis, ana vnc. ſſ.
Roſ. rub. drach. ij
Camphoræ, ſcrup. j.
Cùm aqua roſ. fiat paſta.

Vel bulliant omnia in aqua roſacea, vel excipiantur omnia trita cum tragacantho, aut gummi arabico, & fiat pomum odorandum.

Pro embroca.

℞. Fol. Lactucæ,
Portulacæ,
Semperuiui,
Salicis,
Vitis,
Viol. ana m. j.
Sem. fœn.
Lini ana drach. j.
Florum chamæmeli, p. j.

Bulliant in ſufficienti quantitate aquę ad tertias.

Pro deriuanda materia ad nares.

℞. Succi betæ,
Maluæ, ana vnc. ſſ.
Aquæ hordei, vnc. ij. m.

Vel

℞. Aquæ hordei, vnc. ij.
Sacchari vel mellis, vnc. j. ſſ.

Vel

℞. Lactis aſinini, vnc. iij.
Diagridij, gr. v. m.

Sternutatoria quædam etiam conueniunt, quę pulueribus quibuſdam fiunt, vt ſunt piper, & nigella, quibus in materi à frigida admiſceri poteſt puluis

A roſarum, inde ad nares apponantur.

Gargariſmata.

℞. Aquæ hordei, vnc. iv.
Syrup. acetoſi ſimpl. vnc. ij. miſce.

Maſticatoria ſimplicia.

Charta,
Maſtiche,
Cera flaua.

Compoſita.

℞. Maſtiches, drach. j.
B Rhabarb. drach. j. ſſ.
Paſſularum, vnc. j.
Pulpæ caricarum, vnc. ſſ.
Cum cera, quantum ſufficit, fiat maſticatorium.

Pro craſſa bile attenuanda.

℞. conſeruæ roſarum,
Acredinis citrij,
Borraginis, ana vnc. j.
C Spec. diarrhod. abb.
Trium ſantal.
Diamarg. frig. ana drach. j.
Syr. de ſucco acetoſæ, quantum ſufficit, addendo foliorum auri, num. iiij.
Fiat conditum.

Tabella.

℞. ſpec. diarrhod. abbatis.
Trium ſantal.
Pulueris roſarum, ana drach. j.
Sacchari diſſoluti in aqua borraginis
D vnc. iiij.
Fiat confectio in tabellis.

At ſi dolor his non cederet medicamentis, ſed potiùs augeretur, ad opiata refugiendum eſſe nos docet Raſis; dicens accipiēda eſſe opij, camphoræ ana gr. ij. in oleo ſalicis; quod effundi vult in nares, & aures: hoc tamen non niſi maxima vrgente neceſſitate hiſce partibus vtendum; eo quod ad ſtuporem partes deducere poſſit.

E Hodie in vſu ſunt,
Philonium perſicum,
Philonium Romanum,
Athanaſia,
Zazenea,
Requies Nicolai,
Triphera magna.

In

In maximo autem dolore poſſet parari irrigatio, hæc.

℞. Flor. viol. ſiccarum.p. ij.
Corticis papau. albi,
Mandrag. ana vnc.j.
Sem. lactucæ,
Hordei excor. ana vnc. j.
Bull. in ſuff. aqua, quoad aqua rubra fiat.

Verùm quia ſolet induci ſtupor à dictis medicamentis,ne is fiat,tale prodeſt B medicamentum.

℞.Caſſiæ ligneæ pul. drach. j.

Quę cum oleo miſceatur,& in nares, vel aures immittatur,cui ſi ſtupor factus eſt, adde caſtorei drach. ſſ. croci ſcrup. j. ac diſſoluantur omnia cum oleo.

## DE CVRATIONE DOLORIS *Capitis à pituita producti, per victus rationem.*

A Vthor noſter breuitati ſtudens, quippe qui repetere non vult ea, quæ iam premiſit circa vniuerſalem victus rationem in affectibus tam calidis, quàm frigidis,duo dicit eſſe facienda, vnum eſt, vt corpus medicamento valido, nempe pilulis cochijs expurgetur, deinde medicamentum locale capiti applicandum proponit, vel naribus apponendum.

Sed cum hac cautela; nam dolor,vel paruus eſt, nec multum vrgens, vel vehemés admodum, in primo affert vnum genus medicamenti, in ſecundo aliud.

Quæ quidem antequam à nobis in medium afferantur, decreuimus eá curationem in primis afferendam eſſe,quę ex Gal. Auicenna, & cómuniter à practicantibus in huiuſmodi affectu, & in omnibus alijs à pituitoſa materia ortis præſcribitur.

Gal. igitur de comp. med. per loca cap. 2. victus rationem, & alterantia medicamenta calida eſſe debere inquit, attenuandiq; & abſtergendi facultate præditá,quandoquidem tria hæc præſidia indicantur à materia pituitoſa, hoc eſt, vt frigida caliditatem, vt craſſa vim attenuandi, vt glutinoſa, & lenta abſtergendi, & exiccandi vires in medicamentis deſiderat.

Primò igitur aer nobis conſiderandus eſt,qui calidus ſit,non tamen excedens: in paſſiuis verò tendat quàm maximè ad ſiccitatem,at vbi natura non fuerit eiuſmodi, arte paretur cum calefacientibus, & exiccantibus, ideſt, igne ex lignis quercûs,iuniperi,pini,ac ligno aloe.

Quo ad cibum ſpectat, ac potum;panis in primis benè coctus eſſe conuenit, egregiè fermentatus; biſcoctus quoque optimus cenſetur, qui ſale conditus ſit, aniſatus, aromatizatus melle, pipere, cinnamomo,zingibere,vel ſaccharatus, qui magis exiccat, & minus alit.

C Carnes quoque optimæ laudantur, quæ ſint boni ſucci,faciliſq; digeſtionis: magis aſſatæ, quàm elixæ proficiunt.

Vt gallorum iuniorum.
Gallinarum,
Caponum,
Turdorum,
Merularum,
Turturum,
Hœdi,

D Quæ ſi aliquando elixentur,cum illis ebullire oportet talia ſimplicia, quæ calefaciendi, & exiccandi facultatem habent, vt

Folia ſaluiæ,
Hyſſópi,
Maioranæ,
Satureiæ.

Quæ etiam aromatibus quibuſdam condiri poſſunt, vt ſunt

E Zingiber,
Cinnamomum,
Piper,
Macis,
Nux muſcata,
Sasfras.
Caryophylli.

Salſamenta verò conueniunt.

Tamen inedia huic affectui maximè prodeſt.

Vinum nondum expurgato corpore tenue, ac pauciferum eſſe debet, aqua cinnamomi, vel aniſorum cum ſaccharo, ſi potiſſimum caput fuerit debile, ac infirmum ab omnibus probatur.

Clariſſimus Mercurialis lib. 1. de cap. aff. 1. videtur adnotare contradictionem inter Raſim, & Trallianũ, quia Raſis concedit vinum generoſum, ipſum prohibet Alexander. Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 12. ſcribit, quod competit, & iuuat in hac affectione vinum odoriferum: ſed quod magis eſt, addit illi ſemina calida, vt ſunt apij, cumini, & id generis.

Pro ſolutione dices à principio non eſſe concedendum vinum; ſed benè cõpetit expurgato corpore, quæ reſponſio veriſſima eſt. Sed dicerem Raſim, & Auicenn. concedere vinum generoſum in dolore capitis ex intemperie frigida ſine materia.

Motus debet eſſe validus, quantum fieri poteſt, ſiquidem calefaciendi, atque exiccandi miram facultatem habet, qua propter equitatio prodeſt, & ambulatio per loca montuoſa.

Vigiliæ magis proficuæ ſunt, quàm ſomnus; & tandem quæ calefaciendi, & exiccandi facultate pollent, vt ſunt animi affectiones ad iram prouocantes, nõ ad mœrorem, & triſtitiam, & huiuſmodi. Aluus mouenda eſt, ſi non fluat, clyſtere eiuſmodi.

℞. Fol. mercurialis,
Bis maluæ,
Parietariæ, ana m. j.
Saluiæ,
Maioranæ, ana m. ſſ.
Sem. carthami, vnc. ſſ.
Bull. in ſufficienti quantitate aquæ ſecundùm artem, &
℞. Huius decoct. lib. j
Diaphœnici, vnc. ij.
Mel. roſ. colati, vnc. iij.
Ol. Chamæmeli,
Ol. anethini, ana vnc. j. ſſ.
Cum ſale, & vitello oui, fiat clyſter ſecundùm artem.

Pro ſuppoſitorio.

℞. Mel. deſpumati, vnc. j.
Trochiſ. alhandal, drach. j.
fiat ſuppoſitorium.

Et hac victus ratione prohibetur humoris pituitoſi generatio, eiuſq; iam geniti, & in parte firmati abſumptio, & exiccatio.

### *DE CVRATIONE DOLORIS capitis à pituita per Pharmaciam.*

Medicamenta ad duo reſpicere debent, vnum eſt, vt præparetur humor ad eductionem, alterum, vt ipſum iam præparatum educat; pituita enim etſi indicet ſui ablationem per medicamentum purgans, quia tamen humor eſt lentus, viſcidus, craſſus, ac frigidus, difficile mobilis, non poteſt extra corpus educi, niſi prius attenuetur, incidatur, tergatur, ac calefiat, ideo vtendum eſt per aliquot dies medicamentis, quæ has habeant facultates.

Hæc verò duobus modis parari conſueuerunt, aut in forma ſyruporum, aut apozematum, de quibus abundè loquutus eſt noſter Raſis in 3. lib. ad Almanſ. atq; in continenti, qui ne repetat ea, quæ dixit, proponit purgans medicamentum. Saxonia hoc in loco admonet, vt quando vrget maximè dolor, abſq; alteratione purgetur corpus.

Sed ad alterantia primum deuenire nobis conuenit, quod ea nondum intellexiſtis. Ad ſyruporum rationem pertinent in primis leniores, qui ſunt debilis actionis, vt eſt

Oxymel ſimplex,
Mel roſaceum.
Syr. acet. ſimplex.
Valentiores ſunt
Syr. de hyſſopo,
Oxymel ſquill.

Oxy-

Oxymel. compoſ.
Syr. è ſtæcade,
De duabus rad.
De quinque rad.
Byzantinus,
De bettonica cōp.
Aquæ capitales.
Hyſſopi,
Bettonicæ,
Saluiæ,
Maiorane,
Pſyllij,
Meliſſophyli.
Cum quibus parari debent ſyrupi mane ægrotis offerendi.

Apozemata fiunt.

Ex Radicibus apij,
Petroſelini,
Fœniculi,
Aſparagi,
Cichorij,
Pimpinellæ.
Folijs Maioranæ,
Saluiæ,
Serpylli,
Origani,
Pulegij,
Seminibus fœniculi,
Aniſi,
Seſeli, ſeu
Sileris montani.
Aromatis cinnamomo: nuce muſcata.
Bull. omnia ſecundùm artem in ſufficienti quantitate aque ad ſecundæ partis conſumpt, colentur, &
℞. huius decocti, vnc. iiij.
Syr. de bettonica, vnc. ij. quo vtendum eſt ſingulo mane, quo vſq; præparata ſit materia.
Tuſſignanus lib. Recept. cap. proprio proponit apozema quoddam partim alterans, partim ſoluens.
℞. Fol. Saluiæ,
Stœchados,
Lauri,
Calamenthi,
Hyſſopi,
Origani,

A Sampſuci,
Menthæ, ana m. j.
Rad. Acori,
Petroſelini,
Fœniculi,
Aſparagi, ana vnc. ſſ.
Sem. cumini,
Apij,
Aniſi,
Cubebarum,
B Paſſul. mund.
Granorum pini, ana drach. ſſ.
Sem. pœoniæ, ana drach. j. ſſ.
Spicæ,
Cinnamomi,
Piperis,
Liquiritiæ,
Calami aromatici,
Caryophyllorum, ana drach. ſſ.
Capparum, ana drach. iiij.
C Vt verò ſolutiuus fiat, adde.
Sem. carthami,
Hermodactylorum,
Radic. polypodij, ana vnc. ſſ.
Agarici, drach. vj.
Salis gemmæ, ſcrup. ſſ.
Turbith, drach. ij.
Hęc poſtrema in petia ligentur linea, atque ebulliri permittantur cum rebus prædictis, deinde facta expreſſ. cum mel
D le, & ſaccharo quantitate ſufficienti fiat ſyrupus.
Vbi præparata fuerit materia medicamentis educatur. A Raſi noſtro proponuntur pilulę cochiæ, ex agarico, fœtidæ, ſine quibus eſſe nolo, & alephanginæ; quarum aliæ ſunt eradicatiuæ, alię minimè, itaq; pilulæ hoc modo præſcribi poterunt.
℞. pil. cochiarum, de hiera cum agar.
E ſine quibus, ana ſcrup. ij.
Trochiſc. alhandal, ſcrup. j.
Cum cathar. roſ. f. p. nu. 7. & aurẽtur.
Sed quia non omnes poſſunt pilulas deglutire, hinc poteſt parari potio ad hunc modum.
℞. Mellis. roſ. ſol.
℞. Syr. de polypodio Domini Auguſtini,

ni, ana vnc. iij.
Diacarthami, vnc. ſſ.
Cum aqua bettonicæ fiat potio.
Vel
℞. Fol. bettonicæ,
Saluiæ,
Satureiæ, ana manip. ſſ.
Rad. petroſelini,
Apij, ana vnc. ſſ.
Sem. aniſorum,
Fœniculi, ana drach. i.
Bull. in aqua ſecundum artem
℞. Decoct. vnc. iij.
Agar. drach. j. ſſ. inf. & facta forti expreſſ. adde
Diaphœnici, drach. ij.
Diacatholici, drach. vj.
Miſce, fiat potio.
Vel
℞. Myrobal. emblic.
Indorum, ana drach. j.
Fol. Senæ,
Paſſul. ana vnc. ſſ.
Florum ſaluiæ,
Bettonicæ, ana p. ſſ.
Fiat decoct. ſecundùm artem.
℞. Decocti, vnc. iiij. infunde.
Agarici drach. j. ſſ.
Salis gemmæ, ſcrup. ſſ.
Per 24. horas, deinde facta forti expreſſ. diſſolue.
Syr. roſ. ſol. comp. vnc. v.
Elect. de pſyllio, drach. ij. fiat potus.

Hiſce medicamentis, ac medendi via ſperare licet dolorem curatum iri. Si tamen ea non ſufficiant, ad ligni ſancti decoctionem eſt properandum, quę parari poteſt cum ſarſa parilla, ligno ſaſſafras, quod habet rationem vehiculi, & paſſulis. Pro potu paretur ſecunda decoctio. Singulaq; hebdomada repete aliquod ex medicamẽtis iã dictis, pręcipuè pilulas, quouſq; dolor ablatus fuerit.

Sed quoniam clyſteres, & balani ſolent inhibere, ne feratur materia ad caput ipſam deorſum retrahentes, idcirco primò clyſmata proterunt ad hunc modum parari.

A ℞. Fol. altheæ,
Maluarum,
Mercur. ana manip. j.
Betton.
Iuæ artheticæ, ana manip. ſſ.
Rad. Petroſelini,
Eryngij, ana vnc. ſſ.
Agarici, drach. iiij.
Fiat decoctio ſecundùm artem, &
℞. Decoctionis, lib. j.
B Mellis roſ. col. vnc. iij.
Diaphœnici, vel diacarthami, vel bened. laxat. & huiuſmodi ad vnc. j. miſce pro clyſtere.
Vel
℞. Maluæ,
Althęę,
Caul. rub.
Flor. ſtœchad.
Chamęmeli,
C Meliloti,
Mercurialis, ana manip. j.
Furfuris in petia ligati, manip. ij.
Fiat decoctio, ſecundum artem.
℞. decoct. lib. j.
Caſſiæ,
Hieræ picræ.
Sacchari rub. ana vnc. j.
Salis, drach. j.
Olei communis, vnc. iij. miſce.
D Balani, ſeu glandes, quæ aliqua polleant acrimonia, debent parari, vt
℞. Agar. drach. ij.
Salis gemmæ, drach. ſſ.
Cum melle deſp. fiat glans.

Præterea partibus externis adhibeantur frictiones ſatis validę ieiuno ſtomacho linteo quodam aſpero à ſcapulis ad pedes vſque; quibus ſperare licet materiam à capite auerti poſſe. Vtendũ E etiam eſt ligaturis, ac cucurbitis, quæ eodem modo materiam in caput repentem retrahunt.

Venio modò ad cauſam coniunctam, nempe ad materiam in capite collectã, quę per inſenſibiles ductus euacuanda, atq; per propinquiores partes deriuãda eſt, ad nares ſcilicet, & aures ſecundùm no-

noſtrum Raſim; vel ſecundùm Auicennam, & alios ad os, & palatum.

Vt verò hiſce ſatisfiat intentionibus, proponuntur oleum ſambucinum, & oleum de ben: primum rarò in vſu eſt, quod noſtra lingua intelligitur eſſe óleum ſeſaminum, quemadmodum notat Herculanus in commẽtario, quòd calefaciendi, & exiccandi facultatem habet: oleum verò de ben appellatur oleum moſchelinum.

Sed longè differt oleum ſambucinũ ab oleo ſeſamino, neq; oleum de ben eſt oleum moſchelinum; nam iſtud oleum deſcriptum eſt à Nicolao; oleum autem de ben eſt illud, quod balaninum vocant, quare Herculanus non rectè eſt Raſim interpretatus in hoc: Ad hæc oleum hiaſminum, ſeu de zambach dolorem capitis à materia frigida mitigat.

His oleis inunctiones, & irrigationes capiti fieri debent; nec non naribus obijci oportet ad aperienda foramina ad oſſa ethmoidea, quæ ex multitudine, & fortè craſſitie pituitoſæ materiæ ſunt obſtructa, vt ſi natura vellet per hanc viam expellere, id facilius, ac citius conſequi poſſet.

Deinde ea, quæ odorata ſunt, naribus offerenda vult, ſcilicet algaliam, quàm galliam muſcatam vocant, quæ maximo odore redolet, quod moſchũ, & ambram contineat.

Tandem ſi dolor multum infeſtauerit, ad validiora recurrendum eſſe docet, nempe ad euphorbium, & caſtoreum, cuius doſis ſingulorum ſit ad drach. j. quæ diſſoluta cum pauca olei iam dicti quantitate immitti poſſit in nares, & aures.

Hæc Raſis curandi, & medicamentorum ratio, quam morbus deſiderat, intentionem habet.

Sed à Neotericis ad materiam hanc à capite deriuandam proponuntur ſternutatoria, errhina, naſalia, apophlegmatiſmi, gargariſmata,

Sternutatoria alia ſunt leuiora, alia

A valentiora: priora ſunt aqua, vel ſuccus maioranæ.

Succus fol. betæ.

Valentiora,

Pulu. piperis.

Strutij,

Ellebori albi cum ſucco bettonicę.

Meliſſophyli,

Rutæ.

Errhina.

B ℞. Succi betæ cum melle ebulliti, & repurgati ad lib. ſſ.

Poteſt per nares paulatim attrahi.

Vel

℞. Succi maioranæ,

Betæ, ana vnc. j. ſſ.

Vini albi, vnc. j.

Zingiberis,

Pyrethri, ana ſcrup. j. miſce.

Sternutatorij formulæ.

C ℞. piperis,

Pyrethri, ana drach. j.

Fial puluis naribus immitendus.

Vel

℞. Colocynthidos,

Ellebori, ana vnc. j.

Caſtorei, drach. ſſ.

Nigellæ,

Sinapis,

Piperis, ana ſcrup. ij.

D Fiat puluis vt ſupra.

Gargariſmatis formula.

℞. Hyſſopi, pug. j.

Saluiæ,

Thymi, ana manip. ſſ.

Fiat decoct. ſecundùm artem cui addito.

Oxymellis ſquillit. vnc. iij.

Miſce pro gargariſmate.

Apophlegmatiſmi formulæ.

E ℞. Maſtiches, ſcrup. iiij.

Pyrethri, ſcrup. j.

Cũ oleo amygd. dulc. fiant morſelli.

Vel

℞. Piperis longi,

Nucis muſcatæ, ana, drach. ſſ.

Sem. ſtaphidis agriæ,

Pyrethi, ana ſcrup. ij.

Sinapi,
Origani, ana ſcrup. j.
Fiat omnium puluis, & cum cera paſtilli maſtichatorij componantur.

Ad idem valent.

Diatriumpipereon,
Theriaca,
Mithridatium,
Diazingiber,
Diapyrethrum,
Diacaſtoreum,
Aurea Alexandrina.

Inter ea, quæ per nares, & palatum ducunt, placet ſummopere tabaccus, ſeu herba regina, cuius tam radix, quã folia valent pro maſticatorijs faciendis, & gargariſmatis, nec non eiuſdem ſuccus. Sed maximè ad ſuffimigium faciendum, quod inter mancipia familiariſſimum eſt.

Præſtat etiam, & radix cucumeris aſinini, panis porcinus, qui & cyclamen dicitur, ad naſalia facienda.

Pulueres.

Nigellæ,
Galbani,
Piperis,
Pyrethri,
Sinapi,
Et ellebori nigri,

Poſſunt fieri validiores, ſi infundantur in aquam vitæ, oxymellite excipiantur, aut cum cera ita ſubigantur, vt fiant veluti exiles glandes, quæ in nares indantur.

Cæterum quod ad ea medicamenta attinet, quæ humorem pituitoſum per inſenſibiles meatus cutis euacuare ſunt apta, à neotericis multa proponuntur inter ſe formula diuerſa, vt ſunt embrocæ, fotus, ſeu fomenta, ſacculi, puluis capitalis, lotio capitis, vnguenta, emplaſtra, cerata, orbiculus odoratus, & id genus, quæ capiti adhibita pituitam euacuant, caputq; roborant.

Incipiamus ab vnguento, cuius formula eſt.

℞. Maioranæ,

A Bettonicæ,
Piperis ſubt. pul. ana ſcrup. j.
Euphorbij, gr. v.
Olei irini,
Rutacei, ana vnc. ſſ.
Miſce, & cum cera quantitate ſufficienti, fiat vnguentum.

Vel

℞. Euphorbij,
Pyrethri,
B Piperis,
Hyſſopi,
Calaminthæ.
Coſti,
Caſtorei,
Glutinis,
Opopanacis, ana drach. iij.
Styracis, drach. j.
Cum cera, & oleo caſtorei ſecundùm artem fiat vnguentum.

C Hiſce frons, ſinciput, tempora inungantur.

Olea ad idem facientia ſunt
Oleum chamæmeli.
Anethi,
Liliorum,
Rutaceum,
Coſtinum, & id genus.

Embroca autem fiunt ex.
Floribus chamæmeli,
D Seminibus lini,
Flor. ſtæchados,
Rad. cyperi,
Fœnugræco,
Fol. rutæ,
Hyſſopi,
Sampſuci,
Lauri,

Ex quibus fit decoctum, quo irrigationes ex alto cadentes fieri poſſunt: ac E ſpongiæ intus infunduntur, & ita madidæ capiti applicantur.

Ad idem facit columbarum, aut gallorũ ſtatim per medium ſectorum capiti applicatio.

Sacculi ex vna parte milij torrefacti, & dimidia parte ſalis, quibus furfur addi poteſt ad maiorem exiccationem.

Vel

Vel ſic conficiuntur.

℞. Fol. rutæ,
Hyſſopi,
Serpylli,
Sampſuci, ana manip. j. ſſ.
Bettonicæ,
Stœchados.
Roſ. rub. ana manip. ſſ.

Cucuphæ fiunt ex ſequentibus.

℞. Meliſſophyli,
Sampſuci,
Bettonicæ,
Pulegij, ana manip. ſſ.
Cocci infectorij, drach. ij.
Macis, drach. j.
Abſynthij ſicci, manip. ſſ.
Florum anthos,
Stœchad. ana pug. j. ſſ.

Fiat omnium tritura, & componatur cucupha pro capite.

Pulueres capitales ſunt huiuſmodi.

℞. Sampſuci,
Stœchad. ana p. j.
Macis,
Caryophyllorum,
Calami arom. ana drach. ij.
Spicæ,
Lauendulæ, ana pug. ſſ.

Fiat puluis ſubtiliſſimus.

Balnea quoque ad idem fiunt ex rebus eadem facultate præditis, vt

℞. Baccarum lauri fractarum,
Sem. fœniculi, ana vnc. ſſ.
Fol. meliſſæ,
Origani,
Saluiæ,
Bettonicæ,
Maioranæ, ana manip. j.
Florum meliloti,
Stœchados,
Chamæmeli, ana p. j.

Fiat decoctio, vel in aqua, vel vino, vel infundantur hæc ſimplicia in lixiuio, & caput abluatur, cum hac tamen animaduerſione, vt caueamus à lotione, vbi catarrhi adſit periculum.

Sed præter iam dicta ſolet componi orbiculus quidam, vel pila appellata, A quæ naribus admoueatur.

℞. Baccarum lauri,
Sampſuci,
Corticum, & fol. citrij.
Fol. rutæ,
Stœchados;
Hyſſopi, ana ſcrup. ij.
Moſchi,
Ambaris, ana gr. ij.
Styracis calamitæ,
B Ladani,
Ligni aloes,
Maſtiches,
Corticum thuris,
Spicæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Moſchi, ana ſcrup. ſſ.

Cum ſucco maioranæ, & cremore tragacanthi fiat pomum.

C Et hæc ſatis dicta ſint de curatiua methodo, quæ debetur cephalalgiæ à pituita ortùm ducentis: propero modò ad eam, quæ à melancholico producitur humore, qua in re licet Raſim ſequi propoſuerim, tamen ipſum non ſequar in omnibus, quia multa ſtudio omiſit, quæ ex antea declaratis vult accipienda eſſe; quod tamen in præſenti ſupponere non debemus, ſed omnia à nobis declaranda D ſũt, vt omnium dolorum à quauis cauſa naſcentium cognitionem, & methodum curatiuam habeatis: & quamuis in tractatione, & capite de melancholia opus ſit afferre medicamēta illi affectui competentia, aliqua tamen hoc loco attingemus dolori potiùs ex melãcholica materia competentia, quàm melancholiæ ipſi.

## E DE CVRATIONE DOLORIS *Capitis à melancholia facti.*

Non minus dolor à melancholico humore tria medicinæ inſtrumēta requirit, ac faciant alij ſupradicti, quandoquidem, & ipſius cauſa antecedens, nec non coniuncta reperitur, quę

iiſdem auxilijs pro ſui ablatione eget; quæ in primis eò dirigi debent,ne affe-ctio increſcat; illa verò,quæ facta eſt, ex toto auferatur: non augebitur dolor, ſi cauſæ prohibeatur generatio, nempe humoris melancholici, & ille, qui geni-tus eſt, prohibeatur in caput ferri.

Hoc loci vos admonere volo, quod omnes Authores, & Auicenna potiſſi-mùm hunc capitis dolorem reponunt inter frigidos affectus, quia poſſe fieri volunt tam à naturali, quàm ab excre-mentitia melancholia, & alimẽtali, quæ humorum ſpecies ſuapte natura frigi-dæ ſunt naturæ (licet ab aduſta bile non modò capitis dolorem fieri exiſtiment, ſed ferina quoq; deliramenta) proinde ſub vno capite dolorem à pituita,& me-lancholia factum reponunt, quorum do ctrinam nos amplectimur.

Vt igitur prohibeatur humoris melã-cholici generatio,materia reſpicienda, eſt, nempe cibus, & potus, necnon ſex res non naturales.

At cibus optimi ſucci, & facilis co-ctionis eſſe debet, qualis in capite de dolore à pituita ortum ducente ſupra, diximus,proinde recurrite ad illud;nam omnia in omnibus repetere nugacitatis eſt ſignum, non doctrinæ.

Vinum autem expurgato corpore generoſum eſto, quod ſtomachum cor-roborare, nec non humorem melan-cholicum in caput delatum, ac firmum diſcutere poſſit.

Ratio tamen victus ad humidius pau lò vergere oportet,quòd hic humor ſic-cior ſit pituita.

Vt verò ille, qui in corpore iam ge-nitus eſt, prohibeatur in caput ferri,eua cuandus, & reuellendus venit. Si nimi-um in corpore adauctus fuerit, ſimulq; ſanguinem admixtum habeat, quoniam efficit vnam ſpeciem plethoricæ diſpo-ſitionis,per ſanguinis miſſionem eſt edu cendus: atqui ſi melancholicus humor fuerit abſq; ſanguine adaucto,cacochy-mia eſt, quæ purgationem indicat, & li-

A cet craſſus ſit, & difficilis, vt è corpore educatur, lenitiuo tamen vti poſſumus cum Petro Foreſto lib.9.obſ. 20. vt

℞. Flor:caſſ. noviter extr. drach. vj.
Confec.hamech: drach.iij.vel vnc.ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Vel

℞. Elect.lenit. vnc. j.
Diaſenæ ſolut. vnc. ſſ.
Miſce,cum ſaccharo fiat bolus.

B Formula clyſteris.

℞. Rad. altheæ,
Liliorum alb. ana vnc. ſſ.
Fol. Maluæ,
Bugloſſi,
Parietariæ,
Brance vrſ.
Borraginis,
Mercurialis, ana manip. j.
Prunorum damaſc. num. vij.
C Ficuum, num. v.
Vuæ paſſæ, vnc. j.
Sem. aniſi,
Fœnic. ana drach. ij.
Quatuor ſem. frig. mai. drach. j.
Florum chamæmeli
Meliloti,
Viol. ana pug. j.
Fiat decoct. in iure capitis veruecis.

D ℞. decocti huius, lib. j.
Caſſiæ extr. vnc. j.
Mellis viol.
Olei chamæmeli,
Violati,
Sacch.rubei ana vnc.j.fiat clyſter.

Vt autem materia pro purgatione præparetur, hic ſyrupus eſt egregius.

℞. Syr. epithymi,
de fumaria,
Oxymel.ſim. ana vnc. ſſ.
E Aquarum lupul.
Borrag.
Fumar. ana vnc. j. miſce.

Vel fiat apozema ad hunc modum.

℞. Rad. acori,
Cyperi,
Cort. rad. petroſel. ana vnc. j.
Fol. borraginis.

Fol. ſampſuci,
Meliſſæ,
Bugloſſi,
Betton.
Fumar. ana manip. j.
Sem. aniſor.
Fœnic. ana drach. j.
Florum anthos,
Borrag.
Bugloſſi,
Saluiæ,
Stœchados, ana pug. j.
Paſſularum, vnc. ij.
Myrob. indor.
Prunorum,
Tamarind. ana vnc.j.ſſ.
Bull. ad medietatis aquæ conſumpt. coletur, & ſecundùm artem cum melle, & ſacch. quantum ſufficit, fiat ſyrupus.

Sed quia humor difficilis eſt pręparationis, ſi opportunius videbitur ſenſim præparari, ſenſimq; educi, laxatiuum fieri poteſt apozema hoc modo.

Prædictæ decoct. vnc.iiij.inf.per noctem myrob. ind. vnc. ſſ.
Fol. ſenæ, drach. ij. & facta forti expreſſ. diſſolue.
Diaſenæ ſol. drach. ij.
Syr. de polyp. vnc. ij. miſce.

Quod apozema alternis diebus offerri poteſt, pro vt oportere videbimus: quod curationis genus maximè à Meſue commendatur lib. 2. cap.proprio.

At vbi educendus eſt vniuerſus humor vnica vice.

℞. Syr. de polypod. Auguſtini, vnc. v.
Confect. hamech. drach. iij. cum aqua fum. fiat potus.

Vel

℞. Rad. polypodij,
Acori,
Petroſelini, ana vnc. ſſ.
Fol. meliſſæ, ſeu meliſſophyli,
Borraginis,
Bugloſſi, ana manip. ſſ.
Seminum aniſorum,
Fœnicul. ana vnc. ſſ.

A Florum ſtœchados,
Bugloſſi,
Roſmarini, ana pug. j.
Cort. myrobal. indorum, drach. j.
Bull. in aqua ſecundùm artem, &
℞. decoct. huius, vnc. iiij. infunde
Pul. Senæ.ſ.p. drach. ij.
Rhabarb. drach. j. ſſ.
Facta forti expreſſione diſſolue,
Syr. ad melancholiam,
B de polypodio ſolut. ana vnc. iij.
Diaſenæ, drach. iij.
Fiat potio breuis.

Vel

℞. Syr. ad melancholiam Matthioli.
Magiſtri Auguſtini, ana vnc. iij.
Conf. hamech,
Diaſenæ, ana drach. ij.
Cum aqua lupul. fiat potus breuis.

Pro bolo.

C ℞. Diaſenæ ſol. vnc. ſ.
Conf. hamech. vnc. ſſ.
Cum ſaccharo quantitate ſufficienti fiat bolus.

℞. Diabaczamet, hoc eſt elect. ſenatum,
Diaſenæ Raſis,
Conf. hamech Meſ. ana vnc. ſſ.
Cum ſaccharo, quantitate ſufficienti fiat bolus.

Pilulæ indæ.
D Maſtichinæ,

De lapide lazuli in hoc caſu à Meſue commendantur.

Hac obſeruata curandi ratione ſperare licet futuram ſanitatem, quæ vbi vnica vice obtineri nequeat, ſecundam, & tertiam etiam purgationem repetere conuenit.

His peractis ad localem curandi rationem recurrendum eſt cum embrocis, E emplaſtris, balneis, cucuphis, alijſq; ſupra enarratis localibus, quouſq; cauſa coniuncta penitùs eradicata, ac reſoluta fuerit.

Sed embroeæ, & irrigationes, quæ fiunt in hoc dolore, debent habere aliquam humectandi facultatem cum caliditate, & partium tenuitate, v. g. pro

exemplo.

℞. Capitis caſtrati.
Fol. Meliſſæ,
Capill. veneris.
Bettonicæ,
Borraginis,
Maioranæ,
Saluię, ana manip. j.
Radicum bugloſſi,
Althęę, ana vnc. j.
Florum ſtęchados,
Meliloti,
Chamæmeli,
Roſarum,
Nymphææ, ana pug. ij.
Sem. anethi, vnc. j. ſſ.
Fol. ſenæ, vnc. ij.

Bulliant ſecundùm artem pro irrigatione, qua facta inunge totum caput his oleis.

℞. Ol. ſeſamini,
De zambach. ana vnc. ʒ. m.

Sed quoniam ex prędicta curandi ratione viſcera alimenta tranſmutantia, ac totius corporis nutritionem præparantia, & perficientia prauam quandam diſpoſitionē contrahunt, inſurgit ea corroborandi indicatio, cui ex Meſuei opinione ſatisfieri debet poſt purgationem, quia rectè viſcerum inſtaurationi haud poſſumus incumbere, niſi humore peccante euacuato.

Ad viſcera itaq; corroboranda proponuntur.
Conſeruæ anthos,
Stœchados,
Bettonicæ,
Saluiæ,
Enulæ, &
Aurea Alexandrina, vt
℞. Theriacæ veteris, ſcrup. j.
Conſer. ſaluiæ, drach. j. m.
Cum ſacch. fiat bolus.

Qui accipiatur quatuor horis ante prandium.

Theriaca ſola valet ad omnia membra vigoranda, quę vna cum modico vini, aut iuſculi ſumi poteſt.

A Et hæc eſt omnium capitis dolorum, qui à materia fieri conſueuerunt, curandi methodus, ſed cum non modò ab vno, ſed à duobus, vel tribus ſimul mixtis humoribus fieri non rarò contingat, eorum curatio à ſimplicibus deſumenda eſt, medicamentaque, vbi oportet, adeo ſimul admiſcenda veniunt, vt indicationibus ſatisfaciatis ſiue aduerſus cauſam antecedentem, ſiue aduerſus coniun-B ctam ſit pugnandum.

Ac ſi alterandum, ſyrupos etiā admiſcebimus, vt omnibus indicationibus ſatisfaciamus. Itidem vbi humor mixtus educendus veniat, admiſcenda etiam erunt medicamenta iam dicta, vt humores peccantes educi valeant.

Quoniam igitur exiſtimamus ex medendi methodo tradita non modò dolores capitis à ſimplici humore produ-C ctos, verùm hac regula ſeruata, & compoſitos curari poſſe, ne inutiliter quæ dicta ſunt, repetantur, dolorum ab humoribus variè mixtis naſcentium curationem conſultò prætermittimus.

Idem dicendum eſt de totius capitis dolore recenti, qui cephalalgia dicitur, & antiquato, qui cephalæa nuncupatur, ſoda ab Arabibus dicta, nec non de hemicrania, quæ eſt dimidiæ capitis partis D dolor, & de alijs capitis doloribus particularibus, vt eſt homonopagia, nēpe quartæ partis dolor; vel clauus, id eſt alicuius paruæ portionis capitis dolor in profundum capitis claui in modum penetrans; vel ouum, ſiue nux, & huiuſmodi, qui omnes cum ab ijſdem prorſus cauſis fiant, ac totius capitis dolor, exiſtimamus eum, qui decenter, & ritè ſciuerit curare totius capitis dolorem, poſſe etiam E omnes alios ex arte curare.

Sed quia nobis dictum fuit à vaporibus, & flatibus dolores excitari, nec non ex Auicennæ opinione aliquos fieri ex vermibus, eorumque cauſas ab humoribus emergi, ideo capita diſtincta de ijs non inſtituemus.

Adde, quod in morbis particularibus ab-

abdominis fumus de vermium eſſentia, generatione, & cauſis, & cura tractatu- ri: præterea nunquam, vel rarò ſaltem dolor capitis à vermibus fit ſuperſtite remanente ægro. conſultò idcirco prætermittimus de ijs verba facere.

Cum autem vapores, vel flatus procedant ab infernis ad caput, vel ipſimet generentur in capite, vt 1. de cõp. med. ſ. per loca, à Gal. ſcriptum eſt, ſi à partibus veniant infernis, præterquã quod ab aliquibus humoribus tanquam à minera eleuantur, qui alij eſſe nequeunt à prędictis, de quibus ſatis, ſpectat potius hoc caput ad dolorem per conſenſũ, quo de paulo inferius tractabitur: ſi verò in capite generentur cum localibus medicamentis iam allatis tolluntur ablata materia, à qua fiunt, & caput corroborato.

At qui ſi vapores à cauſis exterioribus prouenіant, ſunt conſiderandi in tractatione de dolore à cauſis exterioribus: quare his nunc prætermiſſis venio ad dolores excitatos ab intemperie abſq; materia, & primò à calida, quam abſq; humorum affluxu ſupponimus: & proinde ad cauſam coniunctam proſpicere oportet nulla antecedentis habita cõſideratione; vnde (vt vno verbo multa amplectar) victus ratione, & localibus tollenda venit.

Sed cum intẽperies ſimplex eſſe poſſit atq; compoſita: ſimplex, vt ſola caliditas: compoſita, vel cũ humiditate, vel ſiccitate, incipimus ab intemperie calida.

## DE CVRATIONE DOLORIS

### *Capitis ob calidam intemperiem.*

SI calida fuerit intemperies, victus ratio refrigerans eſſe debet.

Si compoſita pro qualitatis admixtione, ratione hac variari poteſt: ſi humida exiccantibus, ſin ſicca humectantibus frigida admiſcere oportet. Sed rarò ſola reperitur caliditas, quin ſecum adiunctam habeat ſiccitatem, rarius, quinimò nunquam humiditas calidi- tati iuncta, in hoc caſu reperitur, niſi cum materiæ affluxu.

Vbi igitur intemperies calida adſit, aer eligendus eſt ad frigiditatem vergens, qui niſi natura talis fuerit, arte paretur: inſpergatur aqua roſarum per cubiculum, aqua ſimplex, flores nenupharis, violarum, folia vitũm, nec non arundinum: pareturq; fons aquæ ex vaſe in aliud moderatè decidentis.

Quod ad ſomnum attinet, longè meli us foret ſomnus, quàm vigilia; longe melius quies, quàm motus. Animi perturbationes, vt ira, furor, mœror, & id genus, euitanda ſunt.

Excrementa alui ſingulo die exoneranda ſunt leuibus quibuſdam clyſteribus ex decoctione communi cum oleo, & melle violaceo, ſaccharo rubro, & vitello oui, & ſale.

Cibus refrigerans eſt optimus, qualis eſt panis in aqua madefactus, cremor ptiſanæ, carnes iam dictæ capite de ſanguinea cephalalgia: vna cum carnibus ebulliant,

Intybus,
Lactuca,
Portulaca,
Scariola.

Potus ſit aqua ſimplex, vel decocta, cui admiſceri poteſt aliqua vini granatorum quantitas, vel poſca, aut aqua acetoſæ, vel endiuię.

Piſces aliquot molles carnium ſaxatiles: in ſumma eadem victus ratio, quã præſcripſimus in ſanguinea cephalalgia competit.

Quod requiritur in localibus, eſt, vt in eis fit maior refrigerandi facultas, quòd nulla adſit materia, quæ poſſit in parte impingi, longèq; maior caliditas inde percipiatur.

Fiant proinde ex oleis irrigationes, atq; ex ſimplicium iam dictarum decoctione, qua & fomenta, & balnea fieri poſſunt, cucuphæ, emplaſtra, & id genus parari debent pro illa calida intemperie au-

auferenda, ideo oleum roſatum, oleum omphacinum, aqua roſata, acetum, vt ſupradictum eſt, egregiè ſatisfaciunt tũ pro oxyrhodino, tum pro irrigatione, ac fotu; pro quo etiam valet ſuccus mororum cum oleo roſato completo, in quo lintea infundantur, & madida ſincipiti applicentur.

Vnguentũ; quo inũgi poteſt ſinciput abraſis capillis hoc modo parari poteſt.

℞. Mucilaginis altheæ,
Pſyllij, ana vnc. j.
Olei roſ. omph.
Viol. ana vnc. ij.
Cum modico ceræ fiat vnguentum.

Cucupha autem, vel ſacculus parari conuenit.

Ex floribus nymphęæ,
Violarum,
Roſarum rubearum,
Lentibus contuſis,
Folijs lactucæ,
Portulacæ.

Capitiq; apponere. Sed ſi viridia fuerint hæc ſimplicia magis, conducũt, quibus hordeum contuſum cum cortice addendum.

Embrocationes verò, & balnea ex decoctione.

Fol. maluarum,
Althęæ,
Roſarum,
Florum nenupharis,
Nymphęæ,
Vitis,
Portulacæ,
Semperuiui, addendo ad maiorem penetrationem parum aceti.

Raſis noſter proponit egregiũ quoddam medicamentum, ſed opiatum, quo non niſi maxima vrgente neceſſitate, doloreque admodum infeſtante, meo iudicio, vtendum eſt; id autem recipit.

℞. Sem. lactucæ,
Succi glauci,
Santal. alborum,
Rubeorum.
Auellan. Indic.
Roſarum,
Opij, ana partes æquales cum aqua roſ. & aceto fiat emplaſtrum.

## DE CVRATIONE DOLORIS *Capitis ob ſiccam intemperiem.*

Rarò contingit tantam induci in capite ſiccitatem, quæ dolorem inferre poſſit, ſed ſi euenerit, per victus rationem, & localium applicationem indicat auferri.

Victus regimen ad humidum vergere debet. Aer humectandus eſt aqua tepida; ſed faciliùs erit talem reperire natura paratum. Caueat ab immoderato exercitio, vigilia, à rebus venereis. Somnus conciliandus quàm maximè, animi affectiones vitentur; aluus lubrica ſeruetur, ſi non natura, leuibus clyſteribus ex iure pullorum, oleo viol. vitellis ouorum, & ſale.

Victus ratio, quæ ex cibo comparatur, humida eſſe debet, ideo panis tritus ex pullorum iuſculo confectus, vel in talleolas diuiſus in idem iuſculum infuſus, cui addi poteſt vitellus oui: optima quoq; ſunt oua recentia tremula; gallorum teſtes, caro vituli, ſed hœdi melior eſt: vinum tenue aquoſum, ſed magis aqua prodeſt; & ipſius longa potio, vbi bona ſit, non erit inutilis.

Localia eò quoque ſpectare debent: talia ſunt oleum amygdalarum dulciũ, oleum de cucurbita, violatum, oleum ſimplex oliuarum, hydræleum, quod eſt mixtio ex aqua tepida, & oleo; proſunt pinguedines gallinarum anſerum, fomenta, balnea, & alia localia à nobis ſuperius dicta, quæ capiti affundi poſſunt.

## DE CVRATIONE DOLORIS *Capitis ob intemperiem frigidam.*

Frigidæ capitis intemperiei eadem victus ratio competit, quam ſupra attulimus in frigida cum materia pituitoſa:

toſa: quapropter non eſt, vt ea quæ dicta ſunt, inutiliter repetantur, quandoquidem vniuerſa victus ratio ad calidũ vergere conuenit, quemadmodum etiam & localis curatio.

Verùm ex Tralliani decreto pro intemperiei magnitudine medicamentorum ratio varianda venit. Si igitur recens facta ſit intemperies, ex Gal. 2. de comp. med. loc. 1. rutaceo oleo capiti affuſo liberatur ægrotans; oleum tamen chamæmelinum, anethinum, & de euphorbio rutacei loco ſincipiti applicari poteſt.

At vbi magis calefaciendum veniat oleum amaracinum, ex ſerpyllo, nardinum, aut irinum optima ſunt, ſicuti ſãpſucinum, & laurinum laudat Gal. quibus non modò caput illiniri debet, verũ ex eiuſdem opinione frons, narium extremitas, ac aurium meatus.

Et quod magis eſt, ſcribit Gal. (referente Altomari lib. de med. hum. corp. malis cap. proprio loco præcitato) aliquos in ſimili affectione pedum veſtigia, ac ſedem illinire, nec mirum vobis videri debet; nam eodem Gal. authore 3. de comp. med. loc. cap. 1. proprietates aliquæ quidem ſunt, quæ omninò dici nequeunt, quædam verò ægre circa infirma corpora oſtendi poſſunt, vt pote quæ tantùm ijs, qui viderunt, cognitæ ſint.

Raſis proponit medicamentum omni dolori capitis à cauſa frigida facto conueniens, quod tale eſt.

℞. Caſtorei,
Euphorbij,
Piperis,
Styracis,
Rutæ,
Marrubij, ana partes æq.

Pulverizatis pulverizandis omnia probè conterantur, ac miſceantur, deinde vino veteri excipiantur, & fiant paſtilli.

Accipitque vnum ex ijs, quod cum vino veteri, aut oleo laurino, vel

A chamæmeli, vel coſtino diſſoluit, & fronti, quando opus eſt, applicat.

Et hæc ſatis ſint pro curatione omnium capitis dolorum, tam recentium, quàm antiquorum ab omni materia prodeuntium, nec non, & ab omni intemperie ſiue interius, ſiue exterius proficiſcantur. Venio mndò ad cephalalgias per conſenſum, ſi prius aliquid dixero de illa ex ebrietate genita.

B De capitis autem dolore ex vulnere, vel ictu ſuo loco pertractauimus, nempe in expoſitione de capitis vulneribus ex Hippocratis libello.

## DE CVRATIONE DOLORIS *capitis ob ebrietatem.*

De dolore capitis ex ebrietate latini ſobriè admodum loquuntur,

C quod magis vino ſe temperent, at qui eo delectantur, quẽadmodum inter antiquos Græci, atq; Arabes, qui ſæpe hac de cauſa in eum incurrebant, profuſiùs egerunt, vt nunc etiam Vltramontani faciunt, quorum aliqui ſæpiùs inebriantur, & impensè adeo, vt nonnulli non modò in capitis dolorem cadant, ſed in grauiores morbos, & plerũq; in mortem; vnde Rondeletius ſcribit Britannos me

D dicos multas pecunias lucrari ex morbis, quos vinum illic producit.

Et quamuis in hiſce partibus homines à vino vt plurimum abſtineant, quia tamen adſunt vina generoſa, & fumoſa, quorum ingeſta exigua quantitas poteſt multos in caput ferre vapores, dolorẽq; ſine ebrietate excitare, ideo cephalalgię ex vini potu curatio inſtituenda propo-

E nitur, quæ & ipſa nonnunquam medicinæ inſtrumentis eget, quæ eò tendant, vt inhibeant vapores è ſtomacho à vino eleuatos in caput ferri; & illos, qui prompti ſunt caput ingredi, auertant: qui verò iam caput occupant, tum reprimant, tum etiam diſcutiant.

Veniamus primò ad victus rationem, quam Gal. 2. de comp. med. cap. pro-

prio,

prio, & 4. de ſan. tue. 6. & Auicenna. fen. 1. 3. cap. 23. ſatis profuſe inſtituunt: & ab inanitione incipientes, in primis vinum in ventriculo exiſtens vomitu expellendum iubent cum his, quæ vomitum prouocare valent.

Gal. aquæ tepidæ potum proponit, cuius doſis ad libram vnam eſſe debet: Auicenna aquæ calidæ oxymellis quantitatem addit, vel ſimul cum oxymelle ſemen raphani.

Medicamentum autem vomitorium, quod etiam ex vſu erit ijs, qui venenum hauſerunt, fieri in hunc modum poteſt.

℞. Oxym. ſimp. fluentis, lib. ß.
Sem. raphani, drach. ij.
Calefiat, deinde potui offeratur.

Vel

℞. Succi foliorum raphani, vnc. ij.
Oxymellis ſimpl. lib. ß.
Miſce, & tepidum propinetur.

At qui ſi vomitu educi nequeat vinum, vel quia homines nulla ratione proni ſint ad vomitũ, aut quod aliquod periculum ex illo motu immineat, potiſſimùm non aſſuetis vomere, recurrendum eſt ad medicamentum, de quo paulò ſupra, ad braſſicæ ſcilicet decoctionẽ ſimplicem, vel cum vnc. iiij. ipſius diſſolue mannæ vnc. ij. & offeras ægrotanti, ex quo fieri poſſit vini in ventriculo exiſtentis euacuatio.

Vino igitur euacuato, vel etiam non euacuato quieſcere ebrium oportet, vnde tam Galenus, quàm Auicenna ſomnum proponunt; dicebat enim Galen. in primis ſomni, ac quietis cura habenda eſt, vt vapores diſcutiantur, quod vbi factum fuerit per totum diem, ad veſperas in balneum eſt ponendus, vt à caliditate actuali balnei fiat vaporum à capite ad extimam corporis ſuperficiem euacuatio.

Deinde nutriendus eſt ptiſane ſucco, ac alicæ ſorbitione. Panis ex aqua, & oua ſorbilia à Gal. proponuntur. Inter olera locó condimenti erit optima lactuca; boni enim eſt ſucci, & refrigera- A toria; braſſica quoq; in hoc caſu à Galeno commendatur, quod vapores exiccare valeat, atq; arcere. Inter legumina verò lens probatur.

Potus ſit aqua: ſed quoniam aliqui ob ſtomachi debilitatem eam ferre non poſſunt, nonnulla hic deſcribit Gal. pro ſtomacho corroborando, vt ſunt.

Mala punica, vel ſola, vel cum alica.

Mala cæleſtiana Romana, quæ etſi B auſtera ſuapte natura ſunt; cocta tamen grata fiunt ventriculo.

Pyra cocta,

Vuæ paſſæ.

Vbi hoc modo nutriatur æger ex Gal. & dormire nequeat, in balneum ducatur poſtridie, ac multum aquæ calidæ ei in balneo affundendum eſt.

Deinde ipſum dormire iubebimus, aut ſaltem, ſi dormire non poſſit, quie- C ſcere: rurſus ad balneum ducendus, atq; vt dictum, nutriendus.

Si moderatè ſe ſe ex his medicamentis habeat, nec aquam bibere poſſit, vinum aquoſum ei permittendum eſt: cócediq; liberè poſſunt pro cibo gallorum teſticuli, & alę, piſces quoq; petroſi carnibus teneris præditi, nec non columbarum pulli.

Quoniam verò aliquando dolor au- D getur, nonnunquam remittitur, poſt hęc præſidia, & victus rationem immutare debemus: vbi augetur, melius eſt quieſcere: vbi autem declinat, ambulare, ſed cum hoc ordine, vt ante prandium longæ iubeantur deãbulationes, à prandio breues: prandium autem non multum ſit: & per tres horas ab aſſumpto cibo non eſt deambulandum.

Hæc curandi ratio à Gal. propoſita E verſatur circa cauſam antecedentem, nempe circa vapores, qui vel euaporant ad caput, aut propinqui ſunt ad euaporandum: mox & ad cauſam ſe confert coniunctam, quia fieri non poteſt, ne aliqua humorum copia ſimul cum vaporibus, in his potiſſimùm qui aſſueti ſunt benè potare, ſurſum repat.

Qua-

Quare ſi vaporum, vel humorum, A copia in aliqua parte imbibita fuerit, nō eſt amplius vtendum oleo roſaceo, aut frigidis, vel adſtringentibus circa caput, quæ tamen à principio applicanda capiti docet; ſed loco roſacei ad chamæmelinum deueniendum eſſe iubet, quod effundatur moderatè calidum, deinde ad irinū, tertio loco in balneum mittendus eſt æger, atq; aqua calida eius caput perfundendum.

Quod fiet non modò ad diſcutiendos humores, & vapores iam dictos, ſed ad ſomnum conciliandum, & niſi ex toto à dolore liberetur bis, & ter balneum repetendum eſt, vbi lactucam cum aceto aſſumpſerit, ſed quod acetum non ſit nimis acre, ac validum; nam vbi tale fuerit aqua diluendum; & ratio eſt, quia illud ſua acrimonia caliditatem aliquam excitare poteſt: & hæc eſt ratio curandi per Galenū cum felici ſucceſſu ab ipſo obſeruata,

Non deſunt ex neotericis, qui Gal. hoc loco arguunt, quod in vno, & eodem affectu cibaria contraria proponat, primò quidem lactucam, quæ ſuapte natura frigida eſt, & incraſſandi facultate prædita, item braſſicæ ſubſtantiam, ac lentium, quę craſſarum ſunt partium, D & exiccandi facultatem habent. Alij dicunt inter cibos frigidos annumerare ouum: proponere poſtea carnes pullorū ex columbis, quę attenuandi facultatem habent, nec non, & teſticulos gallorum, qui ſanguinem tenuem generare ſunt apti.

Hæc leuia ſunt, & nullius momenti aduerſus Gal. licet enim non conueniat alimenta contrariæ facultatis E in vna, & eadem infirmitate ægrotantibus offerre, pro varia tamen medici intentione poteſt; nam cum alimentum vt tale ſemper virtutem reſpiciat, non morbum, quatenus verò adiunctam habet aliquam primam, aut ſecundam qualitatem aduerſus morbum pugnare poteſt; aut ipſius cauſam.

Vnde cum à principio ebrietatis opus ſit retinere vapores, ne in caput ferātur, tum incraſſandi ſunt, ne facilè ſurſum euolent; tum partes, ac meatus, per quos ferri poſſent, adſtringendi veniunt, ideo Gal. cibaria proponit incraſſantia, & refrigerantia, vt dictum eſt.

Quando verò iam infixa eſt in capite materia, pauciq; ſunt vapores delati ſurſum, reſolui debent, & hinc eſt, quod B proponit carnes ex pullis columbarum, & teſtes gallorum, qui ſua, qua pollent caliditate, facultatem ſanè habent attenuandi.

Ex quibus nota, qua methodo egregia vtatur Gal. in hac cephalalgia; nam aquam calidam à principio ſupra corpus affundendam docet, vt ad partes extimas ab aquæ caliditate, & motu ipſius reuocentur vapores; in fine verò, aut iā C fluxa in caput materia, non amplius ad corpus, ſed ad caput affundendam aquā vult, vt ſua caliditate materia reſoluatur, & motus ipſius intus penetrare poſſit, ſine materiam ad cutis extimam ſuperficiem euocare.

Quod ſpectat ad ouum nuſquam, à Gal. pro refrigerante alimento accipitur; quia ouum poteſt trifariam conſiderari, aut ipſius albuminis reſpectu, vel vitelli, vel vtriuſq; ſimul; primo modò poteſt dici frigidum, ſecundo modo calidum, tertiò temperatūm, hic à Galeno accipitur; vt conſtat ex vtraq; parte, vnde temperatum eſt.

Sed poſſet quis hic dubitare, an verū ſit, quod columbarum pulli attenuandi facultatem habeant? cui ne tempus cōteratur, reſpondeo per pullos eos accipere oportere, qui iam volare cœperūt; nam primi ſcatent multa humiditate ſuperflua, qua impeditur actio caliditatis, & ſiccitatis ipſorum; Iſaac enim libro primo de dictis vniuerſalibus cap. ij. ſcribit ex Galeno eos eſſe calidæ, & ſiccę naturæ: idem Gal. lib. de bon. & vit. ſucc. & iſti ſunt columbarum pulli, de quibus loquitur hic Gal.

Circa localia principio reprimendi fa cultate ſint prædita,vnde Gal.braſſicam proponit, quæ, & proprietate quadam vino aduerſatur præter manifeſtam exic candi, quam habet facultatem, quare partes capitis adſtringuntur, ne tam fa cilè vini vapores recipiant.

Proponit & ſecundò hederam, de qua diſputat Plutarchus lib. 3. ſympoſi acon. q. 1. an frigida ſit, an calida? con cludit tamen frigidam eſſe,& ſiccam; proinde antiqui Græci in conuiuijs co ronam ex ipſa capiti imponebant,vt tu tiores ab ebrietate redderentur, quia præter hanc manifeſtam reprimendi fa cultatem proprietate quadam innata aduerſatur vino, non ſecus atq; braſſi ca, quæ vbi prope vitem fuerit poſita, vel ipſam corrumpit,vel ab ipſa corrum pitur; hedera verò videtur quandoque vitibus implicita.

Sed præter hederæ coronam antiqui Græci componebant ex floribus variæ facultatis coronas ex authoritate Try phonis medici apud Plutarchum; quo rũ alij pollebant frigiditate,& ſiccitate, alij moderata caliditate, & partium te nuitate: & ſic frigidi moderata frige factione vapores à vino eleuatos repri mebant, tenues verò tenuitate partium poros cutis aperiebant, quibus poſſet vapor euaneſcere, ſurſumq; extra eua porare; deniq; & alij ipſis coronis im pliciti erant,à quibus ſomnus excitaba tur.

Meritò igitur non modò ex hedera, ſed etiam ex varijs virtute floribus coro næ fiebant, quibus conuiuantium capi ta coronabantur.

Et hæc eſt ratio applicandorum reme diorum in ebrietatis principio, nec non remedia ad eam propulſandam: medi camenta verò in fine ſunt,quę diſcutien di facultatem habent, de quibus ſupra.

Non eſt, vt in præſenti doceam mo dum curandi cephalalgiam ex nimia mo ra ad ſolem concitatam, quia cum fiat ab intemperie calida à ſole inducta,de qua ſupra ſatis diximus,non eſt vt quid quam amplius repetamus.

## DE CVRATIONE DOLORIS *Capitis per conſenſum geniti.*

Reliquum eſt modò, vt breuiter ag grediamur curationem cephalal giæ per conſenſum. Et primò ab ea exordiendum eſt, quæ oritur per con ſenſum à toto corpore, vt in febribus quibuſdam contingere conſueuit.

Quoniam ab humoribus calidis, aut vaporibus hic dolor capitis excitatur,illi ſunt repellendi,atque ad infernas partes deriuandi cum ijſdem prorſus medica mentis, de quibus ſupra.

Si quidem ex 2. de comp. med. loc. 1. influentem materiam, ſiue vaporem repellere neceſſarium eſt: impactam ve rò concoquere, attenuare, ac diſcute re, circaq; partem affectam robur indu cere,ne tam facilè ſuſcipiat,attenuatam verò excernat, impactamq; concoquat, & attenuet: ita vt cum curatio eadem ſit, videtur temporis iactura eadem re petere; præcipuè enim febri incumben dum eſt, quæ eſt cauſa doloris.

Ita quoq; vbi ex ventriculi, hepatis, vel lienis, vel vteri mala qualitate con tingat capitis dolor,opus eſt ad hęc mē bra curanda properare, de quibus ſuo loco ſingillatim, ac ſuo tempore, (Deo dante) ſermonem habebimus, & hæc dicta ſint de dolorifico affectu, qui par tibus euenire ſolet,quę ſunt circa cere brum,vt membra ſimilaria patientes.

Iam tempeſtiuum modò videtur ad affectus ipſiuſmet cerebri ſermonem conuertere, ſi prius medicamenta quę dam attulerò,quæ proprietate quadam omni dolori capitis proficiunt. Gal. ex Archig. ait,quod flores chamæmeli odo rati,minuunt, folia è contra dolorem augent. Adiantum, quod,& trichoma nes appellant, polygoni etiam rami coronæ in modum geſtati proſunt.

Addit Gal. coronas ex roſis, ſed in do-

dolore ex ebrietate, de quo ſatis. Va-rignana inter ſecreta poſuit pennas vpupæ capiti appoſitas, pecten factus ex A dextro cornu arietis, atq; eo pectendum eſſe dicit, membrum quoq; vulpis capiti geſtatum.

# DE VERTIGINE.

## CAPVT SEPTIMVM.

Poſt tractatum de capitis dolore Raſis ad eam cerebri affectionem tractandam ſe accingit, quam vertiginem appellant; dolor enim videtur eſſe paſſio membranarum tam externarum, quàm internarum, nec non ipſius cutis, vt ſunt ſimilares partes; vertigo verò eſt ex ijs morbis, qui cerebro eueniunt, prout potius eſt membrũ organicum, quàm ſimilare. A leuiori itaque vertigine initium ſumens breuiter admodum tractat curationem, eamq; ſolùm per capita attingit.

Nos verò, vt huius affectus perfectã curãdi methodũ habeamus, oportet primũ, vt quid ſit cognoſcamus, proinde à definitione ordine inſtituto exordimur.

Tria apud Græcos reperio nomina, quæ hunc affectum deſignare videntur, D totidemq; apud Arabes. Græca nomina ſunt δῖνος, σκοτωμία, & σκοτοδινος: primũ deducitur ἀπὸ τοῦ δινεῖν, vel ἀπὸ τοῦ δινεύειν, ideſt à voluere, ſeu vertere, ita vt ſit vertigo quędam affectio, in qua tum caput, tum reliqua in gyrum volui videntur.

At σκότωμα, ſeu (vt aiunt) σκοτωμία à verbo σκοτόω deductum eſt, quod ſignificat obſcuro, quando oculis tenebræ repentè occurrunt, quæ tenebroſa verti- E go vulgò dicta eſt.

Σκοτόδινος verò eſt affectio ex vtriſque compoſita, quando ſcilicet, & caput, & omnia circumagi videntur, ſimulque adſunt in oculis tenebræ, ægrotanteſq; agnoſcant falſam eſſe imaginationem, & viſionem.

B Apud Gal. lib. 3. aph. 13. reperitur aliud nomen affectionem hanc ſignificãs, nempe ἴλιγγος, ideſt vertigo, vnde ἰλιγγιῶς appellant vertiginoſos.

His tribus Gręcis nominibus, tria alia ab Arabum ſectatoribus vſitata correſpondent, nempe vertigo alue: ſedar abſedar: & ſcotomia.

Hanc tamen affectionem, in qua omnia reuolui videntur, ſimul atq; oculi caligant, ſeu obtenebrantur, vertiginem C communiter, & ſcotomiam appellant.

Quam verò ridicula ſit etymologia illa, quam ex græco Gordonius, & Nicol. Florent. deduxerunt dicentes deduci à ſcotos, quòd eſt viſus, & mia, quod eſt muſca, cùm à verbo σκοτόω deductum ſatis clarè appareat, ideſt obſcuro, vt ſcotomia ſit obſcuritas.

Huius igitur ſcotomiæ inquirenda proponitur definitio, cauſæ, ſigna, prognoſtica, & curatio. Hæc verò duplex eſt, ex 3. de locis aff. 7. & 1. 3. tr. 5. cap. 1. altera non morboſa, altera morboſa. Non morboſa illa eſt, quæ cauſam maximam habet, & vt plurimum à cauſa externa, licet etiam ab interna fiat.

Sed morboſa, de qua inſtituta eſt oratio, à leuiſſima quidem cauſa, vt pote à paruis rotationibus, vel vnica etiam leuiſſima, ortum habet, in qua quidem oportet, vt cauſa morboſa occurrat capiti, cerebroq; ſecundum ventriculos.

Et vt inquit Auic. tale quidpiam homini accidit ſe ipſum non mouẽti, quod contingit ſano ſe ipſum reuoluenti, in quo vapores, & ſpiritus in gyrum mouentur.

Sed cum hac differentia: homo ſanus
dum in gyrum mouetur, ſpiritus atque
vapores, qui ſunt in capite, mouentur
quidem, ſed eo quieſcente omnia quie-
ſcunt: ſed in homine caput habente in-
firmum ea ratione in gyrum mouentur
omnia eo quieſcente, atq; mouentur in
homine ſano, qui in gyrum mouetur,
idq; contingit, vt vaſi rotundo vitreo e-
uenit, quod vbi intus aquam contineat,
& mouetur, aqua mouetur, & dũ quie-
ſcit vas, aqua etiam mouetur.

Sicut enim dum vas aqua plenum re
uoluitur, aquam intus contentam
ſecum reuoluere facit; quæ deinde vaſe
quieſcēte adhuc reuoluitur: ita ſpiritus,
& vapores hominis quieſcente mouētur
à cauſa præter naturam excitati.

Comparatio hęc ita ſe habet, vt phia-
la aqua plena dum mouetur, aſſimilatur
homini ſano, qui dum voluitur ex hoc
motu concitat ſpiritus animales, &
aliquos vapores ex cibo in caput dela-
tos, vt eodem quo mouetur motu facit,
vt moueantur, nempe in gyrum, at ex
parte hominis malè affecti ſine motu
externo mouentur tum vapores, tum ſpi-
ritus in gyrum; qui vapores, gerunt vicē
cauſæ efficientis huius motus circularis.

Ratio verò cur obiecta immobilia in
vertiginoſis mota videantur, eſt quia
obiecta, vt docet Auicennas recipiun-
tur in ſpiritus, qui mobiles ſunt; omnes
enim operationes ſenſibiles pendent ex
inſtrumentis corporeis, & patientibus,
inter quę primum, & dignius eſt ſpiritus
ſenſibilis, qui eo tempore motu depra-
uato mouetur, quia ſecundum ſuum
motum naturalem à centro ad circum-
ferentiam mouetur, à vaporibus verò
perturbatus motum ipſorum ſequitur,
nempe circularem: ſpiritus igitur dum
mouentur, obiecta quoq; in ipſis rece-
pta falsò moueri videntur; ratio eſt, quia
quod recipitur, per modum recipientis
recipitur.

Ipſius autem eſſentia vix determinari
poteſt, quandoquidem alij dicant eſſe
A ſymptoma imaginatiuæ virtutis depra-
uatæ; alij è contra, quorum Gordonius
eſt author, credunt eſſe communis ſen-
ſus ſymptoma.

Cuius quidem dictum à ratione mi-
nimè abhorret; quandoquidem omnis
virtus, & potentia iudicat de ſuo obie-
cto: atqui ſenſus communis ex 2. de
anima tex. 64. eſt potentia habens pro-
prium obiectum, nempe communia ob-
B iecta, videlicet motum, quietem, figu-
ram, numerum, magnitudinem, quæ
quamuis dicantur obiecta communia,
quod ab omnibus potentijs ſenſitiuis
ſentiantur, ſunt tamen ſenſus communis
veluti propria obiecta; nam quemadmo
dum ponit differentiam inter propria
obiecta iudicans colorem à ſapore, odo-
re, & alijs, ita quoq; & differentiam po-
nit inter ſenſibilia communia obiecta
C ad inuicem.

Motus autem, cum ſit ſenſibile quod-
dam commune, ad ipſum ſpectare vide-
tur, qui horum fert iudicium, ſiquidem
exteriora obiecta in debita diſtantia po-
ſita, vbi nihil in organo præternaturam
adſit, vel ab aliquo intus occurrente
impediatur, obiecta, vt ſunt, rectè diju-
dicabit: in præſenti verò affectu à cauſa
interna, nempe à vapore ſurſum in cere
D bri cauitates delato, atq; à ventriculi pa
rietibus deorſum propulſo, in gyrumq;
reflexo impeditur.

Nam ſpiritus animalis, qui vt, ſupra
dictum eſt, è ventriculorum anteriorum
cauitate recta ad medullæ principium
pro motu, ac ſenſu in vniuerſum corpus
diſtribuendo defertur, à vaporum vio-
lentia ductus, non ſecus atq; ex cæli mo
tu circulari trahuntur elementa, quam-
E uis naturaliter à centro moueatur, co-
gitur tamen cum ijs moueri circa cen-
trum.

Ille igitur ſpiritus primùm in motu pa
titur, deinde in ſubſtantia, quæ cum
lucida ſit, perturbatur, & obiectum
ſenſui communi ita receptum offert, il-
lud autem non niſi, vt offertur, iudica-

ri

ri poteſt. Et hoc eſt quod pulchrè Auicenna ſignificare voluit cum dixit; nam cum ſentiens mouetur, permutantur oppoſita, ſicuti cum mouetur ſenſatum; hoc eſt ea ratione, qua ſpiritus, qui ſenſitiui ſunt, mouentur; ita & obiecta per rationem ſupradictam ex Ariſtotele; quicquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur.

Iam verò cum imaginatio nihil aliud ſit, quàm motus à ſenſu ſecundum actū facto, ad ipſam imaginationem ſpiritus offerantur neceſſe, quia, vt diximus, ſpiritus ſint inſtrumēta ſenſationis, qui antequā à ventriculis cerebri exeant, perturbantur, & ad imaginationem primò offerunt perturbationem, atque cum in ſe habeant ſpecies obiectorum impreſſas, imaginatio eas, vt ſunt, repræſētat ſenſui communi, qui deluſus, & ab ea veluti deceptus iudicat obiecta in illis impreſſa moueri, quod tamē falſum eſt.

Hanc ſanè deceptionem anima intellectiua probè agnoſcit, & hinc eſt, quod illi, qui patiuntur vertiginem, agnoſcunt re vera obiecta non moueri.

Ex quo quidem diſcurſu cognoſci facilè poteſt hanc affectionem non pertinere ad imaginationem, neque ad ſenſum communem, quia obiectum, quale à ſpiritibus offertur, tale iudicatur, ſpiritus enim moti ſecum ducunt obiectum receptum.

Deinde quia impediuntur, ne ferantur ad oculos, viſio aboletur: quia verò non ex toto impediuntur, ſed perturbantur, hinc vitiatur viſio; quod idem euenit, vbi ad ſpinam ferri nequeunt, vt corporis motus tollatur, ita vt hæc affectio non videatur pertinere ad imaginationem, nec ad ſenſum communem.

Quandoquidem Gal. de diff. ſymp. 3. de imaginatricis actione læſa loquens ſcribit eam abolitè lædi, vt in caro, ſeu catalepſi; nam eſt veluti ipſius reſolutio quædam; vel diminutè, vt in lethargo, qui eſt imaginatricis motus languidus, ac debilis; nec non & vitioſè, vt in paraphreneſi, hoc eſt in delirio, quod eſt veluti errans, ac ipſius vitioſus motus.

Tunc enim temporis vitioſè dicimus operari imaginatricem, quando non rectè accipit motum à ſenſu factum, vt in exemplo apud Galenum de illo medico, qui dicebat tubicines perpetuò in angulo cubiculi reperiri, quos eijci curabat; non enim illius imaginatio mouebatur ſecundùm ſenſus motum actu factum, ideo à ſua degenerabat natura.

Quamobrem non videtur mihi poſſe hanc affectionem referri ad imaginationem læſam, quia & ipſa, & ſenſus communis à ſpiritu inordinatè moto decipiuntur; qui ſi moueretur motu ordinario, nulla fieret affectio, itaut nulla læſio videatur in imaginatione, vel in ſenſu communi.

Cum igitur imaginatio læſa non ſit, nequeo Capiuaccij probare vertiginis definitionem, vbi ſcribit eam eſſe cerebri anterioris functionem corruptam, principalem cum læſione viſus, & motus totius corporis dependentem ab affectione cerebri circulari.

Hæc definitio nullo modo quadrat noſtro definito, quia dato, quod anima vtatur varijs cerebri partibus ad ſuas functiones edendas, nulla (vt iam dixi) animæ functio læditur, ſed benè inſtrumentum (quod eſt ſpiritus animalis in anteriori parte ventriculi cerebri contentus, iam ad ſua munia obeunda à proceſſibus choroidibus egreſſus, & ad ſpinalis medullæ principium latus) impeditur, cogiturq; vaporum motum ſequi, quorum motus circularis ſimul cum obiecto illis impreſſo imaginatrici primū, deinde ſenſui communi offertur: quæ animæ potentiæ nequeunt rem, niſi vt eſt, iudicare: quare nulla ratione afficiuntur: cum igitur illæſi maneāt, ſequitur cerebri partem non lædi.

An igitur Gorręi deſcriptio admittēda ſit? quod ſcilicet ſcotomia ſit ſpirituum inordinatus motus in cerebri ventriculis, à quo omnia circumagi videntur?

tur? At verò, & ipſa peccat primò in accipiendo genere nimis remoto, quod eſt motus inordinatus: in definitione autem ſemper proximum genus accipiendum eſt, quod eſt motus circularis.

Deinde non omnes recenſet affectiones, quę huic affectui contingunt, nempe amiſſionem, aut viſus deprauationem, ac totius corporis vitiatum motū; quandoquidem de vertigine loquens Auic. ſcribit qui eam patitur poſſe ſe regere, vt quieſcat, ſed cadit in terram, ſæpe voce priuatur, ſuimet ipſius obliuiſcitur.

Quare non modò amittitur viſus, ſed auditus, vox, & motus corporis: huiuſq; rei ratio ex ſpirituum illa læſione contingit, quia ſunt, & motus, & omnium ſenſuum inſtrumenta, quæ ſuam virtutem ſpinę communicare nequeunt, & ſenſum, & motum amitti neceſſe eſt: ſed quamuis ita moueantur, non tamen tollitur, quin aliqua ipſorum portio pro ſenſu, & motu ſuſtinendo in ſpinam illabatur; vnde eſt, quod ſenſus, & motus vitiatur, non tamen aboletur.

Cum igitur nulla ex propoſitis definitionibus videatur rē, de qua agimus, integrè declarare, opus eſt, vt videamus, an poſſimus ipſam ex rei natura venari, quod fiet, ſi paulo altius negotium repetamus.

Scire debetis calidum innatum, ſeu ſpiritum innatum eſſe immediatū animę inſtrumentum, quod, vt ex lib. aduerſus Lycum cap. 2. à Gal. habetur, corpus quoddam eſt ex ſemine, & ſanguine primò genitum, atq; ſemper mobile, quēadmodum ex eodem Gal. lib. de trem. rig. & palp. cap. 6. clarè colligitur: motus autem eſt ab intimis ad extimas partes, & è contra; tali enim ſubſtantia prædìtum eſt calidum innatum, vt ſemper moueatur; vnde aichiniton à Gal. appellatur.

Nam dum ad intimas partes recurrit alimentum appetens, incenditur, & dum ad extimas fertur vndequāq; expanſus, quaſi extinguitur; ita vt modicè accenſus, & modicè extinctus ſemper mobilis reddatur: ſpiritus autem, qui ſunt ipſius germina, & ipſi ſemper mouentur: ſed cum hac differentia, quod calidum innatum nunquam deſerit eam partem, cuius eſt calidum: at ſpiritus propriam partem, à qua fiunt, deſerunt, & ad illas partes, quibus ſunt deſtinati feruntur, neq; vnquam reuertuntur.

Spiritus igitur animales in cauitate cerebri fabrefacti gratia omnium ſenſuum, atq; motionum, ab illa cauitate tāquam à centro ad principium ſpinalis medullæ recta feruntur, à qua deinde diſtributi per totum corpus, non ſecus atq; à vena caua ſanguis, & ſpiritus vitalis ab arteria ſpargitur, tum ſēſitiuam, tum motiuam ferunt facultatem.

Sed quoniam ſenſitiuæ facultates ſūt in duplici differentia, aliæ internæ, aliæ externæ: internæ ſunt, quæ à Gal. hegemonicæ dicuntur, videlicet imaginatiua, ratiocinatiua, ac memoratiua: hę quamuis per neruos à ſpiritibus delatos minimè fiant; ſpiritus tamen illi, qui adhuc in ventriculis ſunt, antequam alij ad ſpinam ferantur, ſunt harum facultatum efficientes.

Externæ ſunt quinq; ſenſus, quia ad diuerſas has operationes obeūdas opus eſt, vt ſpiritus variè afficiatur; nam alio modo ad internas, & alio ad externas alteratus eſt, & potiſſimum ad viſum faciendum, cuius maior requiritur copia, quā ad omnes alias corporis motiones, & ſenſationes obeundas: pro quo legite Gal. 7. de plac. Hipp. 3. & 4.

Vt igitur fiat motus, & ſenſus tactus, alteratur in cerebelli ſubſtantia ad viſionem faciendam, quemadmodum hęc eſt omnium actio præſtantiſſima, quæ in corpore ſunt, ita opus eſt, vt ſpiritus ſit lucidiſſimus, & puriſſimus, vt à Gal. loco cit. habetur, quam diſpoſitionem primum in vētriculis cerebri anterioribus ex eōtactu lapidis ſpecularis habet.

Stan-

Stante igitur hoc rationali diſcurſu, quando ſpiritus motus ille naturalis impeditur, pro varia impedimenti ratione varij quoq; fiunt in ſenſibus, nec non motu leſiones: vbi igitur motus eius, qui à medio eſſe debet, circa medium fiat, neceſſe eſt, vt & obiecta ab eo apprehenſa ducátur, & pro varia cauſæ mouentis violentia ſecundum magis, & minus etiam ſenſus, & motus labefactetur.

Sed præter eius motum perturbatur à vaporibus eius lucida ſubſtantia, proq; varietate obſcuritatis variæ in viſu affectiones fiunt.

Ex quibus ſatis dilucidè colligere licet affectionem hanc eſſe ſpirituum animalium læſionem tam in motu, quàm in ſubſtantia, nihil patiente imaginatione, aut ſenſu communi, quid igitur ſi accipientes vertiginem communiſſimo vocabulo, nempe pro ſcotodino, ideſt tenebricoſa vertigine, eam definiamus hoc modo?

Vertigo eſt ſymptoma in genere acti onis, nempe motus ſpirituum animalium, deprauatæ, aut diminutæ, nonnunquam abolitæ per aliquod tempus, vnde viſibilia in gyrum verti videntur, ſimulque viſio nonnunquam diminuitur, aliquando vitiatur, nonnunquam aboletur cum aliqua motricis corporis virtutis deprauatione à vaporoſa prouenien te materia.

Ex hac definitione (ni fallor) declatur ſatis natura huius affectionis ſimul, atq; omnes tolluntur difficultates, quæ aduerſus ipſam fieri poſſunt.

Accipitur ſymptoma tãquam genus: additur in genere actionis, ad aliorum ſymptomatum differentiam.

Secundo loco ponitur ſubiectum, cuius ſit actio, nempe ſpiritus animalis, ad ad differentiam membrorum ſolidorum & aliorum ſpirituum.

Tertio loco ponuntur omnes differentiæ læſionum actionis, vt inde denotemus aliquando ſymptoma hoc eſſe mitiùs, aliquando vehementiùs, ſæpe

A autem mediocre.

Sed ponimus motus abolitiònem per breue tempus ad differentiam apoplexiæ, in qua penitus, & ſenſus, & motus aboletur.

Ad differentiam quoq; epilepſiæ, in qua quidem amittitur ſenſus, & motus; ſed per longum tempus, hic verò per breue. Dicebat Auic. lib. 3. fen. 1. cap. 1. fortem vertiginem eſſe epilepſiæ ſi-

B milem, quamuis inter hanc, & illam pro differentia addat conuulſionem, quæ à vertigine aliena eſt.

Sed contra determinationem videtur eiuſdem Auicennæ authoritas dicẽtis vertiginem aliquo tempore permanere, epilepſiam verò repente fieri; nihilominùs dicendũ, quod aliud eſt conſiderare inuaſionem, atq; inſultum vtriuſq; huius affectionis, & aliud eſt conſi-

C derare acceſſionis durationem: ſi primo modo conſideremus, verum eſt, quod dicit Auicenna, quia vertigo paulatim inuadit; nam ægroti percipiunt ſe ſatis manifeſtè corripi à vertigine; at inſultus epilepſiæ ſubitaneus exiſtit: & hoc modo intelligendus eſt Auicenna, quia cõſiderauit vtriuſq; inſultum, ac principium.

D Nos verò conſideramus acceſſionem vtriuſq; ac dicimus longè maiorem eſſe, & longiorem durationem acceſſionis epilepſiæ, quàm vertiginis, & comparatio eſt de motu deprauato, ſeu deperdito; longè enim plus durat ſine motu epilepticus, quàm vertiginoſus; nam hic excitatur ad caſum, ac reſurgit, vt dicit Auicenna, & quandoq; ab accidẽte correptus, ſtat quidem, ſed vix, & cum difficultate, vt coactus ſit ſedere, & hæc eſt

E motus deprauatio: epilepticus verò videtur quaſi ſine vita remanere.

Differt quoq; ab epileptico, & ab aliijs affectibus, quod omnia in gyrum ferri illi apparent, quo nomine motus nõnunquam deprauatur, nonnunquam diminuitur pro vehementia motus vaporum,

Meritò igitur dicimus ſpiritus animales aliquando diminutos, mox deprauatos eſſe: à quo fonte prodit etiam ſenſus viſionis abolitio, vt in vehementi ſpirituum motu, ex quo inhibetur ad oculos ferri ſenſum, nonnunquam dimiNutè, ſæpe verò deprauatè, quia à vaporum fuligine, & nigredine variè ſpirituum ſubſtantia afficitur; vnde eſt, quod modo muſcæ, aliquando culices falsò oculis obiciuntur.

Ita vt concludamus vertiginem eſſe affectionem ſpirituum præter naturam actionem ipſorum, nec non & ſubſtantiam labefactátem, hinc res in gyrum flecti videntur, atq; ante oculos falſæ rerũ imagines repræſentantur à vapore cauſatæ, forma igitur vertiginis eſt ſpiritus animalis motus in gyrum, ſeu circa medium, & ſubſtantia labefactatus.

Sed in hoc diſcurſu offertur dictum aliquod Auicennę, quod habet aliquam difficultatem; nam dicens omnes operationes ſenſibiles pendere ex inſtrumentis corporeis patientibus; primum, ac dignius eſt ſpiritus ſenſibilis, priorem locum in dignitate tribuit ſpiritui animali: & non modò attribuit illi prioritatem in dignitate, ſed etiam tempore; primum tamen inſtrumentum in hoc affectu videtur oculus, dignius etiam calidum innatum.

Dicendum breuibus exiſtimamus voluiſſe Auicennam primùm inſtrumentũ ſpiritum animalem, temporis ratione, quod inter alia ſit primum, quod facultati inſeruiat: & quamuis oculus famuletur facultati, de inſtrumentis intus reconditis loquitur Auicenna, non autem de exterioribus, inter quæ primum locum tenet ſpiritus animalis, qui antequam ad oculos feratur, & immediatè famulatur cerebri facultati.

Dicitur fortè dignius ob ſubſtantiæ præſtantiam, non autem operationis ratione, quandoquidem ſubſtantia ipſius corporea quidem eſt, ſed omnium tenuiſſima, ac leuiſſima, præſtantiſſimaque, ſi

A verò in ratione operationis conſideretur, non eſt dignius, ſed temperies, deinde calidum innatum eſt dignius.

Sed quoniam ſtatutum eſt vertiginẽ ſymptoma eſſe, & omne ſymptoma morbum ſequitur, iam quem morbum habeat à nobis videndum eſt. Cum verò dictum ſit ſpiritus contineri in cauitate cerebri anteriori, & à motu vaporum moueri, opus eſt fateri morbum eſſe in

B via, nempe in ventriculo cerebri.

Itaque eſt dicendum hoc ſymptoma ſequi cerebri malam compoſitionem, quæ figuram ventriculi ſecundùm ipſius cauitatem labefactat, ſiue modò adſit aliqua materiæ minera, ſiue aliunde eueniat vapor, videlicet à partibus inferioribus, ſemper tamen Gal. authore loco præcitato cerebrum læditur.

C Secundò dici poteſt, quod cerebrum patiatur tanquam ſimilare membrum ſecundùm temperiem aliquam frigidam, quo nomine vapores diſſipari nequeant, nec minus minera, à qua excitantur, quæ ob frigidam iam dictam cerebri temperiem diſcuti non poteſt, & hoc dicebat Gal. 3. de locis aff. 8. quando inquit: fieri poteſt, vt inæqualis cerebri intemperies huiuſmodi ſpiritum producat.

D Concludamus igitur hoc ſymptoma ſequi cerebri morbum in mala compoſitione, atque in intemperie, non quidem calida, ſed inæquali, quæ tamen magis ad frigiditatem, quam ad caliditatem vergat.

Vertigo autem duplex eſt, alia quæ dicitur per eſſentiam, alia per conſenſum; quod dictum intelligere debetis ea ratione, qua interpretati ſumus paulò ante in tractatu immediatè præcedenti

E de capitis dolore.

## DE CAVSIS VERTIGINIS.

Modò indagandæ ſunt cauſæ hãc affectionem excitantes, quæ ſanè ad tria capita reuocantur, nempe ad proximitiuas, ſeu procatarcticas, vt Græci ap-

appellant, ad antecedentes, & ad con-iunctas.

Cauſæ primitiuæ, atque exteriores à Gal. loco præcitato enumeratæ plures ſunt, inter quas prima eſt circumrotatio, quæ pro varia capitis affectione variè afficit. Si caput per eſſentiam patitur, ideoq; maximè ad hunc morbum diſpoſitum ſit, vnica rotatione in vertiginem cadet.

Nam docente Gal. 3. de locis aff. 8. id illi ex vna rotatione contingit, quod à pluribus rotationibus cæteris accidere conſueuit; quandoquidem vbi quis cerebro vertitur, atq; in circo totum corpus rotat, inæqualē ei, & turbulentam, quinimo circularem humorum, & ſpirituum rotationem fieri neceſſe eſt.

Secunda cauſa eſt aſpectus alicuius rotę, aut voraginis in flumine, & eo maximè, vt inquit Gal. ſi caput illis fuerit calefactum à ſole, vel nimio motu. In hanc affectionem incidunt illi, qui per eſſentiam ſunt diſpoſiti; pręcipuè, ac faciliùs illi, qui debile, quàm qui validū, caput habent.

Addit Auic. percuſſionem capitis ingentem, aut cranij fracturam: hinc Hippocrates lib. de vuln. cap. vertiginem inter ſigna ſummæ capitis læſionis numerauit.

Id cerebro, ſubſtantia molliori, ac ſpiritibus continuò fluentibus, ac motu proprio motis contingit ex valida capitis læſione, quod euenit, vbi aqua, aut aer percutiantur, vnde ſpiritus hinc inde reuoluuntur, motuſq; illorum regularis impeditur, & per cauitatem cerebri circulari motu feruntur.

Illos igitur, qui huic obnoxij ſunt, cauſæ exteriores facilè mouent, vt eſt ſolis æſtus, nimia, & intēpeſtiua exercitatio aſcenſus, & deſcenſus ſcalarum, aſpectus è ſublimi loco, & in ſumma quæcunque facultatem habent humores calefacere, ſpirituſq; animales commouere. Eò tendunt animi violentę affectiones, quę ad iram, timorem, & huiuſmodi paſſiones animum impellere poſſunt.

Ad idem facit vſus crapulæ, ac ciborum euaporantium, præſertim legumi-num, nimius rerum venerearum vſus, nimiæ vini potationes. Inter cauſas quoq; exteriores tempus veris, & hyemis ab Aureliano; auſtrinus verò ventus ab Hippocrate connumeratur; tandem immodicus ſomnus, & vigilia, 3. aph. vlt.

B At immediata, proxima, & coniuncta cauſa eſt vapor, qui diuerſus eſt pro varia minera, à qua eleuatur: ille autem quicunq; fuerit, in ventriculis cerebri anterioribus in orbem mouetur, non ſecus atq; faciat flamma, ſeu fumus in furno coercitus, ac clauſus.

Nam ingens cauitas in cerebro reperitur, quæ facta, & exculpta eſt inſtar fornicis cuiuſdam, in quam cum vapor

C aliquis ſiue à minera in hac capacitate contenta, ſiue aliunde, hoc eſt, ab inferis partibus feratur, atque expirare nequeat, nec à virtute cerebri expelli, aut diſſipari, quia meatus denſiores sūt, vel (vt nonnulli aiunt) obſtructi, vt recedat neceſſe eſt, motumq; ipſius capacitatis ſequatur, in qua quidem cum ſpiritus extra plexus choroideos educti ſparſi ſint, vt ad ſua loca, nempe ad principium

D ſpinalis medullæ ferantur, à vapore rapiuntur, ac in gyrum cum ipſo moueri coguntur: vertiginoſiſque id accidit quieſcentibus, quod euenit illis, qui ſuo corpore, & capite vltro rotantur.

Immediata igitur, & proxima cauſa eſt vapor ab aliqua minera, tanquam à materia eleuatus, quæ vel in ventriculis continetur, vel in aliqua alia corpo-

E ris parte ſedem habet.

Cauſa porrò antecedens eſt materia, vel ſanguinea, vel phlegmatica, vel cholerica, vel melancholica, vt Raſis noſter docet apud Meſuem lib. 2. vbi inſtituūtur quatuor capita curationis ſcotomię vnum ſanguineæ, aliud cholericæ, tertiū phlegmaticæ, quartum melancholicæ.

K Sed

Sed dicet quiſpiam; Auicenna ſolùm
mentionem facit de materia cholerica,
& phlegmatica, ergo de authoritate
huius ſummi præceptoris videntur ſo-
lummodo duæ vertiginis ſpecies; non
igitur quatuor, vt Meſues,& noſter Ra-
ſis ſupponere, imo docere conantur.

An dicendum, quod ſcribit Gentilis
Fulginas? Auicennam nempe ſub nomi-
ne choleræ vtramq; cholerã intelligere,
flauam nempe, atq; atram, quæ eſt me-
lancholia?

An verò breuitati ſtudens, ne ea quæ
in tractatu de capitis dolore antea dixe
rat, inutiliter repetantur; duntaxat
meminit eorum humorum, à quibus fre
quentius fieri vertigo conſueuit?

An ſub nomine phlegmaticæ comple
xus eſt etiam ſanguineam? An verò à
ſanguine fieri ſupponens trium iam di-
ctorum humorum breuiter meminit?
Quod verum hoc ſit facilè colligere
licet ex ſequenti capite de ſignis, vbi ſi-
gna ſanguineæ, & cholericæ vertiginis
dignoſcendæ in medium affert.

Vbi igitur aliquis horum humorum
collectus fuerit in capite nimia in quan-
titate, quàm par ſit, ab eo eleuatur va-
por, & fit vertigo per eſſentiam: quan-
do verò vapores aliunde eleuati fuerint
dicitur vertigo per conſenſum ab alijs
partibus, qui conſenſus, vt dictum fuit
cap. de dolore capitis, vel eſt à toto, vel
ab aliqua parte, nempe viſcere aliquo,
vt pote pulmone, ventriculo, iecore,
liene, & vtero.

Incipiamus ab ea, quæ per eſſentiam
in capite generatur. Iam verò cum à
materia tanquam à minera quadam in
capite contenta vapores efferantur; di-
gnum ſanè eſt, vt intelligatis hanc mate-
riam in caput per aliquem motum criti-
cum à natura tranſmitti, aliquando ve-
rò ad ipſum fluere, nonnunquam & in
ipſo colligi. Quouis modo ſuccedat, ca-
put patitur primariò, & per propriam
eſſentiam.

Vt verò dignoſcatur, quando vertigo
**A** eſt eſſentialis, & quando per conſenſũ,
opus eſt, vt ad ſigna recurramus, quæ
in hanc cognitionem nos ducunt; hæc
autem petenda ſunt ab Auic. à quo om-
nes practicantes deſumpſerunt, ſi quid
boni in hac mſteria de morbis particu-
laribus afferunt, & tamen aliquando
contumelioſè ipſum cum ſuis commen-
tatoribus reprehendunt, ne legentes eo-
rum verſutiem agnoſcant.

**B** Signa igitur vertiginis non aliunde
petenda ſunt, quàm ab Auicenna fen. 1.
3. tr. 5. cap. 2. qui primùm vertiginis per
eſſentiam nouem affert dignoſcitiua ſi-
gna.

Horum primum deſumitur ab effe-
ctus continuitate, quoniam hæc aſſiduè
caput tentat ſine aliqua intermiſſione.

Secundum, quia non ſequitur mor-
bus præſens alterius membri læſio-
**C** nem.

Tertium, quia non excitatur à reple-
tione ciborum, aut potuum, neque eti-
am ſedatur ob euacuationem, aut eo-
rundem inanitionem.

Quartum, dolores capitis, ſonitus, tin-
nitus antecedere ſolent propter motum
vaporum, & ventoſitatum in caput con-
tentorum.

Quintum eſt capitis grauitas ob va-
**D** porum multitudinem, & craſſam mate-
riam in eo contentam, à qua eleuantur.

Sextum eſt fixa, & permanens in o-
culis tenebroſitas propter atros vapo-
res, & humores viſiuis ſpiritibus com-
mixtos.

Septimum ſignum diminutio, aut de-
bilitas in guſtu, & odoratu.

Octauum ſignum eſt vehemens in
arteriis pulſatio, quę quamuis ſit inflam
**E** mationis ſignum; euenire tamen poteſt
in hoc caſu propter nimiam copiam fla-
tuum, & vaporum calidorum: & potiſſi-
mùm iſtud ſignum videtur magis propri
um vertiginis factæ ab humore ſangui-
neo, à cuius nimia copia eleuati vapores
earum ſubſtantiam replent, quo nomi-
ne cùm dilatantur, tangunt partes vici-
nas,

nas, ex quorum contactu fit ſenſus iſte pulſatiuus.

Nonũ eſt grauitas quædam in odoratu; non quidem, quod grauitas adſit in actu odoratus, ſed quia ob multitudinẽ materiæ in cerebri baſi contentæ, ſupra mammillares proceſſus, percipitur ab illis partibus grauitas quædam, ratione membranæ duræ cranio alligatæ, quæ ad oſſa æthmoidea, ac cribroſa extenſa terminatur ſub proceſſibus mamillaribus, qua à materia in ipſa imbibita extenſa, efficitur circa odoratus inſtrumentum hic grauitatis ſenſus.

Signa quoq; varietatis humorum ab ipſo docentur Auicenna, ac primò eius, quæ ab pituita naſcitur, quatuor ſunt.

Primum eſt ingens capitis grauitas, maior tamen in vertigine per eſſentiam, quàm in ea per conſenſum, quia phlegmaticus humor cęteris eſt grauior, qui primùm ſuo pondere caput grauat; deinde, quod ab eo eleuantur vapores augentes grauitatem.

Secundum eſt timor, ideſt ne alius, ac peior ſequatur morbus, nẽpe epilèpſia, à qua hęc vertiginis ſpecies parũ differt, aut eſt timor maior cadendi in terram, quàm in alijs vertiginis ſpeciebus: vel etiam timor ex in ſomnijs, vt fieri conſueuit, in quibus caput phlegmate plenũ exiſtit, ſomniantes cadere in aquam pro fundam cum timore ſubmerſionis.

Auicenna ponit ſolum timorem, qui à ſcriptoribus recipitur quidem, ſed non tamen rectè perpenditur, quia timor eſt proprium melãcholici humoris ſignum, vt ſuo loco manifeſtum fiet, vbi de melancholia erit ſermo; exiſtimamus tamẽ nos timorem in hac vertiginis ſpecie cum Iacobo de Partibus ita eſſe, vt diximus, limitandum.

Tertium eſt profunditas, & multitudo ſomni; nam ſenſus communis organum à vaporibus craſſis, & à pituitæ copia magis alligatur.

Quartum, & poſtremum accipiendũ eſt ab illis rebus, quę dominium humoris pituitoſi oſtendunt, de quibus ſupra.

Signa humoris bilioſi, etiam quatuor afferri conſueuerunt, & quamuis raro contingat ab hoc humore vertiginem effici, poteſt tamen fieri: & ab Auicenna eius ſigna traduntur, non ſecus atque aliarum ſpecierum ab alijs humoribus prodeuntium.

Primum ſunt vigiliæ immodicæ ex humoris caliditate, ſiccitate, ipſiuſque mordacitate, nec non & ab ipſa bile eleuatis vaporibus.

Secundum eſt inflammatio ab eadem cauſa eueniens.

Tertium eſt, quia nullus grauitatis ſenſus in capite ſentitur; nam bilis eſt cæteris humoribus longè leuior, vaporeſque ipſius nullum ſenſum grauitatis præ ſe ferunt.

Quartum, imaginationes ſunt citrinæ, vel aureæ, hoc eſt, ſimulachra rerum citrinarum, vel ante oculos, vel ante imaginationem, ob miſcellam vaporum huius coloris cum ſpiritibus animalibus.

Sanguineæ autem vertiginis ſex ſunt ſigna.

Primum eſt inflatio venarum capitis externarum, ſeu tumor earundem propter ſanguinis, & ſurſum vaporum multitudinem.

Secundum faciei, oculorumq; rubedo, atq; caliditas.

Tertium eſt grauitas capitis, ſed longè minor, quàm in pituitoſa.

Quartum ſignum eſt ſomnus longior, ac profundior, ſed minor, quàm in vertigine à pituita oborta.

Quintum eſt laſſitudo quædam ob ſanguinis, ſuorumq; vaporum multitudinem, muſculorum membranas totius corporis irrepentem.

Sextum eſt pulſatio arteriarum vehementior propter vaporum multitudinem.

Signa vertiginis melancholicæ à quatuor fontibus deſumi ſolent.

Primum eſt grauitas quædam, minor, quàm

quã in phlegmatica,ſed maior quàm ſit in cholerica, & ſanguinea.

Secundum eſt vigilia propter humoris ſiccitatem, ideo minor eſt, quàm in cholerica.

Tertium ſunt imaginationes rerum nigrarum, aut laminarum, vt inquit Auicenna, nigrarum: per laminas nigras duo intelligi poſſunt; vnum ſunt tumbæ marmoreæ nigræ, quibus mortuorum ſepulturæ teguntur, alterum laminæ lætæ nigræ.

Sed vtro accipiantur modo, parum meo iudicio refert, quia ſimulachra rerũ nigredinem præſeferunt, ratione vaporum ab atra bile eleuatorum, qui ſpirituum ſubſtantiam denigrant; atq; obiecta ita nigredine affecta imaginationi offerunt, quo nomine, & ipſa eadem veſte induta, vt ſibi offeruntur, iudicat.

Quamobrem ex hoc loco neq; colligi poteſt imaginationem læſam eſſe, quamuis afferat pro ſigno imaginationem corruptam; quandoquidem hanc ipſam, vt dictum eſt, duobus modis contingit coruptam eſſe; vel ratione ſubiecti, quo vtitur ad ſuas operationes obeundas, hoc eſt cerebri, vel ratione modi, quo ſpiritus obiecta recipiunt.

Primo modo imaginatio non eſt corrupta: ſecundo modo dicitur corrupta; quia iudicat obiecta, qualia à ſpiritibus offeruntur, quæ cum nigredine affecta ſint, ideo & nigra ipſa imaginatur.

Poſtremum ſignum ſumi poteſt à capillis, qui vbi nigri ſunt, indicium melancholiæ præbent. Sed huiuſmodi de capillis dictio ab Azarauio exponitur imaginationis ratione, quia vertiginoſus ob melancholiã imaginaturſe videre capillos nigros, aut etiam eoſdem per ſomnum intuetur. Alia ſigna ſupra dicta ſunt, & fuſiùs capite de melancholia proponentur.

A

## DE SIGNIS VERTIGINIS per conſenſum.

Primum à ventriculo fit vertigo, cuius malè affecti ſigna adſunt, vnde arguere licet ab ipſo prouenire: primò quidem ex regula illa vniuerſali à nobis dicta; nam affectio exiſtens in ipſo, aut dolor, vel aliquis alius affectus, ſtatim cerebro ob maximum neruorum commercium communicatur, & eo ablato itidē

B

& cerebrum ſtatim conualeſcit; vapores igitur eleuantur à ventriculo diuerſi generis ſurſum caput petentes.

Sed nonnunquam à ſola lege conſortij, abſq; vaporibus vertigo concitatur; & tunc eſt, inquit Auicenna, cum aliquibus maximè ſenſibile eſt os ſuperius ventriculi, quod ob inediam aliquãdo adeo inſigniter læditur, vt ſtatim læſio per neruos capiti communis fiat, cui niſi ſtatim

C

ſuccurratur, in vertiginem, & lypothimiam illi incidunt, quæ eſt vertigo per conſenſum à cauſa non proportionata materiæ, quæ contingit ijs, qui admarabile ſunt præditi, & eo tempore, quo ſunt ieiuni.

A vaporibus etiam vertigo è ventriculo elatis efficitur, eo repleto vel cibis, vel crudis humoribus, quod cognoſcitur ab appetitu tum abolito, tum depra-

D

uato, ex deprauata ventriculi coctione, ex cordis tremore ob maximum conſenſum oris ventriculi cum corde, quo nomine antiqui os ventriculi cor appellabant; præterea percipitur quædam laſſitudo, aut difficultas in motu thoracis.

Idem colligere licet ex diſpoſitione ventriculi mutata; & modo quo hominem vertigo inuadit; nam vbi reple-

E

tus eſt ventriculus, hoc eſt, poſt cibum vertiginoſi videntur liberari, & eo magis vbi multum ingurgitauerint, quia à multitudine ciborum prohibentur eleuari vapores à cruditatibus, quæ ſunt in ſtomacho.

Sed deinde augetur affectio, quando materia in ventriculo alteratur; quæ cũ

non

non poſſit digeri à ventriculi caliditate debili; multi vapores in caput eleuātur, & hoc Auicenna innuere videtur, quando inquit; quandoq; enim ſedatur, & quandoq; augmentatur ſecundum repletionem, & euacuationem.

Aliquando percipiunt vertiginoſi in ventriculo nauſeam, nonnunquam dolorem, ceſſatq; quandoq; vertigo, & fit interpolata: aliquando quibuſdam temporibus percipiunt quamdam inflammationem; non tamen veram inflammationem, ſed eam, quam Græci phlogoſim appellant, hoc eſt caliditatem quamdam in his potiſſimum, qui abundant birioſo, vel ſanguineo humore, quibuſue rarò fit vertigo; ſæpe verò in pituitoſis, & qui nimium cibo, & potui ſunt dediti.

A matrice in mulieribus ſæpe excitari vertigo conſueuit, quæ vt rectè dignoſcatur, opus eſt regulas prædictas de cognitione morborum per conſenſum obſeruare.

Primò igitur vterus paſſus eſt præfocationem, vel ſperma retinetur in eo, aut menſtruæ purgationes, vel aliquem tumorem præternaturam præceſſiſſe conſtat.

A veſica quoq; oriri poteſt vertigo, cuius notitia accipienda eſt à rebus iam dictis.

Itidem è iecore, vel corde, ad quorum cognitionem motus arteriarum, venarū plenitudo examini ſubijcienda eſt; quæ vbi magis pulſant, vel pleniores, quàm antea eſſent, videntur, circa ceruicem potiſſimùm, iudicandum vertiginem per eas fieri, ſi maximè illis ad collum medicamento aliquo applicato, aut manibus compreſſis, vel ceſſet vertigo, vel mitior reddatur.

Et ſic quoq; læſionem aliarum partiū cognoſcemus, & præcipuè ex 1. de locis aff. 5. ab earum actione læſa, à ſitu, ab excretis, à proprio ſymptomate, & à proprietate affectus.

Quæ verò à cauſis externis vertigo excitatur, adeo nota eſt, vt nulla opus habeat demonſtratione: Hæc de ſignis hactenus ſufficiant.

## DE FVTVRO EVENTV *Vertiginis.*

Vertigo in ſe rarò periculoſa eſt, ſed neglecta poteſt hominem ad epilepſiam, & apoplexiam ducere, qui ſunt lethales morbi; vnde aliqui ex antiquioribus vertiginem appellarunt paruam epilepſiam.

Si ab humoribus frigidis fiat, ad morbos iam dictos fit ſæpe tranſmutatio.

At ſi ab humoribus calidis, vel in furorem, vel in maniam conuertitur: aliquando ob humorū varietatem in morbum comitialem degenerat.

Vnde Aretæus de vertigine ſcribit; quod bile in vertigine per vomitum reiecta, furor enaſcitur: Atra verò melancholia, aut pituita exeunte, morbus fit comitialis, & Auic. ſcribit vertiginem frequenter in deſcriptis prænuntiare apoplexiam.

Inter alias vertiginis ſpecies longè difficilius curatur illa, quæ à frigidis fit humoribus. Quæ per conſenſum producitur faciliùs; ęgrè verò, quæ per eſſentiam, quòd à proprio cerebri vitio proueniat.

Quę recens eſt, & à ſanguinis copia proficiſcitur, facilius curatur, quàm inueterata, ea præſertim, quæ ab humore fit pituitoſo, aut melancholico.

Hyeme verò, ac veris initio magis hō mines corripiuntur vertigine, & illi potiſſimum, quibus cū ſoliti eſſent purgari per aures ab excrementis cerebri, de repente purgatio cohibetur: ſicuti ex Aetio, qui vino indulgent, & inebriantur, facilius in vertiginem recurrunt.

Vertigo tandem ſuccedens cephaleæ vel malę alicui affectioni, curatu admodum difficilis eſt.

Tandem futuri euentus indicia deſumi poſſunt ex facili, vel difficili ægrotantis tolerantia, à medicamentorum innamen-

mento, alijſq; huiuſcemodi:& hæc de prognoſticis.

## DE CVRATIONE VERTIGINIS *per victus rationem.*

VEnio ad curationem, quæ & ipſa triplici medicinæ inſtrumento, diæta nempe, pharmacia,atq; chirurgia auferri debet. Hæ in primis cauſam efficientem vertiginem reſpiciant; atq; exteriores, vt ſunt rotationes, reuolutiones, aſpectus voraginum, aut aliud quidpiam tale exterius hunc affectum producentia, auferenda veniunt; atque quantum fieri poteſt,robur capiti indatur, idque fortificetur.

Opus eſt igitur eos, qui à cauſa exteriori in vertiginem cadunt, ſtatim conquieſcere: deinde caput eorum aliquo oxyrhodino inungatur, de quibus ſupra à nobis dictum eſt cap. de cephalæa.

Rondeletius proponit puluerem exhibendum.

℞. Coriandrorum coopertorũ,vnc. iſ.
Aniſor. condit. vnc. j.
Fœniculi conditi, drach. ij.
Diacydonij ſine ſpecieb.drach. j.ſſ.
Coralliorum ſubt. pulueriz.
Sem. pęoniæ mundat. ana drach.ſſ.
Sacchari quantitate ſufficienti ad omnium doſim fiat puluis.
Doſis ſit ad drach. j. vel drach. j.ſſ.

Hac quidem ratione fieri poterit, vt caput corroboretur,ac deinde aſſueſcãt rebus iam dictis ſine vertiginis acceſſione.

Vertigo autem ab ebrietate ea curari ratione poterit, quemadmodum in cap.de dolore capitis ex ebrietate à nobis dictum fuit.

Illa etiam, quæ à vulnere excitatur, per vulneris curationem tollitur.

Quæ verò ab interna aliqua cauſa proficiſcitur, curari poterit, ſi prohibebimus primùm, ne amplius augeatur, & illa, quæ facta iam eſt, de medio tollatur. Inhibebimus non augeri morbum, ſi curauerimus non amplius generari in corpore humorem peccantem, & ille qui in corpore genitus eſt, prohibeatur ferri in caput.

A

Vt verò tollamus generationem humoris peccãtis, ad materiam,& ad cauſam efficientem reſpiciendum eſt: materia verò pertinet ad ſex res nonnaturales, ideo ſi ſanguis peccet, ipſius materiam,nempe alimentorum quantitatem ſubtrahere oportet, nec non alias res non naturales animaduertere.

B

Primoq; aer eligendus venit(non ſolum in ſanguinea vertigine, ſed etiam vniuerſaliter in omnibus) lucidus, purus, ſerenus, diurnus, ac benè temperatus.Euitandus,quãtum fieri poteſt,craſſus, turbulentus, caliginoſus, & qui auſtralibus ventis eſt expoſitus: nocturnus quam maximè fugiendus,ille præſertim, qui à lunæ radijs eſt illuſtratus.

C

Gibus autem in omnibus vertiginis ſpeciebus ſit boni ſucci, facilis coctionis: in hac tamen vertigine nimia quantitas mala, mediocris bona. Præterea opus eſt,vt ſit flatuum, fuliginum,atque vaporum expers, ne caput tentare poſſit, ideo victus ratio communis tam ſanguineæ, quàm bilioſæ inſtitui poteſt ex ptiſana hordeacea,halica & condro perfectè cocto.

D

Panis quoque ſit benè coctus,ac maceratus in iure gallinaceo.

Inter carnes illę pullorum gallinaceorum, columbarum, paſſerculorum,aliarumq; montanarum auium, hœdorũ, ac vitulorum, quæ præſertim elixę ſint cum ſucco granatorum, nec non ſucco omphacij aſperſę, probantur.

E

Oua ſorbilia, tremula, piſces ſaxatiles, & huiuſmodi proſunt. In iuſculis carnium iam dictarum intubus,endiuia, oxalis,ſpinacium,blitum,ebulliri poſſũt: atq; carnes, & piſces iam dicti cum ſucco granatorum, limoniorũm, vel modico aceti roſati vel omphacij conditi calidam,ſed bilioſam pręcipuè patientibus

ver-

vertiginem tutò offerri poterunt. Vua quoq; penſilis matura concedi quidem inoxiè poteſt.

A vino abſtinendum eſt, quod caput nimium tentet; ſed ex Aretæi decreto loco ipſius aquam ſimplicem, vel coctā cum oxyſacchara, aut iulapio violis cō-dito: & vbi vinum exoptent ægrotantes, ex granatis medij ſaporis parari oportet; ſimulq; cum aqua admiſcere, vel poſcam cum ſaccharo parare, ac parum ebullire.

Si tamen vino ſit vtendum, tenue, ac pauciferum, quod oligophorum vocāt, concedi tutò poterit.

Somnus immoderatus euitandus, atq; potiſſimùm diurnus, quod vapores in caput trahat: è contra vigiliæ cruditates facit, ac laborem affert, mentemq; & corpus contriſtat; vnde mediocris ſomnus ad alimenti diſtributionem, & diuturnorum laborum leuationem vtilis eſt.

Exercitatio debet eſſe moderata, ſed in qua corpus reſolui non poſſit; ideò dum quieſcunt partes ſuperiores, inferiores moueri eſt ſatiùs, propterea frictiones brachiorum, & crurum hoc in caſu vtiles ſunt.

Animi quoq; affectiones vehementes fugiendę erunt, vt ira, excandeſcentia, contentiones, & id genus, quæ caput calefacere poſſunt, ac fumum in ipsū trahere vapores.

Vſus veneris vitandus eſt, niſi fortè præſens affectus veniat ob ſeminis retentionem; tunc enim moderatus vſus per interualla conferre ſolet.

Aluus clyſteribus ſubducenda, de quibus ſuperiori capite ſatis dictum eſt; vel balanis acrioribus, ſeu glandibus.

## DE CVRATIONE VERTIGINIS *per chirurgiam.*

Si vertigo fuerit à ſanguine, nullum requiritur medicamenti genus nec alterans, nec ſoluens ventrem: ſed ſo-

A lummodo victus ratione, & chirurgia curatur. Ideo Raſis duo proponit auxilia huic ſpeciei competentia, vnum eſt ſanguinis extractio, tum per venæ ſectionem, tum per cucurbitarum ad tibia applicationem. Alterum eſt oxyrhodini cuiuſdam applicatio ex oleo roſato, & aceto.

Siue igitur vertigo ex ſanguine fiat per eſſentiam, ſiue per conſenſum totius corporis, quàm primùm ad ſanguinis

B miſſionem recurrendum eſt. Sed à qua vena brachij ſit educendus, non ita clarum eſt; nam Raſis hoc loco ex baſilica venā, Auic. verò ex cephalica eſſe extrahendum ait.

Deinde alia eſt controuerſia de mittendo ſanguine poſt aures, an ſcilicet mitti debeat, nec ne? pro parte affirmatiuā eſt Auicenna loco citato, qui non

C modò poſt aures eſſe mittendum ſanguinem docet; ſed quod magis eſt, addit in omni vertigine à materia prodeunte, ab hac vena ſanguinem mittendum eſſe. Idem vult Raſis 9. ad Almanſ. cap. 2. licet contrarium habeat primo contin. cap. 2. cui fauere videtur Gal. authoritas 3. de locis aff. 8.

Pro ſolutione primæ difficultatis ſcire debetis ſanguinem è corpore eſſe

D mittendum euacuationis, aut reuulſionis gratia, quēadmodum 4. meth. med. à Gal. ſcriptum eſt, magnus enim morbus, qui aut à ſanguinis plenitudine, aut eiuſdem impetu prouenit, indicat tantum auxilium ſanguinis miſſionem. Aliquando igitur ſanguis euacuandus eſt, aliquando reuellendus, nonnunquam ſimul euacuandus, & reuellendus.

E Quando euacuandus eſt, tunc mittitur ex illa vena, quæ immediatiùs ab hepate tanquam à fonte euacuat, ſanguinemq; exhaurit: hæc autem vocatur baſilica, & à venis axillaribus ortum ducit, & magis immediatè ſanguinem ab hepate fert, quàm faciat cephalica, quod ipſa à iugularibus venis oriatur,

quæ

quæ paulò altiùs à vena caua emergit, ac faciat baſilica, & ab ipſis iugularibus, quæ in caput feruntur, prodit, ex qua propter colligantiam, ac cōſenſum, quæ cum illis habet, cuiuſq; rectitudinem, aptior videtur ad reuellendum ſāguinem à capite.

Ideo quando Raſis dixit ſanguinem mittendum eſſe ex baſilica, hoc eſt vena iecoraria, conſiderauit multitudinem, quando autem Auicenna ſcripſit eamdem ſanguinis detractionem ex cephalica fieri oportere, tunc motum ipſius ſanguinis compeſcendum eſſe, atq; à capite auertendum reſpiciebat, proinde nulla eſt controuerſia.

Quando verò vtraq; ratione in hoc affectu eſt mittendus ſanguis, tunc mediam venam ſecare expedit, & hoc eſt, quod Raſis 1. diuiſ. cap. 6. ſcriptum reliquit, quando dixit in præſenti affectu modò ex cephalica, nonnunquam ex baſilica, aliquando verò & ex communi, pro varia ſcilicet medentis ratione, poſſe tutò mitti ſanguinem: & hæc pro prima difficultate.

Secunda paulò (mea quidem ſenten tia) difficilior videtur, pro cuius ſolutione ſcire licet ſanguinem euacuari reuulſionis cauſa, & deriuationis. Reuulſio fit à contrarijs locis cōnſenſu venarum ſeruato, vt quando ex cephalica mittitur ſanguis, ſeruatur cōnſenſus, quē cephalica cum venis iugularibus ad caput diſtributis habet, nec non & contrarietas, quæ ſecundùm longitudinem eſt.

Deriuatio autem fit ab eadem parte, aut à propinquiori, propterea qui dicunt ſanguinem à locis poſt aures eſſe educendum, exiſtimant poſſe deriuari materiam à capite, & trahi ad loca poſt aures.

Auicenna igitur poſt vniuerſalem euacuationem ad deriuandam materiam à capite exiſtimat eſſe veniendum, ac mittendum ſanguinem ex hoc loco: & cum ait in omni id vertigine agendum

A eſſe, de omni ſanguinea, aut in omni ſpecie, in qua mixtus ſit ſanguis, intelligitur quo pacto idem quoq; Raſis accipitur 9. ad Almanſ. cap. 2. vbi concedit hanc ſanguinis miſſionem ex venis poſt aures: 1. verò contin. cap. 2. conſiderans vertiginem factam à phlegmatica materia dicit non eſſe mittendum ſanguinem ex loco poſt aures, ſed medicamento expurgandum eſſe caput.

B Galenus autem nec Auicennæ, nec Raſis ſententiæ aduerſatur, quia non negat ſanguinis miſſionem, ſed dicit nō eſſe omnibus vtilem: præterea Gal. loquitur de ſectione arteriarum, Auicenna de venis, quæ ambæ ſecādæ ſunt pro varia cauſa efficiente; nam ſi à ſanguinis copia vertigo fiat, vena poſt aurem ſecanda.

C At ſi fiat ab humore bilioſo ſurſum per arterias elato, tunc opus eſt maiori conſideratione; nam vel ſurſum materia per arterias iugulares, ac ſoporarias, vel per plexus choroideos fertur: ac primo modo iuuat per arteriam ſanguinis miſſio: ſi verò per proceſſus iam dictos feratur, non ſemper ex ſanguinis miſſione iuuamentum percipitur, & hoc eſt quod Gal. loco præcit. dicebat.

D Ex dictis concludendum eſt poſſe aliquando poſt aures deriuationis, & euacuationis gratia mitti ſanguinem, modò ex vena, modò ex arteria, nōnunquam ab illa abſtinendum pro varia cauſa ipſius vertiginis: & hæc ad ſecundam difficultatem.

Sed dicet quis rectè quidem determinatum eſt de illa ſanguinis miſſione, quæ per venam ſectam, aut arteriam fieri conſueuit, ſed de cucurbitulis nihil

E hactenus dictum eſt, quod declarandum iunioribus eſt: & hoc non ſine ratione inquiritur, quia Raſis noſter docet cucurbitulas eſſe applicandas cruribus, Auic. verò ad nocrati, hoc eſt ad regionem primæ vertebrę thoracis, quę forte illa eſt, quæ ab Hipp. magna vertebra appellata fuit, nec non & capitis

Di-

Dicendum huic difficultati, & tibijs, & capiti eſſe applicandas cucurbitulas, ſed alia,& alia ratione;nam in principio fluente materia in caput, debemus cruribus applicare cucurbitas, quia eo loci applicitę cauſam antecedentem reuellunt.

Vbi verò materia iam fluxit tota in caput, vel adhuc in venis eſt, vel extra venas deducta: primo modo cucurbitæ applicari debent, vt deriuetur materia, atque ſi firma eſt in capite, illæ capiti quidem applicandæ veniunt, vt cauſa coniuncta euacuetur.

Ex quibus luce clariùs apparet nullã eſſe difficultatem in cucurbitulis, ſi (vt decet) intelligantur authores: nec non & in curatione methodicè procedatur, quemadmodum Auicenna, & Raſis faciunt, qui diuerſa habita intentione curandi, modò ad crura, modò ad primam dorſi vertebram nonnunquam, & capiti cucurbitulas affigunt, & ceruici.

Hiſce igitur remedijs ſuccurritur vertigini factæ à ſanguine,ſed quia raró,aut nunquam contingit à ſolo ſanguine, quatenus eſt quarta maſſæ ſanguineæ pars, fieri huiuſmodi affectionem,quia bilis, vt plurimùm ſanguinem concomitatur;hinc eſt,quod Raſis proponit medicamentum illud ex myrobalanis, atq; tamarindis, quod etiam in cephalalgia à ſanguine propoſuit, & nos ſatis abundè ipſum amplificauimus, modumque componendi docuimus.

Sed quod ad reuulſionem, deriuationemue attinet,non modò ea vtilis eſt in ſanguinea, ſed in cholerica, imò in omnibus ſpeciebus virtiginis, ideo vrgente indicatione ad illud auxilium accedendum eſt.

Et hæc ſint ſatis de locali curatione vertiginis ſanguineæ, nunc ad eam, quę ex bile fit (licet raró contingat) deueniре oportet,cui eadem victus ratio,quàm ſupra attulimus, competit, niſi quod,vt diximus in capite de cephalęa à bile orta, magis refrigerandum,atq; humectandum eſt in hac ſpecie, quàm in ſanguinea, idquæ non modò victus ratione, ſed pharmacia fieri poteſt, nempe ſyrupis, qui vim incraſſandi,ac refrigerandi bilem habent, de quibus in cephalalgia à bile ſatis dictum eſt, ijſque vti vnuſquiſq; veſtrum poterit in hoc caſu vrgente neceſſitate.

### DE CVRATIONE VERTIGINIS *per Pharmaciam.*

AD educendam verò materiam biliosam è corpore,ita vt ex hac euacuatione prohibeatur ea in caput ferri, Raſis, & Auicenna proponunt decoctũ iam dictum ex myrobalanis: Auicenna addit epithymi decoctum, aliaque quæ bilem educendi facultatem habent, de quibus ſupra, atq; etiam in alijs caſibus habebitur ſermo, quorum vſus quàm maximè probandus eſt.

Quo ad localia medicamenta, eadem prorſus iam dicta optima ſunt. At ſi phlegmatica,& melancholica ſit, recurrendum eſt ad ea, quæ attulimus, medicamenta cap. præcitato; ſiquidem eadem conueniunt tam alterantia, quàm ſolutiua,necnon & localia medicamenta huic ſpeciei vertigini, quę cephalalgiæ à pituitoſa materia.

Ideo ne eadem repetantur, ſilentio prætermitto: nonnulla etiam in poſterum dicturus, nempe ea, quæ propria vnicuiq; affectui ſunt, quemadmodum in hoc affectu eſt medicamentum illud, quod Meſue deſcribit lib. 2. cap. 16. quod non ſolùm vertigini phlegmaticę, ſed cui bilis admixta ſit, competit,quod recipit hieram picram, agaricum, epithymum, omnes myrobalanos, & ſtœchadem, vnde parari poſſet hoc modo.

℞. Hieræ picræ.
Agarici optimi,
Myrobal. omnium,
Stœchados,
Epithymi, ana drach. j.
Cum melle deſpum. excipiantur, &

fiat maſſa.

Doſis à drach. ij. ad vnc. ſſ.

Si verò vnica purgatione non cedat affectio, iteranda eſt altera, deinde ad decoctum guaiaci, ſarſæ, ſasfras, china-rum, & id genus eſt properandum, præcipuè tamen, vbi non cedat affectus.

Pro cauſa coniuncta tollenda, & ſenſibiliter euacuanda nullum eſt præſtantius remedium, quàm cauterium: hoc autem affigi debet vel occipiti, vel ſincipiti, prout opportunius medico videbitur, de quo aliàs.

Viſcera demum ſunt corroboranda medicamentis intus ſumptis, ideſt conſeruis quibuſdam ante prandium, vt eſt conſerua bettonicæ, anthos, ſaluiæ: ſimulq; eis admiſcere oportet modicum mithridatij, vt

℞. conſ. ſaluiæ,
Betton.
Roſmarini, ana drach. iij.
Confect. mithridaticæ, drach. ij.
Miſce, & diuidatur in v. partes, cuius vna pars ſumatur ſingulo mane cum iuſe, in quo bettonica ebullierit.

Ad caput autem corroborandum.

℞. Aromat. roſ.
Diarhod. ana drach. j.
Sacch. diſſol. in aqua bettonicæ q. ſ.
fiat confectio.

Vti quoq; poterit æger, ſi opus fuerit, errhinis, ſternutatorijs, maſticatorijs.

Pro errhino.

℞. Sem. nigellæ, drach. j.
Nitri, drach. ſſ.
Cum oleo antiq. fiat errhinum.

Pro ſternutatorio.

℞. Succi maior.
Betæ, ana vnc. j.
Cucum. ſylu. vnc. ſſ.
Nigellæ, drach. j. m.

Pro maſticatorio.

℞. paſſul. enucleat. vnc. j.
Hyſſopi,
Maior.
Acori conditi.

A Sem. ſynapis, ana drach. j.
Piperis, drach. ſſ.
Maſtiches quantitate ſufficienti, fiat maſticatorium.

Si verò à ventriculo veniat vertigo ex Auic. & practicantibus, qui Galenum imitantur, vomitus in primis concitandus, pro quo prodeſt aqua in qua anethi & raphani parum ebullierint: deinde in aqua ſal, & mel ponantur. Nec non B ex prædictis authoribus euacuandus eſt ventriculus cum pilulis de hiera, ſi præcipuè virtus conſtet; quæ vbi parum valeat, infuſio aloes probatur ab Auic. queq; poſtrema medicamenta exhibenda veniunt præparata materia.

At ſi ab alijs partibus euenerit, vt ab vtero, iecore, corde, tunc vniuſcuiuſq; viſceris malè affecti indaganda eſt C cauſa, quæ auferenda venit, & alijs medicis inſtrumentis, de quibus ſuo loco.

Sin autem ex inanitione, atq; imbecillitate oris ſuperioris ventriculi vertigo euenerit, tunc rebus ſtipticis ſuccurrendum. eſt ſtomacho, quemadmodum eſt vinum granatorum, in quo infuſum ſit vel panis fruſtulum, aut biſcocti portiuncula; vel vinum auſterum, vel rob ex fructibus ſtipticis, atque immaturis; inter quæ primum locum obtinet omphacium. D

Supereſt, vt breuiter acceſſioni ſuccurramus, in qua in primis ægrum excitare oportet odoribus quibuſdam gratis, qui animales ſpiritus recreare, queant, nec non præſidijs à capite auertentibus.

Sedante omnia curandum eſt, vt æger quieſcat; proinde ſunt, qui ipſum ſupinum ità collocant, vt nates ſint capite altiores; deinde crura, & fœmora, E vt ei fricentur iubent, artus arctè ligentur, glandes, atq; clyſteres immittantur, atq; inungatur anterior capitis pars oxyrhodino.

Aqua roſacea, & acetum roſaceum odoranda offerantur, & ſimilia: ſæpius confert vomitum excitare: ſunt, qui the-

ria-

riacam,& mithridatium concedunt:hoc tamen periculoſum eſt nondum expurgato corpore: nihilominus quando cura eſt coacta, licet omnia experiri, nihilque intentatum relinquere.

Et hæc dicenda erant pro curanda qualibet vertiginis ſpecie.

Sunt modò nonnulla, quæ proprietate occulta opem ferunt omni vertigini; inter quæ primùm eſt vnguis alcis, A quòd vulgò (la gran beſtia) vocatur, ſiue in anulo aureo, ſiue argẽteo concluſus feratur. Decoctiones quoq; ipſius ſub apozematis forma ſingulo manè acceptæ ex vſu maximè ſunt. Alij radicem ireos ſecum ferunt putantes eſſe ab huiuſmodi morbo ſecuros. Magnes etiam capiti admotus, ſua occulta qualitate, vt aliqui aiunt, tollit vertiginem.

# DE PHRENITIDE.

## CAPVT OCTAVVM.

POST Tractatum vertiginis ſequitur phrenitis examinanda, de qua Raſis noſter oratíonem inſtituit immediatè poſt vertiginem: quod non ſine ratione factum videtur, quia cum docuiſſet curationem capitis doloris, qui omnium capitis morborum videbatur vniuerſaliſſimus, propterea quod ab vnaquaque humoris ſpecie fieri poſſit, & demonſtraſſet eſſe, vel per eſſentiam, vel per conſenſum, & de hac ſecunda ſpecie in fine pertractaſſet, quę à vaporibus eleuatis, & in caput delatis conſequutione quadam prodit, poſt eum tractatum addere voluit vertiginem, tanquam capitis affectionem à vaporibus à qualibet materia eleuatis enatam.

Modò autem meritò tractationẽ aggreditur eorum morborum, qui ab vnico fiunt humore, aut ſaltem ab vnica humorum qualitate, nempe calida, vel frigida, & primò auſpicatur à phrenitide, quæ ab humore fit calido, de qua quidem ea prorſus inueſtiganda ſunt, quæ de alijs huc vſque contemplati ſumus, nempe definitionem, cauſas, ſigna, prognoſtica, atque curationem.

Phrenitis igitur nomen grecum eſt, quod & παραφρονεῖν dicunt, quaſi per febrem, aut morbum inſanire, vnde phrenitis, quo ad etymologiam nihil aliud ſonare videtur, quàm inſaniam, à læſa mente græcè φρένας vocata C deductam. Vnde eſt, quod Hipp. primo prorret. referente Gal. in comm. omnem affectum, in quo mens læſa cernitur, adeſtq; delirium, phrenitidem appellauit.

Quod delirium duplex eſt, aliud quod dicitur per eſſentiam in capite; aliud per D conſenſum: primum quidem phrenitis dicitur: ſecundum verò appellatur, παραφρένισις, quam alij putant ex inflammatione ſepti tranſuerſi, quod φρένας dictum fuit, ortum ſuum ducere.

De prima ſpecie in præſenti erit ſermo principaliter, quæ propriè phrenitis, vel phrenæſis, vel etiam à noſtris delirium dicitur.

Eſt autem hæc affectio apoſtema calidum in vtroq; cerebri velamine, hoc E eſt tumor præternaturam calidus vtriuſq; cerebri membranæ, nempe duræ, atque piæ.

Ex qua quidem deſcriptione, & ſi nõ habeamus formalem ipſius eſſentiam, ſaltem colligimus primò cauſam, quæ eſt tumor; deinde partem affectam, quæ eſt vtraq; cerebri membrana, non autem ce-

cerebrum: (quamuis Gal. 2. de cauſis ſympt. cap. vlt. apertè ſcribat phreniti- dem eſſe inflammationem ſecundùm ce rebrum, eiuſq; membranas, ſicut etiam ſentire viſus eſt 1. de morbis vulg. ſec. 2. com. 73.)

Sed in huiuſmodi re determinandâ non eſt, vt multum temporis conteras tur, cùm exigui ſit momenti, & in praxi nullius vſus, quemadmodum doctè ad modum Altimarus admonet; ſatis enim eſt ſtudioſis, vt intelligant phrenitidem generari eo in loco, in quo princeps ani ma reſidet, nempe in cerebro ſuis mem branis reuoluto, quarum pia eodem docente 4. de cauſis pulſ. 4. adeo te- naciter ipſi cerebro adhæret, vt neceſſe ſit vno horum affecto, & aliud quoque lædi.

Et quamuis dura paulū recedat, à pia, tamen tantus eſt venarum conſenſus, vt vix credibile ſit poſſe eam lædi, quin læſio ſubiectis partibus communicetur, potiſſimùm ſi inflammatio fuerit.

At verò Gentilis ſupra Auicennæ tex tum videtur diuidere phrenitidē, vel vt includit phlegmonem, & maniam; vel vt contradiſtinguitur, quare primo mo- do eſt apoſtema panniculi, vel cerebri ſubſtantiæ, in qua ſignificatione plures authores ſimul cum Halyabbate ipſum acceperunt: ſecundo modo eſt apoſtema panniculorum abſq; corpore; poteſt ta- men communicari cerebro.

Gentilis fuit ſubtilis indagator, inde eſt, quod diuiſio cum tenuis, & ſubtilis ſit, facilè euaneſcat; nam ſi phrenitis in- cludit phlegmonem, quomodo ſeiungi poterit ab apoſtemate, cum phlegmone nihil aliud ſit, Gal. authore, quā tumor, ſeu apoſtema à ſanguine ortum ducen- te?

Deinde Gentilis in ſecundo modo diuiſionis inquit, quod phrenitis, quāte nus ſeiungitur à phlegmone, eſt apoſte- ma panniculorum abſq; corpore, & po- teſt tamen cerebro communicari; vnde ſi ſeiungitur à phlegmone, vel ſeiungitur ab ipſa, quatenus eſt inflammatio, & differt ab ea in ſpecie; vel conuenit cum ipſa in eodem genere, nempe vt eſt tu- mor: ergo opus erit, vt ſit eryſipelas, aut alius tumor, nēpe œdema, ſcirrhus, cā cer, vel aliquid ex miſtis humoribus.

Sed vtcunq; accipiatur, non eſt ma- ior ratio, quod membranis eueniat, quā ipſi cerebro, niſi dicamus id, quod à Gal. 14. meth. 3. ſcriptū fuit, vbi inter phleg- monem, & eryſipelas differentias ſtatu- it, ſcilicet, quod phlegmone eueniens partibus corporis externis, magis cuti accidit, ſin viſceribus, vtcumq; eueniat eryſipelas, magis partes exteriores cuti proportione correſpondentes inuadit.

Quo nomine dicere poſſumus duram membranam magis, & faciliùs eryſipe- las pati; & hinc poſſibile eſſe, eam apo- ſtemate eryſipelatoſo vexari, cerebri ſubſtantia illæſa manente: itaque cum phrenitis ſit apoſtema modò phlegmo- noſum, modò eryſipelatoſum, magis à phlegmone cerebrum læditur; durā verò membranam magis ab eryſipelate; ſed cum cura ſit eadem; nam ad cerebrum ſuis membranis inuolutum dirigitur, pa rum refert, vt ſupra dictum eſt, tam dili- gentem facere inquiſitionem.

Addo, quod vix cognoſci poteſt, an membrana, an cerebrum læſum fuerit; ſed omnes medici ad curationem ſtatim ſe conferunt, nulla facta membranarum, aut cerebri diſtinctione; quia vix in ſe- ctione hæc ab inuicem diſtingui poſ- ſunt.

Sed cùm ab Auicenna tradita ſit hu- ius affectionis definitio per ſolam cauſā efficientem, opus eſt, vt videamus, quā formalitatem habeat, & à qua proficiſcā tur materia, hoc eſt, quæ ſit formalis, & materialis ipſius cauſa.

Capiuaccius in hunc definiuit modū, phrenitis eſt actio principalis cerebri deprauata dependens ab intemperie cā lida cum materia coniuncta cum tumo- re calido membranarum.

Quæ definitio non mihi ſatisfacit, pri mò

mò quidem, quia indefinitè eſt tradita per læſionem actionis principalis; nam cum triplex ſit ex Gal. doctrina 1. de cauſis ſymp. 3. actio principalis, quæ hegemonica ab eodem dicitur, imaginatiua nempe, ratiocinatiuã; atq; memoratiua, cuius ſit læſio, non declarat.

Deinde, quia memoratrix actio non læditur deprauatè, ſed aliquando abolitè, nonnunquam verò illæſa permanet: non poteſt igitur ita largè definiri, cum hæc, quæ eſt actio principalis, non poſſit deprauari.

Præterea cum aliquando imaginatiua, ſæpe verò intellectiua, non rarò autẽ ambæ vitientur; non poſſumus ita abſolutè de hac cerebri læſione loqui, opus eſt igitur determinare, cuius nam actionis principalis ſit actio deprauata.

Inſuper vbi dicitur dependere hanc læſam actionem ab intemperie calida, cum materia, coniuncta cum tumore calido membranarum, non videtur mihi aſſignari immediatam, & efficientem cauſam; nam cum hæc cerebri actio ab ipſo tanquam à membro organico proficiſcatur, oportet etiam, vt ipſum lædatur tanquam membrum organicum; at membri organici morbus non eſt intemperies, ſed partis ſimilaris, vt Gal. docet lib. de diff. morb. cap. 12.

Succedit, quod qui dicunt tumorem calidum, amplectuntur intemperiem calidam, vt Gal. author eſt 13. meth. cap. 9. quia à tumore calido nõ poteſt ſeparari calida intemperies: vnde rectè ab Auicenna tumor definitus eſt, quod ſit morbus ex triplici morborum genere, intemperie videlicet, ſolutione continui, & mala compoſitione.

Et meritò quidem; nam eſto, quod fluat materia calida in aliquam partem, vel à parte tanquam à dolente, & nimiũ calefacta attrahitur, vel ab aliquo membro pellitur, vel quantitate, vel qualitate grauat, ſtatimq; vbi fluxa eſt, & in partem recepta, putreſcit, quemadmodum omnia calida extra propria loca; quare ſemper adeſt intemperies calida.

Atqui quomodo in partem recipi poteſt, niſi ſoluatur continuum? Deinde quantitas partis, figura, ſitus, numeruſq; partium fabefactatur; quare vbi adeſt tumor, adeſt & intemperies.

In hoc caſu cerebrum patitur, vt organum à tumore calido, & potiſſimùm ſecundum ipſius, eiuſq; membranarum quantitatem adauctam. Addo, & figuram ſecundùm ſuperficiem exteriorem lædi, nempe ſuas membranas, quæ & ipſæ, cum ad meliorem actionem concurrant, vbi læduntur, actionem vitiari neceſſe eſt; quemadmodum quoq; parum infra videbimus, dum de non vera phrenitide fiet ſermo; nam demoſtrabimus differre à vera, quia ſolùm membranæ læduntur vt ſimilares partes: in vera autem, de qua nunc agimus, patiuntur, vt organicæ, nempe earum quantitate adaucta; cerebrum verò læditur reſpectu externæ ſuperficiei.

Cum igitur ſub tumore calido contineatur calida intemperies cum materia, ſuperflua videtur illa particula, vbi dicitur, eſſe intemperiem calidam cum materia: & quamuis adſit intemperies calida, cerebrum læditur à tumore calido, non ab intemperie, niſi per accidẽs.

Nos verò hanc phrenitidis exiſtimamus eſſe vera m definitionem.

Phrenitis eſt imaginatio, aut ratiocinatio, vel vtraq; ſimul deprauata, principaliter læſa à tumore calido. Hanc definitionẽ ex lib. 1. prorrett. comm. 2. 2. de cauſis ſympt. 8. colligere vnuſquiſq; veſtrum facilè poterit.

Forma huius definitionis eſt læſa imaginatio, aut ratiocinatio, quia vt patet apud Gal. ex Theophilo medico, imaginatio aliquando læditur, non læſa ratiocinatrice; is enim exiſtimabat tubicines in cubiculo adeſſe, quos eijci clamabat, at in reliquis rectè diſcurrebat: in altero verò lib. de diff. ſympt. 1. è contra, ratiocinatio læſa erat, illæſa manente imaginatione; nam omnia vaſa nominabat,

bat, ſed extra feneſtras eadem proiecit, nulla alia ratione, vt inquit Galenus, niſi quia non diſcurrebat.

Meritò igitur diximus modò imaginationem, modò rationem læſam eſſe: addidimus & vtriuſq; læſionem, quia plerumq; in phreneticis tam ratiocinatio, quà imaginatio læditur, & eſt, quandoq; deceptio circa imaginationem, & ſimul deprauatio circa ratiocinium, accidit: quod in ſemetipſo Gal. expertus eſt; nam dum Romæ eſſet, dicebat ſe velle ingredi balneum ſibi Athenis, vbi exiſtimabat eſſe, paratum; libro 2. de motu muſc. 6. idem illi contigit cum febre laboraſſet acuta, in qua floccos colligebat, quos exiſtimabat eſſe in ſtragulis 4. de locis aff. 2.

Addimus differentiam modi læſionis nempe deprauatè, ad differentiam aliarum capitis affectionum, in quibus aboletur vnaquæque iam dictarum actionum, vel ambæ ſimul.

Dictum eſt, à tumore calido enatam, vt ab omnibus ſeiungamus delirijs: primò quidem à paraphreneſi, quæ fit ab intemperie, & eſt per conſenſum: hic verò denotatur permanentia humoris in capite.

Tertiò diximus tumorem eſſe calidum, vt demonſtremus ipſum eſſe vel phlegmonem, nempe à ſanguine ortum, aut eryſipelas, quod à bile enaſcitur, ad differentiam eius delirij, quod fit à melancholico humore.

Quos quidem tumores cum ſemper febris aſſociare ſoleat, hinc colligitur phrenitidem habere ſemper adiunctam febrem, ad differentiam deliri, ſine febre, vnde eſt, quod Gal. appellauit phrenitidem delirium perpetuum cum febre ad differentiam paraphreneſis, quæ habet lucida interualla.

Et hæc de definitione, propero ad cauſas.

## DE CAVSIS PHRENITIDIS.

Cauſarum aliæ externæ, aliæ internæ ſunt: priores dicuntur vigiliæ, ira, exercitatio, nimia ſolicitudo, ambulationes in ſole, ex Auezoar, ſtudia, nimius vſus ciborum calidorum, necnon vſus vini generoſi, aquæ vitæ nimia, & frequens potio, vnde Moſchouij qui potu aquæ vitæ delectantur, ſæpe incidunt in hanc affectionem.

Cauſa verò interna, & proxima eſt humor calidus, & ſiccus, ex 3. de cauſ. ſympt. 3. vnde notate Vidium iuniorem, qui lib. 2. de curat. memb. cap. 6. ſcribit ex hoc Galeni loco cauſam eſſe intemperiem calidam, & ſiccam cum humore eiuſdem generis, quod tamen elici non poteſt.

Nam aliud eſt dicere humorem calidum, & ſiccum eſſe cauſam, & aliud eſt dicere intemperiem calidam, & ſiccam cum materia: in hoc caſu adeſt tumor, vt ex Auicenna diximus, qui calidus eſt, quia ab humore calido proficiſcitur, in quo non modò adeſt intemperies, ſed omne morborum genus, vt ſupra probatum eſt.

Cum igitur tumor calidus ſit, neceſſaria cauſa erit ſanguis feruidus, vt ex Galeno habetur 2. in 6. epid. comm. 38. & Paulo lib. 3. cap. 6. atq; billioſus, vel bilis flaua, aut pallida, ſeu atra bilis, quæ ex flauæ bilis aſſlatione fit, vt ex Tralliano habetur lib. 1. cap. 13. & à Paulo lib. 3. cap. 6. qui ſanguis non modò redundare debet, ſed efferueſcere, atq; in capite putreſcere; ex quo quidem non modò phrenitis oritur, verùm & febris admodum ardens.

Sed humores iam dicti, quia calidi ſunt, efficiunt quidem phrenitidem; ſed prout inter ſe ſecundùm magis, & minus tum calidi, tum mordaces exiſtunt, varias quoq; phrenitidis ſpecies producunt: cùmque triplex ſit bilis, flaua nempe, pallida, atq; atra, à pallida mitior oritur phrenitis; à flaua vehementior, &

cum

ſum aliqua rixa, & iracundia; at ex bile atra peraſſata fit illa phrenitis furioſa, ac ferina.

Verùm Gal. 3. de locis aff. 7. vult ab huiuſmodi peraſſata bile non ſemper delirium cum febre fieri; ſed aliquando abſq; febre, & huiuſmodi phrenitis exquiſita dicitur, quę verò non tam exquiſita, ſed longè mitior, eodem docente Gal. illa eſt, quæ ex ſolo ſanguine, vel à ſanguine, cui admixta ſit pituita, efficitur. Et hæc de phrenitide per eſſentiam.

Venio ad illam, quam diximus fieri per conſenſum ab alijs partibus: hæc autem prodit vel à toto corporis habitu, ex 1. de vtil. reſpir. 2. 5. & 2. de locis aff. 9. & 13. meth. 21. vel ab vna aliqua parte ipſius determinata, vt author eſt Gal. nempe à corde, vel à pulmone, vt 7. aphor. comm. 12. vel à gutture, vt idem 1. prorret. comm. ij. dixit.

Idem contingit ab ore ſuperiori ventriculi, vt 5. de locis aff. 4. à ſepto quoq; tranſuerſo phrenitis potiùs, quàm paraphreneſis prodit, quòd, vt inquit Gal. loco iam cit. dum inflammatur, excitat delirium perquam ſimile veræ phrenitidi, quæ res potiſſimùm cauſa fuit, vt ipſum appellarent φρένας, eo quod exiſtimarent in ea parte mentem, quam φρένες dicunt, reſidere.

Plato autem primus diaphragma appellauit eam partem, quod exiſtimaſſet iraſcibilem facultatem, quæ in corde eſt ab appetitiua, quæ in iecore reſidet, diſtinguere.

At differt à vera phrenitide ea, quæ fit à diaphragmate, quod illa in capite, per eſſentiam, hæc verò per conſenſum generetur. Addo, quod illa à faciente tumorem calidum procedat; quæ verò per conſenſum ab alijs partibus fit, à vaporibus calidis ſolam intemperiem, in membranis cerebri excitetur.

Succedit, quod Gal. ſcribit phrenitidem per eſſentiam paulatim fieri, per conſenſum verò ſubitò, vna excepta,

A quæ ab inflammato diaphragmate proficiſcitur, quæ continua eſt, vixq; à vera diſtinguitur.

## DE SIGNIS PHRENITIDIS.

Habita definitione, differentijs, & cauſis iam ſigna à nobis in medium ſunt afferenda, quorum quædam ipſam phrenitidem prenuntiant, nonnulla

B verò præſentem demonſtrant: inter quæ aliqua diſtinguũt eam, quæ per eſſentiam eſt ab illa, quæ fit per conſenſum: alia quoq; ſunt diſtinguentia veram ab ea, quæ à diaphragmate inflammato enaſcitur.

Poſtremò adſunt ſigna phrenitidis oſtendentia ſuas, à quibus proficiſcitur, cauſas. Horum meminit Gal. 5. de locis aff. 4. Auicenna 1. 3. tr. 3. cap. 2. Pau-

C lus lib. 3. cap. 6. & Trall. 1. cap. de phrenitide.

Phrenitidem futuram arguunt dolor capitis, eiuſdemq; grauedo, vigilia quaſi continua, calor capitis maior, quàm antea eſſet, rubedo faciei, & oculorum, ſomni admodum turbati à varijs imaginibus: ſequitur alui ſuppreſſio; vrina, cruda tenuis.

Aliquando quædam exoritur leuis

D rerum obliuio, quia videmus nonnunquam aliquos ad meiendum petentes matulam, qui eam habentes non recordantur amplius ſecum habere, nec mingere debere, imò nec eam petijſſe, ac quando minxerunt, nõ recordantur amplius ſe minxiſſe, atq; inter manus, & fęmora matulam tenent: neque eorum, quæ cęteri dicunt, aut faciunt, memoriam habent.

E Verba nullo ordine, & ſenſu, & abſq; occaſione proferunt, aut loquuntur; interdum tumultuosè reſpondent, & vbi manſueti fuerint, cum quadam temeritate obſcœna verba effundunt. Adeſt in aliquibus triſtitia ſine cauſa, facies nonnunquam flaua in ijs conſpicitur.

Quæ omnia ſymptomata, vt pulchrè

Aui-

Auicenna admonet, fortiora in dies fiunt, & vbi appropinquant ad terminum ad quem ipſius phrenitidis, dolorem percipiunt inter primam, & ſecundam capitis vertebram, hoc eſt, ea parte, qua caput collo adnectitur.

Nam cum duplex eſſe poſſit ipſius generatio, alia ſcilicet, quando incipit, & alia quando augetur, quarum illa generatio dicitur initiatiua, hæc augmentatiua, quam Auicenna perſeuerantiam in fieri appellauit, vbi iam materiæ à maioribus venis ad paruas feruntur, eas diſtendunt, dolorem efficiunt, ac ſymptomata iam dicta cauſant, ac potiſſimùm illum dolorem inter primam, & ſecundam vertebram, quia venę quamplures membranas ſpinalis medullę eò deſcendentis replent, vnde ipſam, & neruos dilatando, hunc ſenſum doloris efficiunt: maiora autem ſymptomata reddun tur in augmento, ac ſtatu.

Signa quæ factam phrenitidē oſtendunt, varia & multa ſunt, quorum primum Auicenna ſumit à facie mutata; nam oculi exiccantur; quia cum materia calida, & feruens fuerit in cerebro, & membranis collecta, exiccantur partes interiores, videlicet membranæ, ac nerui, hinc eſt, quod continuitate, & oculi ipſi deficcantur, deinde accidunt lachrymæ inuoluntariæ, & propriè ex vno oculorum.

Sed hæc quamuis non ſint ſigna pathognomonica ſeiunctim accepta, ſunt tamen cum alijs hunc affectum denotantia, quibus lęſio mentis continua, atque febris adiungenda eſt; ſemper enim ægri verſantur in deprauatis imaginationibus nec vnquam verbum, quod ad rem faciat, proferunt.

Vnde Celſus lib. 3. cap. 13. dicebat ſignum incipientis phrenitidis eſſe, quādo æger vanas quaſdam imaginationes recipit; perfectæ autem, quando mens ijs eſt addicta: febriunt deinde intenſè; nam febris eſt ſymptoma ipſius phrenitidis, ad differentiam paraphreneſis, quę

A eſt ſymptoma febris; nam cum ſit tumor calidus, vt ſupra viſum eſt, febrem ſemper adnexam habet.

Cum his ſignis adſunt turgentia, ac rubedo venarum oculorum, vel ſanguinis ſuccedit deſtillatio à naribus, nihilque eo tempore, quod ad prudentiam ſpectat, reſpondent, floccos auellunt, feſtucas manibus carpunt, linguam ſalebroſam habent, atq; aridam.

B Sed præter hæc ſymptomata phrenitidem indicantia nonnulli interdum in audiendo falli videntur, interdum muti manent, nihil ad ea, quæ ab ipſis quæruntur, reſpondentes: & quamuis dolor aliqua in parte fiat, ipſum vix ſentiunt.

Ab iſtis igitur ſymptomatibus licet nobis cognoſcere imminentem, & præſentem phrenitidem.

C Signa autem diſtinctiua delirij à phrenitide vera eſt interpolatio quædam ipſius delirij, ſi quidem vera perpetua eſt, atque (vt diximus) paulatim efficitur, eodem docente Gal. & Auicenna ſuo interprete; quæ autem per conſenſum fit ab alijs partibus, repentina, ac ſubitanea eſt, excepta phrenitide ex diaphragmate facta, quę vix à vera, vt docet Gal. diſtingui poteſt; nihilominus

D ſigna aliquot habentur, quibus à vera diſtingui poſſit, ex v. de locis aff. 4. ex 1. 3. tr. 3. cap. 2.

Primò quidem à ſpirationis modo, quandoquidem in hac ſpecie delirij ſpiratio inæqualis eſt, cū modò exigua ſit, atque frequens, modò magna, atque rara; nam incipiente ſepti tranſuerſi inflammatione priuſquam delirent ęgrotantes, frequentem reddunt ſpiritum: è

E contra in phrenitide per eſſentiam magna prodit, atque rara, reſpiratio, & ex longis ſemper interuallis. Adde & in illa dolorem pungitiuum circa regionem diaphragmatis cum pulſu ſerrino, & tuſſi ſicca adeſſe.

Secundò in hac à ſepto tranſuerſo nullum ex predictis ſymptomatibus prę-

ce-

ſedit: non mutatur facies, vel ab oculis lachryma effunditur, quemadmodum in vera fieri conſueuit: vel ſi aliquod contingit, exiguum id erit.

Tertiò furſum reuellitur hypochondrium, antequam delirium fiat, quę res eſt huius proprium, & pathognomonicum ſignum, quod ſanè in affectione per eſſentiam nunquam accidit, ſed ſolum poſt affectionem.

Poſtremò calor faciei, oculorumque minor admodum eſt in hac nón vera, quã in vera, & hæc ſunt, quibus ex Gal. & Auicenna ſeiungitur delirium per eſſentiam ab illo ex inflammatione ſepti tranſuerſi.

Quomodo autem recognoſcatur vna quæq; delirij ſpecies, ſeu differentia per conſenſum, petendum eſt à partium actione, proprietate, ſymptomatis, ſitu, exeunte, & huiuſmodi: vt in exemplo de ventriculo; nam ſi ab ipſius ore ſuperiori malè affecto contingat delirium, primò percipietur mordicatio quędam circa os ſuperius ipſius; deinde nauſea, quæ eſt proprium ventriculi ſymptoma; ſitis præterea, ac oris amaror.

De alijs partibus hac eadem ratione indagandum venit, vt pote à proprietate ſymptomatis partis illius, quæ afficitur, & à communi quoq; ſymptomate id conijcere licet, nempe à dolore, calore, & huiuſmodi, quæ percipi conſueuerunt ab ægrotantibus, dum in delirium cadunt, & priuſquam ab ipſo corripiantur.

Et hęc de ſignis differentiarum phrenitidis tam per eſſentiam, quàm per cõſenſum; modò antequam ad ſigna diſtinctiua deueniamus materierum, à quibus efficitur, opus quidem eſt ad maiorem dictorum intelligentiam, vt duas in medium dubitationes afferamus, atque ſoluamus.

A

*PROPONVNTVR, ET reſoluuntur duo quæſita circa ſigna phrenitidis.*

Inquiritur primò, quomodo oculi exiccantur, atq; lachrymas effundunt? Nã contrarietas eſſe videtur; quia lachryma eſt humor ab oculis fluens, vt manifeſtè conſtat: ſi igitur exiccati ſunt, vix credibile eſt poſſe ab eis humiditatẽ

B

fluere, alioquin ſiccitas, & humiditas eſſent in oculo ſimul, & ſemel, vno eodemque tempore.

Secundo, cur delirium à diaphragmate proueniens continuum eſt, ea ſcilicet ratione, vt hoc antiqui exiſtimarint appellandum eſſe φρένας, ideſt, mentem, ácrationem? Ratio quæſiti eſt, quia Gal. ſcribit veram phrenitidem per eſſentiam fieri paulatim; per conſenſum verò ſubitò.

C

Rurſus, quæ per conſenſum eſt, nonnunquam lucidum habet interuallum, vna excepta phrenitide, quæ fit per inflammationem diaphragmatis, quę paulatim, & ipſa fit, nec vnquam intermittit.

Pro primo quæſito lege Gal. 1. epid. tex comm. 80. 6. epid. 1. comm. 2. 4. aph. 52. vide Auic. 3. 3. tr. 2. cap. 26. quidquid dicat Gentilis, necnon Ariſt. tertia

D

part. probl. 23. Sciendum eſt omnia accidentia iam dicta prouenire à materia in caput fluente, quorum quædam oriuntur ab ipſius mala qualitate, nonnulla à quantitate, aliqua verò ab ipſius præternaturali motu; nam dolor capitis (verbi gratia) fit nimiæ caliditatis ratione, atq; motus humoris, quæ caliditas ſecundùm magis, & minus repe-

E

ritur.

In principio enim minor eſt, in augmento maior, ac præſertim in ſtatu, & augetur, prout maior fuerit materiæ copia in caput ruentis, quæ vbi ad ſtatũ peruenerit, ex Auicenna tantà caliditas reperitur, vt omnem conſumat humiditatem membranarum, & ipſius etiam

cerebri ſubſtantiæ.

Cum verò oculorum totus globulus à membranis afficiatur,quæ ortum ducũt à membranis ipſius cerebri, non eſt mirum,ſi & oculus exiccetur,atque veluti intus retrahatur. A materia igitur calida, & ſicca facilè in cerebro exiſtente & ipſum, & membranæ, & partes circumuicinæ,atque continuæ exiccantur.

Nec mirum videri debet, ſi ab oculis exiccatis lachrymæ effundantur, quandoquidem non ſunt oculorum propriæ humiditates, ſed aduentitiæ, & ab alio loco in oculos ruentes: eadem igitur cauſa oculos exiccare poteſt, & lachrymas in ipſos protrudere, ſiue id colliquando, vel aqueas humiditates extra pellendo faciat.

Vera quidem eſſet obiectio de humiditate naturali, atq; ſiccitate eiuſdem oculi, quia humiditas, & ſiccitas naturalis non poſſunt ſtare in eadem parte; ſed in hoc caſu aduentitia eſt oculi humiditas, quæ cum ſiccitate præternaturam ſtare vtcunq; poteſt.

Sed cum hoc verum ſit, cur eſt,quod lachryma magis in vno, quàm in altero oculo appareat in hoc caſu, vt Gal. & Auicenna dicunt?

Ratio huius ſymptomatis petenda eſt à tumore cerebri, & membranarum ſubſtantiam occupante, quia contingit magis in vnam partem, quàm in aliam declinare: quo nomine & lachrymam magis ab ea parte, ad quam inclinat tumor, exire veriſimile eſt, quàm ex alia; caliditas enim ibi intenſior eſt,quàm ſit alibi.

Ad huius rei intelligentiam opus eſt nobis inquirere,quę ſit materia lachrymarum, & vnde proficiſcatur. Materia quidem hæc à paucis intellecta,atq; exagitata fuit,quam Plinius hiſtoricus conſiderans lib. ij. cap. 37. ad hunc ſcripſit modum. Quis ille humor eſt in dolore tam fœcundus, ac paratus? aut vbi reliquo tempore?

Qualis igitur humor ſit? hoc eſt,quę illius ſit materia? nondum apud aliquẽ videre potui, vno excepto Ariſtotele, qui breuiſſima oratione de ea loquens v. probl. 35. vbi inquirit, cur in curſu exeant ab oculis lachrymæ? inter alias reſponſiones dicit à calore prouenire, non ſecus atq; in ſudore; nam lachryma eſt ſudor quidam: ſudor verò à calido ad extra pellitur, cum igitur ſit ſudor, à calore mouetur.

Quod verò lachryma ſit ſudor, hinc oſtendit, quia ſalſedine prædita eſt, non ſecus atq; ſudor: materia autem ſudoris ex Gal. & alijs medicis, ac philoſophis ſeroſa eſt.

Legite Ariſtotelem lib. 2. probl. vbi materiam ſudorum pertractat,& Gal. 4. de vſu par. 4. & eamdem eſſe videbitis cum ea, ex qua vrina generatur; nam à virtute iecoris ſimul cum ſanguine ad venam cauam pellitur, ibique ſecernitur: quæ cum fuerit à ſanguine ſecreta, maior ipſius pars à renibus expurgatur ad veſicam propulſa: altera verò pars, & minor ſimul cum ſanguine in venam cauam pellitur.

At cum ſanguis pro partium nutritione per ora vaſorum exeat, vel per venarum diapedeſim, ſimul cum eo ſerum illabitur expulſum à partibus tanquam nutritioni ineptum, ad extimaſque corporis delatum à calore naturali in vaporem ſæpè degenerat,& per inſenſibiles cutis vias euaporat.

In aliquibus tamen corporis locis nõ poteſt protrudi ad cutem;nam cum multa copia ſanguinis feratur in cor ipſius nutritionis gratia, & vt perfectiùs præparetur, in ea cordis operatione plurimum ſeri à ſanguine ſecernitur, quod ab ipſius facultate propulſum in capſulam cordis recipitur,ac pro varietate complexionum in maiori, & minori copia colligitur.

Ita quoq; in capite nonnihil humoris iam dicti contineri opus eſt,alioquin lachrymarum tempore non poſſet tanta co-

copia exire,quemadmodum in dies obſeruamus in iis, qui facilè, ac ſæpe lachrymantur.

Capiuaccius loquens de materia lachrymarum exiſtimauit eam à ſeroſa materia ortum ducere: & Hieronymus Fabritius ab Aqua pendente lib.de oculis cap. 13. ſcriptum reliquit,lachrymas contineri in capacitate oculorum, eſſeque illorum proprium excrementum.

Quod modò ad locum attinet, omnes dicunt eſſe cerebrum, quod ratione ſuæ imbecillitatis nequeat materias crudas tranſmutare; aut nimia caliditate eaſdem liquefaciat, vt Auicenna innuere videtur lib.3.fen.3.cap.26.

Itaque in ſanitate referre videtur cauſam lachrymarum in cerebri debilitatē, in morbo autem in apoſtema, aut in calidam intemperiem;ſed an verum id ſit, ſuo loco examinabimus,dum ſermo erit de lachrymis, & oculorum morbis.

Stante autem ex Auicenna,atq; omnium medicorum de lachrymis ſententia, rationem reddentes, cur magis ex vno, quàm ex altero loco effluant lachrymæ in phrenitide, dicimus hoc prouenire apoſtematis ratione,atque inflammationis, quæ magis illam, quàm aliam partem infeſtat, à cuius calore humores liquantur, atq; in oculum propinquiorem cadunt.

Sed huiuſmodi reſponſio minimè eſt tuta, imò pluribus difficultatibus inuoluta, quam ſuo loco fuſiùs examinabimus, ac vobis demonſtrare conabimur, in quibus deceptus ſit Auicenna, & ſui ſequaces. Hoc vnum in præſenti addam ex Plinio lib. 7.cap.1. ſuæ hiſtoriæ nullū animal, vno homine excepto, ridere, atque flere, & per conſequens nullum præter eum lachrymas poſſe effundere.

Omitto nūc hominem ſolum inter cęteta animalia prærogatiuas quaſdam in oculis habere, quibus reliqua carent, quemadmodum eſt, quod in cornea apparent variegati colores, cùm in ſpecie brutorum colores eiuſdem ſint generis: & alia quoque breuitatis gratia relinquo.

Accedo igitur tantummodo ad id, quod eſt præſentis inſtituti, nēpe quod ſicuti homo ſolus natus eſt lachrymas emittere,ita oportet, vt conformationē quamdam in capite habeat à cæteris animantibus diſtinctam: diuerſitas hæc à cerebro non proficiſcitur, quia cerebrū brutorum eadem ratione conformatum eſt, ſupereſt igitur, vt ſit ex parte continentis, nempe oſſium.

Et re vera eſt aliquid, quod à nullo hucuſq; obſeruatum ſcio, nempe os illud, barbaris baſilare, communiter verò dictum ſphenoides,quod oſſi frontis cōiunctum eſt ad illum proceſſum, ephippium,ſeu ſellam appellatum,ac cauitate inſigni excauatum.

Quę cauitas obducta eſt tota à membrana quadam tenui, ſemperq; repleta aqua limpidiſſima, & vtrimq; ad oculorum terminatur angulos internos,ſeu, vt aiunt, maiores, ad quos quidem foramen in oſſibus propè naſum vtrimq; adeſt, cui præfectæ ſunt portiones illæ carneæ,quas glandulas lachrymales vocant.

Cùm igitur plures ſint venæ ſparſæ per cerebri membranas, inſignis quoq; humoris ſeroſi copia neceſſe eſt, vt adſit, ac ſanguis pro cerebri nutritione à venis exeat; in illaq; tranſmutatione, quam ſanguis patitur, dum in cerebri ſubſtantiam conuertitur, depuratur, quia per ſubſtantiam cerebri means,quę alba eſt, albedinem quamdam recipit, deorſumq;ad illam glandulam,ad quam craſſiora cerebri excrementa deponuntur, & ipſe illabitur,cuius poſtea per foramina exculpta in os ſphœnoidis maior portio colligitur, non nihil quoque ad palatum,& os cadens, quæ ibi collecta conſeruatur alicuius vtilitatis cauſa.

Nulla alia eſt via, qua poſſit à materia lacrymali expurgari caput, nec aliuſ eſt locus à cerebro ad oculos, niſi ille

ille à nobis dictus.

Rem hanc olfaciens ſummusille Anatomicus Iacobus Carpenſis ſuper Anatomen Mundini cap. de palpebris, cogitanſq; vbi tanta copia contineri poſſet, quæ per lachrymas exit, ſcribit exiſtimare ſe ad ãgulos oculorum internos in oſſe exculpta eſſe foramina quædam exigua admodum, à quibus exeunt lachrymę, fibraſq; quaſdam reperiri,quarum ope expellantur, ac retineantur prædictæ lachrymæ.

At is non agnouit illam oſſis cauitatem,in qua ſemper retinetur hęc lachrymarum materia, quæ ſempèr parata eſt exire, niſi prohibeatur ab illa glandula foramen in oculum terminatum claudente:& hinc eſt,quod ſẽper exeunt lachrymæ ab internis oculorum angulis; ſi enim lachrymalis materia à cerebro in oculos irrueret, in omnem oculum effunderetur.

Cum igitur nulla alia via ſit, per quã cerebrum ab huiuſmodi materia expurgetur, nulluſque alius ſit locus, in quo poſſit colligi, dicendum materiam illam in hac cauitate contineri; quæ fortè ibi colligitur, ne oculi in fletu exiccentur, cum ſolus homo flere natus ſit, cuique ſoli hæc capitis conſtitutio data eſt.

Sed quomodo ſeruabitur, quod in phrenitide exiccentur oculi, exeantque ab vno oculo lachrymæ?

Dico, quod duobus modis poſſumus huic quæſito ſatisfacere, deſumptis à tumore, primò caliditate intenſa contingit materiam lachrymalem veluti feruere, atq: intumere,non ſecus atq; faciat ſanguis in febribus ardentibus. De hoc loquens Gal. 1. epid. à caliditate ingenti tumere dixit,atq; extra venas elabi, & tandem ad nares protrudi.

Deinde ex hoc ſigno vult concludendum febrem eſſe ardentem;nam tanquã efferuens, atq; tumens hæc materia ad oculum lateris ipſius, in quo eſt tumor, effertur: hinc eſt, quod lachryma magis ab vno,quã ab altero oculorũ exeat.

A Secũdus modus ab apoſtemate quidẽ deſumitur,non qua calidum eſt,ſed qua replet, atq; extendit tum membranas, tum cerebrum, quibus cùm membrana iam dicta ſit continua, & ad latus, læſum inclinet materia, ſequitur per vnum eam magis deſcendere, quàm per alterum.

Et hæc eſt ratio, quæ reddi poteſt huius ſymptomatis. Dicatis igitur ſignum B hoc veriſſimum eſſe, nullamq; facere contradictionem.

Inquirebatur ſecũdo loco, cur delirium proueniens à diaphragmate inter cætera deliria per conſenſum, ſolum ſit continuum, neq; vnquam intermittat, non ſecus ac faciat vera phrenitis in capite per eſſentiam?

Id euenire reſpondeo ob maiorem conſenſum,quem habet cerebrum cum C diaphragmate; nam quamuis cor, & os ſuperius ventriculi per copiam neruorum inſignium à ſexta coniugatione orṫum ducentium magnam habeant cum ipſo cerebro communionem,tamen maiorem habet diaphragma, quia pręter neruos à ſexta coniugatione per ipſum ſparſos,eius medietas circularis tota eſt membranea,quaſi ex neruorum ſubſtantia exorta,

D Addo,quod à ſpinali medulla nerui per eius totam ſubſtantiam diſtribuuntur, qui cum neruis intercoſtalibus à ſexto coniugio exortis tam egregiè iunguntur, vt ex illorum corpore, atq; ex illis,qui à ſexta coniugatione eueniunt, fiat vnum corpus continuum. Quando igitur inflammatio introducitur in diaphragma, neceſſe quoq; eſt, vt & nerui inflammentur, qui duplici nomine im- E partiuntur cerebro inflammationem, atq; ipſius membranis.

Et hinc eſt, quod paulatim delirium iſtud in caput introducitur, quia paulatim ſpinalis medulla,quæ nihil aliud eſt, quàm cerebrum elongatum, inflammatur, & ſuam cerebro inflammationem communitate quadam, & continuitate mi-

impartitur,quę quouſq; durat,nunquam ceſſat delirium.

At in alijs delirijs ſolummodo communicatur vaporum ratione ſurſum delatorum, vt ſuo loco videbimus,vnde euenit,quod delirium intermittit,atque denuò inuadit, quod accidere non poteſt in inflãmatione diaphragmatis, niſi poſtquam ſedata fuerit inflammatio.

Succedit diaphragma in vtraque ſui ſuperficie membrana quadã inuolutum eſſe,ac in inferiori,quà reſpicit ventrem inferiorem,habere tunicam à peritoneo exortam ; quà verò thoracem reſpicit, tunicam ortam à mediaſtino, & pleura; quæ inflammatę generis ſimilitudine, ac lege conſortij membranis cerebri inflammationem communicant.

Et hæc eſt ratio, quam puto eſſe veram huius diuerſitatis, nullumq; adhuc vidi, qui hanc exagitet quæſtionem: ſi placet reſponſionem admittite, ſin minus meliorem excogitate.

## DE SIGNIS CAVSARVM Phrenitidis.

Signis ita expoſitis morbi eſſentiam declarantibus,iam ad ea,quæ cauſas demonſtrant, deueniendum eſt.

Et primum, ſigna afferenda veniunt phrenitidem fieri ex ſanguine oſtendentia, quæ ab Auicenna enumerãtur: hęc autem vndecim numero ſunt.

Primum, delirium cum riſu eſt.

Secundum,deſtillatio ſanguinis per nares.

Tertium,varitas anhelitus, hoc eſt augetur reſpiratio, & maior fit in hac ſpecie phrenitidis,quàm in alijs.

Quartum,oculi ambo lachrymantur, differtq; à ſuperiori dicta lachryma,quia licet in omni phrenitide fiat deſtillatio ab oculis, tamen in ſanguinea magis, & ratione durationis, & ratione copiæ exeuntis; nam lachrymæ ferè toto morbi tempore durant.

Quintum,in oculis apparent ſordes craſſæ, quæ lippitudines appellantur.

Sextum,vigiliæ non ſunt tam intenſæ, atq; immoderatæ.

Septimum,aſperitas linguæ tendens ad rubedinem, deinde ad nigredinem.

Octauum,lingua grauis ad loquendũ redditur.

Nonum, phantaſmata rubicunda ſe ſe offerunt.

Decimum,venarum frontis, & oculorum plenitudo.

Vndecimum,modò ſedẽdi cupiditas, modò ſurgendi abſque neceſſitate ægrum corripit.

Signa cholericæ phrenitidis ſunt nouem.

Primum,vigiliæ plurimæ ob humoris caliditatem, & ſiccitatem.

Secundum, eſt leuitas oculorum; nam eadem ratione oculi leues ſunt, & facilè mobiles.

Tertium,exaſperatio linguæ cum citrinitate.

Quartum,febris vehemens;&ardens.

Quintum,continua voluntas oculos detergendi, quia humor acris, & mordax erodit oculos.

Sextum, rerum citrinarum imaginatio.

Septimum,ſunt audaces, & vt inquit Auicenna,ingreditur in mores eorum rapacitas,& melancholiæ quædam proprietas,quaſi ad maniam veniunt; ſemperq; litigandi voluntatem habere videntur:&vt notat Iacobus de Partibus, eorum facies litigantis cuiuſdam præ ſe fert imaginem ob choleræ copiam ipſũ irritantis.

Octauum,nares attenuatæ, & potiſſimùm extremitas valde exiccata cernitur.

Poſtremum ſignum eſt cutis frontis ad ſuperiora retracta,veluti à ſiccitate conuulſa.

Signa cholerę aduſtæ.

Primò,furioſi ſunt, & vt inquit Auicenna dæmonium habere videntur;longeque peior eſt hæc phrenitis ſpecies, quàm

quàm vlla alia.

Secundum,reſpiratio ipſorum magna eſt per longa interualla.

Tertium,inquiſitio eorum,quæ quærere incipiunt in illis perdurat; nam ſi floccos colligunt, nunquam deſiſtunt.

Quartum,oculos conturbatos,turbidos,ac toruos habẽt; vnde ab illis cauendum eſt, quia indifferenter omnes verberant, manibuſq; percutere tentant.

Et hæc de ſignis huius affectionis, ſuarumq; cauſarum.

## DE FVTVRO EVENTV Phrenitidis.

IAm ad futuri euentus iudicium accedere tempeſtiuum eſt, quod etſi à collatione roboris cum vehementia morbi deſumendum ſit, conſiderando num virtus ſuſtinere morbum poſſit, an ſecus; in hoc tamen caſu Hipp. 2. epid. tex.72. & 73. & Gal. vniuerſum phrenitidis genus exitiale exiſtimant.

Tempus etiam breue eſt, in quo homines pereunt: vnde Hippocrates 3. epid.comm.3.tex.75. teſtatus eſt quamplures phreniticos tertio die obijſſe, ex quibus aliqui ſubitò extincti fuerunt ſuperueniente magnà neruorum diſtenſione,nec non,& vomitu virulento,atq; moleſto, vt idem Hipp. & Gal. 1. epid. comm.2.tex.53. & 54.teſtantur.

Scribit idem Gal. quod nonnulli viuunt duos, vel tres dies, nonnunquam quintũ diem attingunt; aliquando verò & ſeptimum: ſi verò ſubitò mortem oppetunt, non illis mors contingit ob copiam materiæ, ſed ob prauam qualitatem, & virulentiam decedere coguntur, eodem tex. Gal. 3. epid. comm. 3. tex. 75.

Phrenitis, quæ primò die cum febre ardenti inuaſerit, intra ſeptimũ ad mortem definit, vt plerumq; à Gal. obſeruatum fuit 3.epid.cit.atqui ſi minus febricitent, ad vigeſimum, vel vigeſimum primum diem protrahuntur,proq; varia

A virtutis firmitate accidit euadere, ſed ſæpius moriuntur.

Sed quamuis omnis deſipientia mala ſit, & exitialis, nihilominus ea, quæ cum riſu eſt, ſecurior, & minus periculoſa videtur: ſi quoq; pleraq; ex iam dictis ſymptomatis non reperiantur, viribuſq; robuſtæ ſint, de ſalute ſpes concipienda eſt, ex lib. conſtit.ar.med. 18. 4. de præſag. ex pulſ.11.

B Scribit Auicenna fen.1.3.tr.3.cap.2. ſæpe mutari in lethargum, & quod peius eſt in gangrænam, nonnunquam in hecticam, ſæpe verò in copuulſionem.

Inter lethalia verò huius morbi ſigna connumerantur tremor, ſingultus, dentium ſtridor, vocis priuatio, labia oris trementia cum linguæ conuulſione; & cum his vox tremula, & quæ difficulter exeat, Hippocrate 1.progn.21.1.pror.

C 23.

Tandem vrinæ, atq; fœces ſponte exeuntes inter ſigna lethaliſſima in hoc caſu reponuntur, 1. pror.27. Hipp.docente; & quibus vrinæ perlucidæ, & albæ,malæ ſunt, & maximè ſi appareant phreniticis 4.aph.72.

Ex his conijcere licet phrenitidem, vt plurimùm incurabilem eſſe, quæ licet talis ſit, non eſt tamen, vt ægrotos

D ſine auxilio relinquamus; nam fieri poteſt, vt aliqui remedij ope ad ſanitatem reducantur; non enim repugnantiam dicit. Vidimus aliquando aliquos ſudore, atq; ſanguinis è naribus fluore morbum euaſiſſe. Quamobrem inſtituenda eſt curatio.

## DE CVRATIONE PHRENITIDIS per chirurgiam.

E EXiſtimo caput huius curationis eſſe prohibere,ne fiat phrenitis,quia iam facta non curatur. Quod fortè non ineptè à Raſi noſtro fuit oſtenſum, vbi inſtituens huius affectionis curationem ſcribit,quod antequam prędicta ſymptomata compleantur, ſubueniendum eſt

ſan-

ſanguinis miſſione, & ventris ſolutione cum ſucco fructuum.

Antequam enim accidentia ad ſtatū perducantur, materia, à qua ipſa prodeunt, eſt in fluxu, & priùs quàm feratur in caput, per ſanguinis miſſionem euacuanda, ſimulq; & ad ſeceſſū, vbi opus ſit, retrahenda; hac enim ratione prohibetur, ne fiat phrenitis.

Proponit igitur curationem phrenitidis Raſis noſter per chirurgiam, dietam, atq; pharmaciam: quam quidem interpretabimur addentes, quæ ipſe breuitati ſtudens omiſit, auſpicati à ſanguinis miſſione, quæ quidem ſtatim facienda eſt viribus permittentibus, quia tunc peccatum eſt in ſanguine tum quantitatis, tū motus cauſa; ac ratione multitudinis euacuari debet; ratione verò motus ad partes oppoſitas retrahi eſt opus.

Et hæc eſt doctrina, & præceptum Galeni 13. meth. 21. dicentis in phrenitide mittendum eſſe ſanguinem. Quantum verò ſanguinis mittendus ſit à viribus, & ſanguinis prędominio deſumi poteſt; in phrenitide enim ſanguinea maior copia ſanguinis mittēda eſt, & totus vnica vice, quin imò Auicenna loco præcit. ſanguinem mittit ad animi vſq; defectum.

Idq; ſtatim, & à principio agendum venit; & eadem hora, & 13. meth. 21. præcepit Gal. in ſanguinea foramen maius, in biliosa è contra foramen anguſtius faciendum: & hinc eſt, quod Auicenna ſolers admodum, atq; diligens mittit ſanguinem primùm, deinde iubet fieri enema.

Cæterum vbi adſit ingens plethora, tum totius corporis, tum capitis ratione, primum ſecanda eſt vena cubiti, deinde frontis: hinc iubet Auicenna, vt ſanguis ex ſecta cephalica brachij extrahatur, quia euacuat, necnon è capite reuellit. Ea ſecta ad venam frontis ſecandam ex ipſius Auicennę conſilio deueniendum eſt, quia tunc temporis ſanguinis copia totius corporis diminu-

A ta eſt, nec amplius tam facilè in caput ferri poteſt.

Sed vnum addit Auicenna, quod perpetuum minimè eſt; nempe quando virtus eſt debilis, ita vt timendum ſit non poſſe perferre ſanguinis miſſionem ex brachio, vel quia delirantes nolint exporrigere manus, aut porrigentes nolint ſiſtere, neq; firmum tenere brachium, tunc ad ſanguinis extractionem à

B vena frontis ſecta properandum eſt.

Quod etſi ab Alexandro Tralliano admittatur, non tamen ſine aliqua conſideratione id agendum eſt, quia exiſtimo in ſanguinea phrenitide non eſſe admittendum, eo quod periculum ſit, ne copia ſanguinis maior in caput attrahatur; cenſeo propterea intelligendas eſſe authoritates horum doctorum de phrenitide biliosa, aut melancholica.

C Quibus ſic iactis reſtat inquirendum, an in omni phrenitide ſanguis mittēdus veniat? De ſanguinea clarum eſt; dubitatio de biliosa, ac cæteris tantùm erit.

Primò, quidem in biliosa non eſt mittendus, quia eſt eryſipelas, at in eryſipelate non licet mittere ſanguinem, ex decreto Gal. 14. meth. c. 3. 2. ad Glauc. 2. ſed loco ſanguinis ad pharmacum

D purgans deueniendum eſt, ergo &c.

Capiuaccius conſiderat eryſipelas duobus modis, vt externum videlicet, atq; internum; diciteq; Galenum dixiſſe non eſſe mittendum ſanguinem in eryſipelate externo, ſed phrenitis eſt eryſipelas internum.

Hæc reſponſio ſatisfacere minime videtur; cùm enim eadem ſit materia, quæ eryſipelas facit tam internum, quā

E externum, à qua non ſumitur indicatio euacuandi, ſed potiùs purgandi, non videtur maior ratio, quod in vna ſanguis mittatur, in altera verò minimè; nam ſi humor bilioſus eſt, à quo ſumitur indicatio purgandi, vbicumque fuerit; ſemper indicabit purgationem, quapropter non videtur magis in eryſipelate in-

interno ſanguinem mittendum eſſe, quàm in externo.

Haliabbas mihi videtur libro 3. ſuæ pract. cap. 28. hanc dubitationem de medio tollere dicens eryſipelas poſſe duobus modis conſiderari, vel ſcilicet, quando eſt cum tumore, vel certè quando caret tumore: ac in priori mittendus eſt ſanguis; in poſteriori minimè.

Ratio huius rei eſt, quia primo modo ſanguis admiſcetur bili, à quo mittendi ſanguinis indicatio deſumpta eſt: in ſecundo verò minimè; hanc doctrinam aſſumpſit Auicenna ab ipſo Haliabbate 3. 4. vbi dicit non eſſe ſanguinem mittendum, niſi materia fuerit inter duas cutes, hoc eſt dictu; niſi in eryſipelate ſit tumor.

Quandoquidem tunc temporis materia eſt craſſa, neque ad cutis extimam ſuperficiem ferri poteſt, ex quo ſignificabitur nobis cum bile ſanguinem eſſe admixtum, ac inter duas cutes remanere: vbi autem ad cutem magis expanditur, nec tumor adſit; non eſt mittendus ſanguis.

Idem quoq; dicendum in phrenitide, quæ ſi fuerit facta à bile, cui ſanguis admiſcetur, ſanguis eſt mittendus; atqui rarò, aut nunquam contingit, quin bili in hoc affectu ſanguis admiſceatur, quapropter ſæpe, imò ſemper ſanguinem mittimus in phrenitide facta à bile cum ſanguine.

Si verò daretur pura bilis abſq; ſanguinis admixtione, à qua poſſibile eſſet fieri phrenitidem, non ſanguinis miſſione opus foret, ſed expurgatione bilis: vbi igitur datur cacochymia cum ſanguine tunc mittendus eſt ſanguis, vel euacuandi, vel auertendi gratia, modò per reuulſionem, modò per deriuationem: per reuulſionem quidem in principio morbi, per deriuationem verò in ſtatu, vel in fine augmenti.

Verùm quidem eſt, quod in ſanguine mittendo in biliosa phrenitide maxima

A cum cautela, vt docet Auicenna 1. 3. tr. 3. cap. 2. agendum eſt, in minori quidem copia extrahendus, quàm in ſanguinea, ne bilis ſuo freno, nempe ſanguine deſtituta, ad ebullitionem maiorem deducatur, aut ad frigidorum cruditatem. Auicenna fen. 4. 1. cap. 20. id à Galeno deſumpſit, tum 9. meth. 11. & 12. tum 14. meth. 3. tum 2. ad Glauc. 2. & Valleriola in ſuis enarrat. med. lib.

B 2. 7. probat eadem Gal. ſcripſiſſe, ſed ſub varijs verbis.

Sed quædam dubitatiuncula in medium afferenda, atque ſoluenda eſt, quia in ſãguinea phrenitide Haliabbas 5. ſuæ practicæ docet ſanguinem mittendum eſſe ad animi vſque deliquium, quod Auicenna negare minimè videtur, ſed admonet medicum in celebranda hac ſanguinis miſſione cautè admodum procedere debere, ita vt cognoſcat exactè

C diſpoſitionem ſyncopalem, an ſcilicet in actu iam ſit ipſius lipothimiæ; an verò in via, & diſpoſitione ſit ad ipſam.

Hæc quidem dubitatio à Gentili Fulginate Auicennæ omnium ſubtiliſſimo interprete in medium affertur, quam ſoluere tentat, dicens Auicennam docere modum curandi ſyncopen, quando medicus ſe accingit ad ſanguinis miſſio-

D nem, vt animaduertat diſpoſitionem ipſius ægrotantis ad ſyncopen, & ſi, propè ſit ſyncopi, aut in ſyncope iã actuali, deſiſtat à ſanguinis miſſione: vt velit Gentilis, quod quando medicus debet curare phrenitidem per ſanguinis miſſionem, vbi euacuat ad animi vſque deliquium, animaduertat, antequam manus illi inijciat, num prope ſit ipſi ſyncopi, an verò in ſyncope.

E Quod mihi ſanè abſurdum videtur; nam cùm intentio ſit in hac morbi ſpecie euacuandũm eſſe ad animi deliquiũ, vt ſumma, quæ corpori ineſt plenitudo, ſoluatur, non videtur ægrotum ad animi deliquium peruenire poſſe, cum eo non perueniat, niſi ex magna euacuatione, quia talis euacuatio Gal. authore

non

non niſi validiſſimis viribus tentanda;vt Auicenna eiuſdem Galeni commentator, eiuſque doctrinæ inſignis obſeruator non ignorabat: proinde non videtur eo loci poſſe medicum admonere, vt intueatur, num antequam manus ad ſanguinis miſſionem mittat,animaduertat, an ſit in diſpoſitione, ad animi deliquium, an in actu ipſius.

Exiſtimo ego idem ſentire Auicennã, ac Haliabb. quod aliquando iuuat in phrenitide ſanguinea euacuare per venæ ſectionem ad animi vſq; deliquium, verùm & admonet medicum,vt hanc euacuationem cautè, atque admodum conſideratè faciat,vt cognoſcere valeat diſpoſitionem ægrotantis, cui ſanguis mittitur ad lypothimiam, quam cum agnouerit, ſtatim iubet ſanguinem eſſe ſupprimendum, vt velit habito illius ſigno quieſcat à ſanguinis miſſione: ne verò ignorare poſſit ea, quæ ex ſanguinis miſſione animi defectum prænuntiant, docet eſſe à pulſus tactu percipienda, à tremore nempe pulſus, à paruitate, necnon & ab ipſius inæqualitate; intendens Auicenna hiſce docere medicum, vt dum ad animi deliquium euacuat, tangat pulſum, ex cuius mutatione facilè percipiet animi deliquium.

Ex quibus apparere arbitror noluiſſe Auicennam docere medicum, antequã veniat ad euacuationem, explorare num ęgrotus diſpoſitus ſit ad animi deliquium; ſed in actu ſectionis diligenter videre,ne permittat fieri animi deliquium incluſiuè, ſed excluſiuè.

Quę Auicẽnæ animaduerſio deſumpta eſt à Gal. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. ſcribente ſe vidiſſe aliquos medicos in hoc deceptos fuiſſe ad mortem ægrotos ducentes, quam exiſtimarent eſſe animi deliquium: proinde principium animi defectionis cognoſcere oportet ex mutatione pulſus, faciei, & oculorum; nam vbi pulſus redditur paruus, vt dicebat Auicenna aduenitq; pallor in facie, in oculis verò caligo, iam adeſt

A animi deliquium, qua propter deſiſtendum eſt à ſanguinis miſſione.

Quod verò indicat magnam illam ſanguinis miſſionem, eſt maximus morbus, non quidem omnis,vt rectè doctiſſimus Augenius admonet,lib. 5.de ſanguinis.miſſ.cap.12. ſed ille, qui poteſt tolli per ſanguinis miſſionem: hunc autem triplicem eſſe ſcribit Gal. 1. aph. B 23. nempe maximam inflammationem, ardentiſſimam febrem,& vehementiſſimum dolorem: cum autem phrenitis ſanguinis fiat à maxima inflammatione, in ipſa mitti poteſt ſanguis ad animi deliquium.

Verùm vt rei huius perfecta habeatur cognitio, atque determinatio opus eſt ſcire, quid nomine animi deliquij intelligatur apud Græcos. Quatuor reperio nomina eamdem rem ſignifican- C tia ſecundum magis,& minus intenſam, ac vehementem; primo quidem adeſt ἔγκλισις, ideſt exolutio, deinde λυποθυμία, tertiò λειποψυχία, quartò συγκοπη. Encliſis eſt leuis quędã animi defectio, & quaſi diſpoſitio ad lypothimiam, quæ eſt animi deliquium, apud Hipp.& Gal. 7.aph.8.

Vnde animi deliquium medium eſt inter exolutionem, & ſyncopem,quan- D doquidem in eo vires prorſus non concidunt, aut collabuntur, vt in ſyncope, ne q; tam leuiter afficiuntur, vt in exolutione;nam qui in animi deliquium cadunt, incipiunt vocem amittere, refrigerari,ſudare adhuc pulſu valido exiſtẽte, facies pallefcit, virtus tamen incipit hebetior fieri, ſed minimè collabuntur, vt in ſyncope: lege pro his differentijs Gal. 1. ad Glauc. 14. citato.

E Quibus ſic declaratis duo ſtatuenda ſunt, primo, vt in iam dicta euacuatione nunquam ad ſyncopem ducatis ægrotantes;nam cum hæc ſit præceps virium lapſus,mortis periculum eſt.

Aliud eſt,vt aliquando ducatis ægrotantem ad exolutionem,& ad animi deliquium,quamuis rarò,cum ſcilicet mor

bus eſt magnus, vireſq; ſint validiſſimę, neque alia ſit via, vt æger ſanetur;tunc enim ex duobus malis minus eligendum.

An modò hirudines ad anum applicare liceat,paruam habet admodum dubitationem; nam & ipſæ reuellendi gratia applicantur; quare vbi reuulſione opus ſit, procul omni dubio quod conſueuerunt ab omnibus practicantibus admoueri.

Sed non ſolùm hirudines applicandæ veniunt: ſed ex Auicennæ conſilio, & cucurbitæ ad infernas partes, deligationes, frictioneſq; agendæ ſunt, vt reuellatur materia.

Sed vnum addit Auicenna,quod quā plurimis difficultatem facit, & eſt, quod ante clyſteris vſum iubet faciendam ſanguinis miſſionem: ex quo quidem loco arripimus occaſionem inquirendi veritatem,&determinationem huius quęſiti, an liceat ſemper ſanguinem mittere ante, deinde clyſma immittere: an verò debeat venæ ſectionem præcedere clyſter.

Non deſunt, qui ſuſtinere coguntur, & rationibus, & authoritatibus tum Gal. tum Hipp. tum etiam Auicennæ præmittendam eſſe phlebotomiā, deinde efficiendū clyſterem:inter quos liber ille eſt, qui ſub nomine Veſſalij chirurgiæ circumfertur lib. 5. cap. de cur. tumorum in vniuerſali; quem tamen exiſtimo Veſſalium nunquam vidiſſe, quod vnicuique facilè patere poteſt in phraſi eius exercitato; quamuis doctrina proprij authoris optima ſit:afferamus igitur ſuas, quas in medium propoſuit, rationes.

Prima eſt, ſi clyſter inijceretur ante venæ ſectionem, ſequeretur non poſſe tam facilè extrahi à venis ſanguinem; nam inteſtina, quę ad corporis centrum ſunt,à clyſtere quodāmodo calefierent, vnde ſuccederet ſanguinis ad internas corporis partes tanquam à centro attractio; externæ autem ſanguine deſtitutę,

A ac pauperes redditæ, etiam ſi ſecentur, ſanguinem non effunderent, & ſic neq; vtilitatem afferret venæ ſectio.

Secundò, non poſſet fieri commoda ſanguinis euacuatio, quia dum à lecto ſurgunt ægrotantes exonerandæ alui cauſa, vniuerſus habitus refrigeratur; ſanguiniſq; calor tepefactus ineptus redditur ad motum.

Tertiò, venæ brachij,vel aliarum partium ſecandæ exiles admodum B redduntur ſanguine intus attracto, hinc venæ detumeſcunt, ſæpiſſimeq; eas contingit ſecari non poſſe, nec ab illis ſectis ſanguinem exire.

Quartò in clyſteris immiſſione materiæ communes,quę in ventre inferiori, atq; in inteſtinis ſimul cum fœcibus contineri conſueuerunt, mouentur ad C inferiores partes, nempe ad ſeceſſum, eaſque ſucceſſione quadam ſequuntur materię in venis exiſtentes.

Cæterum clyſteres attrahendi facultatem habent; nam vt 2. de compoſ. med. loc. Gal. ſcriptum reliquit clyſteres à capite trahunt, vt apparet in illis, qui in lypothimiam, aut in oculorum cœcitatem cadunt; vnde quia humores in hunc modum commouentur, atq; agitantur,inde eſt,quod tutò non poteſt ante D fieri ſanguinis miſſio.

Poſtremò Auicenna fen. 10. 3. tr. 5. cap. 2. in cura pleuritidis ſanguinis miſſionem fieri cohibet, cum quis ſemel, aut bis in die aſſellarit, nec alia ratione id faciendum exiſtimat, niſi quia per hunc motum diuertuntur ſuperfluitates ad inteſtina à venis, quibus ſectis malus ſanguis exire non poſſet,hinc ſolummo- E do bonus efflueret.

Iſtæ ſunt rationes afferendæ, modò authoritates propono: prima deſumpta eſt ex 4. acut. tex. 29. vbi Hipp. vniuerſaliter iubet venam eſſe ſecandam in acutis morbis dicens: ſi plus ſanguinis ſubtraxeris, clyſtere tertio quoq; die vtere, hoc eſt inquit Galenus in comm. per ſanguinis miſſionem relaxato cor-

po-

pore, quod ex morbificis humoribus qualitate vitioſum ſuperfluit, per clyſterem id euacuandum eſt.

Secunda authoritas eſt Hippocratis tex. 21. lib. præſcripti, vbi ait, quod in affectionibus, quæ συ'ς εφας græcè dicuntur, & ſanguis mitti debeat; deinde clyſmate vtendum ſit: & tex. 74. & 75. loquens de ſanguinis miſſione ad animi deliquium, poſtea inquit clyſterem exhibebis.

Succedit Auicennæ authoritas 1. 3. tr. 3. cap. 2. de curatione phrenitidis, vbi apertè habetur primum eſſe ſanguinem mittendum: deinde ad clyſteris immiſſionem properandum. Hæc ſunt argumenta volentium priùs in omni morbo ſanguinem eſſe detrahendum, deinde ad clyſteris vſum deueniendum.

In contrarium tamen ſunt authoritates Auicennæ 1. 4. cap. de phlebotomia dicentis oportere ante ſanguinis miſſionem inteſtina à fœcibus mundare. Idem Auezoar, & Auerr. ſentiunt, quibus ratio adſtipulatur; nam cum vnus conſenſus ſit, vnaq; conſpiratio periculum eſt, ne fœces in inteſtinis exiſtentes prauos quoſdam humores contineant, qui ſanguinis miſſione facta vi vacui ſequantur, atq; per meſeraicas in portam, inde in iecur, & tandem in venam cauam, inanitam à ſanguinis euacuatione reſtagnent, à quibus poſtmodum affectus increſcat; proinde ante opus eſt ſemper vti clyſmate.

Pro huius rei determinatione dicimus neutram harum opinionum perpetuam eſſe, ſed aliquando cogimur mittere ſanguinem abſq; clyſteris impoſitione; nonnunquam verò melius eſt fœces ab inteſtinis euacuare ante ſanguinis miſſionem.

Hæc concluſio ex natura ipſius rei deſumpta videtur; quandoquidem vel morbus paruus eſt, & dat inducias, vel è contra acutus, vel acutiſſimus.

Primo modo, vbi adſit indicatio ſanguinis mittendi, aluuſque ſit adſtricta

A procul omni dubio celebriores medici curant in primis aluum compreſſam ſoluere clyſteribus quibuſdam, vel lenientibus medicamentis, ne aliquid ex inteſtinis impuritatis ab humoribus ibi contentis in venas inanitas regurgitet, indeq; ſanguinis vniuerſa maſſa detrimentum maius ſuſcipiat.

E contra verò ſi quiſpiam morbo acuto laboret periculis pleno, non eſt, vt B tamdiu venæ ſectionem retardemus, quo vſq; fœces ab inteſtinis euacuatæ ſint, ſed ſtatim à ſanguinis miſſione euacuandum venit: & vt inquit Hipp. eadem die medicandum, cum in talibus tardare malum ingens ſit; nam in medicina facienda occaſionem opportunam cognoſcere oportet, quod ipſa in maximo verſetur præcipitio; tantę enim præſtātiæ eſt eligere opportunitatem, vt ipſa C ſæpe ſit ſalutis, vel interitus cauſa, pro vt ſcilicet rectè, vel non rectè accepta fuerit.

Vbi igitur adſunt duæ medendi indicationes, opus eſt ſemper ſatisfacere ei, quæ vrget: at magis neceſſaria eſt ſanguinis miſſio in morbis acutis, quàm ab inteſtinis fœcum euacuatio.

Rem hanc dilucidamus exemplo à Gentili deſumpto, vbi inquit, ſi aliquis D laboret phrenitide à principio, & aluus adſtricta fuerit, primo ſanguinem extrahere conueuit; quia dum imponitur clyſma, & dum præparatur, requiritur tempus, in quo quidem tanta materia fluit ad caput, vt perfici poſſit inflammatio in capite.

Quapropter in acutis morbis longè melius eſt ſanguinem mittere, ātequam clyſteres inijciantur. Ad quod quidem E reſpicientes Hipp. & Gal. locis præcit. dixerunt oportere ſanguinem primum mittere, deinde clyſterem: quamuis authoritas tex. 20. (ſi vultis me verum fateri) minimè videtur attribuenda authori, qui hunc librum iam dictum compoſuit, in quo vult ſuſtinere ſemper ante clyſterem eſſe mittendum ſanguinē,

quia ex hoc loco nititur colligere propoſitionem hanc ſuam vniuerſalem eſſe, quod tamen falſum eſſe demonſtro.

Nam Hipp. in 19. aph. præcedente huius libri afferens ſcopos, quibus ſanguinis miſſio indicatur, nempe magnum morbum, virium robur, & ætatem florentem, ſubiungit in tex. 20. ſi angina fuerit illa, quæ curatur, aut aliquid ex pleuriticis morbis, oportet repurgare corpus clyſmate quodam.

Si tamen vires imbecilliores fuerint, aut ſanguinis plus extractum, tertio quoque die clyſterem infundere expedit, quo vſq; æger in tuto fuerit, quia ſupponit miſſum iam eſſe ſanguinem; ſed corpus egere purgatione, quæ vbi fieri nequeat, clyſteribus tertio quoque die vtendum eſt, vt ijs fiat, quod per medicamenta haberi non poteſt: non igitur intentio Hipp. eſt docere ſanguinem in omnibus morbis mittendum eſſe, deinde clyſterem inijciendum.

Ad ſecundam Hipp. authoritatem dicendum ex Gal. in comm. quod ibi enumerat ille morbos, in quibus mittendus eſt ſanguis; atque aduerſus antiquos ſcribit non debere primum curari medicamento purgante, ſed ſanguinis miſsione: deinde ſi magni, ac vehementes fuerint morbi clyſteribus: aut ſi non vehementes medicamento purgante.

Quare intentio Hipp. hoc loco eſt velle, vt in morbis magnis in primis mittatur ſanguis ex vena ſecta: per magnum vero morbum intelligere oportet vehementem, qui officiat viribus.

Ad Gal. verò in comment. tex. 75. interpretantem Hippocratis dictum, clyſterem poſtea exhibebis, hoc eſt, inquit, ſi aluus non ſponte fluat. Concludimus ergo authoritates allatas non eſſe vniuerſales, ſed ſolummodo de quibuſdam morbis, nempe magnis intelligendas eſſe; quemadmodum in præſenti propoſito caſu, quia phrenitis maximus morbus eſt, ideo primo mit-

A tendus eſt ſanguis, deinde ſi opus fuerit, clyſterem inijcimus.

Authoritates verò Haliabbatis, Auicennę in 4. 1. & Auezoar ſunt intelligédæ de morbis, in quibus datur tempus operandi, quia melius eſt certè, quando poſſumus deijcere fœces ab inteſtinis, ea mundare: ſed in cura coacta ad id, quod magis vrget, eſt properandum.

B Ad rationes autem in contrarium dicimus primò ad primam non poſſe tātam fieri à clyſteribus calefactionem, vt inde ad inteſtina fiat ſanguinis attractio; ſiquidem vena caua non tranſcendit hepatis ſuperiorē regionem: nec tam facilis eſt egreſſus ſanguinis à vena caua ad ramos venæ portæ per concauam iecoris regionem ſparſos.

C Ad ſecundam rationem, quæ verè ridicula eſt, dicimus veram fortè eſſe poſſe, ſi æger à lecto deſcenderet nudus, & in ſummo rigore hyemis: at vbi veſtimentis idoneis tegatur, & conclaue, vt decet, ſit paratum, nullum ſequitur periculum tantas refrigerationes in venis fieri poſſe.

Ad tertiam dico, quod non eſt, vnde poſſit fieri tanta attractio à clyſteribus, vt inde ſanguis à venis ſequatur: & licet

D Gal. dicat vim clyſteris è capite euacuare, intelligit de materijs extrauenatis, quæ ratione vacui ſequuntur ad euacuationem inteſtinorum; nam licet à vena caua ad inteſtina venæ ferantur, tamen hoc eſt media porta, quæ via à caua ad portam non tam facilis eſt.

Ad Auicennę authoritatem x. fen. 3. tr. 5. cap. 2. dicendum eſt falſum eſſe eū

E prohibere ſanguinis miſſionem in pleuritide, eò quod timeat ex euacuatione ventris in die facta ferri materiam à venis ad inteſtina. Sed quoniam ſuperius ſcripſerat in quibuſdam pleuriticis iterandam eſſe ſanguinis miſſionem; hinc iuſſerat oleum apponendum ſupra vlcus venæ inciſæ à nouacula in prima phlebotomia, vt inde denuò ſanguis mitti

poſ-

poſſet neceſſitate exigente.

Subiungit, & multoties quidem ex-cuſat ſolutio ventris omni die ſemel, aut bis à phlebotomia: hoc eſt, ſolutio ven-tris inhibet ſanguinis miſſionem eam, vt inquit Iacobus Forliuienſis, quam ite-randam dixerat: quare ex hoc loco ni-hil habetur, quo inhiberi poſſint clyſte-res in morbo iam dicto, aut in præſer-uanda ſanitate.

Quamobrem veriſſimam eſſe illam conclusionem exiſtimamus, quam vt fundamentum huius ſolutionis poſui-mus, nempe quod aliquando præmitti-mus clyſterem ſanguinis miſſione, ali-quando è contra.

Et hęc pro inſtrumento chirurgico.

## DE CVRATIONE PHRENITIDIS per victus rationem.

PRæceptum commune medicorum in curandis affectibus à materia prodeuntibus perpetuò ſeruandum eſt, vt in primis auctio prohibeatur, tolla-turque eorum aſſidua generatio, quod verò factum eſt, curetur.

Prior conſideratio pertinet ad eam medicinæ partem, quæ præuidet; altera verò ad eam, quæ curat. Iam verò phre-nitis per eſſentiam in capite facta, vna ex illis affectionibus eſt, quæ à fluxu ma-teriæ dependēt, in qua quidem curanda cauſam antecedentem conſiderare con-uenit, quæ nihil aliud eſt, quàm humo-res calidi, atque biliosi ſucci in corporis habitu contenti, quorū aliqua pars iam in vijs eſt, vt feratur in caput: altera ve-rò nondum in motu reperitur, ſed in termino à quo diſpoſita, aut ad caput ducatur.

Eorundem noua regeneratio omni-nò inhiberi debet, qui verò tam in ter-mino à quo, quàm in vijs exiſtunt, alte-randi ſunt, atq; prorſus è corpore edu-cēdi, ne ferri in partem affectam poſſint: atqui vt ſatisfaciamus priori conſilio, materia, à qua dicti humores ortum du-

A cunt, necnon & viſcera, quæ cauſæ effici entis rationem habent, corrigenda ſunt.

Verùm in morbis acutis quoniam an guſtia temporis non permittit viſcerum itemperiem corrigi, tota curatio dirigi-tur ad victus rationem, quæ ſex rerum non naturalium diſpoſitione perficitur; & primò videamus quomodo per ali-menta ſatisfaciendum ſit huic tam acu to morbo.

B Raſis noſter proponit pro cibo aquā hordei ſolam, quæ ab ægrotante toties ſumatur in die, quot vices aſſueuerat ſanus accipere, bis videlicet, aut ſemel. Antiqui pura inedia vtebantur ad quar-tam vſque diem, nonnunquam verò me licratum concedebant.

At noſtris temporibus, quibus inglu-uiei plurimi indulgent, non poſſumus tanta inedia ægrotantes detinere: qua-

C re etſi tenuiſſimo victu vtendum veni-at, tamen quia apud nos, qui erat pau-lò plenior victus apud antiquos, eſt te-nuiſſimus, vberius aliquanto nutriemus ægros, & quamuis Meſues non repona-tur inter antiquos authores, quemad-modum neq; Auicenna, neq; Auerr. ta-men ipſe proponit ſolam aquam hordei morem antiquorum ſecutus.

Hoc loco ſcire debetis aquam hor-

D dei poſſe duobus modis parari, vno, vt alimenti rationem habeat; altera verò, vt pro ſolo potu inſeruiat: primo modo ſic efficitur.

℞. hordei mundi excoriati, & cum pan-no aſpero deinde confricati, lib. j.

Aquæ claræ lib. xx.

Bull. in vaſe vitreo lento igne ad me-dietatis conſumptionem.

Quæ ſpecies aquę pręterquam quòd

E nutrendi facultatem habet, medicamen toſā quoq; vim acquirit: vnde Galenus lib. de ptiſana cap. 3. in hordeo conſi-derans tres partes vniuſcuiuſq; virtutē recenſet; prior, hoc eſt, furfuracea, ac cortex hordei exterior ſiccior exiſtit, maioremq; facultatem abſtergendi ha-bet: medulla autem interna, quæ eſt ipſius

ipſius veluti caro, ac nutritioni accommodata eſt, abſtergit quidem, ſed minus ipſo cortice; habet tamen in ſe ipſa, quod flatum generare poteſt.

Tertia pars eſt membranula quædam ſub cortice medullarem illam ſubſtantiam amplectens; quæ ſicut medium inter has partes habet locum, ita quoq; eſt media virtute; nam abſtergit quidem ſed minus, quàm cortex, magis tamen quàm ſubſtantia. Et hæc eſt illa aqua hordei, quæ loco alimenti ſemel, aut bis à phreniticis in die bibenda eſt.

Altera aqua recipit toti hordei lib. j. ſcilicet lauati cum aqua calida pluries: deinde accipiantur aquæ fontis puriſſimę lib. x. bulliant vnico feruore, coletur, ac ſupra hordeum iam dictum inijciantur lib. xx. aquæ fontis, decoquantur ad medietatis conſumptionem.

Hæc aqua ſitim tollit, inflammationem arcet, aſperitatemq; partium internarum lenit; lubricum ventrem reddit; præcordia humectat, necnon abſterſiua eſt.

Cum enim phrenitis extremus morbus ſit, extremè tenuiſſimo victu eſt vtendum, ne ab alimentorum copia diſtracta natura, non poſſit vacare circa morborum alterationem, & concoctionem, illoſq; expellere.

Sed quando mediocris inflammatio eſt, tunc iuſculis quibuſdam ex carnibus pullorum factis vti poſſumus, in quibus ſimplicia refrigerantia ebullierint, vt ſunt:

Endiuia,
Scariola,
Portulaca,
Violæ,
Cortices limoniorum,
Sonchus, & id genus: vel conceda-tur ptiſana.

Sed audio quendam ingenioſum mihi obijcientem, tam ſæpe hoc nomen ptiſanæ inculcatum intellexi, non tamen quid illud ſit, perfectè addiſcere potui.

Certè hoc nomen ptiſanæ etſi prędicetur de omnibus illis rebus, quæ excoriantur, dicitur tamen per antonomaſiam quaſidam de hordeo excorticato, itaut ptiſana abſq; alia adiectione ſignificet hordeum mundatum.

Poteſt etiam dici ptiſana aqua hordei primo modo facta: dicitur etiam ptiſana cremor ipſius hordei excorticati, vt lib. de ptiſ. cap. 4. à Gal. ſcriptum eſt. Prætereà prędicatur de quauis hordei coctione, vnde per ptiſanā alij hordeum coctum intelligunt; alij ipſius cremorem, quem χυλὸν græci appellant, nonnulli autem aquam cum hordeo, paſſulis, & liquiritia factam vocant ptiſanam.

Nos verò per ptiſanam intelligimus ſuccum hordei in aqua decocti ad perfectam coctionem, atq; expreſſi, nec non diſſoluti cum modico iuſculo pulli, quouſq; maximè potabilis reddatur: plereq; tamen nationes ptiſanā intelligunt hordeum iam dictum coctum, quod nonnullis ptiſana integra vocatur.

Modum præparandi Gal. paſſim docuit lib. 1. alim. & lib. de ptiſana, quamuis aquæ quantitatem non declaret. Paulus tamen Ægineta Gal. fidus interpres ſcribit, vt pro quacunq; libra hordei aquæ quindecim libræ accipiantur, permittaturq; ebullire, quouſq; maximè intumeſcat; hordeum enim quod multū intumeſcit, optimum cenſetur, quod verò non tumet, malum.

Vt tandem ex his conſtet, quid vobis nomine ptiſanæ intelligendum veniat, cuius quanta ſit vtilitas in morbis acutis; pulchrè docet Hipp. 1. de vic. in acutis, qui etiam inſcribitur liber de ptiſana tex. 18.

Et quamuis ptiſana ingentes in morbis acutis afferat vtilitates, admonet tamen Gal. lib. de ptiſ. cap. 6. quod acutis morbis laborantiū alij quidem à cremore ſolo, alij ab integra ptiſana, alij à neutro horum iuuantur.

Quibus integra ptiſana opem ferre poteſt, ſunt ij, quibus nondum miſſus eſt

ſan-

ſanguis, nec ab ipſis aſſumptum eſt medicamentum, quando etiam nullum prauum excitatur ſymptoma: cremore autem iuuantur illi, qui aliquid fallacius, & periculoſius habent, aut expectant.

Illis verò, quibus ſanguis mittendus eſt, aut purgatio facienda, aut dolor ſedandus, non eſt, vt ptiſana, antequam operationes factæ ſint, exporrigatur, ſiue integra ſit, ſiue ſuccus ipſius, quod ab illa maius nocumentum ſequeretur.

In præſenti igitur affectu cremor ptiſanę mihi magis probatur, quod facilioris ſit digeſtionis, quando facta fuerit ſanguinis miſsio.

Sed præter ptiſanã cremor ſeminum melonum, vel omnium frigidorum maiorum cum iuſculo diſſolutus, optimus cenſetur.

Panis in aqua frigida immerſus, ac ſaccharo aſperſus laudatur: abſtineat à carne vſq; ad morbi declinationem.

Potus ſit aqua ſimplex, aut ſaccharata, vel in aqua ſyrupus aliquis diſſoluatur, granatorum nempe, violaceus, ex ſucco limoniorum, acetoſitate citri, & id genus.

Vinum euitandum eſt ad declinationem vſq; morbi, in qua carnes quoque competunt, oua recentia ſorbilia, & id genus ciborum boni ſucci, & facilis coctionis.

Vinum igitur tenue, & pauciferum morbo declinante concedi poteſt, vbi potiſsimùm vires non ſint admodum validæ, quia præterquam quod vires confortat, fauet expulſioni, valet ad hilaritatem, & ad ſomnum comparandum, præſertim ijs, qui eo delectari tempore ſanitatis conſueuerunt, habentq; os ventriculi imbecillius, ex Alex. lib. 1. cap. 13. ſicuti vbi nequeat comedere æger, vel cum difficultate; tunc carnes caponum, pullorum, & aliorum animalium tum contuſæ, tum ſtillatitiæ faciendæ veniunt, vt citius, & facilius, vbi opus ſit, nutriri queat.

A Aer calidior, & ſiccior, quantum fieri poteſt, euitandus eſt; ſit verò moderatè frigidus, & humidus; qui ſi non fuerit natura, arte paretur, æſtate præſertim, in qua facilius in phrenitidem inciditur, quod conſequimur refrigerantibus, & humectantibus, vt ſunt flores nenupharis, violarum, ſalicis, roſarum, qui ſuper cubile, in quo æger decumbit, ſpargantur.

B Pauimentum verò conclauis folijs vitis, arundinum, ſimulq; aqua frigida, vel roſacea cum aceto irrorandum; parietes folijs arundinum, ſalicis ornandi; fontes ex aqua parentur, vt aqua ſuauiter in aliud vas decidat murmurando, vt aer refrigeretur, & ſomnus concilietur, cui maximè ſtudendum eſt; à vigilijs enim maximè ægrotantes affligi cōſueuerunt.

C Eſt tamen à vobis animaduertendũ, quod ſi temporibus, aut locis frigidioribus phrenitis vobis curanda proponatur, vt aerem eligatis temperatum in actiuis. Et hoc modo aer parandus ex parte primarum qualitatum.

In alijs verò, vt pote in luciditate, & obſcuritate, non omnes eiuſdem ſunt opinionis; ſiquidem Aretæus lib. 1. de curatione acutorum c. 1. inter Græcos

D non ignobilis author ſcripſit antiquiores medicos curaſſe, vt phrenitici in tenebris cōtinerentur, exiſtimantes eas ad animi quietem facere: è contra verò luciditatem.

At Aſclepiades (magnus apud Romanos tempore Pompei medicus, ex Celſo lib. 3. cap. 8. de quo quoq; Plinius lib. 26. cap. 3. ait, id ſolum poſſumus indignari, vnum hominem è leuiſſima

E gente ſine opibus ortum leges ſalutis humano generi dediſſe) fuit contrariæ, ſententiæ; vt arbitraretur in luce continendos eſſe.

Sed huiuſmodi opiniones in vniuerſali acceptæ non ſunt perpetuò verę; alij enim (Celſo docente) phrenitici à luce non offenduntur; alij neq; à tenebris;

alij

alij demum, & in luce, & in tenebris ſine offenſa degunt,in quibus certè nulla mutatio ex aeris hiſce qualitatibus percipi poteſt.

Vnde ab experientia id coniectari licet, animumq; ægrotantium ſcrutari ex moribus, & ipſorum actionibus in hunc modum;nam vbi in conclauilucido fuerint, & quæ non ſunt, cernant, & de abſentibus, vt eſſent præſentes, cogitent,hoc eſt,ſi vnum ex præſentibus pro abſente accipiant,cũ illoq; ac ſi alter eſſet,ſermocinentur ea ratione,vtcum furore, & contentione delirent, ne vires ex hoc furore,& luce debilitentur in tenebris continendi ſunt.

E contra, qui tenebras abhorrent, ac pertimeſcunt, vt eorum animus mitigetur, in lucido, ac ſplendido aere ſunt collocandi.

Circa lectum,in quo decumbit æger, cura habenda eſt, ne ſit nimis durus, & inde nerui lædantur; in conuulſionem enim incidere phrenitici ſæpe conſueuerunt.

Admonet Aretæus, ne in conclaue res eminentiores; & inæquales ſint, ſed æquales, planæ, non diſtortæ, quin ab omni pictura deſtitutæ ſint, ne intellectus illorum exagitetur, illiſq; tribuatur occaſio, quo varia rerum ſimulachra ante oculos poſita in mentem ipſorum obuerſentur,ſuper quę variæ fiunt inanes cogitationes.

Quies omninò comparanda eſt, ex Celſo lib.3.cap.20. Trall.lib.1.cap. 13. &Aegineta lib.3.c.6.quę niſi prudentium virorum admonitionibus,vel iurgijs obtineatur, ad laquea, & ligationes fugiendum eſt, tum vt furores,& impetus frenentur, tum vt quieſcant, nec tam inordinatè ſe moueant cum ſuorum virium iactura, tum ne manus violenter in ſe ipſos, & in alios inferant, tum vt ſomnus concilietur, quo maximè egent.

Alexander Trall.loco cit. ſcribit maximas animi affectiones reſpiciendas eſ-

A ſe, vehementeſq; illas cupiditates omni ingenio eſſe compeſcendas, inde cauendum, ne in iram, & furorem ducantur, ſed potiùs curandum,vt ſi in tali affectu fuerint, leniantur.

Cauendum quoq; ne ad ipſos ingrediantur illi, quos non libenter vident, nec audiunt,ne ab eorũ aſpectu contriſtentur: turba gentium arcenda, quandoquidem à nimia amicorum frequẽtia B eorum imaginatio exerceri ſolet, inde maior agitatio illos arripit.

Inſuper euitanda eſt omnis repletio, vnde niſi aluus ſponte fluat,præſertim quia à calore febrili exiccantur fœces; curetur,vt fluida reddatur cum molliuſculis clyſteribus ex cremore ptiſanæ,& iuſculo factis, atq; rerum emollientium decoctione cum oleo violaceo, ſale, & vitello oui: balanus quoque lenis ex C melle ſatis erit.

Hoc loci iuniores admonitos eſſe cupio, ne clyſteribus acutis,aut acrioribus à principio vnquam vtantur, ne humores, qui in fluxu ſunt,caput repentes agitentur; & hoc eſt quod Meſues ſcribit in curatione phrenitidis, nempe leniorum clyſteriorum adminiſtratio facienda, ne fiat humorum incitatio.

A lenibus clyſteribus in hoc caſu tres D vtilitates habentur,prima eſt,quod mundant inteſtina à fœcibus, & calidis humoribus:ſecundò prohibent eleuari vapores ab illis: tertiò temperant harum partium caliditatem, & humorũ quoq; inhibent in caput fluxum, nempe ſanguineæ, ac biliofæ materiæ quæ antea paratæ erant in caput ferri.

E
## DE CVRATIONE PHRENITIDIS per Pharmaciam.

Medicamenta ad pharmaciam attinentia cauſam antecedentem reſpiciunt, nempe humores omnes, ſed in præſenti caſu bilioſum, & aduſtum conſiderare conuenit, præcipuè bilem, quæ peccat quantitate, & qualitate

tum.

tum prima, tum ſecunda, nec non, & motu: vt peccat quantitate ſui euacua-tionem indicat: vt motu peccat, eget reuulſione in contrarium.

Sed an in principio conueniat purga-tio, eſt difficultas: primò quidem quia concocta medicari oportet: ſecundò ex medicamento fieret maxima in humo-ribus agitatio, quæ cauſa eſſet maioris inflammationis.

Pro ſolutione dicendum eſt, quod oportet in hoc caſu diligenter animad-uertere huius humoris fluxus violentiã, atque vehementiam; nam ſi violenter moueatur, nulla expectata concoctione, deueniendum eſt ad ipſius extra corpus eductionem, qua prohibeatur illius ra-ptus ad caput.

Siquidem magis indicat tunc tempo-ris euacuationem, quàm ſi turgeret, vt rectè Capiuaccius ſcribit: maiorque eſt neceſſitas euacuandi, quàm ſit crudorũ humorum indicatio concoquendi, pluſq; poteſt hic violentus motus ad indican-dum, quàm faciat illa cruditas ad prohi bendum, vt maior tandem ſit vtilitas ex bilis eductione, quàm ſit damnum ex cruditate: quapropter nulla expectata coctione ad humoris bilioſi euacuatio-nem properandum eſt.

An modò medicamentum electiuè ducens, an lenitiuum accipiendum ſit, audite quid Capiuaccius breuiter deter minat: is ait, medicamenta lenientia cum ſoluentibus admiſcere oportet. Sed ſoluentia in admixtione vel poſita ſunt ea ratione, vt faciant eradicatiuam purgationem; vel vt ſint veluti calcar lenientium: primo modo non ſunt vſur panda: ſecundo modo poſſunt, quòd in pauca doſi lenientibus admiſceantur, vt in exemplo pro principio.

℞. Florum caſſiæ nouiter extr. drach. vj.
Elect. ſucci roſ. drac. ij.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Hic ponitur elect. ſucci roſ. in quo adeſt ſcammonium pręparatũ, ideſt dia-gridium. Idẽ Capiuaccius medicamen-

A tum componit, vt lenitiuum, quod era-dicatiuum eſt; aliud quod non ita eſt eradicatiuum. Prius eſt.

℞. Mannæ vnc. ij.
Caſſiæ extractæ, drach. x.
Diagridij, gr. v.

Vnde maior eſt doſis dragridij. Secun dum eſt, quod illius tantùm grana tria recipit, quæ parua eſt doſis.

Auicenna admiſcet ſcammonium, & B ipſum tribuit, tàm in principio, quàm in fine morbi; ad imitationem cuius poſſu-mus cum dictis medicamentis aliquid ſcammonij, ſeu diagridij admiſcere, vel cum diapruno ſolutiuo, vel rhabarbaro: pro cuius doſis diuerſitate modò leniti uum, modò ſolutiuum fit medicamen-tum: & ſi humor atrabilarius fuerit, poſſu mus admiſcere ſenam, polypodium, epi thymum, &c.

C Hac igitur ratione poſſumus in principio vti medicamento educente bilem, prout exigentia nobis oſtendit: in cæteris medicamentis curanda eſt phrenitis, vt dolor capitis ab intempe-rie calida cum affluxu materiæ.

Poſtquam humor, qui repentè, & affatim fluebat in caput, fuerit euacua-tus, ille, qui relinquitur, alterãdus venit, nempe refrigerandus, atq; incraſſandus D cum medicamentis illis, quæ in forma potionum à practicantibus exhiberi conſueuerunt, vt ſunt ſyrupi, & apoze mata, de quibus dictum, & hic dicendũ eſt, quæ in aurora offeruntur ægrotan-tibus, quibus non modò attemperamus humorẽ, ſed ſymptomatibꝰ eos infeſtan tibus occurrimus, id eſt, febri, vigiliæ, dolori, & id genus, ideo propono vobis egregium ſyrupum pro bile præparan-E da.

℞. Fol. intybi recentis,
Cichorij, ana m. ſſ.
Florum borrag.
Bugloſſi,
Viol. ana. pug. j.
Glycyrrhizæ raſę, drach. j. ſſ.
Prunorum damaſc. num. v.

O Paſ-

Paſſul. vnc. ſſ.
Tamarind. drach. vj.
Aniſorum, drach. ſſ.
Rhabarb. elect. in talleolas diuiſi, & in linteo ligati, drach. ij.
Bull. omnia ſecundùm artem, deinde coletur facta rhabarb. forti expreſſ.
℞. huius colati, vnc. iiij.
Syr. de intybo,
Viol. ana vnc. ſſ.
Sacch. albi, vnc. j. ſſ.
Bull. lento igne, & deſpumetur ſaccharum, & cum albumine oui clarificetur, & aromatizetur.

Poteſt quoq; ad remittendum calorem partium internarum, & humoris fluentis parari electuarium, quod accipiatur ante ſyrupum, hoc pacto.

℞. Fragmentorum omnium pretioſorum, ana ſcrup. ij.
Corall. rub. drach. j.
Conſer. roſar.
Bugloſſi,
Nymphææ, ana drach. vj.
Sem. oxalidis,
Intybi, ana vnc. ſſ.
Cum ſacch. quantitate ſufficienti fiat electuarium.

Quo electuario vti poſſumus omni tẽpore: vbi alterata fuerit bilis, eſt educenda, ideo propono egregium, quod apud authores non reperietis.

℞. Aquarum cichorij,
End. ana vnc. ij.
Rhabarb. electi maturi in talleolas diuiſi, drach. ij.
Cinnamomi, gr. v.
Myrobal. flauorum, vnc. ſſ.
Macerentur ſpatio 12. horarùm, deinde facta forti expreſſ. diſſolue, ſyr. roſ. ſol. vnc. iij.

Sub forma boli.

℞. Diapruni lenit. drach. vj.
Diapruni ſolut. drach. ij.
Cum ſyr. ex adianto, vel cum ſacch. fiat bolus.

Vel

℞. Diapr. lenit. vnc. j.

A Elect. roſ. Meſ. drach. iij.
Cum ſaccharo fiat bolus.
Aliud delicatius.

℞. Palmarum Ind. vnc. j.
Trium florum cord. ana. pug. ſſ.
Liquiritiæ raſæ, drach. j. ſſ.
Prunor. damaſcenum. vj.
Decoq; in libra aquæ fontis, exprime, & diſſolue floris caſſiæ nouiter extr. drach. x. fiat potus.

B Si verò fuerit atra bilis, alteranda eſt cum.

Syr. de pomis,
Borraginis,
Fumariæ.
Cum aquis proportionatis. Sed in hoc caſu affero ſyrupum magiſtralem.

℞. Polypod. querc. recentis, vnc. ij. ſſ.
Palmul. Thebaicarum ping. vnc. j.
Epithymi Cretenſis, vnc. ij.
C Scolopend.
Adianti, ana manip. ij.
Florum cordial. ana pug. j.
Bull. in lib. ij. aquæ fontis puræ ſecundùm artem, coletur.

℞. colaturæ huius, vnc. iiij.
Sacch. albi, vnc. j. lento igne bulliant, quo vſq; deſpum. ſacch. deinde ablato ab igne adde ſyr. de pomis, vnc. j. ſſ.

Accipiat hunc ſyrupum in aurora, D quouſque alterata fuerit bilis torrida: quæ præparata indiget purgatione, ideo

℞. Decoct. prædictæ, vnc. iiij.
Inf. fol. ſenæ orient. vnc. ſſ. per noctem, deinde adde
Cinnam. ſcrup. ſſ.
Coletur, & cum colatura diſſolue.
Confect. hamech, drach. ij.
Syr. de polypod. Auguſtini Niphi,
E vnc. j.

Vel

℞. Aquæ fumar. vnc. iiij.
Confect. hamech. vnc. ſſ.
Syr. de polypodio, vnc. ij.
Miſce fiat potus.

Vel

℞. Seri lactis, lib. ſſ.

Inf. fol. ſenæ, vnc. ſſ.
Coletur, & diſſolue diacatholici, drach. x. fiat potus.

Poteſt adhuc alterari illa humoris portio remanens in corpore cum medicamentis, vel ſub ſyruporum forma, aut conſeruæ: verbi gratia:

℞. conſ. florum cichorij,
Nenupharis,
Spec. diamarg. frig.
Diatragacanthi frigidi.
Trium ſantal. ana drach. j.
Trochiſc. de violis, drach. ſſ.
Cum ſyr. Regis Sabor ad vnc. iiij.
Fiat cond. add. fol. auri num. ij.
Doſis ad vnc. j.

Iam ad cauſam coniunctam, & ad morbum iam factum curandum accedere oportet; qui nihil aliud eſt, quàm humor bilioſus in caput iam delatus, à nobis, vt decet, conſiderandus; nam vel adhuc in capite exiſtens, in venis, atq; in fluxu eſt: vel extra venas delatus.

Primò modo cogendus eſt reuerti, eò, vnde venit, quod duobus modis efficitur, trahendo videlicet, atq; impellendo. Primæ indicationi ſatisfacimus ſanguinis miſſione ſecando venam frontis, aut poſt aures; applicando etiam hirudines ad internas narium venas: vel cucurbitulis dorſo, & ceruici appoſitis, vel alijs ſimilibus, de quibus ſatis actum eſt.

Secundæ verò intentioni ſatisfacimus medicamentis reprimentibus, ac bilioſum humorem refrenantibus, quæ ſunt in forma oxyrhodinorum, vnguentorũ, oleorum, irrigationum, fotuum, emplaſtrorum, ſacculorum, cucupharum, de quibus ſupra diximus, & nunc dicendũ eſt in præſenti affectione.

Raſis pro hac indicatione ſatisfacienda tria ponit medicamenta: primum eſt oxyrhodinum, de quo ſupra in cap. de dolore capitis à materia calida; ſecundum eſt embrocatio ex aqua, in qua ebullierint ſimplicia quædam reprimendi, ac refrigerandi facultatem habentia.

A Sed eam non eſſe celebrandã inquit, niſi vbi adſint intenſæ vigiliæ. At ingredientia, modúſque componendi hæc ſunt.

℞. corticum papau alb.
Hordei excor.
Sem. lactucæ,
Radicis mandrag. ana m. j.

Bull. in ſufficienti quantitate aquæ vſq; quo aqua rubea fiat.

B Quæ aqua cadendo permittatur deorſum in caput ferri, ea ſcilicet ratione, vt aqua, quæ cadit, denuò colligatur, ſæpeq; repetatur in die eius applicatio.

Tertium remedium eſt oleum violatum, cui admiſceatur lac muliebre, intuſq; linteum madefaciendum eſt, ac ſyncipiti ſæpè applicandum, atq; iterandum.

C Et hæc tria medicamenta optima ſunt, quibus conſequi poterimus id quod intendimus.

Non deſunt infinita, quæ eamdem intentionem habent, attemperandi nempe feruorem humoris fluentis, remittendi intemperiem calidam capitis, humoremq; incraſſandi, ne tam repente fluat: poſtremò & ipſum eã ratione illidendi, vt cogatur, vnde venit, retrocedere, ea autem ſunt, quæ parantur ex aquis

D diſtillatis, vel
Ex ſuccis plantaginis,
Solani,
Semperuiui,
Portulacæ,
Cucurbitæ;
Cum quibus, &
Cum oleo roſato, aut
Omphacino, aut
Violacẽo, aut

E Nenupharino, modicoq; ceræ poſsũt linimenta varia parari.

Vnguentum quoq; populeon tam diuulgatum huic intentioni ſatisfacere poteſt, quia admittit omnia ingredientia refrigerantia, & quæ ſomnum conciliare poſſunt.

Ex decoctionibus rerum dictarum poſ-

poſſunt fieri fotus, aliaque topica auxilia.

Hæc ſunt medicamenta, quæ in principio huius affectionis fieri debent, & eo maximè vbi intenſæ fuerint vigiliæ, quæ quidem in hoc affectu ſemper eſſe conſueuerunt; quin imò inter cætera ſymptomata iſtud maximè vrget, ideo illi quaſi primò incumbendum eſt; quia dum vigilant phrenitici, ſemper loquuntur, inordinateq; hinc inde cum iactatione mouentur, ex quibus virium ingens fit reſolutio.

Inter ea, quæ ſomnum conciliare poſſũt, eſt illa embrocatio à Raſi propoſita, deinde vnctiones ex vnguento prędicto circa frontem, tempora, ac ſynciput; tãdem maxima neceſſitate vrgente ad opiata confugiendum eſt, ideo iſtud medicamentum opiatum præſtantiſſimum eſſet.

℞. Olei viol. vnc. j.
Opij gr. ij.
Quo inungi debet totum ſynciput.

Atqui non ſolùm dicta topica medicamenta proficiunt pro ſomno conciliando, ſed etiam nonnulla poſt cœnam, ſeu prandium exhibenda ſunt ipſi ægrotanti; quorum plura apud ſcriptores cõperietis, inter quæ mitius eſt diuulgatum illud, quod

℞. Syrupi papaueris, vnc. j. ſſ.
Aquæ lactucæ, vnc. iij. m.
Per horam à cœna exhibeatur.

Sed propono vobis pulcherrimum remedium, quod non ſolùm ſomnum conciliare, ſed & vires reparare poteſt.

℞. cremoris ptiſanæ,
Lactis amygd. dulc. in aqua roſ. diu maceratarum.
Lactis quatuor ſem. frig. ana vnc. ſſ.
Emulſ. ſem. papau. drach. ij.
Opij gr. j. m.
Quo fiat ſorbitio ex iuſculo pulli, offeraturq; per horam ab aſſumpto cibo.

Nec putetis amygdalas in hac compoſitione fruſtra poſitas eſſe; nam etſi caput petant, non tamen in hoc caſu officiant; ſed ſunt tanquam medicamẽti vehiculum quoddam. Opium verò licet frigidum ſit, non eſt tamen, vt ipſum in tam exigua copia poſſit nocumentum inferre.

Legatis enim Nicolaum Monardem virum ſanè in exploranda, ac deſcribenda ſimplicium medicamentorum natura ſolertiſſimum, & comperietis Indos aſſumere abſq; aliquo nocumento opium ad drach. j. ſſ. quin imo vbi à labore defatigati fuerint, ad ſuas reſtaurandas vires recurrunt ad opium, & ad minus drach. j. ipſius deuorant, diuque poſt ipſum aſſumptum dormiunt, expergefacti deinde validiores ad ſua munera reuertuntur.

Apud nos grana quinq; aut ſex damnum ingens afferre poſſunt, imò pro veneno habẽtur, quod quidem verum eſt, ſed tamen ex iis venenis, quæ agunt quantitate, non qualitate, quandoquidem opium nihil aliud eſt, quàm ſuccus extractus ex papauere: papauer frigidũ quidem eſt propè quartum gradum, non propterea alia ratione venenũ eſt; ideo vt hominem interficiat, ipſius multa copia requiritur.

Neq; tam frigidum eſt opium, vt mandragora; ad guſtum enim amarorem habet, quo priuatur mandragora; quinimo, Matthiolo referente, habet partes quaſdam acres, ita vt mordeat palatũn, quamuis ipſe exiſtimet verum opium eſſe illud, quod amputato capite papauęris ex trunco lachrymę in modum exirę conſueuit; ſed noſtrum, quo communiter vtimur, eſſe ſuccum ex capitibus, ac folijs papaueris contuſis extractum, meconium vulgò appellatum; ſed ſiue illud, ſiue hoc ſit, cùm ex papauere exeat, non videtur tam lethale, vt nonnulli arbitrantur.

Quandoquidem Theophraſtus lib. 9. cap. 13. de plant. hiſt. ſcribit ſua ætate papauerum folia decocta, ſimul cum caſeo, & butyro, contuſa pro cibo vſurpata

pata ſæpe fuiſſe: & quod magis eſt ſcribit Matthiolus omnes in quadam agri Tridentini parte, ſeminibus papaueris in placentis immixtis pro cibo familiariſſimo ſæpe vti, & ad ſatietatem vſq; accipere, nec tamen vnquam aliquis horum obſeruatus eſt, qui aliquam capitis ſomnolentam affectionem paſſus ſit.

Quemadmodum neq; habitantes ſuperiorem Auſtriam, etſi pro cibo vtantur oleo è nigri papaueris feminibus expreſſo, quemadmodum nos oleum oliuarum communiter vſurpamus, nec tamen inde ſequitur aliqua capitis lęſio, aut veternoſæ affectionis ſuſpicio.

Quibus inferre volo opium vrgente neceſſitate poſſe tutò in ſufficienti quantitate exhiberi: proinde ad conciliandum ſomnum, ſitimq; extinguendam cremor ſeminis papaueris albi aqua hordacea diluti à Matthiolo in ſatis ampla quantitate conceditur.

Ad idem faciunt requies Nicolai, philonium Romanum, Perſicum, triphera magna, theriaca recens: quorum doſis eſt ad drach. j. cum aqua lactucæ, vel hordei.

Præterea idem præſtant irrigationes ex decocto roſarũ, violarum, hyoſciami, papaueris corticum, quibus admiſceri poteſt oleum roſatum cum pauco aceto.

Eandem intentionem habent nonnul la naribus admota, vt ſunt roſæ, acetum, aqua roſata, oleum roſatum, violatum, quæ etiam frigida in aures inſtillari poſſunt.

Circa ceruicem, vbi venæ illæ magnæ iugulares apparent, lintea quędam veniunt applicanda actu frigida, immerſa in aquam roſaceam, & acetum, aut in dictas decoctiones: vel facienda eſt aliqua decoctio rerum frigidarum, atq; adſtringentium, vt non modò reprimatur motus humoris, ſed partes adſtringantur, ne tam facilè poſſint fluxum admittere, quemadmodum.

A ℞. Fol. roſ.
Viol.
Nenuph. ana manip. j.
Florum lambruſcæ,
Corticum granat.
Gallarum, ana drach. ij.
Bull. ſecundùm artem, colentur, adde aceti quantum ſufficit.

In qua decoctione lintea madefiant, ceruiciq; actu frigida applicentur, ac ſæ
B pe iterentur, ne calefiant, indeq; materiæ copiam trahant.

Localiaq; eiuſdem generis refrigerandi facultatem habentia, nempe epithemata cordi ſunt applicanda, & ſępe mutanda, de quibus ſuo loco.

At localia medicamenta facienda ſunt à principio, cum materia adhuç in fluxu eſt; quando verò iam fluxa ipſius eſt aliqua quantitas, quæ reprimi non
C poſſit, tunc reprimentia medicamenta cum diaphoreticis admiſcenda veniunt.

Vt ſatisfaciamus illi indicationi, quæ indicat materiam eſſe per inſenſibilem halitum euacuandam, vbi docebam modum curandi vteri inflammationem ex Galeno, & Auicenna, demõſtraui curationem localem tumorum calidorum ex rei ipſius natura eſſe deſumptam, vt
D in principio, nempe in inſultu, purè repercutientibus vteremur; in principio verò temporaneo eſſe reprimentia medicamentis reſoluentibus admiſcenda hac lege, vt reprimentia præpollerent in mixtione, eò quod maior copia eſſet humoris fluentis, quàm fluxi; in augmento, vt æquè ea admiſcerẽtur: in ſtatu verò reſoluentium virtus ſuperare debet facultatem reprimentium; at in decli-
E nationibus purè reſoluentibus pugnandum eſſe oſtendi.

Cum igitur præ manibus tumorem ab humore calido fluente curandum habeamus, in principio per duos, aut tres dies, & vſq: ad quartum reprimentibus iam dictis nobis agendum eſt, & potiſſimùm vbi vigiliæ adſint, quibus omninò

tan-

tanquam maximo vrgenti attendendum eſt.

Verùm oportet, vt repercutientibus prædictis medicamentis aliqua reſoluentia admiſceamus, quemadmodum in temporaneo principio oleum roſatũ cõpletum, atq; oleum chamæmelinum, vel ex ſeminibus lini, ex.g.

℞. Olei roſati, vnc. ij.

Chamæmeli, vnc. j.

Fiat irrigatio.

Cum rebus etiam prædictis poſſunt ebulliri.

Chamæmelum,

Saluia,

Bettonica, & id genus, ex quibus parari poſſunt embrocationes, ac etiam fomenta.

Mihi in hoc caſu ſummoperè probatur tritum illud, ac communiſſimum emplaſtrum, quod ex lacte, & oleo roſato, ac pane trito conficitur; nam refrigerandi, ac reſoluendi facultatem habet, quémadmodum 2. ad Glauc. cap. 7. pulchrè demõſtrat Gal. in ſtatu verò iſtud emplaſtrum cum decocto chamæmeli, oleo, ac pane trito efficerẽ, abraſoq; vt decet capite, ſupra ſinciput ipſum apponendum eſſe cenſerem.

In declinatione verò irrigationes aliquas ex decocto.

Saluiæ,

Bettonicæ,

Maioranæ,

Chamæmeli,

Seminum lini faciendas eſſe exiſtimarem, quo poſſit tota diſcuti materia,

A deinde cum oleo chamæmelino, & ſeminum lini totum iniungerem caput antea abraſum.

Ad hanc intentionem faciunt columbe viuę per medium ſecundum lõgitudinem ſectę, catuli, galli ad ſpinam ſecti. Pulmo quoque arietis à viuo animante extractus in hoc caſu probatur, qui ad futuram coronalem applicetur, ſed

B ſpatio duarum horarum auferatur: alia quoq; ad hoc parata applicentur.

Sed in apponendis medicamentis localibus duo ſunt perpetuò in hoc caſu animaduertenda: vnum eſt, ne nimia fiat ex repellentibus medicamentis refrigeratio, quia periculum eſt, ne morbus deſinat in apoplexiam, vel alium frigidum capitis affectum.

Alterum ſeruandũ eſt, ne diaphoretica, ideſt, reſoluentia medicamenta ni-

C mium calida ſint; & acria, quia periculum eſſet, ne ad caput maiorem attraherent materiam, quæ ſunt præcepta, ex Gal. accepta 13. meth.

Inſuper notatione dignũm ex eodem Gal. iam citato cap. 19. quod quando ad penitiores partes volumus, vt penetrent medicamenta reprimentia, opus eſt illis addere aliquod ex ijs, quæ calida ſunt, & tenuium partium, vt ſint aliorum vehiculum.

D Et hæc dicta ſint de cognitione, & curatione phrenitidis per eſſentiam. Illa verò, quæ fit per conſenſum aliarum partium, curatur pro diuerſitate partis, à qua ortum ſuum ducit, de qua quidẽ ſuo loco, & tempore.

# DE MELANCHOLIA.

## CAPVT NONVM.

Morbos nunc cerebri, qui ab humore melancholico oriuntur, inueſtigãdos aſſumimus, inter quos primò occurrit diuulgatiſſimus ille, & qui reliquis frequentiùs homines inuadere conſueuit, melancholia appellatus.

At ſciendum primò eſt melancholiæ nomen à Gal. quandoq; accipi pro humore melancholico, aliquando pro affectione capitis præternaturam, vt 2. meth. 2. apparet.

Rurſus humor melancholicus conſideratur, vel vt facit homines prudentes, vel vt eoſdem reddit ſtultos: de primo loquitur Ariſt. 3. ſect. probl. 1. de ſecundo à nobis tractandum proponitur, qui & melancholia propriè dicitur: vnde eſt, quod aliquando melancholicos prudentes, aliquando verò ſtultos appellamus, idque pro melancholici humoris diuerſitate.

De melancholia igitur tractandum proponitur, quæ imaginationem, & aliquando rationem ita perturbat, vt homines delirent, ac præter rationem non modò loquantur, ſed etiam operentur. Sunt hi in continuo delirio, imaginatione ſæpe corrupta, nonnunquam, & ratiocinatione, aliquando verò vtraque facultate læſa, quæ, vt aliàs docui, paraphreneſis græcè appellata eſt; delirium enim communiter ita ab Hipp. appellatum fuit.

Nomine igitur melancholiæ intelligere volumus delirium, cuius plures conſiderare poſſumus ſpecies, ſeu differentias; aliæ enim ſunt deſumptæ à modo, quo ęgrotantes ſe habent circa ſuas imaginationes deprauatas; aliæ verò à prauis imaginationibus.

Alij ſiquidem pacatè, & modeſtè ſe gerunt circa ſuas, quas habent, ſpecies imaginationis deprauatæ: alij verò immodeſtè admodum tam in loquendo, quàm in agendo, dum defendere conantur ſuas opiniones corruptas, vt ad litaturas, & compedes deuenire ſit opus.

B Priores appellantur melancholici, & morbus, quo tentantur, dicitur melancholia: alij verò ſunt maniaci à mania, qua exercentur ita dicti; ambo enim iſti ſunt in delirio, & ſæpe verſantur circa eaſdem imaginationes, ſed in modo ſunt admodum diuerſi.

Præterea melancholici ſunt inter ſe diuerſi; nam alij verſantur circa varia ſimulachra; alij verò ad vnam delirij ſpe-
C ciem ſunt determinati, quandoquidem nonnulli homines odio habendos eſſe putant; ſummaq; ipſorum delirij in hoc poſita videtur, vt hominum commerciũ ſemper fugiant, & tale delirium lycanthropia dicitur.

E contra alij ſunt, qui alios, & ſe ipſos, ſeu (vt melius loquar) ſe ipſos ita immoderatè, & inordinatè amant, & in gratiam ſui alios, vt continuò circa
D id genus amoris verſentur, & nihil aliud præter hunc curent, & philautia, atque erotomania huiuſmodi delirium appellatur.

Deniq; ſunt alij, qui tam immoderatè aquam odio habent, vt velint potiùs mori, quàm eam guſtare, quamuis ipſa illorum ſit appropriatum auxilium, & hydrophobia vocatur.

E Primò igitur de illa ſpecie delirij tractandum nobis proponitur, quæ varias habet imaginationes, & melancholiæ nomine ſignificatur, cuius definitio inquirenda eſt, cauſæ, ſigna, prognoſtica, & curatio: deinde & ſigillatim de alijs.

Eſt autem melancholia delirium ſine febre cum timore, & mœſtitia ortum da-

ducens ab humore melancholico. Colligitur hæc definitio ex 3. de locis aff. 7. 6. aph. 22. lib, de diff. ſymp. 3. 2. de cauſis ſympt. vlt.

Dicimus eſſe delirium, vt genus denotemus: ſine febre ad phrenitidis differentiam: cum timore, & mœſtitia, tertia eſt differentia melancholiá diſtinguens à mania, de qua ſuo loco; proprius enim character melancholiæ eſt timor, & męſtitia, docente Hipp. 6. aph. 24. deniq; ab humore melancholico eam fieri dicimus, vt cauſam demonſtremus efficientem.

Imaginatio primò in melãcholia deprauatur, temporis progreſſu ratio, in hoc conueniunt omnes delirantes melancholici, quod timeant, mœſtique ſint vitam damnantes; hominesque odio habentes, ſed cum aliqua differentia.

Alij enim mortem cupiunt, eamque ſibi inferunt, cum tamen ipſam metuãt; alij adeo ipſam timent, vt caput ſui delirij poſitum ſit in mortis timore. Hinc Gal. Hippocratem laudat, quod omnia melancholicorum ſymptomata ad hæc duo capita reduxerit, ad timorem, & mœſtitiam; mœſtitia enim eos inducit, vt homines odio habeant, ſemper triſtitiam in ſe habentes, atq; timorem.

Hinc rectè Auicenna 1. 3. tr. 4. cap. 18. ſcriptum reliquit melancholiam eſſe mutationem ęſtimationis, ſeu cogitationis à curſu naturali ad corruptionem, ad timorem, & ad malitiam. Et hæc quantum ad eſſentiam huius affectionis.

## DE DIFFERENTIIS MELAN-cholia.

Differentiæ melancholiæ hæc ſunt; alia enim eſt per eſſentiam, alia per conſenſum; & hęc adhuc eſt in dupli ci differentia, alia quæ fit vitio totius corporis; alia verò vitio aliarum partium corporis, inter quas eſt illa tam diuulgata, quam hypochondriacam me-

A lancholiam dicunt, vel vt Arabes myrachialem, de qua paulò diligentius nobis agendum erit, eò quòd frequentiſſimè eueniat, multorumque malorum ſit cauſa.

Rurſus differentiæ deſumuntur à varijs imaginationibus prauis, quas ipſi melancholici habent; nam docente Gal. lib. 3. de locis aff. cap. 7. alij putant ſe teſtaceos eſſe, ideo ne collidantur, om-
B nibus obuiantibus facilè cedunt; alij exiſtimant ſe gallos eſſe, & proinde quatiunt brachia ad latera, gallorumq; more cantant.

Quidam putans ſe Athlantem mundum humeris ſuſtinentem timebat ne temporis progreſſu defeſſus mundum à ſe excuteret, & cum eo ipſe collideretur, noſque omnes ſimul perire-
C mus.

Alexander Trallianus cuiuſdam meminit, qui ſe capite priuatum eſſe putabat. Auenzoar lib. 1. tract. & cap. 9. ſcribit fuiſſe quemdam ſuis temporibus putantem ſe mortuum eſſe, vnde nec loquebatur, nec mouebatur. Aretæus & ipſe lib. diutur. affect. cap. 6. quemdam obſeruauit credentem ex latere ſe confectum eſſe, qui ne diſſolueretur, bibere nolebat.

D Gerſon agnouit quemdam, qui murileum ſe eſſe putans ſemper ſub lectis mures quærebat: & alium exiſtimantem ſe pedes vitreos habere, & ne rumperentur, ambulare nolebat.

Alius fuit ſuis temporibus, qui cum ſe dolium putaſſet, collocabatur cum doliis in ordine.

Alius putans ſe ex butyro compoſi-
E tum nolebat ad ignem accedere, ne colliquaretur.

Alius exiſtimans ſe tympanum bellicum eſſe abdomen manibus tympani in modum percutiebat.

Iſtæ ſunt differentiæ imaginationis læſæ, in qua non læditur diſcurſus, ſed lædi poteſt.

DE

## DE PARTE AFFECTA in melancholia.

Circa partem affectam,omnes conueniunt eſſe cerebrum, hoc eſt, partem anteriorem ipſius,in qua imaginatio reſidet, ſi non loco ſaltem operatione, vt notiſſimum eſt.

Quamuis non deſint exiſtimantes cor eſſe partem lęsã; exiſtimo tamẽ pro ſolutione dicendũ,quod ſcribit doctiſſimus Mercurialis,nomine loci affecti duo intelligenda eſſe, hoc eſt,vel eam partem, in qua morbus reſidet, vel locum reſidentiæ cauſarum ipſius affectus: ſi primo modo ſemper in hac affectione cerebrum ſtatui debet pro parte affecta,quia melancholia ſemper eſt in cerebro, vt eſt morbus.

Si ſecundo modo cauſa melancholiæ aliquando eſſe poteſt in cerebro,aliquãdo in corde; nam vbi cor intemperie frigida, & ſicca laborat, fieri minime poteſt, quin etiam cerebrum afficiatur, quemadmodum etiam vbi cerebrum diù,& multum melancholia laborat,poreſt in conſortium ipſum cor trahere: vnde Auicenna dicebat, quod in antiquata melancholia cor afficitur, ſed in melancholia non antiquata cor non poteſt tam validè affici.

## DE CAVSIS MELANCHOLIAE.

Cvm melancholia ſit ſymptoma imaginatricis vitiatæ,neceſſe eſt, vt aliquem morbum ſequatur:eſt autem morbus intemperies frigida, & ſicca, modò nuda,modò cum materia, nõnunquam vaporoſa, ſæpe humorali,quæ nihil aliud eſſe poteſt, quàm humor melancholicus, à quo intemperatur cerebrum, & à colore ipſius denigratur.

Nam cùm in humore melancholico duo adſint perpetuò; vnum, quod ineſt ei ſecundùm ſuæ eſſentiæ rationem, nẽpè temperamentum; aliud quod ipſius temperamentum ſequitur, quod eſt color ater, & niger, à temperie primùm humoris intemperatur cerebrum ſecundùm ſuam ſubſtantiam,hoc eſt ratione ipſius intemperiei;deinde, & color qui eſt albus, & ſpiritus qui ſunt lucidi, denigrantur, & obſcurantur.

Vbi enim cerebrum intemperatum eſt, ipſiuſq; temperies corrupta; actio, quæ ab ipſo prodit, neceſſariò corrumpitur, quæ eſt imaginatio, atq; diſcurſus.

B Ab atro verò humoris colore ſubſequitur mœſtitia,atq; timor; ſcribit enim Gal. 3. de loc. aff. 7. humorem melancholicum ſua turbulentia timorem animæ cogitanti ea ratione inducere, ac faciat in rebus exterioribus aer denſiſſimis,ac obſcuriſſimis nubibus circundatus, qui ſæpè pueris, ac puſillanimis hominibus ingentem metum, ac timorem incutere conſueuit.

C Quem Gal. locum conſiderans Auicenna 1.3.tr.4.cap.18: ſcribit Galenum hac ſimilitudine pulchrè nobis declaraſſe hanc animę paſſionem;nam quemadmodum aer alioquin ſplendidus,lucidus ſue nos circundans ſine aliquo timore perpetuò nobis conuerſatur; ita anima in cerebro reſidens, quod albiſſimũ, & ab omni macula eſt alienum.

D Addatis vos, quod ipſum cerebrum mediantibus ſpiritibus animalibus, qui lucidiſſimi ſua natura ſunt, operatur, ſemperq; omnia ſua obit munera abſq; timore,& mœſtitia; vbi verò nigredine, & turbulentia afficiuntur ſpiritus, mœſtitia, atque timore operari neceſſe eſt.

Humor igitur melãcholicus eſt cauſa deprauatæ imaginationis, timoris, atq; E mœſtitiæ.

Sed cùm humor melancholicus ſit in duplici differentia; vnus naturalis, qui etiam duplex eſt, nempe alimentalis, & excrementitius; alter præternaturalis, qui diuiditur in quatuor differentias. vna ſit ex ſanguinis aduſtione, altera ex bilis flauæ, tertia ex melancholia,po-

ſtrema ex pituitæ aduſtione, quamuis in hac vltima differentia non omnes conueniant.

Præſens melancholia non fit ab aliqua ex differentijs humoris melancholici præter naturalis, ſed ex naturali; ſiue alimentalis ſit, ſiue excrementitius, vt author eſt Gal. nam vtramq; appellauit fœcem ſanguinis, nec non ſuccum melancholicum: hæcq; melancholia, ſi vomatur, non concreſcit, vt ſanguis ater, neque terram fermentat: ab huiuſmodi igitur humore morbus melancholia generatur.

Qui humor, cùm in hepate gignatur, fieri poteſt, vt in tanta copia generetur, tum iecoris vitio, tum alimentorum vſu, vt in caput delatus reſolui minimè poſſit, ibiq; collectus producat melancholiam; vel quamuis non generetur in tanta copia, cum tamen debeat à liene expurgari, & non expurgatur illius vitio, regurgitat in iecur, & ſic maior copia in caput aſcendit, à qua (vt dixi) cerebrum intemperatur.

Et hoc modo intelligendus eſt Gal. 3.de loc.aff.7. vbi dicebat melancholiam generari in capite, hoc eſt, colligi in capite maiorem copiam, quam conueniat, quia humores propriè non dicuntur generari niſi in hepate.

Vbi igitur huiuſmodi humor melancholicus ſolus colligitur in capite, vel cum bilis, vel ſanguinis admixtione facit melancholiam: cuius tot varij ſunt effectus, prout humor melancholicus ſolus eſt, aut aliũ quempiã ex alijs humoribus admixtum habet, in qua mixtione eſt opus, vt ſemper humor melancholicus illis prædominetur.

Concluſio ſit, quod melancholiæ cauſa immediata, & proxima eſt humor melancholicus, vt plurimum ſolus, nonnunquam verò alijs humoribus admixtus, ſed qui ſupra eos dominium habeat; ſuaq; temperie frigida, & ſicca cerebrum intemperet, ſuoque colore nigro timorem, ac mœſtitiam inducat.

A Sed duæ inſurgunt ex hac determinatione dubitationes, vna eſt, an melancholia fieri poſſit ex nuda intemperie frigida, & ſicca abſq; humoris melancholici præſentia?

Secunda dubitatio eſt, quia Auerroes lib. 3. coll. cap. 40. irridere videtur Gal. & omnes medicos dicentes à colore nigro cogitatiuam potentiam poſſe timore, vel mœſtitia affici; & ratio quam B adducit eſt, quia cogitatiua oculos ad videndum minimè habet, vt poſſit colorem videre, qui eſt oculi obiectum: deinde addit; color non poteſt tollere temperiem cerebri, ergo neq; poteſt ipſius lædere operationem; ea enim quæ partis alicuius actionem lędunt ipſius temperiem, & compoſitionem lædere ſunt apta: color autem non eſt talis: C non igitur ab humoris melancholici colore fiunt hæc duo ſymptomata, timor ſcilicet, ac mœſtitia.

Cauſa prioris dubitationis eſt, quia melancholia eſt imaginatio deprauata, quæ à frigiditate fieri minimè poſſe videtur, tam ex Galeno 3.de locis affectis cap.7. quàm ex Auicenna 1.3.tr.2.cap. 5. & 6.

Sed vt difficultatem tollamus, dicimus imaginationem deprauari poſſe ab D intemperie frigida ſine materia, quamuis id rarò contingat, & eſt quando, vt rectè docet Mercurialis lib.de aff. cap. 10. reſoluto humore melancholico, vel ipſo euacuato remanet ipſius veſtigium adhuc intemperiem conſeruans, quæ tamen diu durare minimè poteſt; vt plurimum enim fit cum præſentia materiæ, præſertim in initio morbi, & in augmento & ſtatu: quia in declinatione re- E ſoluto humore poteſt remanere impreſſio facta in cerebro, & ſic fit à ſola intemperie: ſed parum tunc temporis durat, vt iam diximus.

Ad difficultatem ex Auerroe propoſitam, & primò ad primam rationem dico nõ eſſe neceſſarium ad inducendam mœſtitiam, & timorem ipſi phantaſiæ,

vel

vel animæ cogitatiuæ, vt ipſa habeat o-culos ad colorem atrum videndum: ſed ſatis eſt, vt cerebrum, in quo ipſa reſi-det, & quo mediante ſua phantaſmata fabricatur, ſit ſecundùm ſuum eſſe natu-rale, album, ſpirituſq; animales dilucidi, qui vbi tales fuerint tunc abſq; aliqua mœſtitia, vel timore ſuas operationes facit, ſiue imaginatio læſa ſit, ſiue non læſa, quod in phrenitide luce clarius cernitur, in qua imaginatio deprauata eſt, & tamen abſq; aliqua mœſtitia, aut timore ſua munia obit, qualiacuuq; illa fuerint.

Cum autem à nigredine humoris me-lancholici, & cerebrum, & ipſi ſpiritus denigrentur, ac perturbentur, tunc ſe-quitur timor. Vnde Auicenna pulchrè ſcripſit humorem melancholicum face-re ſpiritum ſylueſtrem, & timidum pro-pter tenebras ipſius.

Galenus autem non ignorabat cogi-tatiuam in cerebro exiſtentem non ha-bere oculos internos, neq; illis opus eſ-ſe ad timorem incutiendum; voluit ta-men hanc cogitatiuæ animæ paſſionem ſimilitudine aſſumpta ab aere nos circũ-dante declarare, qui vbi clarus eſt, nullam præbet timoris occaſionem: at vbi nubibus profundis, & nigris circum-datur, quibuſdam timorem inducit. Idẽ facit color niger in cerebro.

Ad ſecundam Auerrois rationem di-cendum eſt in humore melancholico duo conſiderari, vt ſupra diximus, tem-periem nempe, atq; colorem atrum, ſeu nigrum. Primo modo humor melan-cholicus intemperat cerebrum, & hac ratione lædit ipſius operationem.

Secundo modo colorem nigrum in cerebro inducit, ſpirituſq; lucidos con-turbat, nigróſq; atq; atros reddit: quare ab humoris temperie læditur cerebri temperies, & actio; à colore verò fit ti-mor, ac mœſtitia. Rectè igitur cum Gal. dicimus humorem melancholicum inducere ſymptomata melancholica.

Concludamus igitur inter internas

A melancholiæ cauſas per eſſentiam eſſe humorem melancholicum in ſubſtantia cerebri collectum.

Humoris autem melancholici cauſæ efficientes plures eſſe poſſunt deſumptę partim à rebus naturalibus, inter quas primo occurrit corporis temperies, & capitis frigida, & ſicca, habitus eius ge-neris, de quo Gal. 3. de loc. aff. 7. dice-

B bat eos, qui ſunt graciles, hirſuti, ſicci, & nigri, facilè humorem melancholicum colligunt. Inter ætates illa conſiſtentię, & magis, quæ ad ſenectutem tendit, eſt apta huic morbo: homines etiam magis, & frequentius huiuſmodi humorem generant, quàm mulieres.

A rebus præternaturam etiam gene-rari faciliùs poteſt humor melancholi-cus; nam morbi acuti, & diuturni mor-bos eiuſmodi faciunt; verùm morbi acu

C ti ſunt cauſa generationis humoris me lancholici per aduſtionem: morbi verò longi generant potiùs melancholiã na-turalem appellatam, quæ ſanguinis fæx vocatur, & à qua hic morbus fieri con-ſueuit.

Tandem res non naturales humorem melancholicum generant; nam aer fri-gidus, & ſiccus, aer paludoſus: inter tẽ-pora autumnus humorem hunc gene-

D rant; quamuis ab Hipp. 3. aph. ſcriptum ſit in vere etiam fieri humorem melan-cholicum. Verùm ille, qui tempore ve-ris apparet hyeme, & autumno propaga tus fuit, & ab aere intus retentus, tem-pore poſtea veris efflorеſcit: impropriè igitur ab Hipp. dicitur humor melancho licus vernali tempore generari.

Inter alimenta carnes omnes venati-cæ: inter domeſticas bubulæ, omnes car

E nes ſalitæ, piſces etiam ſale conditi, car-nes quoque ſemiputridæ hunc tetrum humorem proferunt. Vnde Auenzoar adnotauit vidiſſe aliquem ex vſu carniũ putridarum factum fuiſſe melancholi-cum. Carnes quoque cochlearum, atque teſtudinum in hoc cenſu haben-tur.

P 2 Gal.

Gal.3.de loc.aff.cit. inter olera ſcriptum reliquit ſolam eſſe braſſicam, quæ humorem generat melancholicum: quamuis alij ſint grauiſſimi authores olerum vſum inhibentes,eo quod humorem melancholicum generant.

Sed huiuſmodi difficultas tollitur hac facta conſideratione; nam olera omnia cùm conuertantur in excrementa, faciliùs in ſuccum melancholicum degenerant:proinde omnes herbæ dicuntur facere ad humoris melancholici generationem:ſed ſola braſſica ſua proprietate, & natura humorem hunc producit.

Potus quoq; vini rubri,ac craſſę ſubſtantiæ, quemadmodum etiam aquæ craſſæ, ac lutulentæ, & quorundam puteorum humorem melancholicum proferunt.

Inter alias res nonnaturales eſt nimius ſomnus, exercitium immoderatum, animi affectiones immoderatæ,vt nimia ſtudia, multæ, & validæ cogitationes, nimiæq; ſolicitudines.

Tandem excrementorum, vel à locis communibus,vel à proprijs,quibus exire ſolebant, retentio idem efficit.

Et hæc de cauſis melancholiæ per eſſentiam in capite.

## DE SIGNIS MELANCHOLIAE.

SIgna alia ſunt, quæ futuram melancholiam prædicere poſſunt; alia quæ præſentem demonſtrant.

Priora ſunt leuis timor,& mœſtitia, quæ longo tempore perſeuerant ſine aliqua cauſa:ad lachrymas propenſio abſq; occaſione,delectatio ſolitudinis, imaginatio rei alicuius, quæ nullum habeat fundamentum,tremor corporis, vel alicuius membri. Pręceſſit aliquoties vertigo aliqua, aut aurium ſonitus, vel ſibilus, aut tinnitus: dolor capitis grauatiuus; hæc enim omnia, vel aliqua ipſorum ſuſpicionem facere poſſunt melancholiæ in ſubiecto apto.

Præſentem verò facilè cognoſcere A poteritis ab imaginatione læſa manifeſtè; nam videtis iam ægrotantes delirare, ipſoſq; addictos eſſe prauæ cuidam imaginationi: timor deinde manifeſtus, & mœſtitia ipſos tenet; & vt Ait Auicenna adeſt exiſtimationis malitia; ſocietatis hominum fuga:nihil tandem faciunt,aut loquuntur, quod ad rationem ſpectet:tunc iam dicere debetis eſſe melancholiam per eſſentiam in capite.

B Signa verò cauſarum habentur à proprijs humorum indicijs; alia enim ſunt, quæ humorem melancholicum ſolum demonſtrant;alia quando aſſociatur vel ſanguini, vel pituitæ, vel bili, quemadmodum ſuprà declarauimus; nam ſi ſolus humor ſit melancholicus, falſam ſuam imaginationem tutatur æger pacatè,abſq; rumore, cum valido timore, atque mœſtitia, cum magno conſuetu- C dinis humanæ odio, ac ſolitudinis deſiderio.

Si inſit ſanguinis admixtio; non adeſt tanta triſtitia, & paruus,aut nullus eſt timor, imo verò ſępe cum praua imaginatione riſus coniungitur.

At qui ſi bilis adſit copia, tunc vehementia ſunt imaginationis ſymptomata, motus corporis vehemens, ac velox, multa præter rationem loquuntur,& im- D moderatè, ac immodeſtè cum magna temeritate, atq; audacia: vnde ab Auicenna dicuntur à demone ij ducti eſſe; non tamen omnes à dæmone ducuntur; ſiquidem veri melancholici à dæmoniacis diſtinguuntur; nam quando excedunt cauſas naturales, tunc dicuntur à dæmone vexari, vt quando aliquis aliquo idiomate, quod antea non didicerat, loqui animaduertatur, neque intel- E ligebat, vt ſi ruſticus latinè loquatur.

Neque Cardanus, aut Petrus de Abano audiendi ſunt, vbi dicunt ſe obſeruaſſe melancholicos linguis varijs loquutos fuiſſe, quas antea non agnouerant,quod non niſi à demoniacis fieri poteſt, vt pulchrò Ioan. Baptiſta Codronch. 2.lib.de morb.veneſ. cap. 8. &

Mar.

Marcellus Donatus lib. de mirab. med. hiſt. cap. 20. ſcribunt; & tunc ad Exer- ciſtas, non ad Medicos refugiendum eſt.

Si verò pituitæ adſit admixtio, quod rarò contingit, aderit & pigritia in co- gitationibus deprauatis, & in motu to- tius corporis, & partium ipſius.

## DE FVTVRO EVENTV. melancholiæ.

E St aliqualis difficultas in verbis Hipp. & Gal. circa euentum me- lancholiæ; nam ex vna parte Hipp. 1. de morb. connumerat melancholiam inter morbos minimè lethales, & 6. aph. 53. ſcribit inſaniam cum riſu eſſe tutiorem: Gal. è contra in hoc comm. notat ex Hipp. ſententia nullam inſaniam eſſe tutam; & Hippocratem hoc loci dixiſſe tutiorem eſſe non ſimpliciter, ſed per comparationem ad alias inſanias. At dicere nullam inſaniam eſſe tutam, & melancholiam, quæ eſt inſania, non eſſe lethalem, videtur eſſe controuer- ſum; nam quod minimè lethale eſt, tutũ eſt, quod verò non eſt tutum, poteſt di- ci lethale.

Sed eiuſmodi propoſitiones ad hunc modum limitandæ ſunt, quod non eſt lethale, tutum eſt à morte quidem, ſed non à tranſmutatione in aliũm morbũ, vt melancholia, quæ poteſt, vt idẽ dice- bat Hipp. 6. aph. 56. & circa fin. 6. epid. tranſmutari in epilepſiam, apoplexiam, conuulſionem, & cœcitatem quoque qui morbi minimè tuti ſunt, quoniam aliqui ſunt lethales, vt apoplexia, alij minimè. Melancholia igitur ſuapte na- tura non eſt lethalis, ſed fieri poteſt.

Attamen vt poſſitis in huiuſmodi ca- ſu rectè prædicere, opus eſt, vt vehe- mentiam morbi, robur ægrotantis, nec non magnitudinem, vehementiam, ac multitudinem ſymptomatum animad- uertatis; ſi aliquis enim morbus eſt, qui eget prudentia medici, vnus ſane A hic cenſeri debet.

Quamuis enim melancholia non ſit admodum vehemens, cum ab vnico hu- more melancholico prodeat cum robo- re virium, nulliſq; prauis ſymptomati- bus exiſtentibus (licet ſit morbus ve- hemens ratione partis affectæ, quæ eſt cerebrum) nihilominus fieri poteſt, vt medici imprudentia æger moriatur.

Fracantianus medicus cum curationi B præeſſet alicuius Vincentini exiſtiman- tis ſe tantæ molis eſſe, vt non poſſet per oſtium cubilis exire, iuſſit ægrum de- prehendi, atq; inuitè extra cubiculum tranſportari, quo facto ægrotus ſe totũ ſtatim confractum eſſe conqueſtus eſt, miniſtroſq; tanquam occiſores increpãs paulò poſt moritur.

E contra alter melancholicus authore Gattinara, à medico prudente à praua C quadam imaginatione breuiſſimè fuit ſanitati reſtitutus; ſcribit enim fuiſſe Mediolani quemdam putantem ſe ranas in corpore habere, quod cum negarent ferè omnes medici, nolebat eorum con- ſilijs obſequi.

Accerſitus quidam aliuſ medicus ſuę imaginationi ſubſcribit, & aliquibus verbis confirmat rem ità eſſe, & polli- cetur velle ipſum ab huiuſmodi ranis D liberare, dummodo ſuis conſilijs pareat; nam intendit ipſum curare, ipſique ranas oſtendere vi medicamenti eie- ctas.

Hilariter conſentit ægrotus, igitur præſcripto medicamento, purgante præcepit medicus aſſiſtentibus, vt ra- nas inuenirent, eaſq; in vaſe ponerent, in quo depoſiturus erat æger fœces, eaſq; oſtenderent ei, quoties deijciebat, E quo facto liber ad huiuſmodi imagina- tione deprauata euaſit.

Ad rem rediens dico, vbi quis me- lancholia recẽte affectus ſit, nullaq; pra ua adſint ſymptomata, roburque viriũ perſiſtat, ac ægrotus facilè conſilijs me- dicorum obtemperet, medicamentaq; quæ iuuare ſolent, multum iuuent, præ- di-

dicenda eſt ſalus, à quacunq; cauſa proficiſcatur morbus.

E contra, ſi antiquata eſt cum prauis quibuſdam ſymptomatibus, dolore, nempe capitis, tremore, epilepſia, conuulſione, cordis tremore, viriumque languore, neq; æger obtemperet medicorum conſilijs, ſed ad medicamenta, & alimenta reddatur difficilis; eaq; auxilia, quæ iuuare ſolent, non iuuent; prædicatis euentum malum, nempe ad mortem, vel ad mutationem in peiorem affectum capitis, & tandem ad mortem peruenturum.

A quacunque cauſa euenerit, omnium peſſima eſt illa melancholia, quæ bilis admixtionem habet, minùs mala, quæ ſanguini, vel pituitæ coniuncta eſt.

Tempus euentus in quocunque melancholiæ genere ſemper eſt longum.

Modus ſolutionis, & à natura eſſe poteſt, & ab arte; à natura quidem, mediante aliqua euacuatione ad partes inferiores, vnde Hipp. 5. aph. 11. & 21. ſcriptum reliquit, quod ſi hæmorrhoides, & varices ſuperueniant melancholicis, ij liberarantur morbo.

Et idem Hipp. 7. aph. dicebat inſanientibus, ſi dyſenteria ſuperueniat, bonũ eſt, eò quia per fluxum alui dyſentericũ humor melancholicus tranſmittitur à cerebro ad inteſtina.

Ab arte verò naturam imitante, ſuaq; inſtrumenta adaptante ſanari poterit melancholia.

Sed antequàm ad curationem deueniam, melancholiam per conſenſum examinare animus eſt.

## DE MELANCHOLIA HYPOchondriaca.

CVm propoſitæ ſint melancholiæ ſpecies, quæ per conſenſum fieri conſueuerunt, inter quas illa ſæpiſſimè quidem euenire ſolet, quę & multum medicis, & ægrotis faceſſit negotium, ideò de ipſa paulò diligentiùs agendum venit, inquirendumq; à nobis eſt, quid illa ſit, in quibus differat ab eſſentiali, quos ſequatur morbos, quæ partes in ipſa lædatur, quibus dignoſcatur, quid de futuro euentu ſit prędicendum, & quid facto opus ſit pro ea rectè curanda.

B Ad primum hæc ipſa continetur ſub eodem genere, cum ea per eſſentiam. Iſ nam eſt melancholia, quam ex Gal. diximus eſſe delirium abſque febre, cum mœſtitia, atq; timore: ſub eadem definitione comprehenditur, ſed differt ab illa, quia ſit per eſſentiam, quia illa in capite continuum habet delirium; hæc verò interualla habet lucida; illa fit ab humore in capite exiſtente; hæc verò fit à vapore: præterea illa ab intemperie frigida, & ſicca cum materia melancholica ortum ducit; hæc verò incertum habet morbum, à quo prouenit.

C Quandoquidem alij exiſtimant produci ab intemperie melancholiã hypocondriacam, qui adhuc interſe ſunt diuiſi: cùm alij dicant fieri ab intemperie calida, alij ab intemperiæ frigida.

Nec deſunt arbitrantes eamdem originem habere ab inflammatione: deniq; aliorum opinio eſt ipſam generari ab obſtructione.

D Tandem melancholia per eſſentiam nemine diſcrepante pro parte affecta ſibi determinat cerebrum, at in melancholia hypocondriaca plures partes lædi ab authoribus eſt determinatum, vt paulò infra intelligetis. Nunc ſatis eſt attuliſſe differentias inter hanc melancholiam hypochondriacam, & illam eſſentialem.

E Veniamus ad ſecundum, de quo dicebam varias fuiſſe authorum ſententias; nam alij dicunt eſſe intemperiem calidam, quam opinionem ſuis rationibus confirmant; adducunt enim æſtum in hypochondrijs moleſtum, quem melancholici percipiunt: deinde vomitum non modò bilioſum, ſed etiam æruginoſum,

ſum, & frequentem, ſitim implacabilē, delectationem rerum frigidarum, à quibus omnibus, & ſingulis intemperiem calidam ſignificari certo certius eſt.

E contra verò ſuſtinentes eſſe intemperiem frigidam non carent ſuis rationibus; dicunt enim in hypocondriaca melancholia adeſſe ructus acidos, flatus copioſos, inappetentiam, fluctuationes, ſputa copioſa, tardas coctiones, tormina; crudorum ſuccorum vomitum: quæ omnia, & aliqua etiam ſeiunctim accepta non ſolùm ſunt intemperiei frigidæ ſigna, ſed intenſæ etiam frigiditatis.

Qui verò tenent inflammationem eum eſſe morbum, quem ſymptoma iſtud ſequitur, mouentur authoritate Gal.3.de loc.aff.7.& Pauli lib. 3. c. 14. Relinquo Amatum Luſitanum,& Rondeletium, qui opinionem hanc ex Gal. mente defendere conantur, vt dicendū ſit inflammationem eſſe cauſam, propter quam myrachialis, ſeu hypochondriaca fiat affectio.

Poſtremò, tenentes hypochondriacam melancholiam fieri ab obſtructione tanquam à morbo in compoſitione vias obſtruente, venas præſertim, quę ſunt in ventriculo, & in meſenterio, & impediente, quo minus alimentum diſtribui poſſit, fundamentum ab Auicēna aſſumunt dicente in myrachiali hac affectione alimentum non poſſe pertranſire, & propter hanc cauſam ibi patitur adustionem; hinc vapores melancholici eleuantur ad caput; quod argumentum accepiſſe etiam videtur Auicenna à Gal. ex Diocle dicente, quod alimentum in corpore non diſtribuitur, ſed in ventriculo inconfectum remanet; quare concludendum eſt melancholiam hanc ab obſtructione fieri.

Sed quemadmodum ſymptomatis huius plures aſſignantur morbi ita, quoq; & plures videntur eſſe partes affectę, de quibus inter grauiſſimos authores non omninò conſtat, quandoquidē

A Gal.3.de loc.aff.7.arbitratus eſt ventriculum eſſe partem affectam: nomine autem ventriculi non modò os ipſius, quod pyloron appellant, intellexit, ſed venas, quæ ad ipſum ſunt, nec non os ſuperius eiuſdem ventriculi,vt ex.5.lib. de loc.aff.5. luce clarius apparet. In eandem ſententiam venerunt, & Alexander Trall.lib.1.cap.17.& Paulus Ægineta lib.3.cap.14.Idem Gal.5.de locis

B aff.cit.& 6.eiuſdem cap.1.voluit os ventriculi ſuperius, lienis vitio affectum iri, cùm fit hypocondriaca melancholia.

Auicenna verò, & quot eius ſequuntur doctrinam, dixerunt, & ab vtero in muliere,ab hepate, liene, & venis meſeraicis, hoc eſt, venis hemorrhoidalibus hanc melancholiæ ſpeciem fieri; nam læſis hiſce partibus colligitur ſæpe humor melancholicus, qui ventriculo ali-

C oquin ſano communicatur, mœſtitiam illam melancholicam producens.

Non igitur hypocondriaca paſſio,melancholica,vnicam partem læſam habet, vt melancholia ſimpliciter dicta, quæ ſolum caput affectum, præſupponit, ideoque ex dictis videtur non ſpernenda difficultas de morbo,ad quem ſequitur hoc ſymptoma, necnon de parte, quæ affecta ſit.

D Quod ad primum ſpectat, & primò de intemperie, ad quam ſequitur melancholia hypocondriaca, poteſt eſſe tam calida, quàm frigida reſpectu diuerſorum; cauſarum nempe, & partium affectarum; quamuis non in omnibus ſpeciebus huius melancholię hypocondriacæ neceſſe ſit, vt adſint hæc omnia ſymptomata; nam vbi à materia calida proficiſcitur, tunc adſunt ſymptomata

E prædicta caliditatem ſignificantia, vt quando ab humoris melancholici aduſtione euenit.

Si verò à pura melancholia naturali euenerit, refrigeratoque ventriculo,mirum non eſ, ſi & acidi ructus, aliaque ſymptomata frigiditatem arguentia adſint.

Sed

Sed tota difficultas eſt ſcire, vnde euenerint hæc ſymptomata contraria ſimul, & ſemel denotantia cauſas contrarias, quæ mea opinione non videtur admodum facilis ad ſoluendum; quandoquidem aliqui authores dicunt varios eſſe humores in ventriculo, calidos nempe, & frigidos, à quibus proficiſcuntur ſymptomata iam dicta, neque etiam flatus.

Non enim eſt inconueniens, vt humores melancholici naturales plures colligantur, tam in cauitate ventriculi, quã in proprijs membranis, & venis eiuſdẽ, ex quibus caliditate naturali, ac etiam præternaturali agente ructus acidi prędicti eleuantur, ſimulq; & flatus, ſputaminum copia, aliaq; enumerata inde proficiſcuntur.

Calorq; iecoris intenſior factus copiam humorum calidorum generat, eoſq; adurit, & ad ventriculum tranſmittit. Deinde fieri poteſt, vt venæ, quæ ſunt ad meſenterium circa pancras, & ventriculum obſtruantur, quibus obſtructis calor naturalis euentari nequit, inde accenditur calor extraneus, & ab vtraq; hac cauſa non modò æſtus prouenit, ſed ſitis, vomituſq; bilioſus, & febris quandoq; accenditur.

Non deſunt etiam exiſtimantes hos omnes contrarios effectus prouenire ab vno calore prętern aturali, prout duobus modis operatur, per ſe, & per accidens. Per ſe quidem celefaciendo inducit effectus caloris iam dictos, per accidens refrigerando ipſum ventriculum; nam quæ calida ſunt calore extraneo, proprio frigent, calor extraneus igitur conſumit calorem intrinſecum, & naturalem, hinc ſequitur intemperies frigida, à qua acidus ructus, flatus, & alia allata ſymptomata proueniunt: ab intemperie igitur tam calida, quàm frigida fieri poteſt melancholia hypocondriaca.

Quod ad inflammationem ſpectat dicendum eſt, quod nomine inflammationis duo apud Gal. intelliguntur, vnum eſt phlegmone, aliud phlogoſis. Per phlegmonem intelligere oportet inflammationem, hoc eſt tumorem à ſanguine factum; & tunc temporis adeſt in hac melancholia febris; nam ad inflammationem ſemper ſequitur febris, quæ non ſemper reperitur in hac ſpecie melancholiæ.

Vel nomine inflammationis intelligimus phlogoſim, & in hac differentia melancholiæ hypochondriacæ ſæpè reperitur, hinc adeſt ſitis, & vomitus etiam bilioſus, eò quod venæ meſeraicæ, tam quæ ad ventriculum ſunt, quàm quæ ad ipſum tendunt, obſtruuntur, & potiſſimùm illæ, quas diximus ad pancreas terminari, & ad illas, quæ ad lienẽ etiam feruntur: hinc ægrotantes delectantur rebus frigidis, & interdum ab his iuuantur.

Quare hypocondriaca melancholia, nonnunquam etiam fit ab inflammatione, hoc eſt à phlogoſi, quæ nihil aliud eſt, quàm intemperies calida iam dicta.

De obſtructione verò non eſt ſemper perpetuum, quod fiat abipſa, vt à cauſa, quamuis vt plurimum id contingat; nam quemadmodum fieri poteſt, vt humor niger collectus in corpore vniuerſo citra obſtructionem aliquam mentem lædat; ita prorſus euenire poteſt, vt idem humor collectus in ventriculo, vel in alia parte eadem prorſus ſymptomata abſq; obſtructione producat, euaporato huiuſmodi humore, & caput petente.

Quando igitur humor melancholicus ad vẽtriculi fundum retinetur hanc melancholiam producit, ſi præcipuè is humor corrumpatur.

Quamuis igitur ab obſtructione frequẽter eueniat melancholia hypochondriaca; fieri tamen poteſt, vt abſq; ipſa prodeat. Summa tamen curationis, vt ſuo loco videbimus, videtur poſita in his auxilijs, quæ habent facultatem de-

deobſtruendi: vbi potiſſimùm adfuerint illa ſigna,quæ phlogoſim iam dictam oſtendunt.

Nullum igitur ſequitur inconueniēs, quod hypochondriaca melancholia ortum ducat ab intemperie calida, & frigida; nec non ab obſtructione.

Videndum modò eſt,quę nam partes in hac affectione hypochondriaca læſæ ſint. Intellexiſtis Gal. poſuiſſe ventriculum ſecundùm partem inferiorem, & ſuperiorem, & venas ipſius; Auicennā addidiſſe iecur, lienem,& in mulieribus vterum.

Pro ſolutione communis medicorū opinio eſt, quod aliquæ ſunt partes,quę neceſſariò afficiuntur in hac melancholia, aliæ verò ſunt, quæ non neceſſariò, ſed rationem cauſarum habent, quando læduntur. Quæ primo modo læduntur, ſunt ventriculus, eiuſq; partes, quarum meminit Gal.quæ ſecundo modo lędun tur, quia non ſemper affici contingit, dicuntur habere rationem cauſarum,de quibus Auicenna loquutus eſt.

Huiuſmodi autem partes læſæ, niſi afficiant ventriculum,non poſſunt facere hypochondriacam melancholiam; de ratione enim eius eſt, vt ventriculus sē-per lædatur, vel ratione oris inferioris, quod pyloron appellant; vel quia os ipſius ſuperius, vel venæ, quę ipſius percurrunt ſubſtantiam, aut illæ, quæ propinquæ ſunt, & in ipſum feruntur, lædantur.

Aduerſus tamen hanc determinationem inſtat Petrus Garcias Carrerus Hiſpanus diſp. xiij.cap. 14. dicens poſſe excitari melancholiam ab illa parte, in qua poteſt colligi humor melancholicus, atq; aduri media obſtructione abſq; ventriculi læſione; ſed in omnibus partibus in ventre inferiori contentis poteſt colligi humor melancholicus, & media obſtructione aduri; ſequitur igitur, quod ab omnibus partibus fieri poſſit melancholia.

Sed huiuſmodi melancholia non eſt per eſſentiam, vt patet, neq; per conſenſum mediantibus venis, aut arterijs, ſequitur igitur, quod ſit hypochōdriaca melancholia, aut ſi id minimè conceditur, ſtatuenda eſt alia ſpecies melancholiæ, quæ alio nomine ſit appellanda.

Verùm maior propoſitio huius ſyllogiſmi falſa eſt; nam ab omni parte, in qua alterari, & aduri poteſt humor melancholicus, non poteſt fieri melancholia; niſi ab illa, quæ primò communicat ipſi ventriculo; qui tantum habet conſenſum cum cerebro, vt illud ſtatim in conſortium trahat,tam per flatuum eleuationem, quàm per vapores melancholicos.

Non enim ſatis eſt colligi melancholicum humorem,ſed opus eſt, vt copioſè colligatur non modò in venis, ſed in cauitate: at nulla eſt pars, quæ tantam cauitatem habeat, vt ventriculus, ideo etiam duplici nomine colligit humorem melancholicum, videlicet ratione cauitatis inſignis, & copiæ venarum meſeraicarum, quæ in ipſo ſunt, in quibus à liene poteſt regurgitari humor melancholicus, & per obſtructionem etiam aduri.

Quare ipſi Garciæ erat probandum ab his partibus poſſe fieri melancholiam per conſenſum; nam quamuis aliæ partes conſentiant cerebro; non eſt tamen talis conſenſus, vt abſq; ventriculi læſione poſſit fieri melancholia. Quare cum communi medicorum opinione ſumus in hac ſententia, vt putemus non poſſe fieri hypochondriacā affectionem abſq; ventriculi læſione.

Eſt & alia dubitatio, an ab ore ſuperiori ventriculi excitari poſſit hypochondriaca melācholia?& cauſa dubitationis eſt, quia in ore ſuperiori non poteſt generari humor melancholicus; deinde quia huiuſmodi melancholia eſſet periculoſiſſima, cum adiunctam habeat inflammationem, quæ eſt morbus periculoſiſſimus, & lethaliſſimus huius partis

potiſſimùm.

Deinde dato, quod ab oris ſuperioris læſione fiat melancholia, non debet appellari hypochŏdriaca, cum os ſuperius non ſit in hypochondrijs.

Sed huiuſmodi rationes nihil prorſus concludunt, quia ſupponunt falſa; nam in ore ſuperiori ventriculi adſunt venæ, in quibus non modò colligi poteſt humor melancholicus, ſed etiam poſſunt obſtrui: obſtructione verò in illis factà, poteſt calor extraneus augeri, ex quo deinde aduratur, non ſecus atq; euenit in alij veniseiuſdem ventriculi: hinc adusto humore eleuantur vapores in cerebrum.

Deinde falſum eſt adeſſe inflammationem propriè dictam, ſed adeſt phlogoſis, quæ eſt intemperies calida, ab obſtructione ortum ducens, vt ſupra diximus; quæ non eſt periculoſa.

Tandem falſum eſt os ſuperius ventriculi non contineri in hypochondrio ſiniſtro, vt ipſemet ventriculus continetur.

## DE CVRATIONE MELANCHOLIÆ per victus rationem.

PRopoſitæ melancholiæ ſpecies, ſicut ratione cauſæ coniunctæ, & antecedentis, nempe humoris melancholici, nec non partis affectæ, capitis videlicet occaſione conueniunt: ita quoq; in curatione, quæ eamdem medendi methodum, & rationem requirunt; in hoc præſertim, quia medici conſilium dirigi debet eò, ne affectio augeatur magis, & illa, quæ iam facta eſt, ex toto auferatur: id autem conſequitur per ablationem cauſæ tam antecedentis, quàm coniunctæ.

Et primò antecedens cauſa conſideratur, vel vt poteſt in corpore generari, vel vt iam genita eſt: primo modo medici officium eſt prohibere, ne humor melancholicus amplius in corpore generetur: ſecundo, vt ille, qui iam genitus eſt,

A non amplius in caput feratur, vel in illud vapores tranſmittat.

Sed quoniam dictum eſt generari huiuſmodi humorem ex ſanguine puro, & in caput tranſmitti, ideo alia eſt ratio, quę prohibet ſanguinis melancholici generationem; & alia quæ prohibere poteſt, ne in capite colligatur: primò inhibemus per victus rationem: ſecundò per pharmaciam, & localia medicamēta, quæ caput attemperare queunt.

B Diæta igitur illa eſt, quæ poteſt huius humoris auferre generationem, quæ primò inhibeat ea omnia edulia, quæ humores melancholicos generare poſſunt, quemadmodum ſunt, quæ enumerat Galenus 3. de loc. aff. 7.

Carnes.

Caprina,
Bubula,
C Hircina,
Taurina,
Camelorum,
Vulpina,
Leporina,
Aprina,
Omneſq: aliæ ſale conditę.
Caro limaciorum, teſtudinum,
Cochlearum.

Aquatilium carnes.

D Thymni,
Balenæ;
Vituli marini.
Delphini,
Canis,
Cetaceorum omnium.

Inter olera ſola ferè eſt braſſica.
Inter legumina omnia, maximè
Fabæ,
E Lentes,

Panis furfuraceus, & qui ex tipha, & vitiatis ſeminibus eſt factus, & caſeus, vetus, vbi fortè calefactus fuerit, in corpore huiuſmodi humorem generant.

Vina craſſa, nigra, ſi ſæpè bibantur, humorem melancholicum faciunt.

In primis igitur cauendum eſt, ne melancholici hiſce veſcantur: carnibus igi-

igitur nutriri debent, quæ ſint facilis coctionis, optimi ſucci, & facilis diſtributionis: panis eſto benè coctus, ac fermentatus, & ex optima farina confectus.

Carnes autem poſſunt eſſe
Gallinarum,
Caponum,
Columbarum,
Phaſianorum,
Auiumq; montanarum,
Hœdorum,
Agnorum,
Veruecum,
Vitulorum.

Piſces quoq; ſaxatiles conueniunt.

Oua prӕterea ſorbilia, tremula, galliculorumq; teſtes.

Huiuſmodi tamen carnes, ac piſces magis elixari, quàm aſſari debent, quoniam victus ratio humidior præfertur: panis in iuſculis madefactus eſt optimus: deinde & ptiſana tam integra, quàm ipſius cremor, in illis præſertim, qui ob cordis, & iecoris nimiam calidi- tatem melancholiam generant; quibus etiam prodeſt cum prædictis carnibus hæc ſimplicia ebullire.

Intubum,
Bugloſſum,
Borraginem,
Lupulum.

Sunt, qui ex herbis coctis iam dictis acetaria conficiunt cum aceto, oleo, atq; ſale ea condientes, vt Paulus Ægineta lib. 3. cap. 14. & Aetius lib. 6. cap. 10. dicunt.

Sed dicet quis, horum grauiſſimorum authorum opinioni aduerſari Hippocratem, qui lib. 3. acut. 38. acetum melancholicis nocere tradidit. Deinde Auicenna concedit acetum, & vſum oxymellis ſimplicis, & ſquillitici in melancholia per eſſentiam, vbi potiſſimùm ex aduſta fiat bilis; in alijs verò negat.

Sed aliud eſt conſiderare aceti longum, & immoderatum vſum, & aliud

A ipſum conſiderare in pauca quantitate ſumptum, ac præſertim in edulijs. Primo modo intelligendum eſt Hippocratis dictum: ſecundo modo Aetij, Pauli, & Auicennæ, quia præterquam quod acetum refrigerandi facultatem habet, etiam hypochondria ſtatim penetrat: hinc eſt, quod melancholiæ hypochondriacæ couenire poſſet, & alijs quoque, quoniam humorem melancholicum attenuare valet.

B Poſſunt igitur acetaria concedi ipſis ægrotantibus ex

Lactuca,
Scariola,

Et cichorio coctis: quemadmodum, & cappares, potiſſimùm quia cibos faſtidiunt ægrotantes. Acetum, quod acre fit, non couuenit, ſed moderatè, & ex optimo vino factum offerri poteſt.

C Ex fructibus nonnulla quoque in ſecunda menſa conceduntur, vt ſunt

Pyra,

Poma dulcia, inter quæ apia, & roſea dicta, optima habentur, quæ ſub prunis egregiè cocta fuerint: mala quoque punica dulcia, vel medij ſaporis, vua paſſa quoque conceditur.

Quæ omnia magis ad caliditatem, nonnunquam verò moderatè ad frigi-
D ditatem vergere debent, prout varia eſt humoris melancholici natura; nam ſi humor eſt purus ſuccus melancholicus, calidiora, ſeu temperata cenſentur prodeſſe: frigidiora autem, ſi ex aduſtione fit melancholia. In ſumma ex Auicennæ conſilio ad pingue, & dulce tendere debent, euitandaq; omnia acria, & ſummè acetoſa.

Sed dicet quis ex Gal. 2. acut. 2. 1. de
E criſ. 11. 5. comm. 6. epid. tex. 12. pinguia, & dulcia conuerti in bilem: at bilis poteſt conuerti per aduſtionem in melancholiam: ergo non videtur conuenire victus ratio, quæ ſit dulcis ſaporis.

An dicendum ſit, quod lib. 6. epid. citato ſcribit Gal. dulcia in bilem conuerti, quando tanta eſt caliditas in ven-

triculo, vt adurantur; deinde & longo tempore in ipſo maneāt,neq; diſtribuantur? quare vt idem Gal.ſcribit 3. acut. 2. viſcera omnia, & potiſſimùm ventriculus, qui cum lingua, & œſophago continuitatem membranæ internæ ratione habet, vbi ſanus ſit, delectatur, ac fuitur dulci ſapore; acido verò perturbatur: proinde non bileſcunt dulcia.

At ſi malè affectus ſit, hoc eſt, caliditate,vel apoſtemate quodam calefactus, procul omni dubio, dulcia bileſcunt: ſi præcipuè diu immorentur in eo. Hinc eſt, quod in hepate calefacto Hippocrates prohibet mulſam loco citato.

Quare dulcia conueniunt in melancholia, quæ fit per eſſentiam in capite, ſed in ea, quæ fit ab hypochondrijs minimè conueniũt,quod in ea ventriculus malè affectus ſit.

Niſi dicamus id, quod Gal.ſcribit 4. de ſimp. med. fac. 15. nempe omne, quod nutrit,eſt dulce; hoc enim modo dulcia,quæ nutriendi facultatem habent, & ſunt boni ſucci, melancholicis conueniunt.

Potus ſit aqua hordei, aut aqua cum ſaccharo; vel iulapio violaceo; vbi præſertim melancholia fiat per aduſtionem; nã vbi naturalis ſit, vinum concedit Auicenna oligophorum, hoc eſt, tenue, ac pauciferum.

Quod verò ad alias res non naturales attinet, aer debet eſſe temperatus in actiuis, magis tamen vergens ad caliditatem, quàm ad frigiditatem; ſi humor melancholicùs fuerit naturalis ſuccus, & fæx ſanguinis: atqui ſi ex aduſtione fiat, quàm maximè temperatus eſſe oportet; in paſſiuis verò qualitatibus ad humidum vergere debet,qui vbi natura non fuerit, arte parandus eſt.

Admonet Auicenna cubiculum odoratum reddi oportere, quandoquidem boni odores cor,& cerebrum confortāt: odores autem non ſemper debent eſſe

A eiuſdem ſpeciei,ac facultatis; ſed aliqui calidi, alij frigidi pro humoris peccantis natura, vt dixi.

Somnus,eiuſdem Auicennæ decreto, longior ſit, quàm vigilia; quod certe rationi adſtipulari maximè videtur;nam cum humor ſiccus ſit, ſuo contrario mitigatur, nempe per humidum, quod ſomno acquiritur.

Raſis tamen j. continent. authore B Gentili contrarium viſus eſt ſentire,cum dixerit vigilias longas, & determinatas proficere: quare manifeſta eſt contradictio, non quidem negligenda.

Sunt,qui dicant tex. Raſis eſſe deprauatum, ſed eſt refugium. Vtrum dicendum ſit ipſum loqui ex opinione aliorũ, vt quidam arbitrantur,quod non admittit? An verò dicendum ſit Raſim id minimè ſcripſiſſe, quemadmodum veriſſi- C mum eſt, quia in meo codice Raſis non eſt ſcriptum, niſi quod, vbi adſunt vigiliæ, tunc curandum, vt ſomnus concilietur.

Sed dato,quod dixerit vigilias conuenire, non tamen eſſet contradictio,quia hic duo conſiderantur;cauſa,quæ eſt humor melancholicus, & effectus, qui eſt delirium cum mœſtitia:ſomnus ad tollẽdam cauſam confert,vigiliæ verò poſsũt D mitigare effectum, nempe triſtitiam, cũ conſuetudine aliqua, qua æger delectetur, nec non muſicis inſtrumentis, quæ animum quandoq; recreare ſolent.

Quieſcere magis,quàm corpus mouere cõuenit. Auicenna inhibet venerem, cùm tamen alibi ipſe ſcripſerit actum venereum melancholicis omnibus conferre. Legatis ipſum 20. fen.3. vbi loquitur de coitus iuuamentis.

E An dicendum ſit hic prohibere coitũ immoderatum, qui euacuando humidũ ſpermaticum, & radicale corpus nimiũ exiccat? Hinc eſt etiam, quod ſudorem prohibet eadem profus ratione: ſen. verò 21. cognoſcens quantum auxilij, ac iuuamenti ferant res venereę melancholicis, ſi moderatè ijs vtantur, meritò

con-

concedit ipſis melancholicis vſum venereum moderatum, & eo magis ſi me-melancholia proueniat à ſemine retēto; nam id, quod ſuperfluit euacuat, quo euacuato homines (ex Gal. lib. artis paruæ aduerſus empiricos, vbi loquens circa venereorum vſum ipſum laudat) ex vſu ſe ipſos leuiores eſſe percipiunt, tanquam ab onere ſuperfluo liberati: & hoc modo melancholicis iuuat, & nocet actus venereus.

Animi affectiones, quæ ad triſtitiam, aut mœrorem deducere poſſunt, ſunt euitandæ. Cauendum, ne ab aliquibus triſtia nuntia ferantur; ſed opus eſt, vt prudenter ſuis falſis imaginationibus occurramus, blandis verbis, humanoque diſcurſu tentemus demonſtrare, quantū ſermones, quos facit, ſint falſi, quod ex deprauata proficiſcantur imaginatione, quibus ſi videatur conſentire, ac pacatè audire, vlterius progrediendum eſt; ac ſæpè inculcandum, quouſq; abſtrahatur à falſa, quàm ſuppoſuerat, imaginatione.

At ſi adeo deprauata eſt imaginatio, vt videatis, ipſum non poſſe remoueri ab ea, applaudendum eſt, atq; oſtendendum ipſum vera ſentire, proinde eſt illi verbis adulandum.

Si verſatur circa diuitias, diuitias pollicebimur, ita & de alijs imaginationibus, vt ſupra audiuiſtis, agendum. Debet medicus, & prudens eſſe, atq; admodum oculatus, in omnibus ea induſtria vtens, quam à medicina expectari licet.

Cauendum quoque eſt, ne aluus cōpreſſa maneat, ſed curandum, vt ſingulo die excrementa ab inteſtinis deponantur, ne mittere poſſint retenta vapores in caput: ideo clyſteribus vtendum venit, & laxantibus, & etiam aliquo modo abſtergentibus, vt pro exemplo.

℞. Fol. maluarum,
Violar.
Mercurial.
Betæ ana m. j.

A Fol. Meliſſæ,
Epithymi,
Fumar. ana manip. j. ſſ.
Rad. Borrag.
Pimpin. ana vnc. j.
Ellebori,
Agarici in petia reuoluti, ana drac. j.
Sem. melonum,
Fœniculi, ana drach. j. ſſ.
Fiat decoct. ſecundùm artem.

B ℞. decocti huius lib. j.
Diacatholici, vnc. j.
Salis, drach. j.
Vitelli ouorum, num. ij.
Fiat clyſter.

Hic eſt igitur modus curandi per diætam. Modò ad chirurgiam deueniendū eſt, ac videndum, an eadem ratione vtendum ſit hoc inſtrumento in omnibus.

C *DE CVRATIONE MELANcholiæ per Chirurgiam.*

Voniam in medicina facienda debemus ſequi in primis Hippocratem, & non ſemper omnia, quæ ad praxim faciunt, determinata ab eo habemus; Gal. in quamplurimis clariſſima ſua interpretatione plurimum lucis nobis tulit. Sed cùm nec ipſe caſus particulares omnes ordine quodam perſtrin-

D xerit, non poſſumus ab eo omnium determinationem tam facilè aſſumere; quam tamen nobis patefecerunt duo ex ſuis interpretibus, vnus longiſſimo ſermone; alter verò breuiſſimo admodum, atq; conciſo.

Primus fuit princeps Arabum Auicennas, licet ante ipſum Haliabbas, & Raſis multa nobis ex ipſa praxi declara-

E re ſunt conati: alter verò fuit Paulus: ab ipſis igitur, & à Raſi petenda eſt propoſiti quæſiti reſolutio.

Gal. igitur 3. de loc. aff. 7. ſcribit in melancholia per eſſentiam in capite exiſtente non requirere ſanguinis miſſionem, quamuis ratione alterius cuiuſpiam rei poſſit à medico mitti ſanguis. Ratio hu-

ius

ius rei hinc deſumpta videtur, quòd melancholia, quæ fit in cerebro, vt plurimùm eſt, quòd præceſſerint curæ, vigiliæ, tenuis victus ratio, quæ capiti immoderatam ſiccitatem intulerunt, cuius ratione non debemus plerumq; mittere ſanguinem.

Quapropter in ſanguine detrahendo maximè animaduertere conuenit: & hoc eſt, quod dixit Gal. melancholia per eſſentiam, vt talis eſt, de ſe non indicat ſanguinis miſſionem, quia eſt mala humoris qualitas, quæ ſui ablationem indicat quidem, ſed per pharmaciam: licet neque id indicat cauſæ efficientis ratione, quæ eſt nimia caliditas in capite.

Quare de ſui ipſius ratione melancholia per eſſentiam non indicat ſanguinis miſſionem; indicat autem quoties habet ſanguinem adiunctum, qui nimia quantitate peccet, feraturq; in caput præbens materiam generationi melancholiæ: ſicuti quoq; ſi retenta ſit aliqua conſueta expurgatio, proinde peccet ſanguis ſua copia.

Vnde habemus ex duplici ratione indicari ſanguinis miſſionem in hoc caſu, prout dupliciter peccat ſanguis, quantitate nempe, atq; motu, ideo quantitas indicat euacuationem, motus verò reuulſionem.

Quare Raſis de hac melancholiæ ſpecie loquens in medio capitis ſcriptum reliquit mittendum eſſe ſanguinem ex cephalica, ſimul rectum adminiſtrationis vſum cum eo, quod agendum eſt, docens.

Idem ſentit Meſues lib. 2. cap. 2 5. addens, quod ſi contingat tunc temporis dolorem aliquem adeſſe in aliqua capitis parte, tunc ex eodem latere ex brachio mittendus eſt ſanguis.

Igitur ratio, cur melancholia per eſſentiam non indicat ſanguinis miſſionem, allata fuit, ſic & qua ratione liceat in eodem affectu ipſum mittere, & ex qua vena, & loco, iam audiuiſtis.

A Sed hoc loci videndum, quid facto ſit opus, vbi melancholia fiat præter vẽtriculi læſionem, quæ ſemper ſupponitur à multitudine exiſtente in toto?

Gal. inſtituit lib. de loc. aff. ſanguinis miſſionem cognitionis, non curationis cauſa, quia in lib. de loc. affectis tractat de affectuum locorum cognitione indaganda, ac de morbis ipſis; ideò cùm ſanguis peccat multitudine, ita vt ex ip-

B ſo morbus aliquis magnus præſens fiat, vel futurus immineat, ex ſua doctrina mittendus eſt.

Proinde cum dixiſſet ex ſe in melancholia non eſſe mittendum ſanguinem, vt diſtinguamus perfectè eã, quæ fit per eſſentiam, ab ea quæ à toto corpore proficiſcitur, dicit expurgendam eſſe venam, & extrahendum ſanguinem, qui vel tenuis, vel craſſus eſt, ac niger:

C primo modò dicit ſiſtendum à ſanguinis miſſione, ſecundo tantùm mittendum eſſe, quantum oportet.

Verùm cur Gal. hoc loci, vbi ſanguis non eſt craſſus, iubet ſiſtendum eſſe ſanguinem? non ne poteſt eſſe, quòd ſit melancholia quædam in capite per eſſentiam, quæ etſi ſui ipſius ratione non requirat ſanguinis miſſionem, ſaltem admittat aliqua alia occaſione, ideo

D poſtquam aperta eſt vena, deberet iubere, vt tantũ ſanguinis mittatur, quantum effectus ipſe deſiderat.

An dicendum ſit huic dubitationi, ideo Galenũ prohibuiſſe ſanguinis miſſionem, quia alia eſt vena, quæ ſecanda in plenitudine totius corporis, & alia, quæ debet ſecari in affectione melancholica per eſſentiam? ſed quia iuſſit Galenus, vt ſanguis mittatur ex vena com-

E muni in affectu per conſenſum à toto, quæ non eſt ſecanda in affectione melancholica per eſſentiam, ideo vbi perforata fuerit, neq; res ex voto ſuccedat, tunc ſiſtendus eſt ſanguis.

Sed huiuſmodi periculum ſuperfluũ omninò videtur, & quaſi Gal. indignũ; nam oſtendit ſe non cognoſcere, quando

do ſanguis mittendus ſit.

Et certè illa indicia ab ipſo tradita in libello de curat.per ſang.miſſ.videtur in dubium reuocare; nec non, & alia, de quibus in prædicto capite ſcripſit, quæ procul dubio ſunt certiſſima indicia ſanguinis melancholici abundantis; nam ſiquis ſit iuuenis robuſtus, venas latas habeat, nigriq; coloris, hirſutus: adhæc, & multùm antea comederit, vſuſq; ſit victus ratione, qua potuit plurimum generari humoris melancholici, egemus adhuc perforatione venæ, vt ſanguinem exploremus.

Quæ experientia fallax videtur, nec tam certa, quemadmodum alia ſigna, quia, vt Celſus lib.2.cap.10.ſcribit, poteſt ab inexperto chirurgo fieri, qui non tam amplum faciat foramen, quantum requiritur, vt exeat ſanguis tenuis ſolummodò.

Deinde eſſe poteſt, quòd in mittendo ſanguine fiat aliqua animæ perturbatio, quo nomine ſanguis peccans nó exeat, ſed ſolùm vel ſeroſus, vel tenuior, & Auicenna ſcribit in hoc experimento faciendo oportere ſanguinis notabilem quantitatem exire, ſaltem ad duas vncias; quia inquit à principio tenuior ſanguis per foramen exit.

Vnde dicebat Celſus vſum habenti expeditiſſimum eſt ſanguinem mittere; at ignaro difficillimum.

Sed dicet quis hic fortè Cornelium loqui de chirurgo, qui operationem facere debet; vbi enim peritus erit, diſtinguere facilè poterit venam ab arteria, atq; cauebit, ne lædat neruum, vel loco venæ ſecet arteriam.

Quód non inficior, ſed à ſimili dico, quod peritus medicus non ignorabit, ex quo corpore mittendus ſit ſanguis abſq; experimento iam dicto. Galenus hanc ſententiam deſumpſit à Celſo, quamuis hic loquatur vniuerſaliter. Id enim, de quo vniuerſaliter loquutus eſt Celſus, Galenus huic caſui particulari applicuit; nam loquens de venæ ſectio-

A ne in vniuerſum, inquit, incidenda eſt vena ad medium, ex qua cum ſanguis erumpit, colorem eius, habitumque oportet attendere; quia ſi is craſſus, & niger exit, eſt vitioſus, ideoque vtiliter effunditur, ſi rubet, & perlucet, integer eſt, eaque miſſio ſanguinis non prodeſt, quin imo nocet, potiuſq; is ſupprimendus eſt.

Quare ex his apertè habemus hanc B animaduerſionem primùm oſtendiſſe Celſum, quam tamen non probauit Gal. imò videtur oſtendere his verbis non decere medicum peritum eaſacere: ſed id euenire non poteſt ſub eo medico, qui ſcit, ex quali corpore ſanguis mittendus ſit: & paulò ante dixerat, multæ res id difficile neſcio faciunt, quod perito facillimum eſt.

Et quamuis Gal. Celſum legerit, no- C luit tamen vnquam ipſum citare, niſi in 2. de com.med.loc. vbi dicit hoc eſſe Cornelij remedium. Sed hæc obiter, ſi Galenus Cornelium legit, fuit quidem aduerſus tantum virum ingratus.

Pro tutela Galeni in præſenti nihil aliud dicendum occurrit, niſi quod lib.de loc.aff. ſcripti ſunt, vt inſtruantur tyrones; ideoque huiuſmodi experimento vſum fuiſſe Gal. vt demoſtraret verũ D eſſe, quód illa corpora, quæ habent conditiones prædictas, vſaq; ſint illa victus ratione, habere vniuerſas corporis venas hoc ſanguine nigro refertas, quod clariſſimum fiet, ſi ſanguis per ſectionem venæ effluere cogatur, quaſi velit dicere, ſecate venam, & niſi comperiatis, quod verum dico, poteſtis ſtatim ſine aliquo inconuenienti ſanguinẽ ſiſtere.

E Dicamus igitur ex Galeno, quod vbi ex multitudine melancholica in toto, proueniat melancholia, ſanguinem ex communi vena mittendum eſſe ad articulum humeri.

Idem confirmauit Auicenna idemq; prorſus ſcripſit Raſis, ſed differunt in hoc, quia Raſis confirmat illam Galeni opi-

opinionem de ſanguinis extrahendi experimento; nam dicit ſi ſanguis craſſus reperiatur, permittatur egreſſus: ſi verò tenuis ſit, ſiſtatur.

E contra Auicenna inquit, ſi phlebotomas, & inuenis ſanguinem ſubtilem, non retineas ſanguinem propter hoc. Quare videtur contradictio.

Gentilis magni facit huiuſmodi contradictionem, totamq; rem ſuis diuiſionibus conturbat; inquit enim primò, vel melancholia totum ſanguinem inficit: vel non inficit. Primò modo ſi ſanguis melancholiæ admixtus ſit, tunc aperta vena ſanguis melancholicus ſe prodit: ſi ſecundo modo, non immiſcetur, & tunc in principio phlebotomiæ ſanguis tenuis apparet, & bonus; & ſiſtendus eſt, quia ſi permitteretur exire, magis appareret ſanguis bonus, & non eſt permittendum, vt is è corpore exeat.

Si verò melancholia ſanguini admiſcetur, & inficit ſanguinem in partibus interioribus, non exterioribus, & tunc per phlebotomiam incipit euacuari ſanguis laudabilis: non propter ea debet fieri reſtrictio, quia in proceſſu euacuabitur ſanguis melancholicus.

Quod verò ſanguis, qui magis ad internas partes eſt, infici poſſit intacto remanente eo, qui ad extremas partes reperitur, ex ipſa phlebotomia faciliùs cognoſcitur: & Auicenna.4.1.tr.5.cap.1. & 4.fen.1. cap. de phlebotomia apertè demõſtrauit. Contrarium etiam contingere poteſt, nempe quod ſanguis externus afficiatur illæſo, & intacto interno remanente.

Nulla proinde ex dictis eſt inter auctores prædictos contradictio; nam Auicenna miſit ſanguinem in ea melancholia, in qua ſanguis extra bonus, intus verò malus: & Raſis phlebotomat, vt ipſius vtar verbis, melancholicum, cuius ſanguis non eſt malus.

Vel eſt dicendum Raſim melancholicum phlebotomare per errorem exiſti-
A mantem ſanguinem melancholicum eſſe, qui deinde non eſt talis, proinde ſtatim errore cognito, iubet comprimi ſanguinem.

Sed cum, vt diximus, notę adſint plenitudinis ſanguinis melãcholici, vix credibile eſt medicum peritum egere hoc experimento; ſed ſi tamen contingat rem ita eſſe, vt ſupponitur, crederem cum Auicenna non eſſe deſiſtendum à
B ſanguinis miſſione: quia etſi vix credibile ſit maſſam ſanguinis, quæ fit ex vno chylo, ab vno hepate, & vnica caliditate, non habere ſuas partes inuicem mixtas: & proinde aliquando euenire ſanguinem internum humore melancholico eſſe coinquinatum, externum verò minimè; nihilominus fieri poſſe videtur, vt primum ſecta vena in corpore repleto ſanguis exit tenuis, & rubicun-
C dus, deinde ſequitur niger, tanquam craſſior.

Et hoc duplici ratione euenire poteſt, primò quidem ratione obſtructionis vaſorum à multitudine, & craſſitie ſanguinis, proinde ſerum primò, cum aliqua ſanguinis portione, aut ſanguine tinctum exeat, quippe quod faciliùs illabatur, deinde ſequatur craſſior ſanguis, vt potè motui ineptior.

Sed hoc oportet, vt ſit breui tempo-
D re, quia impoſſibile prorſus videtur in corpore melancholico, nutrito cibis craſſis, quod ſolùm adſit ſanguis tenuis: proinde etiam impoſſibile eſt, quod exeant duæ vnciæ ſanguinis ſeroſi, antequàm craſſus ſequatur.

Deinde vnum in hoc caſu animaduertendum eſſe puto, quod à nemine obſeruatum ſcio, nempe in omnibus venis
E brachiorum reperiri multa oſtiola, ea ratione fabrefacta, vt ad orificium arteriæ magnæ, & venæ arterialis ad cordis ſinus reperiuntur ſurſum, reſpicientes, quæ ea induſtria à natura facta eſſe exiſtimo, ne ſanguis, qui ad brachia, & crura alimenti cauſa fertur, repente deorſum præcipitet; quia cum partes iſtæ de-

decliues ſint ſint,ſanguis ſua grauitate, in vehementibus motibus facilè totus repentè ad manus, & pedes præcipitaretur; ne id igitur contingat, natura hæc oſtiola in interna harum venarum ſuperficie appoſuit.

Huiuſmodi igitur valuulæ in ſumma ſanguinis melancholici, ac craſſi repletione inhibere poſſunt, ne tam ſubitò ſanguis craſſus ſecta vena ad orificium fluat, qui deinde ratione vacui, & conſequutione quadam ſequitur illum tenuiorem, & proinde ſecta vena, ſuppoſita plenitudine dicta, non eſt, vt ſupprimamus ſanguinem, ſed expectandus ille eſt, cuius gratia inſtituta eſt ſanguinis miſſio: & hoc eſt, quod pulchrè docuit Auicenna, quem in hoc magis, quàm Raſim ſequor; in corpore enim melancholico repleto impoſſibile eſt, quod ſanguis ſit tenuis.

An modò in ſanguinis miſſione expectanda ſit mutatio coloris, & ſubſtantiæ, alterius eſt inſtituti. Hipp. id præcipit in inflammationibus internis, lib.2.acut. 10. vbi loquitur de ſanguinis miſsione in pleuritide, qui locus quomodo ſit intelligendus, ſuo audietis loco.

In caſu igitur propoſito expedit à principio ſanguinem mittere ex cubiti vena communi euacuationis gratia, quę & à baſilica, & à cephalica euacuat; reuulſionis verò à cephalica, ſed poſt vniuerſalem factam euacuationem.

Quamuis ex Meſue loco prçcitato ex hæmorrhoidibus per hirudines ſanguinem euacuare liceat reuellendi cauſa.

Tandem deriuationis gratia ad venas, quæ ſunt ad internam narium capacitatem, ad frontem, & ad venas, quæ poſt aures ſunt; de quibus cap.de dolore capitis,& c.de phreniti de ſatis loquuti ſumus.

## DE CVRATIONE MELANcholiæ per Pharmaciam.

A Omnis curatio inſtituenda videtur ab ablatione cauſæ: vnde in melancholia per eſſentiam ad duplicem cauſam reſpiciendum eſſe videtur, nempe ad cauſam delirij, & ad cauſam generationis melancholici humoris.

Dictum eſt ſupra inuigilandum in B primis eſſe, ne humor peccans generetur, & vt ille qui genitus eſt in corpore, quo ad fieri poteſt, extrahatur. At quoniam caput intemperatum generationis huius eſt præcipua cauſa, primò ei incumbendum eſt: præterea, quia intemperies frigida, & ſicca ea eſt, quæ generationem humoris melancholici promouet, propterea ea eſt, quæ primò ſui ablationem indicat; cum cauſæ ra- C tionem habeat, ſine qua humor melancholicus tolli non poteſt.

Atq; eam auferre tentabimus victus ratione iam dicta, quæ ad calidum quidem, ſed magis ad humidum tendat. Ad idem dirigantur medicamenta tam intus aſſumpta, quàm exterius applicita, quæ hic ab internis initium ſumentes docebimus.

Interna autem non modò capitis in- D temperiem tollent, verùm etiam, & humorem melancholicum attemperabunt, ſimulq; ad ſui eductionem præparabunt. Inchoare tamen poſſumus curationem cum aliquo lenitiuo; verbi gratia.

℞. Epithymi ſubt.pul.drach.j.
Elect. diaſenæ lenit.vnc.j.
Aquæ lactis, vnc.iiij.
Fiat potus breuis.

E Vel

℞. Caſſię nouiter extr.
Diaſenæ lenit. ana vnc. j.
Cum ſaccharo quantitate ſufficienti, fiat bolus.

Deinde deuenire ad medicamenta alterantia oportet, quæ ſunt ſyrupi, & apozemata, quæ facultatem quoque atte-

attenuandi habeant, quia humor me-lancholicus craſſus eſt.

Syrupi igitur ſunt

Ex ſucco borraginis,

De fumaria,

De ſucco bugloſſi,

De bettonica,

De epithymo ſimul cum

Aqua acetoſæ,

Pimpinellæ,

Fumariæ,

Bettonicæ, aut etiam

Sero caprillo, vt exempli gratia.

℞. Syr. de ſucco borrag. vnc. j.

Bettonicæ,

Bugloſſi, ana vnc. ſſ.

Seri caprilli, vnc. iij. m.

Si vultis formam apozematis prępa-rantis humorem melancholicum, pro-pono vobis exemplum vnius, quod de-ſcribitur à Vveckero in ſua generali praxi, quod

℞. Fumariæ,

Lupulorum,

Endiuiæ,

Scolopendriæ,

Scariolæ, ana m. j.

Florum borrag.

Bugloſſi,

Violarum, ana pug. ſſ.

Rad. polypodij,

Cichorij, ana vnc. j. ſſ.

Sem. Aniſorum,

Fœnic. ana drach. iij.

Prunorum, num. x.

Paſſularum, vnc. j.

Corticis tamaricis.

Cappar. ana vnc. ſſ.

Fiat decoctio ſecundùm artem; cola-turæ adde ſacchari vnc. v.

Fiat ſyrupus.

Volui exemplar huius in medium afferre, vt per vos ipſos dignoſcâtis, qua ratione efformentur, & pro varia intentione ſecundùm veram methodum poſsitis præſcribere.

Hac vtendi regula ſperare licet forè, vt & intemperies capitis remittatur, at-

A que humor educendus præparetur, eo autem præparato inſurgit indicatio expurgandi: duobuſq; modis expurga-ri poteſt, vel medicamento valido, & eradicante, vel eodem quidem, ſed beni-gniori, & lenſim.

Non me latet Gal. hunc humorem cum hiera, atq; epithymo educere: quē-admodum etiā Auicenna, & Raſis vtun-tur pilulis de lapide lazuli.

B Raſis tamen in hoc affectu magis cō-mendat pilulas de lapide armenio. Non deſunt etiam proponentes confectionē hamech.

Ego tamen mitiora magis probarē, potiſſimùm quādo morbus eſt in initio: proinde facta humoris præparatione tentarem, ſi poſſet educi totus humor præparatus, vt

℞. Fol. cetrach.

C Lupulorum, ana manip. ſſ.

Corticum tamaricis,

Capparum, ana vnc. ſſ.

Sem. aniſorum,

Fœnic. ana drach. j. ſſ.

Rad. Polypodij,

Bugloſsi, ana vn. j.

Florum borraginis,

Bugloſsi, ana pug. ſſ.

Addendo corticum myrob. indo-

D rum, drach. ij.

Fiat decoct. ſecundùm artem.

℞. huius decoct. vnc. iiij.

Senæ orient. vnc. ſſ.

Pul. epithymi, drach. j.

Paſſularum, vnc. ſſ.

Prunorum, num. 4.

Infunde per totam noctem, exprime, & diſſolue

Syr. ad melancholiam,

M. Auguſtini, ana vnc. ij.

Confect. hamech.

Diapruni ſol. ana drach. ij.

Fiat potio breuis.

E Vel vtaris hoc benigniori medicamen-to, quo vtitur doctiſſimus Hollerius in ſua praxi.

℞. Lupulorum,

Fu-

Fumariæ, ana manip. j.
Rad. bugloſſi, vnc. j.
Florum anthos,
Bugloſſi,
Borraginis, ana pug. i.
Prunorum, num. x.
Paſſularum, vnc. ſſ.
Foliorum ſenæ, vnc. j.ſſ.
Zingiberis., drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem, coletur, &
℞. Decocti huius, vnc. v.
Syr. de polypod. ſol. vnc. ij. m.

Vel

℞. Decoct. prædictæ, vnc. iij.
Follicul. ſenæ mund. vnc. ſſ.
Cinnamomi, ſcrup. ſſ.
Infundantur per 12. horas, facta forti expreſſ. diſſolue.
Diacatholici, vnc. ſſ.
Diapruni ſol. drach. ij.
Miſce, & fiat potus.

Sub forma pilulari.

℞. Pil. cochiarum cum elleboro drach. j.
De nitro, ſcrup. j.
Cum ſyr. de epithymo fiant pilulæ, num. vij. aurentur.

Sub forma boli.

℞. Diacatholici,
Diapruni ſol.
Conf. hamech. ana vnc. ſſ.
Cum ſacch. fiat bolus.

Hiſce vti poteritis alternis, vel tribus quibuſque diebus, quia humor melancholicus multum temporis requirit ad ſui purgationem, & perfectam curationem, & eo magis, quando eſt in capite, quopropter melius eſt procedere his benignioribus medicamentis, quàm ſcammoniatis; propterea quod nimiam faciunt in corpore agitationem, quæ poſſet augeri capitis intemperies.

At vbi morbus non cedat primæ expurgationi, iteranda eſt ſecunda, & tertia.

Raſis iubet poſt purgationem permittendum eſſe, vt ægrotans in quiete maneat per tres, vel quatuor dies, deinde

A repetenda eſt purgatio, quæ vbi decenter facta, ac repetita fuerit, nec tamen cedat morbus, tunc ad validiora properandum, id eſt, ad hieram, & elleborum præparatum etiam; nihil enim intentatum relinquere oportet.

Sunt recentiores, qui extractum ex elleboro conficiunt, quod purgat huiuſmodi humorem abſq; moleſtia: modus autem preparandi is eſt.

B ℞. Rad. ellebori nigri, vnc. ij.
Aquæ aniſorum oleo extracto lib. j.
Infunde per. 24. horas.
Deinde bulliant lento igne ad conſump. medietatis aquæ, coletur, & exprimatur.
Deinde expreſſo adde
Syr. roſ. ſol. vnc. iij.
Bulliant denuò vſq; ad ſpiſſitudinem.
Doſis ſit ad drach. j.

C Melius eſt loco ſyr. roſ. ſol. vt recipiatis ſyr. ad melancholiam Matthioli deſcriptum in meo Antidotario.

Vel præſcribatur hoc

℞. Epithymi, drach. xx.
Polypod.
Agarici, ana drach. x.
Ellebori nigri,
Sacchari, ana drach. v.
Stœchados, drach. vij.
D Spec. hieræ, drach. j. ſſ.
Macerētur, primò contuſis omnibus, in vino albo generoſo per 24. horas colētur, & valdè exprimantur, & fiat maſſa: doſis ſit ad ſcrup. iiij.

Cum tribus, aut quatuor granis diagridij.

Franciſcus de Valeſca in ſuo philonio puluerem quendam proponit, quem ab Haliabbate cap. de melancholia ad
E verbum ſcripſit; is autem eſt.

℞. Specierum hieræ,
Epithymi, ana vnc. ſſ.
Lapidis lazuli,
Agarici troch. ana drach. ij.
Scammonij, drach. j.
Caryophyllorum, ſcrup. j.
Fiat puluis.

Vſum huius pulueris commendat admodum Valeſca, tantumq; illi tribuit, vt ſi nullum medicamentum reperiatur, quod tollere hunc morbum poſſit, ſolum iſtud ait eſſe aptum ad omnem melancholicam paſſionem tollendam, appellatq; illud medicinæ coronam: quo ſæpiſſimè vſus fuit cum honore, & ægro tantis ſalute: ſed cùm non afferat modum, quo vti debeamus, vix credere poſſum eo vſum fuiſſe.

Ex Haliabbate modus vtendi eſt, vt facto ſubtiliſſimo puluere ad drach. ij. excipiatur cum ſyrupo cotoniorum, aqua citrij diſſoluto: mihi tamen non probatur tanta quantitas huius medicamenti; nam præter alia ſolutiua medicamenta adſunt vndecim grana ſcammonij pro quacunq; vice.

Equidem cōtentus eſſem vti drach. j. ſingula hebdomada, ſumpta iuſculo alicuo carnis caponis, in quo folia thymi, meliſſæ ebullierint, aut cum modico vini maluatici; ſperarem enim fore, vt ex vſo frequenti huius pulueris humor melancholicus è capite extraheretur.

Non improbarem quoq; vſum lapidis armenij ſæpiſſimè aqua abluti; nam ad hoc vt clementiùs ducant tam lapis lazuli, quàm armenius aqua pluries sūt abluendi: huius doſis eſt ad ſcrup. iiij. aut ſcrup. v. ægrotanti offerenda ex decocto aliquo, aut infuſo ſenæ in ſero potiſſimùm lactis. Interim nutrirem ea, qua dictum eſt ratione, ſæpeq; vno ex prædictis medicamentis vterer; ſic enim temporis progreſſu æger liberabitur.

His peractis ad corroboranda viſcera interna, & potiſſimùm cerebrum pugnarem quibuſdam medicamentis, quæ opiata dicuntur, non tamen opium recipiunt, ſed ob ſimilitudinem ita à neotericis dicuntur, quę alio nomine antidota appellantur, vt eſt

Theriaca,
Mithridatica confectio,
Puluis ſarcoticon,

A Lætificans Raſis,
Confectio alkermes.

Poſſemus electuarium molle parare ad hunc modum.

℞. Theriacæ opt.
Lætific. Raſis,
Diamarg. frigidi, ana drach. j.
Syr. de meliſſa,
De pomis, ana vnc. j. ſſ. m.

Ad idem.

B ℞. Sacch. bugloſſi,
Aurantiorum,
Borraginis,
Roſmarini, anà drach. j.

Cum ſyr. Regis Sabor quantitate ſufficienti fiat elect. molle.

Doſis ſit ad drach. j. accepta cum modico vini tenuioris, vel aquæ meliſſæ ſingulo mane per tres horas ante prandium.

C Ad corroborandum cor, & caput.

℞. Conf. alkermes,
Theriacæ, ana drach. ſſ.
Miſce.

Vel

R. Conſ. Bugloſſi,
Aurantiorum,
Borraginis,
Anthos, ana vnc. ſſ.
Theriacæ opt.
D Conf. alkermes, ana drach. j. ſſ.
Lætificantis Raſis, drach. ſſ.

Cum ſyr. de pomis compoſ. fiat conditum, addendo foliorum auri num. ij.

Deinde non deſiſterem à localibus medicamentis, inter quæ à Raſi, & Auicenna aquæ dulcis actu calidæ, vel tepidæ balneum, fotuſue, vel embrocationes proponuntur: poſt aquæ balneum ouorum luteis totum caput à pilis de-
E nudatum illinatur, vt Alexander inſtituit, & quidem huiuſmodi medicamentis tepidis, ſed humidis agendum eſt ad vigiliam, quæ ſæpè melancholicos infeſtat propulſandam, cuius gratia Raſis lac vaccinum capiti affuſum ſummopere laudat.

Pro

Pro irrigatione, dùm in balneo eſt æger.

℞. Flor. meliloti,
Violarum, ana pug. ij.
Fol. althææ,
Maluæ,
Violarum, ana manip. ij.
Granorum Kermes, vnc. ſſ.
Summit. anethi, pug. j.
Coquantur in aquę communis, lib. x.
Colentur, & inſtilletur capiti, dum æger eſt in balneo.

A balneo inungatur ſpina tota
Oleo violaceo,
Amygdalarum dulcium.
Capiti admoueantur pulmones arietini.

Præterea accipiatur panis calens, albus, magnus, per medium diſſectus, impleatur cerebro ſuillo, inſpergatur puluere violarum, bettonicæ, coriandri, ana drach. j.

Deinde cooperiatur, & coquatur in clibano, cuius media pars applicetur capiti prius abraſo.

Poteſt etiam parari decoctio quædã in aqua, aut in iuſculo aliquo pinguiori, vel vituli, vel veruecis, in quo ebulliĉant

Fol. maluæ,
Althææ,
Violarum,
Lupulorum,
Borraginis.
Flor. Borrag.
Chamęmeli,
Stœchados,
Meliloti.
Sem. quatuor frigid.

Huiuſmodi decocto caput oportet irrigare, cui ſi adderetur caput veruecis, longè aptius eſſet balneum, & præſtantior irrigatio. Nec fortè abs re erit cum prædictis quandoq; ebullire capita paucis, vel folia mãdragoræ, nymphęę, & huiuſmodi, pro vt magis, vel minus vobis videbitur refrigerandum.

Poſt quas irrigationes inungere caput oleo, vel vnguentis optimum eſt,

A tum contra intemperiem frigidam oppugnandam, tum ad ſomnum conciliandum.

Aurea Alexandrina capiti illita inſanos, & epilepticos ſanat.

Odores quoq; boni naribus quàm ſæpè apponantur, vt florum violarum, nenupharis, florum aurantiorum, limoniorum, &c. cor etiam corroboretur.

Pro cordis epithemate.

B ℞. Aquæ roſarum,
Bugloſſi,
Borrag.
Scorzoneræ, ana lib. ſſ.
Spec. lætificantis Raſis,
Diahyacinthi, ana drach. j. ſſ.
Cord. comm. vnc. ſſ.
Conf. alkermes, drach. j. ſſ.
Trochiſc. de gallia moſc. ſcrup. j.
Vini albi opt. vnc. iiij.
C Miſce pro epithemate.

Hebræus quidam medicus puluerem cum coriandro ex gagate lapide proponebat tanquàm valdè efficacem pro melancholicis.

Andreas Laurentius in conſilio pro melancholico laudat lapidem chryſolitum, & topatium ad g. v. cum aqua bugloſſi. Vel etiam ſcrup. j. ſmaragdi, aut optimi bezartici in oui luteo accepti,

D quod cor, & cerebrum maximè recreat.

Et hæc pro curatione melancholiæ per eſſentiam in capite: modò videndũ, quid facto ſit opus pro curatione melancholiæ per conſenſum hypochondriacę dictæ.

## DE CVRATIONE MELANCHOlia hypochondriaca per Chirurgiam.

E

Quamuis melancholica hypochondriorum affectio in aliquibus cõueniat cum illa per eſſentiam; quia tamen variæ partes in ea ſunt affectæ, hinc eſt, quod nõ ſolùm topica ſibi conuenientia requirit, ſed propria medicamenta

per

per omne auxiliorum genus.

Ex Raſis primùm authoritate ſanguis mittendus eſt in hac melancholia hypochondriaca ex baſilica venā brachij, & ex ſaluatella manus ſiniſtræ, quod dictū à Meſue ita limitatur; vt primò velit euacuandum eſſe ex baſilica, deindeà ſaluatella.

Verùm cum duplex ſit ſaluatella, alia ſiniſtræ, alia dextræ manus, quando ex mala affectione lienis fit melancholia, mittendus eſt ſanguis ex ſaluatella ſiniſtræ manus, quando ex hepate malum proficiſcitur, ex dextræ manus ſaluatella, ex Auicenna fen. 4. 1. cap. de phlebotomia.

Confert nonnunquam ex talo ſangui nem mittere, & potiſſimùm quando in mulieribus ex vtero malè affecto, menſibuſq; ſuppreſſis affectio hypochondriaca euenerit.

Capiuaccius iudicat nunquam ſanguinem ex brachio in hoc affectu eſſe mittendum, ſed ſemper ex partibus infernis, quōd quidem falſum eſt; quandoquidem in repletione melius eſt ſequi authoritatem prædictorum authorum, vt primò ſcilicet ex baſilica; deinde ex venis crurum deriuationis, vel repulſionis cauſa ſanguinem mittamus.

Hirudines in hoc caſu maximè prodeſſe ſolent, ſi potiſſimùm ſuppreſſę fuerint hæmorrhoides.

DE CVRATIONE MELANcholiæ hypochondriacæ per victus rationem.

IN victus quoq; ratione aliqua ſibi particularia habet: quæ flatum diſcutere valent, ſibi vendicat; ſemper enim, vel frequenter prudentiores medici, ac magis verſati cibis ea, quæ flatum diſſoluunt, admiſcent.

Vnde Rondeletius vir ſanè ſpectatæ praxis admonet, vt caueamus ab integra ptiſana, quod flatus eleuet; laudat tamen cremorem ipſius cum modico

A cinnamomi, aut aniſo, piper quoq; non eſſet ingratum, ſed craſſo modò contuſum, quia in tenuiſſimum puluerem redactum ſua tenuitate partium, ac calidi tate illicò fertur in iecur per meſeraicas; craſſo autem modo contuſum diutius immoratur in ventriculo; quare & flatum diſſipat.

Sed quemadmodum in hoc ipſius ſubſcribo authoritati, ita quoque non

B poſſum probare opinionem de potu, qui magis probat aquam, quàm vinum, vbi ſtomachus refrigeratus ſit, naturaliq; langueat calore; magis enim vſum vini præfero, quod ventriculum corroborare, vt è contra aqua tum refrigerare, tum laxare poteſt.

Verùm quidem eſt, quod aqua, cui modicum aceti fuerit admixtum, inflammatione in hypochondrijs exiſtente,

C ab ipſo proponitur, mihiq; arridet; nam ex Gal. acetum ducit aquam; neq; eam diutius in hypochondrijs immorari permittit.

Iuſcula, quæ in melancholia per eſſentiam conuenire diximus, in hac quoque proſunt, ſed cum moderatione quadam accepta, ſiquidem vbi in modica quantitate ſumpta ſunt, iuuant: ità eorum immoderata quantitas fluctuatio-

D nem in ventriculo facit, quemadmodū, & omnia potabilia. In illiſque ebulliant ſimplicia, quæ aperiendi facultatem habent, vt cichorium, bugloſſum, & ſimilia.

DE CVRATIONE MELANcholiæ hypochondriacæ per pharmaciam.

E QVo ad pharmaciam ſpectat, certum eſt ex Gal. inferioris ventris partes, inteſtina præſertim, & meſenterium, cui ipſa adhærent, & per quod coniuncta ſunt dorſo ſimulq; ad inuicem colligata, valde clyſterum vſu iuuari.

Sed cùm omnes partes affectæ, vt in ipſo-

ipſorum cauſis dictum fuit, à multitudine, humorum melancholicorum, & à craſſitie eorundem vaſa, nempe venas, & arterias habeant repleta, quo nomine calor naturalis euentari nequit, & præternaturam accenditur in ijs.

Venæ autem omnes, & arteriæ, quæ famulantur nutritorijs vaſis ad inteſtina tanquam ad ipſorum centrum collectæ terminentur, ideo clyſteres opem maximam ferre poſſunt, ideo ante omnia vſus clyſterum à peritis medicis probatur: horum exemplar tale eſſe poteſt.

℞. Maluarum,
Violarum, ana manip. j.
Radicum althææ, vnc. j.
Polypodij quercini, vnc. ij.
Epithymi,
Summitatum thymi,
Flor. geniſtæ,
Sambuci,
Chamæmeli, ana pug. ij.
Flor. Bugloſsi,
Borraginis,
Anthos, ana pug. j.
Sem. aniſorum,
Fœniculi,
Vrticæ, ana drach. j.
Miſce, fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decocti, lib. j.
Olei chamæm.
Oliuarum recentium, ana vnc. ij.
Butyri rec. vnc. j. ſſ.
Hieræ logad. vnc. j.
Cum ſale, & vitello oui fiat clyſter.

Deueniendum quoq; eſt ad ſyrupos aperientes, inter quos maximè probatur ſyrupus à Meſue ptopoſitus, qui Regis Sabor appellatur, cuius doſis ſit ad vnc. ij.
Aquæ borrag.
Bugloſſi, ana vnc. ij.
Miſce.

Vel paretur ſyrupus ad hunc modum.

℞. Syr. de bugloſſo,
De epithymo,
De fumaria.
Syr. Regis Sabor, ana vnc. ſſ.
Aquæ bugloſsi,
Fumariæ,
Meliſſæ, ana vnc. j.
Miſce.

Si vultis decoctionem parare, quæ etiam valeat in hypochondriaca affectione propter vterum malè affectum.

℞. Rad. petroſelini,
Graminis,
Aſparagi, ana vnc. j.
Valerianæ,
Cyperi, ana drach. ij.
Fol. capill. ven.
Scolopendriæ,
Bettonicæ,
Meliſſæ,
Matricar. ana manip. j.
Ocymi,
Cubebarum, ana vnc. ſſ.
Sem. Fœniculi,
Carui,
Aniſorum, ana drach. j.
Miſce.

Et cum aqua fontis puriſ. fiat decoct. ſecundùm artem, &

℞. huius decocti, vnc. iii.
Syr. Regis Sabor, vnc. ij.
Vel loco huius
Syr. de capill. ven.
De pomis, ana vnc. j.

Guglielmus Placentinus in ſua Guglielmina componit ſyrupum maximè aptum ad materiam in hoc caſu non modò præparandam, ſed ad venas deobſtruendas, ac omnia nutritiua organa corroboranda: talis autem eſt

℞. Rad. polypod. lib. ſſ.
Bugloſsi,
Meliſſæ, ana m. j.
Cyperi,
Acori,
Capparum,
Aſari, ana drach. j.
Senæ,
Epithymi, ana drach. ij.
Sem. Lactucæ,
Endiuiæ,

Sca-

Scariolæ, ana drach. iij.

Omnia præter ſenam, & epithymum contudantur craſſo modo: bulliant in aqua fōt. pur. ad conſumptionem medietatis, in fine coctionis adde ſenam, & epithymum, ablata ab igne permittantur tepefieri, omnibuſque manibus fricatis, atq; in aquam contritis, coletur, colaturæ adde

Mel. roſ. lib. j.

Denuò bull. lento igne vnicò feruore, coletur.

℞. huius colati, vnc. iij.
Aquæ decoct. epithymi, vnc. iij.
Miſce.

Cum his ſyrupis humore præparato, hoc eſt attenuato, & iam ad educendum idoneo, ad aliquod medicamentum properandum eſt, quod ipſum educere poſſit.

Sed quoniam ipſius facultas non debet excedere primarum venarum regionem, non eſt, mea quidem opinione, opus medicamentis tam validis, ſed potius ad benigniora confugerem, mihiq; magis probaretur ſpecies medicamenti partim alterantis, partim educentis, quę ſingulis tribus, aut quatuor diebus humorem melancholicum educere poſſet ſine aliqua virium iactura, aut corporis labore, quale iſtud eſſe poſſet.

℞. Decoct. prædictæ, vnc. iij.
Follicul. ſenæ mund. vnc. ſſ.
Cinnamomi, ſcrup. ſſ.
Infunde per totam noctem: deinde diſſolue diaſenæ ſolut. drach. ij.
Syr. de polypod. magiſtri Auguſtini. vnc. j. ſſ.
Miſce, fiat potus.

Vbi maior adſit caliditas, quàm frigiditas.

℞. Seri depurati, lib. j.
Fol. ſenæ orient.
Rad. polypodij, ana vnc. ſſ.
Coriandr. præparat. drach. j. ſſ.
Infunde per totam noctem pro vnico hauſtu.

Si cupitis maiorem, & præſtantiorem

A efficere euacuationem, quam profectò in hoc caſu vix admittere queo, quod morbus ſit longæ, ac difficilis curationis, nec cedens vni, vel alteri purgationi, poteritis ad hunc modum parare medicamentum.

℞. Syr. de polypodio ſol. vnc. v.
Confect. hamech. vnc. ſſ.
Miſce cum decoct. ad melanch. fiat potus breuis.

B Vel

℞. myrobal. indorum,
Chebulorum, ana drach. ij.
Fol. Meliſſæ,
Capill. veneris, ana manip. ſſ.
Sem. aniſorum,
Vrticæ, ana drach. j.
Florum geniſtæ,
Bugloſſi, ana pug. j.
Fiat decoctio ſecundùm artem.

C ℞. huius decocti, vnc. iiij. infunde.
Agarici trochiſ. vel
Senæ præparatæ ſine ſcammonio, drach. j.
Cinnamomi, g. v.
Coletur, & facta expreſ. diſſolue.
Syr. magiſtri Auguſtini.
Ad melancholiam, ana vnc. iij.
Fiat potus.

Pilulæ.

D ℞. Pil. aggregatiu.
De bolo armenia, ana drach. j.
Diagridij, gr. iiij.
Cum ſyr. de pomis ſimpl. fiant pilul. num. vij. aurentur.

Vel

℞. Pil. de hiera cum agarico.
Aggregatiu.
De lapide lazul. ana ſcrup. ij.
E Cum ſyr. roſ. ſol. quantum ſufficit, fiant pilulæ, num. vij. & aurentur.

Pro bolo.

℞. Diacatholici, drach. vj.
Diaſenæ lenit.
Diapruni lenit. ana vnc. ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Vel

Diapruni ſol.

Dia-

Diaſenæ lenitiuæ, ana vnc. ſſ.
Diagridij, g. v.
Cum ſaccharo quantitate ſufficienti, fiat bolus.

Eo tendunt omnes ſpecies hieræ, cõfectio hamech, diaprunum ſolutiuum, pilulæ aggregatiuæ, de lapide lazuli, & de lapide armenio.

Procedendum deinde cum aperientibus, deobſtruentibus, & flatum diſcutientibus, pro quo Auicenna proponit B decoctum, ſeu potius ſyrupum de abſynthio, ſemen aniſorum, cumini, apij, anethi in decoctis, & in ſyrupis.

Poſt purgationem quoq; curabimus, vt æger ſæpè vtatur ijs, quæ ſunt apta vrinam ducere, quemadmodum eſt decoctum ex radicibus eryngij, petroſelini, oxalidis, pimpinellæ, cichorij ſyluatici, quorum decoctum accipiatur ſingulo mane ad lib. ſſ. vt

℞. Rad. petroſelini,
Eringij,
Oxalidis,
Pimpinellæ,
Cichor. agreſtis, ana part. æq.
℞. Huius decocti, vnc. iiij.
Syr. acetoſi ſim. vnc. ij.
Miſce pro vno hauſtu.

Deinde ad medicamenta purgantia iam dicta recurrendum, & hac via poſſimus ſperare ægrotum conualiturum.

At ſi humores pituitoſi reperiantur obſtruentes, ac quoq; præualeant, parare poſſumus ius galli antiquati ex Rondeletio, quod paratur hoc modo.

Accipiatur gallus triũ annorum, qui ſit verberibus, curſibus, alijſque iniurijs ad furorem maximè concitatus, enecetur, deplumetur, ab inteſtinis mundetur, totuſq; vino generoſo albo abluatur, intuſq; repleatur.

Paſſulis ad vnc. iij.
Prunis, num. xx.
Et puluere hoc.
℞. Thymi,
Epithymi, ana vnc. j. ſſ.
Foliorum ſenæ, vnc. ij.
Florum ſambuci,
Cuſcutæ,
Sem. carthami, ana vnc. j.
Cineris tartari albi, vnc. ſſ.
Cinnamomi,
Spicæ,
Aniſorum, ana drach. j.
Sacchari candidi, vnc. ij.

Miſce, & fiat puluis, quo impleatur gallus cum paſſulis, & prunis prędictis: bulliant in triginta lib. aquæ quouſque caro galli ſeparetur ab oſſibus, coletur.

℞. colaturæ, vnc. v.
Quod ius, ſi vis, fieri ſolutiuum, adde,
Diagridij,
Maſtiches, ana ſcrup. j.

Studendum demum eſt corroborationi partium internarum cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, tam internis, quàm externis præſidijs.

C Bartholomæus Montagnana medicamentum inſigniter probat ad cerebrũ corroborandum, ac ad remouendum illud à melancholicis impreſſionibus, & eſt, quod

℞. Ligni aloes opt. pul. ſcrup. ij.

Qui puluis accipiatur ſingulo manè per plures dies, qui in omnibus melancholijs concedi feliciter poteſt.

D Pro ventriculo corroborando faciunt,
Diacalamenthum,
Diacuminum,
Diagalanga,
Diatriumpiperon.

Pro hepate.

Diacinnamomum,
Diacoſtum,
Diacurcuma,
Diarhodon abbatis,
E Diatriumſantalorum.

Quorum ægrotãtes accipiant drach. j. pro vt melius videbitur, deinde ſuperbibant modicum vini tenuis, odoriferi; vel pro ſtomacho etiam modicum aquę abſynthij, aquæ ſaluiæ, &c. pro hepate verò aquam capillorum veneris, vel cichorij aſſumant potandam.

Poſſunt quoque effici electuaria ſub forma lambitiua hoc modo

Pro hepate.

℞. Diagalangæ, drach. j.
Syr. de abſynthio, vnc. j.
Miſce.

Vel

℞. Diacurcumæ, drach. j.
Aquæ cichorij, vnc. j.
Miſce.

Sunt etiam & topica remedia, quæ hiſce partibus applicari conſueuerunt: inter ea primùm ſunt fotus diſcutientes flatus, deinde oleum ad inungendum hypochondrium ſiniſtrum; nam cauendum eſt ex Auicenna, ne medicamentū diſcutiens flatum attingat hypochondrium dexterum, quia periculum eſſet, ne calefieret, & ex eo calefacto per aduſtionem generaretur humor melancholicus.

Quamobrem vt hepar defendatur, ſimulq; corroboretur, iubet Iacobus Forliuienſis, vt hoc linimento vniuerſa hepatis regio illinatur.

℞. Aquæ roſ. vnc. ij.
Succi cichor. vnc. iiij.
Santalorum omnium ſ. pul. vnc. ſſ.
Raſuræ eboris, drach. j.
Aceti, vnc. ij.
Miſce pro linimento hepatis.

Fomenta quoq; fiant pro hypochondrio ſiniſtro, & pro ſtomacho fouendo cum ſpongiis immerſis in decocto
Rutæ,
Anethi,
Pulegij,
Abſynthij,
Serpylli,
Agni caſti,
Baccarum, &
Fol. lauri,
Sem. Fœniculi,
Aniſorum,
Carui,
Aluminis.

Ebullire quoq; prædicta ſimplicia poſſumus in oleo veteri, deinde foue-A tur hypochondrium.

Stercus bubulum aridum cum aceto mulſo ad modum emplaſtri acceptum, ac parti applicitum proficere ſolet.

Fotus quoque pro ventriculo fiunt
Ex floribus meliloti,
Chamæmeli,
Epithymi, quæ poſſunt ferueſieri in vino: deinde inungatur ventriculus
Oleo de ruta,
B De capparibus,
Chamæmeli, addendo ammoniacū in aceto diſſolutum.

Vel

℞. Olei de abſynth. vnc. j.
De ſpica, vnc. ſſ.
Cinnamomi,
Nucis muſcatæ, ana drach. ſſ.
Spec. arom. roſ. drach. j.
Fiat vng. cum cera ſecundùm artem.

C Sacculi pro ventriculo.

℞. Pulegij,
Abſynthij,
Baccarum lauri,
Serpylli,
Rutæ, ana vnc. ij.
Flor. Chamæmeli,
Fœnugræci, ana pug. j. ſſ.
Sem. Fœnicu,
Anethi,
D Cumini,
Aniſorum, ana drach. j.
Cinnamomi,
Macis,
Nucis muſcatæ,
Ligni aloes,
Coſti,
Zingiberis, ana drach. ſſ.
Roſarum rub. manip. j.
Contundantur, & fiant ſacculi.

E Qui irrorati vino maluatico ſtomacho applicentur: vel melius ex omnibus hiſce ſimplicibus fiat puluis, quo parentur ſacculi, ſtraguli in modum parati, ſuperque ventriculo ſæpe ferantur:

Emplaſtrum, & dropax nonnunquam confert, quemadmodum illud eſt, quod

℞. Pi-

℞. Picis naualis, vnc. j. ſſ.
Olei rut. vnc. iij.
Reformetur dropax.
Applicetur ventriculo,& toto hypochondrio ſiniſtro per breuia interualla.
Vel
℞. Picis naualis, vnc. ij.
Olei laur. vnc. j. ſſ.
Cumini ſubtiliter pul.drach.iij.
Miſce, & fiat ceratum.
Et hæc ſint ſatis pro melancholia cu- B randa, & dignoſcenda.

A Et quamuis Raſis noſter poſt tractatum de melancholia deueniat ad catarrhi naturam explicandam;quia tamen à Græcis, & Arabibus alij morbi particulares tractantur, quorum alij ad imaginationem deprauatam, alij ad memoriæ læſionem pertinent, ideo decreui primum pertractare de illa ſpecie melancholiæ,quam inſaniam lupinam dicunt, alioſq; ſimul perſimiles affectus aperire.

# DE MANIA.

## CAPVT DECIMVM.

Quoniam affectio illa, quàm Græci Μανίαν, Latini verò inſaniam appellarunt, ad læſionem hegemonicarum pertinet, de ea ſumus in præſenti tractaturi, vt inde omnium affectuũ imaginatricis,& ratiocinatricis facultatis perfectam cognitionem habeatis. Hæc quamuis ſub melancholiæ ſpecie contineatur, quod ſit & ipſa ſine febre delirium; differt tamen ab illa, in D qua vt plurimum imaginandi facultas eſt læſa, quia in hac & imaginatio, & ratiocinatio ſimul læditur, licet etiam aliquando contingat in melancholia, vtramq; facultatem læſam eſſe, vt in iſta aliquando imaginationem, vel ratiocinationem ſeiunctim quoque lædi obſeruauimus. Differt porrò à phrenitide ob carentiam febris, quæ vt nunquam ab ea ſeiungitur, ita nunquam cum mania complicatur,

Huiuſmodi affectio, etſi febre careat, adeo tamen humanæ naturæ aduerſatur, vt neſciam, an maior calamitas reperiri poſſit, cum mentem, atq; intellectum, qui eſt ipſiſſimus homo,tam grauiter offendat, vt brutorum in modum, & longè peius in innumeris implicetur C erroribus, hinc inde furens, atque inſaniens, omniq; rationis vſu abolito vagetur maniacus.

Cuius & ſi plures differentiæ à Celſo lib.3.cap.18 traditæ ſint,ad duo tamen capita eæ rediguntur, quorum meminit Auicenna 1.3.tr.4.cap.15. ad lupinam, quam vocat demonium,& ad caninam; vnde quemadmodum moribus inter ſe differunt lupus, & canis; ita quoque, & lupina mania differt à canina reſpectu modi delirij; nam qui priori affectu infeſtantur, vt lupi nunquam cicurantur, ſed violenter inſurgunt aduerſus aſſiſtentes, amicos, & affines, & niſi vinculis coercerentur, non modò prædictos grauiter manibus, armis, & alijs ad vulnerandum aptis offenderent, ſed quod miſerab:lius eſt manus in ſe ipſos inijcerẽt, trucidarent, ac vulnerarent, ac præcipitarent, aliaq; innumera facinora patrarent, quæ non modò à lupis, ſed nec E ab immaniſſimis, & trociſſimis belluis fieri ſolent.

Alij verò, vt canis, qui ex cauſa leuiſſima rixatur, prouocatuſq; in laceſſentem inſilit, mordet, ac percutit, aliquando ſaltat,trepudiat,blanditur, obedit, agnoſcit amicos, & benè meritos, eorumq; ſocietatem,ac conſuetudinem

exoptat;ita quoq; & ipſi leui iraſcuntur. cauſa, modò turbati manus inferunt in alios, mox rident, & alia faciunt, quæ ad humanitatem ſpectant: priores autẽ nequaquam mutantur.

Scribit Auicenna id genus affectionis vt plurimum accidere autumno, nonnunquam multiplicari vere, atque æſtate; quod ab Hippocrate deſumptum eſt 3. aph. 22. & 20. In autumno quidem fiunt maniæ propter humorum aduſtorum malitiam, qui ab æſtate relicti fuerunt, & propter multitudinem eorum, qui tempore autumni generantur tam ratione ſiccitatis, quàm inæqualitatis ipſius; ſunt enim autumni dies ſimiles æſtiuis, noctes verò ſimiles hyemalibus. Mania igitur fit autumno, quod tũc plurimũ atræ bilis generetur.

Alia autem ratione generatur vere mania; nam cum omnium temporum ſaluberrimum fit ver, quod vbi corpus repletum bonis humoribus reperit, illud ſanum omninò conſeruat,alia verò tempora minimè, quia æſtas generat bilem copioſiorem, quàm opus ſit, autumnus atram bilem,hyems pituitam,vt author Gal.eſt præcitatis aphoriſmorum commentarijs.

Quare alia ratione mania vere, alia reliquis anni temporibus producitur: autumno quidem ob atri humoris copiam,quę generatur: vere propter eundem quantitatem in autumno genitam, quæ veris tempore à profundioribus partibus ad extimas promota maniam gignit: vnde Gal. dicebat, ſi veris tempore corpus plenum exercueris, in apoplexiam, vel epilepſiam ipſum duces; nam licet exercitatio ſit ſalubris,nõn eſt tamen tempeſtiua: ſi igitur fuerit corpus humore melancholico ſubtili aduſto repletum,concitabitur mania.

Tempore verò æſtiuo, & potiſſimùm in illa ſui parte, quæ veri propinqua eſt, vbi reliquiæ humorum remanent non expurgatæ à vere, neceſſe eſt, vt ſit ipſius veris morborum particeps, quod

A apertè Gal. explicuit 3. aph. 21. vbi dixit, quod illa pars æſtatis, quæ fini veris connectitur, quemadmodum ſimilem cum vere intemperationem, ita morborum etiam communem habet generationem.

Meritò igitur Auicenna dixit maniam fieri in autumno frequentiùs; licet in vere, atq; in æſtate generari etiam poſſit, vt audiuiſtis.

B Accedo ad inueſtigandam eſſentiam maniæ, de qua Capiuaccius non modò confusè, & obſcuris terminis loquitur, verùm rem minimè attingit, inquiens maniam eſſe functionem præcipuam cerebri corruptam dependentem ab ignea affectione ex vſu affecto capite citra tumorem.

C Si Capiuaccius hic intelligit imaginationem, & ratiocinationem deprauatam eſſe,admittimus eius dictũ,quia nihil aliud eſt affectio,quã ſymptoma hegemonicarum vitiatarum, nempe imaginatiuæ, ac ratiocinantis: vnde Gal. 2. de cauſis ſymptom. 7. dicebat omnia deliria eſſe prauos motus regentis facultatis.

D At in cauſa efficiente, vbi dicit prouenire ab ignea affectione ex vſu affecto capite; ego fateor me non intelligere, quid ſibi velit; quia prorſus ſuperflua mihi videtur hæc particula; nam ſi functio principalis cerebri ſupponitur læſa, iam ſtatim & caput affectum declaratur, ſiue modò ex vſu, ſiue citra vſum fuerit.

E Sed ne plus temporis conteramus, dicimus ex Galeno maniam eſſe rectricis virtutis; nempe imaginationis, & rationis prauum motum,ſeu ſymptoma in genere actionis vtriuſq; facultatis deprauatè ab intemperie cerebri calida, vel ſine materia, vel cum materia.

Vnde Gal. 2. de cauſis ſymptom. dicebat omnia deliria eſſe rectricis facultatis motus deprauatos, contractos vel ex vitioſis ſuccis, vel aliqua intemperie eorum, quæ ſunt in cerebro: hinc quoque

que apparet ex Galeno diminutam eſſe Capiuaccij definitionem, dum dicit fieri ab affectione ignea.

Neſcio, an meliorem optare poſſitis, & clariorem huius affectus definitionem. Conuenit primùm cum omnibus delirijs, quod in omnibus rectrices ſint læſæ, atqui differt à melancholiæ prædictis ſpeciebus, quod in illis ſola imaginatio, vt plurimum eſt læſa, in hac verò, & imaginatio, ac ratiocinatio.

Differt etiam à phrenitide; in qua licet vtraq; hegemonica ſit læſa, præter tamen intemperiem adeſt inflammatio, in mania verò ſola intemperies eſt, vel cum, vel ſine materia, & hinc eſt, quod ſine febre ſemper reperitur; phrenitis verò febrem, vt diximus, ſemper adiunctam habet.

## DE CAVSIS MANIAE.

Ex hac definitione non modò habetis affectionem, partemque affectam, ſed & cauſam, nempe intemperiem calidam, non tamen igneam, ſed intenſam quidem: vnde dicebat Galenus 6. aph. 22. multos correptos fuiſſe mania, quæ ab excandeſcentia, aut ira, vel mœſtitia initium ſumpſerat, ſed cum diſpoſitione, vel habilitate corporis ad hanc affectionem recipiendam; corpora enim, quæ bilioſa ſunt per aduſtionem, extenuata, & quæ iecur, atq; cor impensè calidum habent, maximè apta ſunt huic affectioni; obeſa verò, atque craſſa minimè.

Concludamus igitur hanc maniam poſſe à ſola intemperie fieri, ſed raró contingere: & quamuis ab intemperie prouenia, quia in talibus corporibus humores aduri ſolent, accidit tandem intemperiem hanc foueri, ac conſeruari ab hiſce humoribus aduſtis. Meritò igitur dicimus fieri ab intemperie calida ſine materia, & cum materia: quamobrem in hac affectione cerebrum patitur; vt eſt membrum ſimilare, non autem vt

A organicum; in phrenitide autem patitur vt organicum.

Cauſa igitur immediata, & proxima, Gal. authore 3. aph. 22. eſt humor bilioſus aduſtus, & in melancholiam conuerſus, quod idem Galenus repetere viſus eſt 3. de loc. aff. 7. vbi facit differentiam inter cauſam melancholiæ, & maniæ; inquit enim ferina deliramenta fieri à ſucco atræ bilis, qui à præaſſata

B flaua bile naſcitur.

Verùm cùm duplex ſit mania, lupina, & canina; lupina magis videtur fieri ex melancholiæ aduſtione; altera verò magis ex atræ bilis ſpecie, quæ fit ab aduſtione bilioſi humoris; poteſt tamen fieri ex ſanguine feruido, non quidem, vt nonnulli arbitrati ſunt, ſua copia cerebrum offendente, quemadmodum in ebrietatibus contingere conſueuit, ſed

C feruore, ac ſua caliditate fieri exiſtimamus, vt Gal. 5. aph. 40. ait: & licet 6. aph. & 3. de loc. aff. idem Galenus ſcribat fieri ſemper ab humore acri, & mordaci; non tamen ab eodem negatur à ſanguine feruido, & quaſi corrupto, & putrefacto produci poſſe maniam.

An modò ex pituitoſis humoribus fiat? Rariſſimè hic humor aduritur, hinc etiam eſt, vt rariſſimè contingat ab hu-

D iuſmodi fieri humore.

Cauſa igitur immediata, & coniuncta eſt ſuccus atrabilarius, vel ex bile, vel melancholia aduſta factus, vel ex nimio feruore ſanguinis in cerebri corpore exiſtentis. Cauſa verò antecedens ſunt prædicti humores parati, vt ad caput ferantur.

Huiuſmodi humor generatur in hepate nimium calefacto: poteſt etiam ex

E cibis nimis calidis fieri, & ex mala victus ratione, vt ab aere, & alijs, de quibus alibi fuſius.

Mania, quamuis eandem partem lędat capitis, ac eandem actionem, ac faciat phrenitis, & melancholia, non tamen videtur poſſe per conſenſum fieri ab alijs partibus, quemadmodum de præ-

prædictis affectionibus à nobis eſt dictum.

Et quamuis ab Hippocrate 5. aph. 40. dictum ſit ſanguinem collectum in mammis maniam ſignificare; id tamen adeo rarum eſt, vt Gal. in com. dixerit ſibi nunquam id accidiſſe. Hipp. autem fortè obſeruauit; eſt tamen de rarò contingentibus.

## DE SIGNIS MANIAE.

SIgna prænuntiatiua futuram maniam ab actionibus læſis Auicenna deſumit, & ſymptomatibus quibuſdam: ab actionibus quidem hegemonicis, quas operationes morales appellat; nec non & à motiuis; vt quando æger cogitat non cogitanda, vel loquitur non loquenda, vel quæ tacenda ſunt, enuntiat, vel agit non agenda, erratque in operationibus motiuis, ſed cum vehementi ira, ac furore, atque agitatione.

Addunt iuniores riſum intempeſtiuum, & ſine cauſa, ex leui occaſione iraſci, atq; ſecum veluti iratum loqui: adhæc addunt capitis debilitatem, grauedinem, tinnitum aurium, immodicas vigilias: oculi præterea incauantur, ſimulq; fixi conſiſtunt.

Addit tamen Auicenna incubum eſſe futuræ maniæ indicium: cum autem ipſum ex ſanguinis, & pituitæ, & melancholiæ vaporibus excitari accidat, ille qui ex vaporibus melancholicis contingit, prenuntiare quidem poteſt maniam, quia indicat humoris melancholici copiam, qui aduri, & tandem maniæ cauſa effici poteſt.

Signa verò, quæ præſentem maniam adeſſe indicant, ſenſus ipſe facilè nobis proponit; primò omnia prędicta ſymptomata augentur, nec non actiones prædictæ ad ſummum deprauationis modum perueniunt, iam homines ſui furoris aliquot indicia manifeſtant, lacerantes propria veſtimenta, per ciuita-
A tem hinc inde vagantur, loca alta ſalientes, homines verberant, præcipitant, pellunt, trucidant, aliquando etiam mordent.

Omnia deniq; faciunt, quæ lupus inſanus, aut rabioſus canis efficeret, ac nihil, quod ad prudentiam faciat, loquuntur, ſed ea proferunt, quæ à ſtultiſſimis, & efferatis belluis, ſi loquerentur, nunquam dici, vel concipi poſ-
B ſent; vt dicendum ſit hominem in hoc ſtatu longè crudeliorem eſſe quauis ferociſſima beſtia.

Signa maniæ à ſanguine prodeuntis petenda ſunt à totius corporis habitu ſanguineo, & carnoſo, nec non à victus ratione pręcedenti, quę ſanguinem colligere potuerit. Deinde & ab ætate iuuenili, ab accidentibus quoq; indaganda eſt hæc maniæ ſpecies; vt ſi
C ſæpe ridet, ſi hilaris, atque frequenter cantet, minuſq; furioſus ſit æger.

Signa maniæ à præaſſata bile ſunt, quia ægrotantes iracundi ſubitò fiunt, temerarij, percuſſores, iniurioſi, ita vt ſibi ipſis non parcant; ſe ipſos enim vulnerant, mordent, & nonnunquam occidunt, alios quoq; qui imprudenter, vel nimium confidenter ipſis occurrunt, aut dicere aliquid volunt, & niſi ligen-
D tur medicos vulnerant, interficiunt, quandoq; conſilijs blandiuntur, trepudiant, obſequium medicis faciunt.

Signa hæc demonſtrant maniam ex aduſta melancholia: primò ſæpe cogitant taciturni, deinde vbi mouentur, ac loqui incipiunt, ſemper vana loquuntur, nec poſſunt refrenari; eorum deliramenta, cùm aliquo metu eſſe viden-
E tur; nunquàm tamen, aut rident, vel blandiuntur, nec amicos, nec parentes agnoſcunt, quemadmodum lupi agreſtes faciunt.

Atqui in cauſis hiſce diſcernendis inſpiciendum eſt totius corporis temperamentum, laborantis habitus, exercitium, ante acta vita, anni tempus, regio, aeris conſtitutio; à quibus conijce-

re

re licet, an ſanguis peccet, an bilis aduſta, vel melancholia.

Vbi verò nullũ adſit ſignum, quod vnum ex prædictis humoribus poſſit demonſtrare, ſitque mania, iam ex pura, & nuda intemperie calida eam fieri certo certius credendum erit.

## DE FVTVRO EVENTV *Maniæ.*

QVod ad euentum huius affectionis attinet, ægrotantes pluribus difficultatibus ſunt impliciti; primò quidem morbus partis excellentiæ ratione difficilis curatu redditur: ſymptomata vehementiſſima ſunt.

Adhæc etiam non raro contingit ægrotantes ſe ipſos interficere, & quamuis ligentur, medicis obſequi nolunt, vt vix medicamentis, ea qua decet ratione, contrectari queant. Experientia quoque obſeruatum eſt nullos, aut raros, vix, & longo tempore, maximaque cum difficultate ſanatos, non tamen tã perfectè, quin denuò morbus recidiuauerit.

Meritò igitur ab Hippocrate d'ctum fuit 6. aph. 53. nullam diſipientiam ſecuram eſſe. Inter tamen prædictas illa quæ cum riſu quidem prodit, eſt minus periculoſa: temeraria autem periculoſiſſima, quæ verò in medio horum conſiſtit, non ita periculoſa eſt.

Prior quidem ab intemperie, vel à ſanguine ortum ducit, qui omnium humorum benigniſſimus eſt; ſecunda ab humore omnium peſſimo, nempe ſucco atrabilario; tertia verò à bile aduſta, quæ non tantæ eſt malignitatis.

Si mania ex menſibus retentis, aut ſuppreſſis hæmorrhoidibus prouenerit, curabilis redditur.

Si conuulſio ſuperueniat maniæ ab aduſta bile genitæ lethaliſſima eſt.

A furore, ſeu mania difficultas inteſtinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio, bonum 7. aph. 5.

A Quo ad difficultatem inteſtinorum, atq; aquam inter cutem, aliqua videtur ratio; nam à capite ad ventrem inferiorem poteſt fieri materiæ eductio per reuulſionem.

Et quamuis ab Hipp. dicatur bonum, intelligatis vos reſpectu maniæ, quia ægrotantes ex mania in hydropem, aut dyſenteriam cadunt, qui etſi morbi ſint difficilis curationis, & praui, minoris ta-
B men detrimenti, quàm ſit mania, cenſentur.

Sed quod mihi maximam facit dubitationem, eſt ἔκστασις, hoc eſt, mentis alienatio; nam cùm ſit mentis alienatio, pars eadem cerebri læditur, ac lædatur in mania; deinde eademmet actio læſa eſt, quare ſequitur, nec deriuationem, nec reuulſionem materiæ fieri poſſe.

C Imò oppoſitum contingere poſſe videtur, cùm maior fiat læſio tum partis affectæ, tum actionis læſæ, tum ἔκστασις ſit vehemens inſania, vt ait Galenus in comm. & 3. epid. & 1. prorret. quæ ſit, vbi admodum aſſata ſit bilis, & imbibita in ſubſtantia cerebri: quare adueniente ecſtaſi, quæ eſt mania furioſa, iam ſignum eſt partem affectam eſſe cerebrum, & ipſius actionem, quæ eſt hege-
D monica, aut rectrix.

Non igitur verum eſt iſtud prognoſticum. Ἔκστασις apud medicos eſt ancipitis ſignificationis. Aliquando enim communiter accipitur pro genere ad maniam, & melancholiam: ſecundò frequentiùs accipitur pro mania ferina: tertiò pro mania à Grecis ὀλιγόχρονος appellata: quartò accipitur pro maxima inſania, quæ excitari conſueuit in per-
E turbatione critica; tunc enim ęgrotantes putant ſe diuos videre, ac dæmones, & mira loquuntur.

Stante hac diuiſoné Hipp. aphor. intelligendus eſt de ecſtaſi illa temporanea, quæ moueri ſolet in perturbatione critica, non de alijs, cum quibus militat ratio obiecta; mania enim ſoluitur per dy-

dy ſenteriam, vel hydropem, materia à capite ad has partes transfuſa.

Dicitur quoq; ſolui per ecſtaſim, non quidem ſimpliciter, ſed ſignificatiue; nam adueniente animæ illa ſumma perturbatione ſignum eſt materiam, a qua mania fiebat, iam eſſe in commotione, quæ deinde per criſim expellatur.

## DE CVRATIONE MANIAE per victus rationem.

Pro curatione huius affectionis reſpicere debet medicus antecedentem, & coniunctam cauſam. Sed primò omne ſuum conſilium, atque operá dirigere debet ad antecedentem, cuius generationem inhiberi eſt opus; nec non ad humoris, qui in corpore, ac venis iam genitus eſt, ne in caput feratur eductionem.

Primæ intentioni ſatisfit per diætam, quæ non modò alimenti delectum reſpiciat, ſed vt medicamentoſam facultatē iunctam habeat: cumq; dictum ſit in cauſis, non ſolùm ex malo victus regimine humorem hunc aduſtum fieri, ſed ab hepate nimium calefacto, ideo ei quod eſt officina humorum, reſpiciendum eſt quàm maximè; atque victus ratio refrigerandi, & humectandi facultate polleat.

Sed notat Auicenna humectationem debere excedere frigiditatem, quod eſt dictu, refrigerationem non debere eſſe tam intenſam, quemadmodum humectatio eſt: hinc eſt, quod in aere eligendo curare oportet, vt ſit humidus quidem, ſed tamen in frigiditate temperatus.

Sed fortè dicet ſtudioſus, ſi materia calida eſt, imo aduſta, cur non debemus impenſè refrigerare? cauſa eſt, quia ex aeris frigiditate magis impingeretur materia, quæ cum aduſta ſit, & in cinerem redacta, debet foras per inſenſibiles halitus euocari, at frigiditas tum poros adſtringit, tum materiam intus re-

A manere cogit.

Qua verò ratione aer in luciditate, & tenebris deſideretur, dictum ſatis fuit cap. de phrenitide, vbi id à virtute, à iuuantibus, & lædentibus deſumendum eſſe diximus, hoc eſt, quando in luce, & quando in tenebris ſunt detinendi ægrotantes.

Inſuper curare oportet, vt domiant, quia ſemper longis vigilijs opprimun-

B tur.

Sed quia nimis ſe mouent, & quia in aſſiſtentes, & amicos manus inferunt, nec ſibi indulgent, ſunt vinculis alligandi, quæ tamen non tam arcta ſint, vt do lorem inferant; ſaltem ad manus, & fœmora non ſunt inutilia, quod reuellere à capite ſunt apta: & hoc eſt, quod dicebar Auicenna 1.3.tr.4.cap. 17. illis verbis, & ſtringantur coxæ, & crura,

C eius ſemper, vt aſſiduè vapor ad inferiora trahatur.

Circa animi affectiones non omnes eadem ratione tractandi ſunt, vt dicebam cap. de melancholia; aliquos enim blandiri debemus; aliqui ſunt obiurgandi; aliquibus (vt dicit Celſus lib.3.18.) diſcutiendæ ſunt prauæ cogitationes: ad quod agendum tympana, cantus, & muſicæ ſunt optima; cæteraq; blandi-

D menta, quæ ab amicis, quorum ægri delectentur conſuetudine, fiant.

Sæpiùs aſſentiendum, & ferè nunquam diſſentiendum, quia ſtatim ad iram promouentur, indeq; omnia rationis expertia dicunt, & faciunt; aliquorum audacia coercenda, nonnunquam vapulationibus, verberibus, quandoque etiam plagis; quorundam nimius riſus intempeſtiuus obiurgatione, & minis

E etiam prohibendus eſt.

Eſt tamen vobis notandum, quod aliquando maniaci iſti videntur mites, & potiſſimum quando vinculis ſunt adſtricti; vel vt inquit Auicenna in cap. ia ſunt poſiti, qui vt auferantur à vinculis, ſe ſanos eſſe fingunt, loquiique coguntur prudenter, & miſerabiliter, quoniam do-

doloſè agunt; & ego vidi aliquos ad arma impetuoſe cucurriſſe, quemadmodum ſi validiſſimi eſſent: ne igitur violentiam inferant, vinculis ſunt adſtrigendi, neque ſoluendi, niſi prorſus fuerint ſanati.

A

Aluus lubrica clyſteribus, vel ſuppoſitorijs teneatur, de quibus ſatis cap.de phrenitide, & melancholia diximus: ſed quia in hoc caſu difficulter talia præſidia adminiſtrantur, ideo decipiendi ſunt, immiſcendo cibis, vel ſenam, vel polypodium, vel quid ſimile.

B

Quod ad cibum,& potum attinet, victus ratio humectans eſſe debet,ac refrigerans; proinde ſit cremor ptiſanæ iure aliquo optimæ carnis diſſolutus, in quo aliqua ſimplicia ebullierint, & in ſumma eadem viuendi regula ſeruanda eſt, quam in prædictis capit. attulimus.

C

A vino prorſus abſtinendum, ſiquidem aptum eſt furioſos efficere homines: ab omni præterea potione dulci, in qua mel, vel ſaccharum ingrediatur,cauendum eſt.

Optima eſt aqua hordei, vel aqua cum ſyrupo granatorum, de prunis, de pomis: vel aqua per elambicum à pomis extracta.

D

### DE CVRATIONE MANIAE per Pharmaciam.

QVod ad pharmaciã ſpectat, modò educenda eſt materia, modò antequam educatur, eſt præparanda: cauendum tamen eſt in vniuerſum à calefacientibus medicamentis.

Tunc primùm cogimur purgare; quando materia eſt tenuis, & fertur velociter in caput, vt eſt bilis, quæ aduritur, vt igitur deorſum per ſeceſſum reuellatur,medicamento eſt opus, ideo in hoc caſu mihi arridet hoc,

E

℞. Myrobal. citrin. drach. x. vel xij.
Infunde in vnc. viij. ſeri caprini, deinde decoque, coletur, & facta forti expreſſ. exhibeatur ægrotanti.

Vel

℞. Prunorum damaſc. num.x.
Corticis myrob.citr.vnc.j.ſſ.
Infunde in lib. ſeri caprini diſtillati. Deinde coquatur, coletur, & detur potui.

Vel

℞. Seri prædicti, vnc. iiij. infunde
Senæ orient. vnc. ſſ.
Rhab. drach. j. ſſ.
Facta forti expreſſione diſſolue,
Syr. roſ. ſol. rec. vnc. vj.
Fiat potio,& offeratur.

Sub forma boli.

℞. Diacathol.drach.vj.
Elect. roſ. Meſ. drach. ij. ſſ.
Rhabarbari, drach. j.
Cum ſacchari quantitate ſufficienti fiat bolus.

Pilulæ.

℞. Pil. ſine quibus,
De rhabarb. ana drach. j.
De nitro, ſcrup. ij.
Cum cathart. roſ. fiant pilulæ num. vij. & aurentur.

Quando verò humor eſt melancholicus ex aduſtione melancholiæ, adſunt ſyrupi, & alia, quæ alterare ipſum ſunt apta, de quibus abundè diximus capite de melancholia: dictum quoq; fuit humorem hunc ſenſim, non affatim educendum, quod ſit craſſus, & difficilis alterationis, atq; eductionis.

Pro præparanda materia.

℞. Syr. de epithymo,
De polypodio, ana vnc. j.
℞. Aquæ borraginis,
Fumariæ, vnc. ij.

Pro melancholia aduſta expurganda.

℞. Seri diſtillati, lib. j.
Cort. myrob. ind.
Citrinorum, ana drach. j.
Fol. ſenæ orientalis, drach. ij.
Epithymi ſubt. pul. drach. ſſ.
Infunde per totam noctem, parum bulliant, coletur, & in colatura diſſolue
Diaſenæ,vnc.j.
Et detur ægrotanti.

Inter cætera medicamenta propono vobis vnum,quod expertus ſum,& probaui pluries.
℞. Florum borrag.
Violarum, ana manip. ſſ.
Foliorum borrag.
Fumariæ,
Epithymi, ana manip.j.
Rad. polypodijs,
Cichorij, ana vnc. ſſ.
Sem. melonum,
Cucumeris,
Scariolæ, ana drach. ſſ.
Prunorum, num. x.
Decoque ſecundùm artem, &
℞. huius decocti, vnc. iij.infunde
Salis gemmæ, ſcrup. ſſ.
Follic. ſenæ mund. vnc.ſſ.
Deinde coletur:cum colato,ſi vis facere eradicatiuam euacuationem, diſſolue
Confect. hamech. vnc. ſſ.
Syr. de polypodio, vnc. j. ſſ.
Miſce, & fiat potio.
Si vis ſenſim educere.
℞. Diaſenæ, drach. ij.
Syr. domini Auguſtini, vnc.j.
Miſce, & fiat potio.
Sed quia morbus hic non cedit vni, nec alteri purgationi, pluries opus eſt repetere pharmacum prædictum.
Vel ſub forma boli.
℞. Diapruni ſol. vnc. j.
Conf. hamech. vnc. ſſ.
Cum ſaccharo quantitate ſufficienti, fiat bolus.
Vel ſub forma pilulari.
℞. Pil. de lapide lazuli,
Sine quibus, ana drach. j.
Diagridij, gr.v. cum
Syr. de pomis fiant pilulæ num. vij. & aureentur.
Poſt iteratam purgationem ad remittendam iecoris intemperiem lac aſininum exhibeatur per menſem, vel ſerum caprillum, in quo epithymum, vel fumaria infundatur, vt
℞. Seri caprilli, lib. ſſ.

A Succi fumariæ, vnc. iij.
Miſce.
Quod exhibeas per quadraginta dies ſingulo mane, quo non præſtantius reperiri in hoc affectu poteſt. Simul vtendum eſt antidotis quibuſdam, inter quæ eſt lætificans Raſis ad drach. j.ſſ. ſingulo manè exhibitum ante prædictum ſerum.
Eſt diamargariton frigidum ad drach.
B j. ſunt etiam & tabellæ quædam, quæ cor confortant, vt
℞. Spec. diamarg. drach. ij.
Serici pulueriżati,
Spec. diatrag. ana drach. ſſ.
Confer. roſ.
Bugloſſ. ana drach. j.
Cum ſaccharo diſſol. in aqua roſ. & bugl. fiat conf. in tabellis.
Amatus Luſitanus cent. 2. cur. 57. C probat ſequens.
℞. Conſ. borrag.
Bugloſſi,
Viol. ana vnc. j.
Florum nenuph. vnc. ij.
Pulueris ſenæ, vnc. ſſ. cum
Syr. de pomis quantitate ſufficienti, fiat cond. add. fol. auri num. ij.
Et hæc eſt via curationis maniæ à bile, & à melancholia aduſta productæ.

D

## DE CVRATIONE MANIAE *à ſanguine excitatæ per chirurgiam, & localia medicamenta.*

At ſi mania fiat à ſanguine eadem ratione procedendum eſt, ſicuti in curatione phrenitidis dictum fuit, magiſq; per chirurgiam agendum, quia ſanguis indicat euacuationem, & E potiſſimùm vbi copioſus fuerit, per ſanguinis miſſionem: qui etſi non habeat rationem cauſæ primariæ, cum ſcilicet coniungitur cum bile, vel melancholia aduſta, dummodo vires validę ſint, deueniendum tamen eſt ad eiuſdem miſſionem ex brachij vena cephalica; aliquando ex ſaphena, vbi menſes,aut hæmor-

morrhoides ſupprimantur.

Ex venis ſaluatellis nonnunquam, à vena frontis, quandoq; ſub lingua, ſæpe ad narium venas, pro diuerſa ſcilicet intentione, detrahendus eſt ſanguis, vel euacuandi, vel reuellendi, vel deriuandi cauſa, quemadmodum ſæpè à nobis eſt declaratum, vt pudeat me eandem canere cantilenam.

Cucurbitæ eadem ratione, & ijſdem intentionibus in hac affectione ſunt applicandæ, quemadmodum quoq; pluries audiuiſtis: hac via, atq; medendi methodo aduerſus cauſam antecedentem agendum eſt, ſiue hæc in capite fuerit, ſed non dum impacta; ſiue extra caput, ſed parata, vt ibi feratur.

Venio ad cauſam coniunctam, quæ eſt humor in capite contentus per aduſtionem incineratus, atq; impactus, partim verò nondum impactus, ſed ſaltem paratus, vt adhæreat. Vbi adhuc in venis eſt, aut extra, ſed non dum impactus, per deriuationem è capite educitur, vel per ſanguinis miſſionem, vt diximus, aut per cucurbitas.

Reuocate ad memoriam me vobis oſtendiſſe, quantum iuuare poſſint hirudines appoſitæ ád venas internas narium ob communionem, quam habent cum tertio ſinu in dura membrana exculpto.

Cucurbitæ quoq; ad ceruicis baſim poſitæ mirificè proficiunt.

At vbi extra vaſa fuerit, non tamen impactus, per ſenſibilem viam educi poterit, nempe per cauterium affixum tã ceruici inter primam, & ſecundam vertebram, quàm in coalitu futurarum coronalis, & ſagittalis ad ſinciput.

At vbi materia in membranis, & corpori cerebri impacta fuerit, alia ratione agendum venit. Adeſt materia aduſta, calida, atq; ſicca, ſimulq; & intemperies eiuſdem generis. Quare intemperiei eſt ſatisfaciendum, vt omnes ſcriptores docent.

Sed mihi videtur opus eſſe etiam educere materiam, quæ intus eſt, per inſenſibiles halitus, ideo humectantibus, & refrigerantibus topicis agendum eſt, ac etiam & calidis medicamentis, quę duplici ratione hiſce admiſcenda eſſe cenſeo.

Primò, vt ſatisfaciamus Galeno dicenti, quod vbi medicamenta parti applicantur, quæ intus penetrare oportet, addendum ſemper aliquod, quod tenuium ſit partium, viamq; cæteris præbeat medicamentis.

Secundò, quia opus eſt abſumere, atq; in vaporem materiam redigere, extraq; educere, quæ fieri nequeunt, niſi per medicamenta calida: hæc autem ſunt ſub varijs præſidiorum formis, vt frequentiſſimè audiuiſtis.

Inter alia ab Auicenna laudantur embrocationes quinquies in die repetitę, quæ fiant ex pedibus, atque capitibus veruecum in aqua ebullitorum ad perfectam vſque coctionem, cum quibus quoq; aliqua ſimplicia ebullierint, vt

℞. Flor. nenuph. ideſt nymphææ,
Violarum, ana pug. j.
Fol. lactucæ,
Semperuiui,
Solani, ana m. j.
Flor. chamæmeli,
Origani, ana pug. ſſ.
Floris roſmarini, manip. j.
Feruefiant, vt ſupra.

In quibus origanum habet rationem vehiculi, reliqua habent rationem baſis.

Auicenna quoq; laudat lactis irrigationem ſupra caput: ego infunderem in lacte epithymum cum modico ſerpylli, vt intus virtus lactis ferri poſſit, necnon materia aliquo modo attenuari.

Sicuti quoq; balneum, & irrigatio aquæ dulcis probatur, non ſolùm in capite, ſed per vniuerſum corpus per tres horas ante prandium, in quo balneo ſimplicia ebulliant, vt prædictis intentionibus ſatisfiat, qualia ſunt.

Bugloſſum,

Malua,
Folia ſalicis,
Chamæmelum,
Melilotum,
Sampſucus, &
Saluia,

Poſt balneum iubebis ægrotantem lectum ingredi,atq; frictionibus quibuſdam eius vniuerſum corpus fricari.

Caput præterea vngi cum oleo chamæmelino, ſeminum lini, roſaceo, & amygdalarum dulcium cum modico nitri exiſtimarem non eſſe præter rationẽ; ſperare enim poſſumus remitti calidam intemperiem, & humorem calidum per cutem tranſpirare.

Tamen cordi valdè proſpiciendum eſt,ideo applicate huiuſmodi epithema, quod

℞. Pul. diamarg. frigidi,
Corall. rubeorum,ana drach.ij.
Aquarum roſarum,vnc.vij.
Bugloſſi, vnc. v.
Nimphææ, vnc.iij.
Moſchi,
Ambræ, ana gr. iij.

A Aceti, vnc. j.
Croci,
Camphoræ, ana ſcrup. ſſ.
Miſce pro epithemate.

Quod bis, & ter in die repetendum venit.

Cordi quoq; ſuccurrendum eſt medicamentis internis. Vnde Amatus Luſit.cent.2.cur 64. pro ſuo maniaco vtebatur hoc condito,quod

B ℞. Conſer. bugloſſi,
Borrag. ana vnc. j.
Florum aurant.vnc. ij.
Fragment. pretioſ. drach. j.
Margaritarum,
Corall.rub.præpar. ana ſcrup. j.cum
Syr. de pomis quantitate ſufficienti fiat conditum, adde
Fol. auri num. ij.

De quo ad placitum accipiat:deinde
C potionem ſequentis aquæ deguſtet.

℞. Aquæ borraginis,
Bugloſſi,
Meliſſæ, ana lib. ſſ.

Et hæc ſatis dicta ſint pro curatione maniæ.

# DE MEMORIA DEPERDITA.

## CAPVT VNDECIMVM.

HEgemonicas cerebri actiones, aut (vt nos dicimus) rectrices ex Galeni doctrina tres eſſe audiuiſtis, imaginatricem nimirum, ratiocinatricem, atque memoratricem: & hucuſque circa affectus præternaturam duarum priorum verſati ſumus, ſatiſq; luculenter oſtendimus, quando eorum actio diminutè, quando deprauatè, & quando abolitè reperitur læſa.

In lethargo imaginationem diminutam eſſe diximus, abolitam rationem: è contra in cathoco rationem diminutam, imaginationem verò abolitam: in cataphora, ſeu comite vigili, atque in melancholia deprauatam ſemper ima-
E ginationem; ratiocinationem frequenter. Tandem vtramq; abolitam audiuiſtis in caro, apoplexia, atq; epilepſia.

Quarum facultatum læſiones, quantum humanæ nature detrimenti afferãt, credo vobis manifeſtum eſſe, eò quòd hominem beluis non modò ſimilem reddant,ſed etiam tanquam mortuum,atq; ina-

inanimem, & ſine vita ipſum in terram iacentem relinquant.

Quæ prædictæ facultates, etſi ſanæ ſint, atque incolumes, memoria verò deperdita, vel læſa, quamuis eſſe homines non mutent, nihilominus eius actiones ita conturbant, vt ipſius commoditatibus omninò obſtent; nam cum memoria ſit omnium ſpecierum veluti theſaurus quidam, ac rerum, verborumque ab anima perceptorum promptuarium quoddam, ſi hominem ea priuatum cogitemus, omnes ſcientiæ, & artes ruent, hominemque caudici, vel ſtirpi ſimilem fieri exiſtimabimus.

Fuit hæc animæ potentia à Deo nobis data aduerſus ignorantiam, & obliuionem, tanquam præſidium, & remediũ ſingulare. Facultatis autem memoratricis duo ſunt actus, vnus, qui memoria dicitur, alter reminiſcentia. Memoria ex Ariſtotele eſt rei antea cognitæ, vt cognita eſt, repoſitio; recipit enim ſimulachra rerum, ipſaque in ſe retinet.

Reminiſcentia verò eſt veluti progreſſio, qua potentia memorandi ex aliquo, vel aliquibus comprehenſis venit in cognitionem eius, quod nec memoriæ occurrebat, nec à memoria penitùs exciderat, & eſt veluti quidam diſcurſus.

Conſtat autẽ reminiſcentia ex tribus actibus, videlicet memoria alicuius, vel aliquorum: inueſtigatione, aut diſcurſu ex ijs ad id, quod quæritur: & inuentione eius, quod partim exciderat, non tamen penitus euanuerat.

Et licet memoriam aliqua animalia bruta habeant; reminiſcentia tamen eſt ſolius hominis, ex Ariſtotele lib. de memoria, & remin. cap. 2. & 3.

Cùm igitur huius facultatis operatio tanti momenti ſit, atq; neceſſaria ad vitam humanam cum dignitate tranſigendam, medicus omnem operam dare debet, vt eam incolumem, ſi talem repererit ſeruet, at vbi læſam inuenerit ab infirmitate vindicet.

A Quare præſtat ad omnium hegemonicarum læſionem notitiam, & curationem habendam, vt ipſius vitia in præſenti venemur, ac doceamus, modumque aperiamus, quo ab ipſa expelli queant.

Memoratiuæ facultatis operatio, non ſecus atq; aliarum facultatum functiones, tribus modis lædi poteſt, diminutè

B videlicet, abolitè, atq; deprauatè.

Primo modo læditur, quando iam debilitatur, ita vt eorum, quæ præterita ſunt, exactè non recordetur, aut minus quàm homini ex vſu ſit.

Vel quando vix, & longo tempore, non quidem omnium rerum, ſed paucarum dumtaxat reminiſcitur, quemadmodum de illo Oratore, qui cum aliquando in concione tria propoſuiſſet,

C vel quartum addebat, vel tertium quærebat; idque non niſi maxima cum difficultate inuenire poterat.

Læditur ſecundò abolitè, vt 2. de cauſ. ſympt. 7. & lib. de diff. ſympt. cap. 3. à. Gal. ſcriptum eſt, ita vt homo nihil eorum, quæ præterierunt, ad memoriam habeat, nec eorum recordetur, quemadmodum ſi nunquam vidiſſet, vel præterita ſciuiſſet.

D Idq; fortè vel à natali die euenire poteſt, vel ob aliquam grauem infirmitatem, quemadmodum apud Thucididem eueniſſe legitur in grauiſſima illa peſtilentia, quæ Athenis vagata eſt, in qua obſeruatum eſt aliquos, qui illam euaſerunt, ita memoria læſos fuiſſe, vt ne proprij nominis recordarentur.

Dixi hanc peſtem vagatam fuiſſe Athenis, quia quam primùm ex Aethi-

E opia, quæ eſt ſupra Aegyptum delata fuiſſet inter Græcos, cœpit primùm obſidere Athenienſes, vt apud Thucididẽ apparet lib. 2. de bello Peloponeſiacon. Sed hæc licet ſint alterius conſiderationis, ea tamen in medium adducere volui, vt vnusquiſq; veſtrum locum legere poſſet, ex quo comperietis aliquos

à peſte

à peſte memoriam non modò omnium rerum deperdiſſe, ſed etiam proprij eiuſdem nominis, atque rerum neceſſariarum.

Læditur tertiò memoria deprauatè, quando homo repetit res prætéritas, ſed alio modo, loco, & tempore, quàm ſucceſſerint; vt videatur omnia confundere, ac peruertere.

Quæ res cum ita ſit, iam memoria tribus modis lædi poſſe videtur, ſed quoniam ab vna, & eadem cauſa tres affectiones ſecundùm magis, & minus lædente ortum ducant, hinc eſt, quod authores omnes ſub nomine vnius læſionis comprehenderunt, nempe ſub λήθη, hoc eſt ſub obliuione, vt tandem obliuionis nomine omnes ipſius comprehenderint affectiones; non enim tanta intercedit differentia inter prædictas affectiones, vt ſpecie differre poſſint, quemadmodum diximus in imaginatione, & ratiocinatione, quarum affectiones, cauſarum ratione inter ſe diſcrepãt.

Nos igitur de memoriæ læſionibus ſermonem habentes ſub vnico nomine omnes amplectemur, nempe ſub obliuione, vel deperdita memoria, de qua quidem definitiuè agendum venit.

Adeo clara eſt huius affectionis definitio, vt neminem latere poſſit, quam ſi quis habere cupit, legat Gal. 3. de loc. aff. cap. 5. vbi comperiet, quod ſit ſymptoma in genere actionis memoratricis læſæ.

Omninò (vt audiuiſtis) actio læſa reducitur ſemper ad abolitionem, ſed ſecundùm magis & minus: nunc ſermo noſter non eſt de memoria deperdita à natiuitate, vel ratione ætatis, ſed de morboſa tantùm loquimur.

## DE CAVSIS MEMORIAE *deperditæ.*

CVm autem memoria ſit cerebri actio, cerebrum lędi hic neceſſe eſt, præcipuè in parte poſteriori, quod,

A vt Gal. author eſt, læditur vt membrum ſimilare, nempe ab intemperie ſimplici, aut compoſita, vel cum materia, vel ſine materia.

Vnde Auicenna 1. 3. tr. 4. cap. 12. dicebat, quod cauſa apud Galenũ erat frigiditas pura, vel cum ſiccitate, hinc eſt, quod non imprimitur in ipſa ſimile; vel cum humiditate, & non ſeruat, quod in ea impreſſum eſt.

B Cauſa, vt vno amplectar verbo, eſt intemperies frigida, vel quæ humiditatem, vel ſiccitatem adiunctam habeat, quæ inducta ſit in cerebrum per ſe, vel cum copia humoris pituitoſi, aut humoris melancholici, qui & fęx ſanguinis appellatur.

Antecedens verò eſt humor pituitoſus, vel melancholicus paratus, vt in caput, vel cerebrum feratur; quæ cauſæ
C à primitiuis, hoc eſt, ab exterioribus cauſis ortum duxerunt: ab aeris frigida, & humida, vel frigida, & ſicca imtemperies ab appoſitione, & aſſumptione medicamentorum narcoticorum; à cibis humores frigidos generare aptis; à nimia crapula; ab intempeſtiuis repletionibus; à frequenti ebrietate, & huiuſmodi alijs erroribus circa victus modum contingentibus.

D A cauſis etiam non neceſſariò euenientibus, vt à læſione capitis ſiue à vulnere, vel ab alio ictu, quemadmodũ cõtigiſſe ſcribitur Meſſalæ Coruino oratori, qui lapide capite percuſſus memoriam amiſit: & ego plures ex inſignibus capitis vulneribus memoriam deperdiſſe obſeruaui.

E
## DE SIGNIS MEMORIAE *deperditæ.*

SIgna memoriæ deperditæ tam clara ſunt, vt etiam imperito cuiuis pateant; nam manifeſta ex ægrotantis ſermone fiunt, ſi quidem vbi videtis ipſum inſulſè loqui, nec quidquam de præteritis ad rationem attinentibus loqui,

qui,

qui, vel præteritorum nihil recor- dari: vel alio tempore, aut loco præterita fuiſſe dicit, iam habetis non modò memoriæ læſionem, ſed vel magis, vel minus læſam eſſe deprehendere poteritis.

Signa verò cauſarum à præteritis, & præſentibus, à totius corporis habitu, ab exercitio, anni tempore, & huiuſmodi habentur: ſi frigida ſit intempe ries, tunc aliquid ex ſymptomatibus à nobis allatis comperietur, quæ à frigiditate oriri diximus, vt eſt ſtupor, ſeu torpor, vertigo, & huiuſmodi: vel audietis ipſum ægrotantem aeri frigido ca pite detecto ſe expoſuiſſe, atque in eo nimis commoratum fuiſſe.

Sin cum frigiditate adſit humiditas innoteſcere poterit per ſymptomata humiditatem demóſtrantia, ac frigiditatem, vt eſt ignauia quædam, ſomnus profundus, victus ratio præterita, quæ potuit multos humores frigidos, & humidos generare.

Tunc enim vbi caput nimis, & cerebrum humectatum fuerit, contingit id, quod ſupra Auicenna tetigit, nempe quod ſpecies ob nimiam humiditatem ſtatim recipiuntur, ſed ſtatim quoque euaneſcunt, non aliter atq; aquæ euenit; quæ licet formam obiecti recipiat, ſtatim eo ablato, & ſpecies quoque ruit.

Signa autem, quæ à ſiccitate prouenire demoſtrant memoriam deperditã, pulchrè à Galeno 3. de loc. aff. cap. 5. declarantur, nempe à victus ratione, & exercitio; nam obſeruauit quendam, qui ob labores in ſtudijs, atque vigilias memoriam penè amiſerat, quemadmodum, & ruſticum, qui ob laborem, quẽ ſubierat in vitibus colendis, & tenuis victus rationem, in memoriam quaſi deperditam inciderat.

Ex quibus habemus, quod ad ſiccitatem cerebri explorandam confert conſuetudinem, atque exercitium inſpicere, quemadmodum etiam & victus ra-

A tionem, totiuſq; corporis habitum; nam quæ melancholiam generant, ſiccitatem indùcunt, & eo magis vbi corporis habitus fuerit melancholicus.

Hæc igitur ſunt, circa quæ diſcurrere debetis, vt cauſarum notionem habere poſſitis, ſi addideritis vigiliam eſſe ſignum ſiccitatis; ſiccitas enim eſt contraria humiditati, ſicut etiam humiditas nimia eſt cauſa, vt ſpecies rece-
B ptæ ſtatim fluant; ita è contra nimia ſiccitas cauſa eſt, vt ſpecies recipi nequeant.

Vnde Auicenna loquens de ſignis ſiccitatis dicebat: ſeruat res præteritas, & non poteſt ſeruare eas momentaneas illius horæ.

De humiditate verò ſic loquitur, & forſan ſeruat ea, quæ ſunt illius horæ, &
C momentaneo ſpatio maiore, quàm præterita, ita vt ſignum ſiccitatis videatur eſſe, quod eorum, quæ ipſis narratur ægrotis, etiam ſi per horam audierint, non recordantur; tamen longè præteritorum recordantur, quod in ſenibus obſeruatur.

E contra verò multæ humiditatis indicium eſt, ſi de præteritis nulla habeatur memoria, eorum verò, quæ dicuntur, quando dicta ſunt, teneatur me-
D moria per aliquod perbreue temporis ſpacium.

## PROPONITVR QVAESITVM, & ſoluitur.

Hoc loci inquiſitione dignum eſt, an à frigiditate fieri poſſit obliuio? Prima facie videtur quod non, proinde Gal. lib. 3. de locis aff. cap. 4. & c.
E 11. Auicenna fen. 1. lib. 3. tr. 4. cap. 14. necnon Ariſt. lib. de memoria, & reminiſcentia, & de nat. animal. non rectè ſcribunt à frigiditate fieri memoriam deperditam.

Primò enim adeſt Auerrois authoritas in libello dè memoria, & reminiſcentia, deinde Auicennæ de natur. animal.

&

& quod magis eſt Gal.art.par.lib.2. qui omnes apertè dicunt ſignum humiditatis cerebri eſſe obliuionem: quare ſequitur eam non frigiditatis,ſed humiditatis effectum eſſe.

Deinde hiſce authoritatibus ſuffragari videtur hæc ratio; nam illud, quod non eſt contrarium illi qualitati, per quam memoria agit, id non poteſt corrumpere memoratiuam actionem; ſed frigus qualitati, per quam agit memoria, non contrariatur: ergo frigus non poteſt corrumpere memoriam.

Maior huius argumenti clara eſt:minor confirmatur, quia vt Auic. ait, humiditas eſt cauſa receptionis, ſiccitas retentionis: ſed huiuſmodi qualitates non ſunt contrariæ frigiditati: ergo ſequitur, quod frigiditas non poteſt eſſe cauſa corruptionis memoriæ,quia actio memoriæ conſiſtit in receptione, & retentione.

Hanc quæſtionem ſoluit Gentilis ſupra textum Auicennæ, afferens diuiſionem de cauſa immediata, & mediata, quod ſcilicet humiditas ſit cauſa immediata, frigiditas verò mediata, quam ſatis reprobat doctiſſimus Mercurialis lib.1. de aff. cap. & partibus huic annexis cap. 18. vbi ſcribit hanc reſponſionem non valere.

Primò,quia Hippocrates,&Galenus, vbi loquuntur de cauſis ablatæ memoriæ, mentionem tantùm habent frigiditatis, non humiditatis.

Deinde inter qualitates elementorũ humiditas eſt omnium minimè actiua: hoc igitur ſi verum eſt,non poſſumus dicere humiditatem abolere memoriam; quare nec humiditas poteſt dici deſtructiua ipſius memoriæ: non igitur ab humiditate tamquam à cauſa immediatè ſit memoria deperdita.

Sed dicendum eſt vtramq; intemperiem tam frigidam, quàm humidam, eſſe cauſam deperditionis memoriæ,ſed alia,& alia ratione;frigiditas calidum, quod eſt inſtrumentum omnium actio-

A num debilitando,& extinguendo;humiditatem verò auferendo ſiccitatem,quæ eſt cauſa retentionis ſpecierum,quæ vbi non retineantur;tunc deperditur memoriæ illa pars, quæ fit per formarum retentionem.

Mercurialis reſpondet duplicem eſſe memoriæ læſionem magnam, & paruã, vel ſolam, aut cum alijs animæ affectionibus coniunctam.

B Si magna ſit læſio memoriæ, atque ſeiuncta à læſione alterius actionis, huiuſmodi,inquit, læſio ſit à frigiditate; ſi præſertim ſola memoria lædatur, ſi verò læſio non ſit magna, ſit tũ ab humida intemperie,ſiue ſit ſola memoria leſa,ſiue ſimul aliæ lædantur mentis actiones.

Sed huiuſmodi reſponſio non videtur difficultatem tollere; nam immenſa frigiditas poteſt ſimul cum memoria lędere alias actiones abolitè, vt in lethar-

C go dictum eſt;nam ſi à magna frigiditate fiat magna obliuio, facilè etiam fiet, vt aboleantur & aliæ actiones, aut ſaltem diminuantur, quare à frigiditate ſecundùm magis, & minus in calidũ innatum agente fiet etiam ſecundùm magis, & minus in memoria læſio.

Succedit, quod cum actio memoriæ fiat recipiendo, & retinendo ſpecies, &

D rerum ſimulachra, vbi augetur humiditas, tunc retentio ſpecierum non ſit,ſed tantùm receptio, atq; læditur ſola memoria non ſimpliciter, ſed ex vna tantùm illius parte.

Aliam equidem affero ſolutionem quæſito, quam veram eſſe exiſtimo, & huic nititur principio.

Omnes noſtri corporis partes ſuas moliuntur actiones mediantibus facul-

E tate, calido innato, temperie,& propria conſtitutione. Facultas mouet calidum, calidum temperiem, hæc verò conſtitutionem.

Cum verò calidum ſit præcipuum inſtrumentum omnium actionum, vbi lædatur,neceſſe eſt quoq; & actionem lædi, quia inſtrumentum deficit: ſed frigidi-

giditas calidum extinguit, vel ſaltem labefactat, hinc neceſſariò requiritur, vt aboleatur, vel diminuatur, aut vitietur memoria pro maiori, & minori frigiditatis actione.

Nam actus ipſius memorationis reuocare eſt eas ſpecies, quæ ab imaginatione, & ratione iam fabrefactæ fuerant, & ab ipſis lapſæ; ita vt fit via quædem ab anima ad res ipſas, ſeu recurſus quidam.

Hæc autem via motus eſt quidam, qui fieri nequit, niſi à cerebri ſubſtantia mediante proprio temperamento, & calido innato, quod vitiatur, & pro vitij diuerſitate varia fit in memoria læſio: & hoc eſt, quod Gal. docet, quando habet ex frigiditate fieri in memoria magnas læſiones.

At quoniam in hac reuocatione opus eſt, vt recipiantur ſpecies, & retineantur, hinc eſt, quod humiditas, & ſiccitas opem ferunt memorationi.

Nec mea quidem ſententia audiendus eſt Turianus, pluſquam Commentator appellatus, lib. 2. artis paruæ cóm. 17. dicens memoriæ actum conſiſtere in ſpecierum deperditarum ab imaginatione, & ratiocinio reuocatione ſola, quaſi eius operatio ſit reformatio quædam iterati aſpectus, quem habuerat ſenſus, & phantaſia in præterito.

Quod dictum certè ſi ſimpliciter, vt tale conſideretur, eſt falſum, quia ſpecies illius aſpectus, qui reuocatur à memoria, non poteſt conſiderari ab intellectu, atq; imaginatione, niſi præſens ſit: atqui cum extrà intellectum non ſit, nec poſſit amplius ſenſibus offerri, quia non eſt præſens, ſed præteritum, vt recipiatur primùm, deinde vt conſeruetur, neceſſe eſt in aliquo loco. Cum autem humiditas faciat ad receptionem, ſiccitas ad retentionem, hinc etiam eſt, quod læſa humiditate, atq; ſiccitate læditur etiam memoria.

Quare cum temperies, & calidum cerebri innatum, humiditaſq; atq; ſiccitas

A temperata requirantur ad memoriam faciendam, contingit à frigiditate, nec non intemperie ſiue ſicca, ſiue humida lædi memoriam alia, & alia ratione.

A frigiditate quidem, quia deſtruitur illa ſymmetria caloris, qua ad actum reuocandi deducitur, vnde eſt etiam, quod breui tempore memoria labefactatur à frigida intemperie, & vehementer, eo quod ſit maximæ actiuitatis.

B At ab humida intemperie, ſiue cum materia, ſiue ſine, læditur actus retinendi. A ſicca verò intemperie vitiatur actus apprehendendi: hinc quoq; eſt, quod illæ læſiones, quæ ab iſtis qualitatibus proueniunt longiori temporis ſpatio ingruunt, quod longè tardioris ſint operationis, quàm ſit frigiditas.

Ex quibus clarum eſt nullam eſſe contradictionem inter Galeni, & lo-

C ca citata Auicennæ, quia vbi dixerunt à frigiditate lædi memoriam, intellexerunt de actu reuocationis ſpecierum; vbi verò dixerunt lædi ab intemperie ſicca, & humida, loquuti ſunt reſpectu apprehenſionis, & retentionis.

Ex quo quidem diſcurſu facilè quæſtiunculam illam dè medio tollere poteritis, quæ inquirit, an læſa memoria, lædatur ratio, & imaginatio? Nam o-

D pus eſt, vt conſideretis frigiditatem, quę vel eſt intenſa, vel minus intenſa.

Primo modo non ſolùm fit memoriæ deperditio, ſed etiam ambæ aliæ hegemonicæ læduntur, vt in lethargo, & catoche audiuiſtis. Verùm ſi frigiditas non ſit tam immoderata, tunc lædi poteſt memoria abſq; aliarum læſione.

Secundo debetis conſiderare per conſenſum etiam lædi alias duas opera-

E tiones, & per accidens, quia vbi nec recipi, nec retineri poſſunt ſpecies, tunc deficit diſcurſus, quia deficit illi materia, quæ ex ſpeciebus receptis, & reuocatis ad memoriam, & retentis ſuppeditari conſueuerunt.

Et hæc ſunt quæ compendioſe de huiuſmodi quæſtione ſentio. Nolo im-

morari circa ea, quæ à multis hoc loci dicuntur de hiſce operationibus, quæ cum ſint alterius inſtituti, ſat erit nobis dixiſſe, quantum ſpectat ad medicinam practicam, quam modò profitemur: accedo ad prognoſtica.

## DE FVTVRO EVENTV
### *memoria deperdita.*

HOc loci inquiruntur prædictiones deperditæ memoriæ ex morbo, cuius quidem euentus non ſecus à parte læſa, à virtutibus totius corporis; & à cauſis ipſam efficientibus deſumi debet, ac de aljs cerebri morbis eſt dictum.

In primis pars affecta eſt cerebrum, quod cùm ſit pars præcipua, vt pluries oſtendimus, morbus dici poteſt periculoſus; & eo magis ſi virtus non ſit valida: & intenſa perſiſtat affectio, ac grauis: maximeq; ab intemperie ſicca, vel frigida ortum ducat.

Plures ſunt, quos ad mortem vſque hoc ſymptoma concomitatur. Aetius ſcribit lib.6.cap.23. memoriam deperditam eſſe prænuncium quoddam ad apoplexiam, vel epilepſiam, aliumque cerebri morbum incurabilem, de quibus huc vſq; à nobis actum eſt.

At vbi memoria deperdita leuis ſit, à frigiditate non admodum intenſa, aut ab humiditate eueniente, virtutibus corporis ſatis benè valentibus, in corpore boni habitus, & in eo, qui medici præceptis obſequi velit, poterit à corpore depelli.

## DE CVRATIONE MEMORIAE
### *deperdita propter intemperiem frigidam.*

VEram, ac germanam morborum curationem eam eſſe ſcimus, quę ad cauſæ ablationem primò reſpicit, & ab ea deſumitur, ideo cùm præſens affectio à contrarijs proficiſcatur cauſis,

A in omni memoria deperdita non poſſumus eandem inſtituere curationem.

Nam cum fieri poſſit ab intemperie frigida ſimplici, & ab eadem compoſita cum humiditate, & ſiccitate, vel cui adiuncta ſit aut melancholia, aut pituita, ideo alia ratione intemperies frigida ſola, aut coniuncta, ac deniq; alia curatur ea, quæ materiam adiunctam habet; ordo enim curationis eſt, vt hu-
B mor faciens intemperiem frigidam ſolam, vel compoſitam euacuetur, deinde intemperies ipſa auferatur, caputq; corroboretur.

Auſpicemur curationem memoriæ deperditę ab intemperie frigida, in qua nihil nobis indicatur, niſi calefaciendũ eſſe per victus rationem, & per alterantia tam intus ſumpta, quàm extra applicata,

C De victus ratione, quæ frigidis capitis affectionibus tam cum materia, quã ſine materia debetur, prolixè admodum actum eſt pluribus in locis; quemadmodum quoq; de illis pharmacis diximus, quæ cerebrum calefaciunt, atq; corroborant. In hoc tamen caſu à Meſue commendatur pliris ſarcoticon. Confectio quoque anacardina adeo ab ipſo celebratur, vt ſcribat eam aptam eſſe
D ad memoriam reuocandam, atq; conſeruandam, cuius doſis eſt à drach. j. ad drach. iij. & vnc. ſſ. cum aqua ſaluiæ, vel bettonicæ aſſumpta.

Prodeſt vſus olibani cum pipere: vel hoc conditum.

℞. Pliris ſarcot. drach. j.
Conf. anacard. drach. j. ſſ.
Theriacæ,
Aureæ Alexandrinæ, ana drach. ij.
E Conſer. roſmar. vnc. iij.
Syr. de ſtęchade quantitate ſufficienti, fiat conditum, addendo.
Fol. auri, num. iij.
Doſis ſit ad drach. iij.

Item ℞. Aquæ ſaluiæ,
Bettonicæ, ana vnc. ij.

Quam immediatè ſuperbibat æger, ma-

maximè autem vinum hac ratione præparatum memoriæ deperditæ proficit.

℞. Vini feruentis, lib. xij.
Piperis longi,
Galangę,
Zingiberis,
Agallochi, ideſt ligni aloes, ana vnc. j.
Caryophyll.
Cubebarum, ana vnc. ſſ.
Nucum muſcatarum, vnc. iij.

Miſce, & contunde omnia, atque in ſacculo poſita in vino prædicto ponantur, & vas ſtatim obturetur, ne reſpiret.

Quod vinum, vbi fuerit clarificatum, ſingulo mane bibendum exhibeatur.

Doſis eſto ad vnc. iiij.

Propono quoque vobis aquam mirificæ operationis.

℞. Aquarum tiliæ,
Bugloſſi,
Bettonicæ, ana lib. j.
Aquæ ardentis optimæ, lib. ſſ.
Florum roſmarini,
Roſ. rubearum,
Maioranæ,
Bugloſſi, ana manip. j.
Specierum confect. änacard. vnc. ij.

Contundantur flores prædicti, atq; in aquis infundantur: deinde puluetes, omniaq; ſimul miſta inſolentur, vel in loco calido feruentur permenſem integrum: poſtea curate, vt per balneum mariæ elambicentur.

Ex hoc enim elambico aqua exibit, quæ maximam facultatem habebit pro reparanda memoria deperdita, ſi potiſſimùm contineantur in ore aliquæ eius guttulæ, vel in naribus ponantur. At ſingulo mane ad vnc. iij. vel vnc. iiij. bibenda offerri poteſt.

Quod ad localia ſpectat, requiritur, vt medicamenta applicentur capiti, vel etiam naribus, vt ſunt odores moſchi, ambrę, ligni aloes, & huiuſmodi: vel ſuffitus aliquis ex hiſce rebus parari in hunc modum poteſt.

℞. Trochiſc. galliæ muſcatæ, ſcrup. ij.
Pulueris ſaluiæ,
Maioranæ,
Roſmarini, ana vnc. ſſ.
Cinnamomi,
Caryophyll. ana drach. j.
Moſchi,
Ambræ, ana gr. iij.
Fiat omnium puluis ſubtilis.

Qui vbi opus eſt, inſpergatur ſuper carbones accenſos: eaq; ratione paretur vaſculum aliquod, vt veluti per elambicum fumum colligant ægri, atq; ad internam narium capacitatem admittant.

Pro errhino.

℞. Succi maioranæ,
Betæ, ana vnc. j. ſſ.
Vini albi, vnc. ij. miſce.

Pro ſternutatorio.

℞. Piperis oblongi,
Staphidis agriæ,
Ellebori nigri, ana drach. j.
Fiat puluis ſubtilis, qui naribus indatur.

Pro maſticatorio.

℞. Ellebori nigri,
Piperis,
Nucis muſcatæ, ana drach. j.

Excipe cum cera, & maſtiche, & fiat maſſa, cuius vna pars teneatur in ore, & maſticetur.

Pro gargariſmate.

℞. Decoctionis hyſſopi,
Maioranæ,
Epithymi, vnć. vj.
Syr. de ſtœchade,
Oxymel. comp. ana vnc. j.
Miſce.

Caput verò abradendum, atq; irrigationibus à me multoties traditis madefaciendum, oleiſque potiſſimùm, quæ calefacere apta ſunt, de quibus ſatis dictum eſt.

Addo cucurbitas occipiti applicitas abſq; ſectione valere maxime ad caput calefaciendum, ex 3. de locis affectis cap. 4.

Propono vobis vnguentum mirabile, quo vti poteſt æger à menſe Octobris

vſq; ad finem menſis Martij, & cõſeruatur hoc vnguentum per decem annos.

℞. Pulpæ anacard.
Succi euphragiæ,
Ocymi,
Verbenæ, ana vnc. iiij.
Pul. rad. valerianæ,
Rutæ,
Buglosſi, ana vnc. ſſ.

Bull. in vitreo vaſe. Deinde cum pinguedine vrſina, & oleo nucis muſcatæ, quantum ſufficit, fiat vnguentum.

## DE CVRATIONE MEMORIAE *deperditæ ob ſiccam intemperiem.*

VBi à pura ſiccitate memoria deperditur, opus eſt magis victus ratione, quàm pharmacia, vt exemplum habemus de eo ruſtico, qui ob tenuem victus rationem, & validum exercitium inciderat in memoriæ deperditionem.

Ideo dicebat Auicenna ægrotantem nutriendum eſſe cibis optimi ſucci, facilis coctionis, & qui aliquam humectandi facultatem habeant, de quibus egimus cap. de vigilia, & de conuulſione à ſiccitate; vinum autem tenue, & aquoſum conceditur.

Iubet Auicenna exercitium moderatum fieri, ac vtẽdũ frictione ad caput cũ pannis aſperis, facta priùs cum pectine. Motiones manuum, atq; pedum commendat, quæ moderatæ ſint, totiuſque corporis exercitium concedit, quantum ſatis eſt, ad appetitum conciliandum.

Somnus prouocandus eſt cum prædicto alimento, atq; balneo aquæ dulcis tam vniuerſali, quàm particulari. Ad idẽ faciunt embrocationes humectantes aqua fluuiatili factæ, in qua ebullierint capita, atq; pedes veruecis, vel vituli vna cum meliloto, folijs altheæ, violarũ, borrag. & ſimilium: poſt embrocationẽ deinde vniuerſum caput inungatur oleo

A oliuarum dulcium, de narciſo, de lilio, &c. vel inungatur ſequenti vnguento.

℞. Olei communis,
Cheirini, ana vnc. ſſ.
Vnguenti altheæ, vnc. j. ſſ.
Miſce.

Vel

℞. Olei amygd. dulc.
Roſati, ana vnc. j.
B Pinguedinis anſeris, vnc. ſſ.
Lactis, vnc. j. ſſ.
Albi oui, num. j.
Agitentur omnia ſimul.

Et hæc eſt medendi methodus, & ratio, quæ conuenit memoriæ deperditæ à qualitatibus hiſce ſimplicibus; quæ ſi ad inuicem complicentur, medicamenta etiam ſunt inter ſe admiſcenda, quæ calefaciendi, ac humectandi qualitatem C habeant, vel calefaciendi, & exiccandi.

At quia raró contingit ab humiditate fieri, quin adſit materia aliqua, ideo nihil dicendum occurrit de illa ſpecie obliuionis, quæ fit à ſola humiditate, niſi quod eius cura patebit ex curatione intemperiei cum materia.

## DE CVRATIONE MEMORIAE D *deperditæ ob intemperiem cum materia pituitoſa.*

QVoniam raró, vt dicebam, contingit fieri à ſola humiditate, niſi ei adiungatur materia pituitoſa, quæ vel peccat quãtitate, vel ſua qualitate, ideo cum hæc ſit frigida, craſſa, & humida, indicat nobis eſſe alterandum, nempe calefaciendum, exiccandum, atq; atte- E nuandum.

Verùm materiam euacuamus dupliciter, vno modo per accidens, prohibendo ipſius generationem: ſecundo modo ipſam è corpore educendo. Primæ intentioni, vt ſæpius dictum eſt, ſatisfacimus per victus rationem, prætermittendo ea omnia, quæ pituitoſos humo-

mores generare ſunt apta, ea verò con-
A
cedendo,quę optimi ſunt ſucci,facilifq; coctionis, de quibus alibi diffuſè dixi-mus.

Præcipuè deuitent ægri ciborum quantitatē; vbi enim ventriculus nimis repletur, impotens redditur ad alimentum concoquendum; quare ex neceſſitate generantur pituitoſa excrementa: pro quibus omnibus recurrite ad alia capita frigidorum capitis morborum,vt
B
ad apoplexiam, epilepſiam, paralyſim, &c.vbi abūdè agemus de victusratione.

Accedo ad pharmaciā,cuius vna pars alterat humorem, altera ipſum alteratū è corpore educit, tertia verò membra malè affecta corroborat.

In hoc caſu vnicum remedium alterans vobis propono, quia iam habuiſtis omnia alia, quæ pituitoſum humorem alterandi facultatem habent, eſt autem
C
iſtud

℞. Fol. hyſſopi,
Bettonicæ,
Maioranæ,
Thymi,
Serpylli, ana manip. j.
Rad. fœniculi, vnc.j.
Sem. fœnic. drach. j.
Nucis muſcatæ,
Cinnamomi, ana drach. ſſ.
D
Bulliant omnia ſecundùm artem in mulſa.

℞. decocti huius, vnc. iiij.
Syr. de ſtœchade,
Bettonicæ, ana vnc. j.
Miſce pro ſyrupo.

Alterata materia educenda venit cum pilulis aureis, arabicis, de hiera cum agarico, addendo portionem trochiſcorum alhandal: vel cum alia poti-
E
one, verbi gratia.

℞. decoct. prædictæ, vnc. iij. infunde
Agarici trochiſ.
Rhabarb. ana drach. j.
Salis gemmæ, ſcrup. ſſ.
Facta forti expreſſioni diſſolue
Mel. roſ. ſol. vnc. v.
Diaphœnici, vnc. ſſ.

Sub forma boli.

℞. Diacathol.
Diaphœnici,
Diacarth. ana vnc. ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Sub forma pilularum.

℞. Pil. aurearum,
Arabicarum,
De hiera cū agarico, ana ſcrup. ij.
Trochiſc. alhandal, ſcrup. j.
Cum mel. roſ. fiant pilulæ num. vij. & aurentur.

Sepè verò contingit repetendam eſſe purgationem, quia affectiones capitis frigidæ difficilè curantur vnico medicamēto, vt toties dixi, ideo meliuseſt, vt educatur per vices,ſimulq; alteretur.

Deueniendum poſtea ad corroborationem partium cum medicamentis ad hanc rem facientibus, de quibus alibi fuſiùs: pro omnibus verò optimum eſt deuenire ad decoctionem guaiaci; vel ad localia confugiendum, quæ calefaciendi, & exiccandi facultatem habeant: inter quæ propono vobis embrocationem.

℞. Fol. bettonicæ;
Saluiæ,
Rutæ,
Verbenæ,
Maioranæ, ana manip. j.
Rad. Bugloſſi,
Valerianæ, ana vnc. j.
Flor. ſaluiæ,
Roſmarini, ana pug. ij.
Sem. fœniculi,
Apij, ana vnc. ſſ.
Cubebarum,
Ligni aloes,
Caryophyllorum,
Nucis muſcatæ, ana drach.ij.
Anacardiorum, vnc.j.

Bulliant hæc omnia in lib. xx. aquæ fontis pro embrocatione.

Et hæc de curatione pręsētis affectionis à frigida, & humida intemperie cū materia pituitoſa prodeuntis.

DE

### DE CVRATIONE MEMORIAE *deperditæ ob intemperiem cum materia melancholica.*

PRopero iam ad memoriā deperditam,quæ fit à materia melancholica, cuius generationem in corpore exiſtentem reſpicere oportet. Tollenda ergo eſt humoris melancholici generatio, quæcunq; ea ſit, cum ea victus ratione, quam conuenire diximus melancholiæ, nec non capitis dolori ab humore melancholico facto.

Omnia euitanda ſunt, quæ generare valent hunc humorem: eaque omnia veniunt elicienda, quę ſunt apta bonum ſanguinem producere, faciliſq; ſunt coctionis, vt carnes pullorum, & reliquæ, de quibus locis prçcitatis diximus, & inutiliter modò non repetimus.

Humor autem peccans eſt alterandus cum ſyrupis,
Fumariæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Bettonicæ, & alijs, de quibus diximus cap. de dolore capitis à materia melancholica. In hoc etiam caſu, vbi præparandum eſt.

℞. Syr. de pomis ſimpl.
De ſucco borraginis, ana vnc.j.
Aquarum bugloſſi,
Borraginis, ana vnc. ij.
Miſce pro vno hauſtu.

Præparata materia educenda venit, & ſenſim, quod melius eſt, hoc modo

℞. Fol. lupulorum,
Bugloſſi,
Fumarię, ana drach. ij.
Myrobal. ind. drach. iij.
A Florum borraginis,
Bugloſſi, ana pug. j.
Senæ,
Epithymi, ana drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem, &
℞. huius decocti, vnc. iiij. diſſolue
Mannæ fortis, vnc. iij.
Diaſenæ ſolut. vnc. ſſ.
Miſce, & fiat potio.

Sub forma boli.

B ℞. Diacatholici,
Diaſenæ ſol.
Conf. hamech. ana vnc. ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Sub forma pil.

℞. Pil cochiarum cum elleboro, drach. j.
Indarum,
De nitro Alex. ana drach. ſſ.
Cum cathart. roſ. fiat pilulæ, num. vij. & aurentur.

C Poſt eductionē ſæpè contingit ægrotantes non ſanari, ideo repetenda eſt purgatio bis, & ter, & tandem ad guaiacum deuenire oportet, quod ea ratione præparetur, vt & humorem reſpiciat, cerebrumq; corroboret, cum quo exhiberi poteſt ſingulo mane
Lætificans Raſis,
Conſerua bettonicæ,
Fumariæ,
Bugloſſi.

D Ad localia deinde deueniendum eſt, quę calefaciant, & humectent. Ac demùm pro educenda à capite cauſa coniuncta, alia conueniunt auxilia, nempe errhina, ſternutatoria, maſticatoria, & gargariſmata.

Et hæc breuiter dixiſſe hactenus ſufficiat pro curatione memoriæ deperditæ.

# DE SOPOROSIS AFFECTIBVS AC PRIMO

## DE CARO, COMATE, ET CATAPHORA.

### CAPVT DVODECIMVM.

REperio apud Galenum ſopores eſſe in duplici differentia; nam alios appellauit altos,&pro- fundos ſopores; alios verò ſolū dixit eſſe pro fundos. Priores ſunt ex eodem Gal. 13. meth. med. cap. 21. apoplexia, ca- ros, & catoche; ſecundi ſunt 2. pro- ret. 29. caros, coma, & cataphora.

Quamuis idem Galenus aſſumpſerit quandoque lethargicas affectiones pro genere ad omnes ſomnolentas iam di- ctas; vnde eſt etiam, quod volentes nos ſignificare aliquem ſomnolentum, dicimus, eum incidiſſe in profundum lethargum, quamquam coma à lethar- go differat, quod lethargus ſemper ſi- gnificat ſomnum profundum, & preter naturam; coma verò, & caros tum de ſomno naturali, tum de ſomno prę- ter naturam dicitur.

Vnde in genere hæc tria nomina, caros, coma, & cataphora, pro vna, & eadem re accipiuntur, nempe pro ſomno profundiſſimo, ſæpèque in fe- brium initio conſueuerunt ægrotantes inuadere.

Rurſus 2. prorret. caros accipitur dupliciter pro morboſo, & non mor- boſo; caros non morboſus eſt ſomnus profundus; vt in ebriis, qui non poſſunt à ſomno excitari, confunditurque cum comate. Morboſus verò eſt ille, in quo ægri minimè ſentiunt puncturas, aut vociferationes,qui ab apoplexia parum differt,& hic eſt, quem Arabes ſubeth, ſeu ſubethiam vocant, differens à co- mate, ſeu cataphora,quod,vt dicit Ga- lenus, coma fit in ſomnum delatio, in quo ægrotantes nequeunt vigilantium munia obire.

B Et hoc eſt in duplici differentia, vnū in quo dormiunt perpetuò; alterum verò,in quo perpetuò vigilant.Galenus lib. de comat. cap. 2. ſcribit vtramque affectionem habere hoc commune, quod ægrotantes eleuare oculos ne- queunt, ſed mox grauantur, & dormire volunt.

Differunt verò,quia ſomnolenti pro- fundè dormiunt,at vigilantes è contra, C quia variæ fantaſiæ adueniunt mentem mouentes, ſomnum intercidentes, vn- de ſemper vigilantes manent, at ſurge- re nequeunt, nec vigilantium munia obire,ſed palpebras claudentes,ſperant tamen poſſe dormire.

Agemus deinceps de omnibus ſopo- roſis, ſeu ſomnolentis affectibus,& pri- mò de caro morboſo, ad cuius facili- orem intelligentiam, opus eſt, vt ei op- D ponamus ſomnum naturalem, qui eſt in duplici differentia. Vnus enim eſt,à quo homines facilè excitantur, alter verò à quo difficilè.

Primus ſomnus verè, & perfectè na- turalis eſt; ſecundus pro maiori, & minori difficultate, qua excitantur ho- mines, recedit à terminis ſomni natu- ralis, & accedit ad præter naturam.

Rurſus ſomnus naturalis videtur E poſſe dupliciter diſtingui, ac vnus, eſt, qui fit ab humiditate quadam naturali; alter ex crapulis, aut ebrietate, & de hoc Hippocrates 2. prorret. 29. loqui- tur, vbi dubitatiuè inquirit, an vbique ſopor ſit malus? Galenus in comm. re- ſpondet,quod etſi aliquem obſeruemus ex vini liberiore potu ſoporatum, non pro-

propterea ſtatim dicendum eſt eſſe affe ctionem præter naturam, quamuis difficulter à ſomno excitetur.

Eum tamen certū eſt vocandum eſſe præternaturalem ſomnum, à quo vix,&c. cum difficultate excitetur homo,& qui fiat ab aliqua alia cauſa, quàm à prædictis; quemadmodum contingit in cataphora,caro,aut comate, quæ ab eodem Galeno pro vna, & eadem re accipiuntur in genere, de quibus in præſenti agendum proponitur, & vt moris eſt,ipſorum tractatum diuidam in duas partes.

In prima in medium afferam ea, quę ad ipſorum cognitionem faciunt, tam à priori, quàm à poſteriori. In ſecunda parte declarabo ea,quę pro ipſorum è corpore ablatione veniunt agenda.

Ad cognitionem faciunt nomina, & definitio. De nominibus ſatis eſt dictum ſuperiùs, nunc definitionem venari eſt opus, quam etiam ex naturalis ſomni definitione elicere poterimus facilè. Eam tradidit nobis infallax Ariſtoteles lib. de ſomno, & vigilia cap. 1. quando inquit.

Somnus eſt paſſio ſenſitiuæ particulę vt vinculum, & immobilitas quædam: quare ſomnus erit vinculum ſenſitiuæ particulæ. Hæc autem ſenſitiua particula nihil aliud eſt, quàm ſenſus communis, vt idem teſtatur Ariſtoteles eodem capite citato,& Auerroes in commentario.

Senſui communi Galenus lib. 7. de Hippocratis, & Platonis dēcretis duo officia tribuit; vnum eſt communicare cum omnibus ſenſibus exterioribus, alterum eſt omnium ſenſibilium externorum differentias inter ſe diſtinguere.

Hinc pulchrè Ariſtoteles aſſimilauit ipſum centro circuli, à quo lineæ ad circumferentiam ductæ ſint; ad hoc enim functiones ſingulorum ſenſuum exteriores tanquam ad commune principium, aut ad proprium Iudicem deferuntur.

A Eum Themiſtius 3. de anima cap. 8. primum ſenſum, ac principem appellauit, cum externis ſenſibus tamquam famulis vtatur, Regiſque, ac ſupremi Iudicis in modum, veluti in throno ſedens, ſpiritu animali opem ferente, de omnibus illis, quæ quinque ſenſus annunciant, iudicat.

Hinc etiam omnes Philoſophi eum, vnum, & multiplicem dixerunt; vnum

B quidem ſuæ eſſentiæ ratione, multiplicem ratione ſuarum operationum: huius igitur ſenſus communis ſomnus eſt paſſio, ſed cùm contrariorum eadem pars ſit ſuſceptiua, ſi ſomnus ad ſenſum communem ſpectat, ſpectabit etiam ſuum contrarium, nempe vigilia, quare ſi ſomnus eſt allegatio ipſius ſenſus communis; vigilia erit ipſius ſolutio, de qua ſuo loco.

C Somnus, & vigilia circa ſenſum communem ita ſe habere videntur mihi, atque ſe habeat lux, & tenebrę ad oculum: nam vt lux eſt cauſa actuationis colorū; tenebrę verò ſunt ipſiuſmet lucis priuatio; ita vigilia eſt cauſa, vt ſenſus ad actionem veniat, ſomnus eſt ſuorum actionum priuatio quędam, & obtenebratio.

D Ex his patere ſatis puto ſenſum communem eſſe illam particulam ſenſitiuā, quæ veluti vinculo quodam alligatur; quomodo autem alligatur ſenſus communis, ita vt deſiſtat à ſuis operationibus, Auerroes 3. coll. cap. 41. declarare videtur, quando dicebat eſſe profundationem ipſius ſenſus communis ex cerebro ad cor.

Quę Auerrois propoſitio ſano modo intelligenda eſt; non enim ſenſus com-

E munis profundatur ad cor, ita vt formaliter deferat cerebrum, cuius ipſe eſt potentia, ſeu operatio; nam ſi ſenſus communis ad profūdum cordis retraheretur, ſomnus non eſſet ipſius alligatio, ſed fuga à proprio loco, neque etiam vigilia eſſet ipſius ſolutio, ſed in proprium locum reuerſio.

Vn-

Vnde per ſenſus communis profunditatem intelligere oportet caloris influentis, & ſpirituum ad cor, tanquam ad ſomni radicem propulſionem quandam, quod Auicēnas lib. 3. fen. 1. tract. 1. cap. 1. declarauit (mea quidem opinione) quando dixit, ſomnum naturalem eſſe reditum ſpiritus vitalis, cum profunditate, & ſubmerſione ipſius ad profundum cordis.

Sed hoc loci videtur Auicennas voluiſſe in ſomno tantùm ſpiritus vitales eos eſſe, qui retrahuntur; Galenus tamen lib. 1. de cauſis ſympt. 8. & alibi voluit fieri retractionem ſpiritus animalis ad cerebrum.

Verùm etſi Auicennas videatur adhærere opinioni Ariſtotelis ... hoc, quod ſomnus proueniat à corde, Galenus verò à cerebro, nihilominus ſi conſideremus ea, quæ idem Auicennas de fine ſomni loquitur, hoc eſt, de cauſis, propter quas ſomnus neceſſarius eſt, videbimus ipſum etiam conceſſiſſe ſpirituum animalium retractionem.

Nam tres vtilitates à ſomno euenire dicebat; prima eſt cibi digeſtio; ſecunda quies totius corporis, & ſpirituum; tertia eſt reſtauratio ſpirituum. Ad ſpiritus recreationē quies requiritur, quæ fit per retroceſſionem ſpirituum animalium ad ſuum principuum, ipſorumque per ſomnum fit reſtauratio.

Vnde Galenus loco citato de cerebro loquens, tanquam de parte, in qua fit ſomnus, dicebat ipſum propter virtutis tranſmiſſionem, & requie, & refectione egere, quæ fit per ſomnum.

Quare tam ex Galeno, quàm Auicenna dicendum eſt, vtrumque ſpiritum in ſomno retrocedere, hoc eſt, vt Hugo Senenſis ait, prohiberi, ne expandatur: quare ſomnus naturalis dici poteſt alligatio quædam ſenſus communis ob retractionem caloris influentis, & ſpirituum ad ſua principia, vitalis quidem ad cor, animalis ad cerebrum.

In hac ſpirituum retractione partes
A omnes ſenſu priuantur, ac motu, excepto diaphragmate, qui inſpirationi naturali inſeruit: expiratio verò naturalis ei oppoſita non eget muſculis, cùm fiat à coſtarum grauitate.

Cauſa prohibitionis huius ſpirituum expanſionis ad corporis noſtri partes, ex Ariſtotelis, & ex Galeni ſententia, eſt euaporatio humida tam ab alimento, quàm à colliquamento (vt quan-
B doque euenit poſt multos labores) ſurſum ad cerebrum euolans, obque cerebri frigiditatem condenſata.

Verùm de loco, in quem humiditas cadit, non conuenit inter Ariſtotelem, & Galenum; nam ille exiſtimat, humiditatem cadere in illas venas, per quas calor à corde in cerebrum fertur, ſuaq; frigiditate calorem, & ſpiritum cogere, vt vnde venit, retrocedat, ſuaq; cor-
C pulentia ipſas venas obſtruere.

Hinc dicebat idem Ariſtoteles illos, qui iſtas venas anguſtas habent, magnoque capite ſunt præditi, in ſomnum maximè eſſe pronos.

Galenus vult ab huiuſmodi euaporatione obſtrui neruos, per quos ſenſus, & motus fertur ad vniuerſum corpus.

Sed mirum non eſt, quod iſti autho-
D res ſint in hac re diuerſi, cùm partes, à quibus ſomnum euenire exiſtimant, ſint diuerſæ; nam Ariſtoteles putat cor eſſe, Galenus verò cerebrum, cùm huiuſmodi vapor in capite denſatus ſit, cumq; multus fuerit deorſum proficiſci, & cadere poteſt, vt prohibeat aſcenſum caloris in cor, & ſpiritus animales expandi; ita enim à natura comparatum eſt, vt animalia dormiant ad ſani-
E tatis recreationem, & conſeruationem.

Dormiunt autem, quando expanſio ſpirituum in corpus eſt impedita; & hæc de ſomno naturali, ex cuius cognitione faciliùs ducemur in cognitionem ſomni præternaturalis.

Cuius definitio habebitur facilè, ſi dixerimus, vt ſcribit Auerroes, ſomni

tria eſſe ſubiecta. Vnum principale, quod eſt ſenſus communis: ſecundum originale, quod eſt cor: tertium inſtrumentale, quod eſt cerebrum, quo ſenſus communis vtitur ad ſomnum, & vigiliam.

Qua ſtante determinatione, dico, quod carus eſt allegatio ſenſus communis præter naturam, quam ſequitur omnis functio animalis abolita, excepta reſpiratione naturali, dependens ab intemperie frigida, & humida cerebri, cum materia quidem, ſed ſine febre.

Vel poſſumus dicere, quod carus, quem ſubeth Arabes vocant, ſit ſymptoma actionis ſenſus communis, primò abolitæ, quam ſequitur principalis cerebri functio abolitá, nempe hegemonicæ, ſenſuum, & motus, reſpiratione naturali ſeruata, dependens ab intemperie frigida, vel humida cerebri, abſque febre.

Hæc enim vera eſt definitio, quæ cari naturam declarat, & ab omnibus ſoporoſis affectionibus diſtinguit; nam in caro primo ſenſus communis aboletur, deinde aliæ actiones animales tam rectrices, quàm exteriores ſenſus, & motus. In apoplexia verò omnes vno, & eodem tempore abolentur, non ſeruata reſpiratione integra, in caro ſeruatur reſpiratio. Deinde apoplectici poſt acceſſionem in paraplexiam, aut paraplegiam cadunt, qui caro afficiuntur, poſt acceſſionem liberi manent: vnde Galenus 4. de locis affectis 2. dicebat ſolutæ apoplexiæ creberrimè ſuccedere ſolet vocata paraplegia; ſopore verò finito bona valetudo magna ex parte ſubſequi conſueuit.

His carus differt ab apoplexia, conuenitque cum ipſa, quia & motus, ac ſenſus aboletur, differt etiam à lethargo, tum quia in lethargo memoria, & ratio ſimul, & ſemel amittuntur, in caro verò poſt læſionem ſenſus communis, quamuis in vtraque affectione imaginatio láguida remaneat, & deficiens.

A Differt ſecundò, quia in lethargo ſemper adeſt febris, in caro verò minimè.

Differt tertiò, quia qui lethargo affecti ſunt ex vociferatione magna, aut punctura, vel nodo doloroſo facto expergeſiunt, ac mouentur, quamuis cum magna difficultate, & interpellati à ſomno ægrè ferunt, & iraſcuntur; qui ſopore, aut caro laborant, nec puncti, nec B magna voce expergefacti, non ſecus atque apoplectici, aliquo modo mouentur, ſed vt corpora cadaueroſa iacent; & ſi contingat eos aliquando mouere membra, palpebras tamen oculorum immotas ſeruant.

Quartò differt à lethargo, quia lethargus ſit per primariam affectionem, hoc eſt, per eſſentiam, carus verò ſit per conſenſum, & per eſſentiam. Le- C thargus cauſam vnam determinatam habet, carus à pluribus tam internis, quàm externis cauſis euenit. Poſtremò lethargici interrogati reſpondent; qui caro ſunt affecti, minimè: his differt carus à lethargo.

Videamus modò, in quo differat à comate, ſeu cataphora, & primò diſtinguitur ratione intenſionis, & remiſſionis ipſius ſomni; nam in comate non pro- D fundè dormiunt, ſed maximam ad ſomnum propenſionem habent.

Deinde comatoſi loquuntur, mouentur, & interrogati reſpondent. Tertiò coma, ſeu cataphora ſemper ſequitur ad febres, & in augmento potius, quàm in principio. Carus verò & ſine febre eſt, & principium febrium ſequitur.

## PROPONVNTVR, E *& explanantur quatuor quæſita.*

SEd ad perfectam notitiá ſomnolentarum affectionum opus eſt, vt videamus, an reuera Galenus voluerit reſpirationem ſeruari in caro?

Secundò an carus ſit ſine febre?

Ter-

Tertiò, an qui caro laborant, moueantur, ac ſentiant?

Quartò inquiri poteſt, quæ nam cerebri pars in hoc affectu lædatur?

Præbuit nobis Galenus occaſionem inquirendi, an reſpiratio ſeruetur? nam lib. 4. de locis affectis cap. 2. affirmat ipſam ſeruari; è contra verò lib. 5. de locis affectis cap. 1. videtur negare reſpirationem, hoc eſt dictu, negat adeſſe reſpirationem, & quamuis multi diuidant carum in duas differentias dicentes alium eſſe verum, alium non verum, & quod in vero non ſeruetur reſpiratio, ſed ſeruetur in non vero, nihilominus vtrobique Galenus loquitur de vero, quare adhuc remanet eadē dubitatio.

Pro ſolutione dicātis lædi reſpirationem illam magnam, quam violentam dixit Galenus, naturalis verò non læditur, & quamuis lædatur, non aboletur ex toto, quemadmodum contingit in apoplexia.

Ad ſecundum dicendum non ſemper ſequi ad carum febrem, lethargum verò ſemper adeſſe cum febre; nam carus in natura non admittit febrem, & quando eſt cum febre, tunc eſt ſymptoma febris: lethargus verò ſemper habet coniunctam febrem, quia fit ex pituitoſa materia putreſcente in capite, hinc ſemper dicitur eſſe per eſſentiam in capite. Carus verò eſſe poteſt per eſſentiam, & per conſenſum.

Ad tertium dicendum eſt moueri, & ſentire caro affectos, vbi vehementer lędantur, & pungantur, quod non contingit in apoplecticis, qui quamuis vehementer pungantur, aut lædantur nodis doloroſis, & ligaturis, nunquam tamen ſentiunt, aut mouentur.

Lethargici verò mouentur, vbi fuerint magna voce vocati, quod non contingit caro correptis, ſed opus eſt vehementer capillos capitis, aut barbam trahere, vel etiam pungere, antequam ſentire poſſint.

Id quoque clarè apparet apud Fernelium cap. v. de partium morbis, & ſymp. cap. 2. vbi ſcribit quendam fuiſſe caro affectum, in quo memoria fuit ſeruata, quare cùm ſanitatem recuperaſſet, cùm furore mouebatur aduerſus illos, qui trahentes pilos barbæ ipſum maximè lædebant. Hæc de natura, & eſſentia ipſius cari, & aliarum ſomnolentarum affectionum.

Modò videndum eſt, quænam pars cerebri lædatur; nam cùm à Galeno 4. de locis affectis capite 2. cerebrum in omnibus ſit læſum, illudque ab eadem diuidatur primo modo in corpus, & ventriculos, ſubdit carum, & morbum comitialem magis lædere ventriculos, minus corpus, hoc eſt dictu, magis in caro læduntur ventriculi ipſius cerebri, quàm corpus; in apoplexia verò magis læditur corpus cerebri.

Secundò diuidit idem cerebrum in anteriorem, & poſteriorem partem, addens in caro anteriorem cerebri partem magis, in catoche poſteriorem, in apoplexia autem, atq; epilepſia vtramq; partem affici, nempe anteriorem, & poſteriorem.

In prima cerebri diuiſione duplex fit comparatio, vna eſt corporis cerebri cum ventriculis eiuſdem in apoplexia, & caro; altera corporis cerebri epilepticorum, & caro affectorum, cum corpore cerebri apoplecticorum. In priori comparatione dicit magis lædi ventriculos epilepticorum, quàm lædatur corpus, quia in epilepſia motus, & ſenſus à ventriculis cerebri, nempe à ſpiritibus in illis contentis prouenit, vt dicemus cap. de apoplexia.

At in ſecunda comparatione dicit corpus cerebri magis lædi in apoplecticis, quàm in epilepticis: aliud membrū, tanquam clarum relinquens; nam omnibus manifeſtum eſt ventriculos cerebri in apoplexia omniū capitis affectuum deterrima eſſe maximè læſos; quare cerebrum tam ratione ſui corporis, quàm ratione ventriculorum magis lædi-

læditur in apoplexia, quàm in epile-pſia.

Quod ad ſecundam cerebri diuiſionē ſpectat, in qua Galenus aſſignat in caro læſam eſſe partem anteriorem, in catoche poſteriorem, & in apoplexia, & epilepſia vtramque partem tam anteriorē, quàm poſteriorem, dependet ſua hæc determinatio ex opinione, quam habet de ſenſu, & motu.

Siquidem Galenus exiſtimauit à parte anteriori cerebri ſenſum euenire, à poſteriori verò motum, eò quòd putaret neruos ſenſui deſtinatos molliores eſſe, magiſque ad ſenſum ferendum idoneos, proinde naſci ab anteriori cerebri parte, tanquam à molliori: è contra verò neruos duros motui magis aptos, à cerebello tamquam à duriore parte cerebri oriri dicebat, & poſteriore.

Quo ſuppoſito, cum obſeruaſſet in caro magis ſenſum, in catoche magis motum; in apoplexia verò, & epilepſia & ſenſum, & motum ſimul læſum eſſe, concludebat facilè, anteriorem partem cerebri in caro, poſteriorem in catoche, vtramque in apoplexia, & epilepſia lædi.

Sed huiuſmodi opinio magis rationalis, quàm vera eſt, id quod plures obſeruationes anatomicę demōſtrarūt; nam cerebrum vniuerſum conſtat ex medullari ſubſtantia, quæ homogenea eſt, eiuſdemque naturæ, neque mollior in anteriori, neque durior in poſteriori ſui parte; nam cerebrum, & cerebellum eiuſdem ſunt mollitiei.

Deinde falſum eſt neruos molliores ab anteriori cerebri partè oriri, duros verò à poſteriori; anatomica enim adminiſtratio oſtendit nullum neruum oriri à cerebro, duabus illis exceptis vijs, ſeu ductibus, qui à cerebro non procul à ventriculorum exortu prodeuntes, & plana quadam ſuperficie, deorſum ad mammillares vocatos proceſſus terminantur; à cerebello verò nullus prorſus

A proficiſcitur neruus.

Verùm omnes nerui quotquot reperiuntur in corpore humano à vocata ſpinali medulla procedunt, non ſecus atque omnes venæ à caua vena, & arteriæ ab arteria magna exoriuntur, quod pulchrè in noſtris figuris conſpicitur.

Ad hoc igitur, vt fiat ſenſus, aut motus læſio, eſt opus attingere illam partem, à qua ipſi nerui prodeunt, quæ tamen ad cerebri læſionem, & ipſa læditur, non ſecus atque, ex fontis læſione B læditur riuulus; & hæc de parte læſa in ſoporoſis affectionibus. Ad cauſas deueniendum eſt.

## DE CAVSIS CARI, *Comatis, & Catophora.*

C Cauſa immediata, & proxima, authore Galeno 4. de locis affectis cap. 2. 1. de cauſis ſympt. 8. & alibi, eſt frigiditas, & humiditas, & vtraque, ita dicere poſſumus ſymptoma prouenire ab intemperie frigida, & humida, & ab vtraque etiam, tam cum materia, quam ſine materia ipſius cerebri.

Hinc fieri poteſt, vt cerebrum patiatur tanquam membrum ſimilare, & vt D organicum; nam cùm tria in ipſo cerebro reperiantur, nēpe facultas, ſpiritus, & canales ipſis ſpiritibus famulantes, & facultatem tam ſenſitiuam, quàm motricem ferentes, facultas ipſius cerebri, qua dijudicat ſenſus exteriores, lędi poteſt ab vtraque intemperie frigida, & humida; vt Galenus præcitato loco docet, ſed magis frigiditate offenditur ſenſus communis, hinc magis alligatur, E & ſomnus fit profundior.

Huiuſmodi autem frigiditas, & humiditas ortum ducere poteſt à cauſis exterioribus, nempe ab aere humido, & frigido.

Cari excitati ab aere frigido exemplum habetis apud Petrum Foreſtum. Euenire etiam poteſt ab euaporatione ali-

alicuius corporis partis læſæ,cui confen tiat cerebrum.

Galenus 3. de locis affectis cap. 5. & 5. de medicam.fac. 19. ſcribit fieri poſſe ſoporem vſu frigidorum medicamentorum ſtupefacientium. Fitetiam huiuſmodi caros ab euaporatione in febrium pituitoſarum initio, & hoc modo facul tas læditur.

Spiritus quoque læſi idem efficere poſſunt, eodem Galeno docente, & id contingit propter virium infirmitatem; vt apparet in ijs, qui propè moritu ri ſunt. Poſſunt etiā ſpiritus ob aliquos dolores violentos, aut aliquos cerebri morbos ità lædi, vt ad ſua munia inepti reddantur.

Canales verò famulantes ſpiritibus ſunt in duplici differentia; nā alij ſunt, qui vehunt ſpiritus vitales tamquam materiam ſpirituum animaliū in caput, vt ſunt plexus choroides; alij verò ſpiritus animales diſtribuunt, & quemadmodum animales in capite poſſunt lędi à frigiditate, ita vt fiat intemperies frigida, ſic contingere poteſt, vt & ſpiritus vitales in plexibus exiſtentes turbidi fiant, & in cor reuerti ſint coacti. Vel ab humore intemperiem faciente, & plexus, & nerui obſtruuntur, necnon & cauitas cerebri.

Huiuſmodi autem humor eſt Galeno docente pituitoſus, qui frigidus, & humidus eſt, & ipſe ſuas cauſas habet à victus ratione natas, conferentibus ætate declinante, habitu pituitoſo, & complexione frigida, & humida.

Sunt tādem aliquę cauſæ exteriores, non neceſſariò occurrentes, quæ carum facere facilè poſſunt, & 4. de locis affectis cap. 2. ſcribit Galenus ex Hippocratis ſententia carum fieri ex vulnerato muſculo temporali; deinde etiam fieri poſſe ait ex terebra perforante oſſe caluariæ, contuſo medio cerebri ventriculo: hæc de cauſis.

A *DE SIGNIS CARI, COMATIS, & cataphora.*

Signa huius affectus tam per eſſentiam, quàm per conſenſum; necnon, & cauſarum ſigna eiuſdem affectus adducenda ſunt.

Signa demoſtrantia carum, alia ſunt, quæ ipſum incipientem oſtendūt, alia, quæ iam factum ſignificant. Pri-
B ma ſunt, quando æger dormire incipit adeo profundè, vt vix excitari à ſomno poſſit, deinde quando ſtrepitus, rumores, & magnas vociferationes non ſentit; tunc enim tendit ad perfectionem.

Sed vbi eas non amplius audit, & vocatus minimè reſpondet, aut ſi pungatur acu, aut nodo doloroſo ſtringatur, non percipit ipſum, ſemperq; dormit, aut vbi etiam punctus, moueat aliquo
C modo membrum punctum, neque palpebras aperiat, iam factus eſt carus; reſpiratione ſeruata, & hic carus eſt per eſſentiam.

Per conſenſum verò cognoſcitur, quia ad febrium acceſſionem ſequitur, vt in quo idianis, aut tertianis notis extenſis.

Quando euenit ab aliqua corporis parte eleuante vapores, tunc adeſt ali-
D quis vel morbus, vel dolor in parte illa affecta.

Signa cauſarum internarum deſumuntur ab ijs omnibus, quæ potuerunt in corpore generare humores frigidos, & humidos, nempe pituitoſos, vt ſunt alimenta craſſa, vt piſces, caſeus, carnes bubulæ, & multa alia huiuſmodi, quibus diù, ac multum æger vſus fit.

Eſt & potus aquę frigidæ continuus,
E intempeſtiuus, & multus, crapulæ, & nimiæ vini compotationes, & alia, vt eſt aer frigidus, craſſus, ſiue ratione conſtitutionis aeris, aut regionis, aut anni temporis, ſomnus immoderatus, immoderata quies, animi immoderatæ affectiones calorem naturalem labefactantes.

Deniq;

Deniq; inter hæc recenſentur conſueta exercitia omiſſa, aut excretiones aliquæ retentę opem ferentibus rebus naturalibus, ætate declinante, complexione frigida, & humida, & tandem habitu corporis pituitoſo, capitiſque mala diſpoſitione.

Cauſæ exteriores facilè cognoſcuntur; nam in aere frigido diù, & multum quis immoratus, quemadmodū contingiſſe mulieri cuidam ſcribit Pet. Foreſtus lib. 10. iam dicto ſuarum obſeruationum 38. quæ cum diù ſediſſet in templo, de repente cecidit in carum.

Aut precęſſit vſus medicamentorum frigidorum, nempe narcoticorum, vt eſt vſus opij, quo ſæpè alicubi vtuntur: vel precęſſit immoderata defatigatio, aut languiditas facultatum omnium corporis.

Vel aliquis vulneratus fuit in capite circa muſculorum regionem; vel chirurgus aliquis terebra os caluariæ partes ſubiectas vulnerauit, aut lęſionē ventriculo ſubiecto induxit.

Et hæc ſunt omnia ſigna carum, & ſuas cauſas demoſtrantia: modò quid de ipſius euentu ſperandum ſit, declarabimus.

## DE FVTVRO EVENTV Cari, Comatis, & Cataphoræ.

Carus exquiſitus rarò curatur, ſiue contingat per eſſentiam, ſiue per conſenſum, ad rectum tamen iudicium de fine ipſius ferendum opus eſt morbi vehementiam cum robore virium comparare; nam ſi adeo vehemens fuerit, vt ſuperet vires ægrotantis, euentus malus erit, & terminabit ad mortem.

Si è contra vires conſtent, ac ſint robuſtæ, ſalus expectanda eſt, prædicendusq; bonus euentus, & ſalubris; nam vbi ſymptomata vehementia ſint proſundè, æger punćturas, & dolores non ſentiat, medicamentaque, quæ iuuare conſueuerunt, nihil iuuent, ſignum A certiſſimum eſt magnitudinem ipſius ſuperaturam omninò vires eſſe, terminaturamque eſſe ad interitum.

At ſi ſomnus nō ſit adeo profundus, & à cauſa externa, aut aere frigido, vel ab ebrietate, aut per conſenſum proficiſcatur, auferaturque facilè, ac medicamenta opem ferant, beneque ad ea, quæ offeruntur, ſe habeat, tunc indiciū robur virium victurum vehementiam B ipſius, ſanaturumque tandem eſſe ægrotantem.

Tempus, in quo ſanabitur, longum erit pro cauſarum diuerſitate, ac tēpus interitus omninò eſt breue.

Modus autem eſſe poteſt à natura, per aliquam euacuationem, nempe vel per ſeceſſum, aut etiam per abſceſſū aliquem poſt aures, aut aliquem alium locum: ab arte verò ſanabitur median- C tibus ſuis inſtrumentis, de quibus agendum eſt: & hæc de parte dignoſcitiua cari, ſimiliumq; affectuum.

## DE CVRATIONE CARI, Comatis, & Cataphoræ, per victus rationem.

Iam ad ſecundam partem huius tractatus deueniens, quæ propoſita D fuit de curatione ſoporis, non modò cari, ſed comatis, ſeu cataphoræ ſomnolentæ, dico indicationes deſumi à morbo, à cauſa, & à ſymptomate, & primò omni ingenio curādum eſt, vt à ſymptomate ſubleuetur æger.

Ijs omnibus auxilijs pugnandum eſt, quæ poſſūt materiam à capite reuellere deriuare, & euacuare, hinc frictiones ad crura, fœmora, dorſum, & brachia, E ſunt faciendæ. Conueniunt nodi doloroſi ad pedes, ad manus: fricantur quandoque plantæ cum ſale: cucurbitæ applicantur abſque ſanguine: tandem etiā cauteria ceruici igni admouentur, palatum aliqua antidoto inungitur, vt theriaca, mithridatio confectione anacardina, diamuſco, & ſimilibus.

Immittuntur clyſteres acres,& quandoque ex muria facti; vbi verò ab accidente æger liberatus fuerit, ſi per eſſentiam ſit affectio in capite, omninò ei incumbendum venit, at ſi aliquam ſequatur febrem malignam, tunc attendendum eſt ipſi febri, ad cuius ablationem aufertur ſymptoma.

Vbi igitur hæc affectio per eſſentiam fuerit cauſa interna antecedens, primò indicat ſui ablationem, deinde & cauſa coniuncta, quæ eſt in capite.

Aufertur autem cauſa antecedens per generationis morbi inhibitionem, deinde per ipſius, quod genitum eſt, euacuationem.

Inhibemus humoris generationem, per remotionem cauſarum ipſum facientium, aut ſaltem per earundem attemperantiam, vt non ampliùs valeant tales humores in corpore generare, quod aſſequimur recta victus ratione inſtituta in ſex rebus non naturalibus.

Igitur mutandus eſt aer, aut ſaltem attemperandus, ita vt ad calidum, & ſiccum vergat, quod igne ex lignis odoriferis facto comparatur. Trochiſci ligni aloes ſuper prunas ponantur, aut ſuffimigijs ex rebus aromaticis in cubiculo ægrotantis vtamur, & alijs quibus aer cubiculi calefieri poſſit, quantum oporteat.

Alimenta non omnibus eadem conueniunt, verùm ſemper ſint boni ſucci faciliſque tranſitus, vt virtutem ſuſtinere valeant. Eaq; cauſam, & morbum reſpiciant, ab ijſq; vt indicentur, opus eſt, ideoque calefaciendi, & exiccandi facultatem habeant, ſimulque, & attenuandi.

Piſces omnes, edulia ex paſta, omniſque generis carnes craſſæ, vt ſuillæ, atq; bubulæ, fugiendæ ſunt.

Carnes auicularum in montibus degentium ſunt optimæ, vt turdorum, merularum, attagenum, perdicum ficedularum, caponum, gallinarum, & cuniculorum, quæ aſſatæ fuerint, & rebus aromaticis conditæ, vt folijs ſaluiæ, roſmarini, ſatureiæ, caryophyllis, cinnamomo, pipere, coſto, & huiuſmodi.

Panis ex optima farina benè coctus, ac fermentatus, aniſatus, fœniculatus, cinnamomoq; confectus conuenit.

Potus aquæ coctæ, & cum ſeminibus iam dictis in principio morbi offerendus eſt.

Vinum etiam album concedere expedit modicè aſſumptum, quod quidem in declinatione magis competit.

Exercitium moderatum valet, vigiliæ proficiunt; ſed non immoderatæ. Somnus quoque ſit mediocris.

Animi paſſiones excedentes nocent, quamuis aliqua nuncia, quæ poſſint iraſcibilem aliquo pacto excitare, non improbarem, quia ira diſcutit craſſos humores, ipſoſq; calefacit.

Aluus ſeruanda eſt lubrica, quæ vbi non fuerit talis natura, arte prouocãda eſt clyſteribus, & ſuppoſitorijs, quales diximus conuenire in dolore capitis ortum ducente à materia pituitoſa: hac victus ratione ſeruata, inhibebitur humoris pituitoſi generatio, quæ erat prima indicatio.

Secunda indicatio reſpiciebat humorem genitum in habitu corporis primò, deinde eum, qui collectus eſt in capite; hinc ſatisfacere opus eſt tam chirurgia, quàm pharmacia. Chirurgiam quidem eo prorſus modo ſeruato, quẽ diximus cap. de vertigine ortum ducente à materia pituitoſa, adminiſtrabimus, nempe quando adeſt indicans ſanguinis mittendi, virtuſque permittat, euacuandus eſt humor per ſectionem venæ.

## DE CVRATIONE CARI, Comatis, & Cataphora per Pharmaciam.

Quod ad pharmaciam ſpectat, prę parandus primò humor venit, deinde eſt educendus. Præparare autem

autem poteritis hoc ſyrupo particulari, & illis etiam, quorum mentionem habebimus cap. de apoplexia, & alijs affectionibus capitis ortum ducentibus à materia pituitoſa, vt

℞. Bettonicæ,
Saluiæ,
Herbæ paralyſis, ana manip. j.
Sem. dauci,
Fœniculi, ana drach. j. ſſ.

Bulliant in quantitate aquæ frontis puriſſimæ ad tertias.

℞. huius decocti, vnc. iiij.
Syr. de bettonica,
De ſtechade, ana vnc. j. m.

Præparatũ humorẽ educite hoc medicamento.

℞. Pil. ſine quibus,
De hiera cũ agarico, ana drach. j.
Cum cathart. roſ. fiant pilulæ num. vij. & aurentur: poſt pilularum aſſumptionem per duas horas exibe hanc potionem.

℞. Syr. de ſucco roſ. cum ſena, & agarico.
Mellis roſ. ſolut. ana vnc. iij.
Elect. de dactylis,
Indi maioris, ana drach. j.
Cum decoctione prædicta fiat potio.

Huiuſmodi autem medicamentum tam validum non conuenit, niſi quando morbus vehemens eſt, & vires benè valent, quæ vbi non tam validæ ſint, nec copus robuſtum, ſatis erunt pilulæ ſolæ cum aliquo leui apozemate ſolutiuo aſſumpto; vt eſt iſtud.

℞. decoctionis prædictæ, vnc. ij. cum qua diſſolue.
Syr. roſ. ex nouem infuſionibus
Mell. roſ. ſol. ana vnc. ij. fiat potus.

Pro bolo.

℞. Diacatholici, drach. vj.
Hieræ diacolocynth. Ruſi, drach. iij.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Expurgato corpore cogitandum eſt de euacuatione materiæ, quæ facit earum in actu, quæ fieri poteſt tam impellentibus deorſum materiam, quàm

A pellentibus deorſum materiam, quàm his, quæ ipſam trahunt ad partes infernas, tam per reuulſionem, quàm per deriuationem, nec non paulatim materiam conſumentibus, & caput corroborantibus. Quæ impellunt ſunt oxyrhodina ab initio reprimentia, non tamen valida, vt eſt iſtud.

℞. Aquæ roſarum, lib. j. in qua bulliant
Santalorum trium cortic. drach. ij.
B Balauſtiorum, pug. j.
Olei roſati,
Chamæmel. ana vnc. ſſ.
Aceti optimi, vnc. j.

Trahunt clyſteres reuellendo, vt

℞. Fol. maluæ,
Parietariæ,
Brancæ vrſinæ,
Acanthi, ana manip. j.
Pulegij,
C Origani, ana pug. ij.
Agarici albi,
Radicis acanthi, ana drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decocti, lib. j.
Diaphenici,
Hieræ Ruſi, ana vnc. j.
Olei chamæmeli,
Anethini, ana vnc. j. ſſ.
Cum ſalis gemmæ, ſcrup. ij. fiat clyſter.

D Valent etiam, & clyſteres ex muria, & garo, & quicumque à capite poſſunt reuellere.

Suppoſitoria quoque præſcribi poſſunt, vt

℞. Mellis deſpumati, vnc. j.
Salis gemmæ,
Trochiſci alhandal, ana drach. ſſ.
Spec. hieræ, ſcrup. j.

Æ Fiat ſuppoſitorium longum: & hæc ſunt attrahentia reuellendo. In hoc ordine ſunt cucurbitæ applicatæ, cruribus, clunibus, dorſo: frictiones quoque, & nodi doloroſi ad malleolos, & ad digitos facti attrahunt.

Deriuant verò errhina, ſternutatoria, maſticatoria, gargariſmata, cauteria,

tam

tam ſincipiti, hoc eſt, in coalitu futuræ coronalis, & ſagittalis, necnon, & occipiti in coniunctione futurarum lambdoidis, & ſagittalis affixa, nec non, & ceruici inter primam, & ſecundam vertebram.

Inter errhina placet naſturtium cum origano in aceto acerrimo coctum in linteo inuolutum, ac naribus applicatum. Idem præſtat caſtoreum cum puluere nigellæ.

Plura errhina, & alia huiuſmodi iam afferemus cap. de apoplexia, quemadmodum etiam maſticatoria, ſed in hoc caſu placet, vt fiat maſticatorium ad hunc modum.

℞. Pul. caſtorei,
Piperis,
Ellebori,
Nigellæ, ana ſcrup. ſſ.

Vel ſic

℞. Ellebori,
Origani, ana drach. j.
Caſtorei, ſcrup. j.
Miſce.

Excipiantur cera, aut maſtiche, & fiant trochiſci, qui in ore detineantur, & maſticentur. Gargariſmata etiam plura fieri in hunc vſum poſſunt, vt eſt dictum cap. de dolore capitis à materia pituitoſa ortum ducente.

Sunt modò euacuantia, & humores conſumentia pituitoſos, quorum quæ-

A dam per os aſſumuntur, vt ſunt theriaca, mithridatium, diamuſcus, quæ ad doſim vnius drachmæ aſſumi poſſunt.

Capiti verò extra admouentur plura, quæ diſcutere, & exiccare poſſunt humorem in capite retentum, vt ſunt vnguenta, embrocationes, emplaſtra, de quibus ſatis dictū eſt in alijs affectionibus à materia frigida ortū ducentibus.

Verùm duo tantùm in hoc affectu

B propono probata, vnum eſt ſub forma vnguenti, quo caput totum inungatur, vbi primùm abraſum fuerit, vt

℞. Caſtorei, drach. ij.
Olei chamæmel. vnc. j.ſſ.
Aceti, vnc. ſſ.
Miſce, & fiat vnguentum.

Aliud eſt emplaſtrum ex ſynapi, quod ad hunc modum conficitur.

℞. Sinapi in aceto macerati, vnc. ſſ.
C Caricarum, num. xx.
Contundantur perfectè, fiat emplaſtrum. Etiam veſicatoria aliquando in hoc caſu ſunt ex vſu, quæ ad hunc modum parari poſſunt.

℞. Fermenti optimi, lib. ſſ.
Pul. cantharidum, drach. ij.
Caricarum pinguium, num. x.
Cū aceto acerrimo fiat emplaſtrum.

Et hæc de cognitione, & curatione

D cari, & cataphoræ ſomnolentæ, ad catochen, ſeu ad catalepſin declarandam properandum eſt.

# DE CATOCHE SEV CATALEPSI.

## CAPVT DECIMVMTERTIVM.

A Deo contingit rarò huiuſmodi affectio in his potiſſimū regionibus, quæ ad orientem, ac meridiem ſitæ ſunt, vt dicere auſim, nullum medicum huius Ciuitatis eam vnquam cognouiſſe, aut in praxi animaduertiſſe, nec per conſequens vnquam curaſſe,

E proinde ſatiùs videretur eſſe, ſi ab ipſius tractatione abſtineremus.

Licet autem eiuſmodi affectio in locis temperatis, vt eſt hæc ſaluberrima Vrbs, rarò eueniat, quia tamen in locis mediterraneis, & montuoſius huius Regni, vbi frigus maximè viget, cōtingere poſſet, tū quia huius affectionis diſcuſſio eſt, vt preludium ad cognitionē

magnorum capitis, & neruorum affectuum, qui tam ſæpè hic eueniunt, vt eſt paralyſis, epilepſia, conuulſio, tortura oris, & huiuſmodi, quæ ægris, & medicis maximum faceſſunt negociũ, idcirco decreui eam in medium afferre, nec aliter atque alias capitis affectiones examinare.

Igitur primò nominis, deinde rei definitionem ſcrutabor, mox differentias, cauſas, & ſymptomata propria aperiam, & quid de euentu ſperare liceat, declarabo, & tandem, qua methodo ſit curanda, adducam.

Quod ad nomen attinet, Græci κατωχὴν appellarunt, nomenque deduxerunt à verbo κατωχί, quod detineor, & occupor ſignificat; vnde homines, qui hoc ſymptomate apprehenduntur, appellantur κατηχοιερσιο, hoc eſt, detenti, & deprehenſi, quod de repentè corpus, & anima ipſorum ita detineatur, atque occupetur, plerumque oculis apertis, vt ſtatuæ, & laruæ immobiles videantur, Gal. 2. prorret. com. 3. tex. 65.

Arabes propterea congelationem appellarunt, aut, vt melius dicam, Latini Arabes ſectantes; nam elegantiores Latini detentionem, occupationem, & comprehenſionem dixerunt.

De definitione huius affectionis inter Capiuaccium, & Rudium non admodum conuenit, quos authores poteſtis per vos ipſos legere, videreque, in quibus diſcrepent: nunc nolo tempus conterere in examinandis ipſorũ opinionibus, curabo ipſã definire hoc modo.

At primò ſuppono id, quod Galenus ſcriptum reliquit lib. de differentijs ſymptomatum cap. 3. imaginationem, & ratiocinationem, non ſecus atque omnes corporis actiones lædi poſſe tribus modis; nempè abolitè, diminutè, & deprauatè. Quando aboletur imaginatio dicitur à Galeno eiuſdẽ reſolutio, quando raciocinatio, vocatur dementia.

At vbi imaginatio, & ratiocinatio deprauantur, tunc communi nomine

A comprehendũtur, & dicuntur paraphroſini; vbi verò diminuuntur, tunc imaginatio diminuta nullum habet propriũ nomen; eamque Galenus ſub lethargi nomine deſignauit; at raciocinatiua diminuta moroſis eodem Galeno dicta eſt, nos fatuitatem vocamus.

Qua ſtante Galeni determinatione, in catalepſi adeſt reſolutio imaginationis, cum omninò hæc abolita ſit, ſimul-
B que dementia adeſt ratiocinantis, nec non fatuitas quædam, ita vt ægrotantes à mente, & corpore detenti, videantur ſtatuæ in modum remanere.

Vnde dicere poſſumus catochen, ſeu catalepſin eſſe imaginationem reſolutam cum dementia, aut fatuitate, totius corporis motu abolito, aliquando diminuto, eiuſdemque rigiditate, ſenſuque abolito, palpebriſq; apertis, ſer-
C uata reſpiratione.

Dicimus imaginationem eſſe reſolutam ad differentiam lethargi, in quo imaginatio eſt diminuta, deinde æddimus fatuitatem, ad differentiam tum cari, tum apoplexiæ, in quibus ratiocinatiua eſt abolita.

Tertiò addimus ſeruatam eſſe memoriam, quæ in omnibus alijs, nempe apoplexia, lethargo, & caro omninò abo-
D letur. Hiſce differt ratione læſionis hemonicarum læſarum.

Quod ad motum corporis, & ſenſus exteriores ſpectat, amittitur motus, & ſenſus, non ſecus atque in apoplexia, & caro, ſed ægrotantes rigidi manent, eandem figuram ſeruantes, in qua correpti fuerunt, deinde oculos apertos ſeruant; in caro, & in lethargo è contra claufos habent: tandem reſpiratio ſerua-
E tur, quæ in apoplexia eſt deperdita.

Differentiæ huius affectionis ſunt pe nes figuram, quam ſeruant, quando ſunt ab hoc prauo ſymptomate correpti. Vnam differentiam à Galeno habetis lib. 2. prorret. 56. qui eſt talis: vnus condiſcipulus, dum literis intentus eſſet, oculis apertis Galenum intuebatur,

atque

palpebraſq; conniuebat ſtans immotus. Fernelius lib.5.pathol. cap. 2. ſcribit ſe obſeruaſſe ſcholarem quemdam; qui dum chartis, & litteris inuigilaret maximè, repente obriguiſſe, ita vt ſedens, calamumque digitis ſuis premens, ac ſi ſcribere voluiſſet, remanſit, oculoſque fixos in libris habebat, veluti ſi impenſè ſtuderet, at vbi vocatus fuit, atque impulſus, deprehenſus eſt omni carere ſenſu.

Alterum ſe vidiſſe adhuc teſtatur, ſed in lecto iacentem, qui neque audiebat, neque videbat, nec punctus ſentiebat, aderat tamen facilis reſpiratio, & quidquid in os inferebatur promptè vorabat, oculos tamen clauſos habebat, ſed mortui ritu iacens, & quod omnem ſuperat admirationem, vbi è lectulo ſublatus eſſet, conſiſtebat, impulſus incedebat, & quocumque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum, & ſtabile remanebat, videbaturque larua expreſſa, aut ſtatua quædam, quæ ita mobilis parata eſſet.

Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 14. ſe vnum obſeruaſſe ſcriptum reliquit, ita correptum oculis apertis, nec aliquo modo palpebris conniuentibus.

Ioannes Beniuenius inquit ſe aliquẽ vidiſſe, qui cum è negotijs domum rediret, thalamumque ingreſſus, vbi vxor puerpera iacebat, vt fieri ſolet, volens ipſam ſalutare, fuit illicò ab huiuſmodi ſymptomate correptus, oculiſque apertis, neque conniuentibus palpebris, ita remanſit mulierem reſpiciens, quæ cum eum abſque loquela animaduerteret ita intenſè reſpicientem, nec verba proferentem, perterrita eſt, & famulos accerſiri iuſſit, qui ei opem ferrent.

Ex his, & ex alijs caſibus ab Alexandro de Benedictis allatis apparet, adeſſe plures differentias reſpectu variæ figuræ, quam ſeruant, vt plurimum tamen, oculos apertos habent, & toto corpore rigent, & hæc eſt affectio ad

A vium expreſſa, & ſuæ differentiæ.

Quod ad partem cerebri læſam attinet, Galenus 3. de locis affectis cap. 4. & 4. eiuſdem cap. 2. ſcriptum reliquit partem poſteriorem cerebri eſſe læſam; per partem poſteriorem Euſtachius Rudius lib. 1. cap. 7. inquit Galenum intellexiſſe cerebellum, quia ab ipſo omnes nerui ſenſum tactus per corpus diſtribuentes ortum ſuum ducunt; proinde eo

B læſo, & ſenſum lædi neceſſe eſt.

Tunc ſic, ſi in catoche ſenſus amittitur, multo magis deberet amitti motus thoracis, conſequentiam hinc deducit, quia ſentire eſt pati, mouere eſt agere, ſed cum maior copia ſpirituum requiratur ad motum, quàm ad ſenſum, & in catoche amittatur ſenſus, in quo requiritur minor copia ſpirituum, ſeruatur verò reſpiratio, quæ eſt motus,

C dicendum erit motum thoracis non prouenire à cerebro, nec per conſequens eſſe motum voluntarium.

Sed Euſtachius valdè deceptus eſt; nam nec anatomem, nec Galenum ſectatur: eſt in hac re, anatomen, quia hæc clarè demonſtrat à cerebello nullũ neruum originem ducere, neque aliquis anatomicus ex recentioribus id

D demonſtrat, nec Veſalius, nec Fallopius, aut Laurentius, aut alius eſt, qui ſcribat à cerebello neruos oriri.

Nec ſequitur doctrinam Galeni, quia ſi legetis lib. 8. de vſu part. cap. 6. comperietis eum neruorum talem facere diuiſionem. Neruorum alij ſunt molliores, alij duriores, alij medij. Molliores ortum ducunt ab internis partibus cerebri, vbi partes molliores sũt, & dura membrana deſtituta; duriores

E à cerebello; medij verò ea parte exeunt, qua medulla cerebro adnexa eſt.

At quod magis eſt Galenus clariſſimè ſcribit nullum ex mollioribus neruis à cerebello ſuam originem ducere, ſed benè omnes duros: quare cum Galenus velit à mollioribus ſenſum fieri, à durioribus motum, ſcribatq; partem

poſteriorem, nempe cerebellum eſſe læſum, argumentum deſumpſit à motus leſione,quē motum à cerebello,tan quam à principio neruorum durorum proficiſci arbitratus eſt,non autem propter ſenſum, quod tamen Euſtachius exiſtimat hac ratione cerebellum leſum eſſe, quia ſenſus tactus eſt amiſſus,quare à Galeni via maximè abhorret,quam tamen magnopere ipſe profitetur ſequi.

De motu thoracis nec rectè ratiocinatur;nā in Gal.doctrina nerui per corpus diſtribuuntur triplici ratione. Primò vt ſenſorijs partibus ſenſum diſtribuant; ſecundò vt motorijs motum;tertiò vt partes animalis ſentiant noxia, vnde cùm alij ſint ferentes ſenſum partibus exterioribus, alij verò, qui ferunt motum ipſi thoraci, non eſt mirum,ſi ſenſu amiſſo, remaneat motus diaphragmatis, & thoracis.

Galeni propoſitio, quod maior virtus requiritur ad motum,quàm ad ſenſum, veriſſima eſt, ſi quemadmodum eam ſcribit author intelligatur, nempe quando per eundem neruum,& ſenſus, & motus fertur, tunc amittitur motus, integro ſenſu remanente, non autem poteſt amitti ſenſus, & remanere motus.

Atqui nerui ſenſum ferentes ſunt diuerſi ab his, qui motum ferunt, hinc etiam fieri poteſt, vt vnus amittatur,altero manente, proinde motus thoracis integer manet, ſenſu corporis ablato.

Quare nec poteſt concludere Euſtachius, quod motus thoracis non ſit voluntarius, cum,vt notiſſimum eſt, fiat à muſculis, qui ſunt motus voluntarij inſtrumenta, quamuis motus thoracis ſit voluntarius quidem,ſed paſſioni naturali obnoxius, qui coactus dicitur, non eſt tamen liber, & abſolutus, vt eſt motus manus, & pedis, ſed de hac materia tractabitur ſuo loco, nempe de morbis thoracis.

Reuertamur ad partem affectam in

A catoche, quam diximus tam ex Galeno, quàm ex Rudio eſſe cerebellum, quod eſt in parte capitis poſteriori;quę opinio videtur adhuc pati aliquam difficultatem; nam Galenus 3. de locis affectis cap. 4. dicebat lædi in catoche imaginationem abolitè, cùm dicat eſſe reſolutionem quandam imaginationis, hæc autem ex eodem Gal. eſt poſita in anteriori parte ipſius cerebri.

B Exiſtimauit enim Galenus has tres animæ facultates in cerebro reſidentes differre loco, quo ad operationem; nam imaginationem putat poſitam eſſe in anteriori parte cerebri, memoratiuam in poſteriore, ratiocinatiuam in medio.

Si igitur in catoche abolita eſt imaginatio, è contra memoria firma remanet, vnde dicendum erit anteriorem C partem cerebri,non poſteriorem læſam eſſe; nam ſi vera eſt illa propoſitio, quod actio læſa ducat nos in cognitionem partis affectæ, quia anterioris partis cerebri actio, quæ eſt imaginatio, abolita eſt, ergo pars cerebri anterior eſt læſa, cùm autem actio partis poſterioris non ſit læſa, neque etiam poterimus dicere partem capitis poſteriorem læſam eſſe.

D Sed actio cerebri duobus modis conſiderari poteſt. Primùm prout immediatè à cerebro proficiſcitur: ſecundò modo,quatenus ſit per ſpinalem medullam, & ſuos neruos.

Si primo quidē, dicimus anteriorem cerebri partem eſſe magis læſam, quia imaginatio, quæ eſt ipſius actio,eſt læſa, poſteriorem verò partem minimè læſā eſſe, quia non læditur memoria, quæ E eſt eius actio, ſuppoſita opinione de locis potentiarum in cerebro diſtinctis, quæ ab Auic. fuit primò ſcripta lib. 1. fen. 1. doct. 6. cap. 5. quem in hoc ſectatus eſt Auerroes, tum in canticis, cum in lib. colligit; ſed hæc ſunt alterius inſtituti.

Si verò ſecundo modo conſideretur, dico,

dico, quod & anterior,& poſterior pars eſt læſa,magis tamen poſterior; nam ſpinalis medulla eſt veluti neruus quidam, magnus ortum ducens ab ipſius cerebri ventriculis anterioribus, vbi molliori ſubſtantia ſunt præditi, deorſumque recta ad foramen magnum capitis deſcendens, per mediam viam duas ap-pendices latas, & magnas offert cerebello, ex quibus tota moles cerebelli conſtituta videtur.

Indeque deorſum ad foramen, per quod exire debet, progreditur. At hic conſideremus ipſius ductum eſſe, (antequam à capite exeat) longitudinis vnius digiti indicis, & eius obſeruabimus eſſe quatuor ſuperficies; vnam,quæ reſpicit anteriorem partem oſſium capitis, & cerebri, aliam, quæ poſteriorem, & cerebellum ipſum: aliæ duæ ſunt ſuperficies laterales, qua ſtante ſpinalis medullæ diuiſione, ab ipſa tanquam à neruo inſigni ſeptem illa paria neruorum tam diuulgata, prodeunt.

Primum par eſt neruorum opticorũ, qui cæteris omnibus ſunt maiores, duriores, & intus excauati, ſeu perforati, ortum ducentes à poſteriori,& ſuperiori ſuperficie ſpinalis medullæ, & ſemicirculi in modum, vtrimque caput medullæ amplectentes: deinde deorſum progredientes ad illam oſſis ſphœnoidis regionem coniunguntur, ita perfectè, vt nullum ſuæ ſeparationis veſtigium appareat, inde recta ad oculos feruntur: hi ſunt viſiui.

Secundum par neruorum ab intima, & ſuperiori parte,& anteriori ſuperficie ſpinalis medullæ exoritur, qua ipſa medulla à fornice, & ventriculis cerebri ortum ſuum accipit; hi ſunt pro palpebrarum motu, ad tactum molliores, quàm ſint optici, quamuis longè ſint minores.

Non eſt verum tertium par, ſed à me inuentum, quod ab alijs Anatomicis pro tertio enumeratur, par exiguum ad modum à poſteriori parte, ſeu ſuperficie ſub neruis opticis exoritur, atque antrorſum procedens totum inlinguam diſtribuitur pro guſtu faciendo;cuiusgu ſtatorij nerui dicuntur. Hoc par coniungitur cum tertio, quod à lateribus ſpinæ oritur.

Quartum par à lateribus ipſius ſpinalis medullæ explantatur, qua ipſa iam à cerebro ſeiungi incipit, & ad palatum tendit.

Quintum par ſub iam dictis à lateribus ipſius medullæ ad cerebelli regionẽ enaſcitur, totumque in aurium cauitates diſtribuitur, neruiq; auditorij ambo dicuntur,& eſt altera neruulorum portio, quæ ab anteriori ſpinæ ſuperficie exoritur, ac deorſum recta in oculos cum ſecundo pari fertur, quam Veſalius pro portione quinti paris enumerâuit, cum tamen nihil commune cum auditorijs habeat.

Duo paria poſtrema à lateribus medullæ exoriuntur poſtquam hæc ipſa cerebellum tranſigit, antequam à capite exeat, quorũm primum ſextum par vocatur, quod vbi à capite exierit, omni eſt admiratione plenum, à quo nerui vocati reuulſiui tanto naturæ artificio prodeunt: ab hoc pari omnia viſcera ſenſum habent.

Septimum eſt, quod totum in linguã diſtribuitur, & ſuos muſculos, cuius beneficio ipſa lingua mouetur.

Qua ſtante medullæ, antequam à capite exeat, diuiſione, ſuorumque neruorum ab ipſa ortorũ, dicere poſſumus in catoche poſteriorem cerebri partem læſam eſſe, quia ea læditur, quæ eſt poſterior cerebri pars.

Quandoquidem à poſteriori ipſius cerebri parte ea exoritur, inde ab ipſius ductu, priuſquam cerebellum attingat, explantantur quatuor paria neruorum, nempe optici nerui, motores oculorum, guſtatorij, & illi qui per palatum diſſeminantur,necnon auditorij, hoc eſt dictu,quinque paria neruorum à pro-

progreſſu ſpinalis medullæ ad cerebellũ vſque ortum ſuum ducunt; & aliæ duæ coniugationes à nobis olim animad-uerſæ, à nemine, quem ſciam, obſer-uatæ.

Igitur ab hoc breuiſſimo progreſſu ſpinalis medullæ, qui eſt à cerebro,vn-de ipſa naſcitur ad cerebellum vſque, quinque paria neruorum tam vulgata emergunt, quæ omnia in catoche læſa non ſunt.

Deinde habet cerebellum duas ma-gnas epipheſes,hoc eſt, explantationes, quaſi totam ipſam ſubſtantiam conſtitu entes; & ab ipſis ſpiritus animales reci-pit, quos ad motum, & ſenſum facien-dum aptiores reddit, qui inde ad reli-quum ipſius medullæ delati,motum, & ſenſum omnibus corporis partibus tri-buunt.

Iam verò cum medulla cerebellum ſuperauerit, antequam ipſa à capite exeat, duas poſtremas coniugationes, ſeu neruorum paria producit, ſextum nempe, atque ſeptimum, in catoche non videntur lædi iſtæ duę ramificatio-nes;nã ab vna, quæ eſt ſexta producitur reſpiratio; ab altera motus linguæ, & partium adiacentium, vt apparet in caſu à Fernelio allato illius, qui prom-ptè deuorabat, quidquid ſibi offereba-tus, & aliorum etiam apud alios ſcripto res, qui digluticbant, ac comedebant.

Non igitur læſæ ſunt poſtremæ iſtæ duæ neruorum coniugationes, ſed aliæ omnes, ab ea prodeuntes, poſtquam à capite ipſa exierit, à qua omnes nerui motorij, & ſenſorij ortum ducũt,quare pro Galeno poſſumus dicere neruos duriores,& motorios naſci à cerebello, hoc eſt,poſt cerebellum;nam naſcuntur duriores nerui à ſpinali medulla,quę eſt poſt cerebellum.

Poſſumus etiam dicere neruorum (vt dicit Galenus) alios eſſe molliores,alios duriores, & alios medio modo ſe habe-re: molliores ſunt optici, guſtatorij, & auditorij: duriores omnes ſunt illi, qui à ſpinali medulla oriũntur, poſtquam à capite exijt: medij verò ſunt, qui ad oculos feruntur,& ad linguam pro mo-tu; nam molliores prodeunt ab anteri-ori parte medullæ, qua à cerebro ena-ſcitur; duriores à poſteriori ipſius par-te; medij deniq; à lateribus: his ita conſideratis.

Dicendum videtur per partem poſte riorem cerebri eſſe intelligendam me-dullam, quæ à poſteriori illius parte oritur, & eſt veluti cerebrum ipſum elongatum, à quo cerebellum produ-citur, poſtque ipſius productionem nerui & motum, & ſenſum in totum corpus diſtribuentes ortum ducunt; quare & ſpinalis medulla ipſa maximè læſa eſt, & ad ipſius læſionem læduntur & nerui, qui ab ipſa tanquam riuuli à ſuo fonte emergunt: & hæc de parte affecta in catoche.

## DE CAVSIS CATOCHES, *ſeu Catalepſis.*

Hiuſmodi affectio, quæ catoche, ſeu catalepſis à nobis fuit appel-lata, cùm ſit ſymptoma actionum ani-malium, opus eſt, vt morbum aliquem ſequatur, qui ſuas habeat cauſas tam internas, quàm externas.

Omnes ſcriptores in hoc conueniũt, vt ſit intemperies frigida, cui adiuncta ſit ſiccitas, hoc à Galeno etiam deſum-pſerunt 4. de locis affectis, & ab Aui-cenna, qui idem ſentit fen. prima libro 3. tract. 3. cap. 8.

Huius intemperieí aſſignant internas, & externas cauſas. Interna eſt cum præſentia materiæ melancholicæ, quæ frigida, & ſicca eſt, eodem docente Galeno lib. 4. de locis affectis cap. 2. vbi deſcriptum reliquit apoplexiam, carũ, & catochen ab humoribus frigidis, & craſſis fieri.

At magis expreſsè lib. 4. de pręſagi-tione ex pulſibus cap. 8. dicebat: vehe-mens frigiditas cerebri,cui accidat ſic-citas,

citas; motu priuat vniuerſum corpus, non tamen hi comatoſi fiunt, ſed ſublatis oculis intuentur continenter, & 2. aph. 3. ſcripſit Galenus magnam, cerebri refrigerationem efficere ſomnos profundos. Verum ſi humiditatem vehementem adiunctam habeat, generat lethargum; ſed ſi ſit cum ea ſiccitas facit catalepſim; hanc autem frigiditatem, & ſiccitatem ab humore melancholico induci declarat lib. 1. prorret. 56.

Quare immediata, & proxima cauſa eſt humor melancholicus, ſed cum iſthic humor aut ſit naturalis, aut præter naturam; hic de naturali, non de præter naturali eſt ſermo, quia à præter naturali variè affecto fiunt varia ſymptomata in animalibus actionibus, vt ſuo loco declarabimus, nunc ex ſententia Galeni, & omnium medicorum dicimus cauſam immediatam, & proximam eſſe humorem melancholicum naturalem, quem ſanguinis fęcem appellant.

Verùm in hac affectione præter hegemonicarum læſiones, quas diximus, adeſt ſenſus tactus, & motus voluntarij amiſſio, imo aliud adiunctum habet, quod conſideratione aliqua eget, & eſt illa membrorum tenſio, aut rigiditas, quæ manet in omnibus catoche affectis, fitque de repentè, & in bona valetudine.

Clariſſimum eſt huiuſmodi ſymptomata non poſſe fieri à ſola intemperie, niſi adſit copia materiæ, quæ eſt melancholica, aut ſanguis melancholicus, vt plerique authores ſcribunt, quemadmodum videre poteſtis apud Petrum Garciam diſputatione 12. de catoche tum cap. 1. tum 2. vbi affert varias authorum ſententias, quas poteſtis legere, ſed vbi contineatur hæc materia, & quomodo tam ſubitò faciat hunc affectum, non videntur ij ſatis declarare.

Nam dicunt hanc copioſam eſſe, & in venis contentam, à qua ſubſequitur huiuſmodi membrorum tenſio, & eſt A (veluti Garcias inquit) conuulſio ex repletione venarum per conſenſum, quod ſi verum eſſet, ſequeretur catochen non fieri niſi in maximè repletis, ſed obſeruauimus aliquos catoche affectos eſſe macilentos admodum, & graciles, nec in hunc morbum incidiſſe, niſi in locis ſummè frigidis, & in media hyeme.

B Nos inter alios vidimus Bononiæ baiulum quendam, qui dum cum alijs ſocijs per iocum, & riſum, multa diceret, ac faceret, fuit catoche obſeſſus in media via, remanſitq; erectus, & oculis apertis; vt videretur velle fingere laruam, aut ſtatuam, qui deprehenſus fuit, & domum ab alijs ipſum quaſi irridentibus allatus. Primo aſpectu fuit caſus riſu dignus, cum totum ipſius cor pus rigidum remanſerit.

C Quare ex hoc caſu, & alijs iam à me propoſitis, apparet hanc affectionem non prouenire ex copia humoris contenti in venis: deinde catoche repentè fit, at huiuſmodi materia contenta in venis non poteſt tam repentè hunc motum facere ad totum corporis habitum.

Differo igitur ab his dicentibus fieri hunc rigiditatis effectum à plenitudine D humoris melancholici exiſtentis in venis totius corporis; nam ex ſola qualitate frigida, & ſicca non poteſt fieri huiuſmodi affectio, quemadmodum nec apoplexia, nec carus, ſed opus eſt materia aliqua; cum enim cerebrum affectum ſit, vt dicebat Galenus, & ſecundùm corpus, & ſecundùm ventriculos, in apoplexia tota materia pituitoſa de repentè cadit à ſubſtantia cerebri, vbi E collecta eſt, in cauitatem cerebri, eamque totam obſtruens priuat hominem ſenſu, & motu.

In catoche verò materia non cadit tota in ventriculos, cum hæc ipſa non ſit vno in loco collecta; nam alia eſt, quæ continetur in propria ſubſtantia ipſius cerebri, alia, quæ inter piam mem branam

branam, & extimam ſuperficiem cerebri, alia quæ collecta eſt inter duram,& piam, alia verò quæ inter duram membranam, & caluariam.

Quæ eſt in ſubſtantia cerebri,hoc eſt, in poris ipſius,cadit in ventriculos,inde ad ſpinalem medullam, quo nomine contingit ipſam obſtrui ſecundùm magis, & minus, hinc etiam homines priuantur ſenſu, & motu.

At illa, quæ eſt in partibus cerebri iam dictis,cadit inter membranas ipſius medullæ, & ſuorum neruorum; nam cùm medulla ortum habeat à cerebro, iiſdem membranis inuoluitur, ac inuolutum eſt cerebrum;neruique ipſi triplicem habent ſubſtantiam ſimilem ipſi medullæ.

Vna eſt medullaris, quæ immediatè à tenuiori membrana tegitur, tenuis verò à dura inuoluitur membrana: medullaris ſubſtantia medullæ eſt excauata, quemadmodum nerui, vnde ad tollendũ tam ſenſum, quàm motum ſatis eſt, vt canalis obſtruatur, per quem fertur virtus animalis.

E contra vbi materia cadit in membranas,eas diſtendit, hinc etiam omnes corporis partes diſtenſæ manent, ac rigidæ, vt congelatæ videantur. Quare ſum huius ſententiæ, vt putem cerebrũ cum medulla, & neruis læſum eſſe, ac ſequi diuerſos affectus pro diuerſitate ipſarum partium læſarum.

Senſus,& motus læditur, quia medullaris ſubſtantia excauata obſtruitur, quo minus ſpiritus diſtribui poſſint pro ſenſu, & motu faciendo, membranæ verò ita imbibuntur, vt ſint tenſionis,& rigiditatis membrorum cauſæ,& cauſatur quædam tetani ſpecies.

Ideo repente occurrit huiuſmodi affectio, quia materia repentè cadit, & imbibitur in membranis ſpinalis medullæ, & neruorum;hoc enim modo Galenus 4.de præſagitione ex pulſibus cap. 8. ſcriptum reliquit arteriarum membranas in affectionibus capitis ex ſicci-

A tate, & tenſione duriores fieri, ac rigidiores,quod faciliùs euenire poteſt in neruorum membranis,quòd tenuiores, & molliores ſint, quàm arteriarũ membranæ.

Cauſam igitur internam, coniunctã, ſeu immediatam, & proximam dicimus eſſe materiam melancholicam collectã in capite modo iam dicto.

Cauſæ verò antecedentes ſunt iidem

B humores melancholici in venis collecti, qui apti ſunt, vt in caput ferantur, qui cum eò delati ſint, in maiorique copia, quàm conueniat, neque conuerti poſſint in ipſius cerebri,aut membranarum alimenta, reſpuuntur tanquam inutilia, atque inde inter has partes ſenſim colliguntur,qui deinde repentè cadunt in ſubiectas partes iam dictas.

Cauſæ horum humorum in corpore

C genitorum petuntur tam à rebus non naturalibus,quàm à diſpoſitione rerum naturalium.

Inter res non naturales aer impenſè frigidus, & ſiccus, quemadmodum hyeme eſſe ſolet in locis ſeptentrionalibus, vbi per ſpatium triũ,aut quatuor menſium frigidus eſt ob multam niuis copiam,ſiccuſque,quia per totum illud tempus, aliquando remanet purus ſine

D nube, ac pluuia.

Qua ratione colliguntur tales humores in his potiſſimùm, qui rebus aptis ad tales humores generandos victitant; qui multas cruditates coaceruant; qui vino generoſo indulgent; qui animi affectibus immoderatis, & validis corripiuntur; qui corpus nimium quàm conueniat exercent; qui plurimùm vigilant, tandem ij, quibus excrementa

E retinentur, quæ aſſueta erant expurgari;& hæmorrhoides retentæ,concurrente ætate conſiſtentiæ, habitu corporis melancholico, complexione frigida, & ſicca, lieneque malè affecto, nec rectè iecur, vt decet, expurgante; hæc de cauſis tam internis, quàm externis huius affectionis.

Sed

Sed vnum hoc loci inquiſitione non vacat, cur eſt, quòd in locis frigidis huiuſmodi affectio tam ſæpè fiat? an id contingat, ſicut nonnulli aſſerunt, ratione impenſæ frigiditatis, quæ ita neruos, & ſpinalem medullam condenſet, & conſtringat, vt glaciei in modum congelari videantur, contrahentes ad ſe partes, quibus inferuntur, at tenſionem illam facientes.

Sed hanc cauſam eſſe minimè puto ſufficientem; quia dato, quod ab aere externo poſſit produci tanta frigiditas, & ſiccitas, vt partes aqueæ, quæ ſunt circa neruos condenſentur glaciei in modum, (quod in corpore noſtro fieri poſſe non arbitror) quàm primùm ipſi cubiculo, & igni appropinquarentur, diſſoluerentur humiditates condenſatæ, & ſtatim liberarentur.

Ad hæc falſum eſſe experientia demonſtrat; nam qui hac labe afficiuntur, non niſi longo tempore curari poſſunt, neque vnquam animaduerſum eſt aliquem loco calido expoſitum ſanatum fuiſſe ſubitò, non igitur dicendum eſt ſolam frigiditatem poſſe hoc ſymptoma inducere.

Propterea exiſtimo à frigiditate externa aeris exprimi ſpongiæ in modum materiam contentam in capite, deorſumque ferri, & partim canalem medullæ, & neruorum obſtruere, partim in membranas deſcendere, in illiſque imbibi, eaque ratione & neruos, & partes, quibus inferuntur, retrahere, ac rigidas facere, & hoc modo mea opinione fit catoche inſtar tetani cuiuſdã: hæc de cauſis, iam ſigna afferenda veniunt.

## DE SIGNIS CATOCHES, *ſeu catalepſis.*

Ex ſignis alia ſunt, quæ catochen, alia verò quæ cauſas ipſius oftendunt: ſigna catochen demonſtrantia ſunt ſenſus, & motus totius corporis

A priuatio; ægri enim veluti amantes, non mouentur, nec ſentiunt oculos apertos tenent, palpebraſque immotas, ita vt intentè videantur aliquid reſpicere.

Si tamen quis manum, aut aliquid aliud oculis afferat, nullo modo mouẽt oculos, aut palpebras, ac ſi ſtatua eſſent, ſi tamen aliquando ab hac figura, quam ſeruant, dum à morbo apprehenduntur, remoueantur, & recti ſtatuan-

B tur, fixi manent, ac immobiles.

Si extollatur illis brachium, ita elatum retinẽt, remanetque illa figura, in qua collocantur, aliquando impulſi mouentur, vt in caſu Fernelij propoſito apparet; nonnulli voce priuantur, aliquando loquuntur, ſed parum, omnes ferè linguam mouent, & reſpirationem ſeruant, quæ aliquibus rara eſt, nonnullis denſa magis per interual-

C la ſpiritum magnum emittentibus.

Pulſus eorum duriores ſunt, quàm ſit in lethargicis, nec non & magis æquales.

Excrementa alui vt plurimùm retinentur: ſi exeunt, ſicca ſunt, & melancholica, quare tum propter eorum ſiccitatem, tum fortè propter inteſtinorum ſtupidatem nimium retinentur.

D Vrinæ crudæ ſunt, & tenues, quæ & ipſæ retineri conſueuerunt.

Cauſarũ ſigna deſumpta ſunt à corporis habitu melancholico, à corporis temperie frigida, & ſicca, ab ætate cõſiſtente, quæ propè eſt, vt declinet, à victus ratione in ſex rebus naturalibus, à quibus copia humoris melancholici generari potuit.

Ipſiuſque humoris ſigna in corpore

E apparent, vt color niger faciei, & totius corporis, ſapor in ore ſæpè acidus vehementius, tempore veſpertino, & de quarto in quartum affliguntur, iuuantur ab his, quæ humorem melancholicum euacuant, læduntur ab his, quæ ipſum in corpore accumulant; hæc de ſignis.

### DE FVTVRO EVENTV catoches, ſeu catalepſis.

Quamuis vt plurimùm, qui catoche comprehenduntur, autho- re Aetio lib.6, cap.4. non poſſint curari, & intereant, nihilominus vbi adſit virium robur, faciliſque tolerantia, nec affectio ſit admodum vehemens, nec praua ſubſequantur ſymptomata, & motus non ſit ex toto ablatus, ſenſuſque aliquo modo vigeat, ægrotanteſque ad cibum, & potum, ac medicamenta benè ſe habeant, percipiantque aliquod iuuamentum à medicamentis conſuetis, euentus bonus ſperandus.

Tempus euentus ſemper longum eſt: modus ab arte ſuis inſtrumentis ritè, & vt decet adminiſtratis potiùs, quàm à natura expectandus eſt, de quibus agendum nunc proponitur.

### DE CVRATIONE CATOCHES, ſeu catalepſis per victus rationem.

Indicationes ferè eædem ſunt, quales diximus in alijs ſoporoſis affectionibus; nam materia euacuanda eſt, quæ tam in capite, quàm in toto habitu corporis reperitur, cum hac tamen differentia, quia in catoche reſoluenda eſt materia, quæ totum corpus rigidũ facit, quæ in lethergo, aut alijs affectionibus minimè reperitur. Euacuatio autem alia eſt vniuerſalis, alia particularis.

Vniuerſalis, eſt humoris peccantis in toto corpore contenti; alia eſt illius, qui tam in cerebro, ac ſuis membranis, nec non & ſpinali medulla cum ſuis ramis, & membranis, quibus tam medulla, quàm nerui ipſi obuoluntur, reperitur.

Euacuatur autem materia ſiue in toto ſit, ſiue in parte, quando ipſius inhibetur generatio. Non producitur amplius humor melancholicus in corpore, ſi victus ratio adminiſtrata fuerit in ſex rebus naturalibus, quæ bonum ſanguinem facere ſit apta, habeatque qualitatem cõtrariam morbo, & cauſæ.

A Aer, qui primus inter res non naturales occurrit, debet eſſe calidus, & in paſſiuis vergens ad humidum.

Alimenta boni ſucci, magis aſſata requiruntur, quàm elixa, quemadmodum etiam in alijs ſoporoſis affectionibus dictum eſt, quamuis vergere debeant magis ad certum quoddam humidum, quàm ad ſiccum.

B Pro potu ſit aqua, in qua ebullierit cinnamomum, aut modicum radicis coſti, vel aqua cum melle, & ſaluia, quamuis vinum pauciferum etiam conueniat, morbo potiſſimùm ad declinationem tendente.

Somnus in aliquibus procurandus eſt, in alijs è contra vigilia.

C In paucis exercitium fieri poteſt, ſed exercitij loco fiant frictiones, nec admodum validæ, ſed quæ poſſint poros cutis aperire, & materiam ſubtus contentam attenuare, atque euacuare.

Animi affectiones, quæ ad mœroré, aut mœſtitiam poſſint animum ægrotantis nimium conuertere, ſunt fugiendæ, ſed quantum fieri poteſt, ad hilaritatem animus eſt ducendus.

D Aluus ſingulis diebus, aut ſaltem alternis irritanda, niſi natura ſit obediens, idque fieri poteſt ſuppoſitorijs, & clyſteribus immiſſis.

Suppoſitoria poſſunt eſſe huius generis, vt

℞. mellis deſpumati vnc.j.
Pul. ellebori ſcrup.j.
Specierum hieræ ſ. drach.j.
Pil. de elaterio g.iiij.
Fiat ſuppoſitum.

E Clyſter verò poteſt parari ad hunc modum.

℞. fol. betæ,
Maluæ,
Mercurialis ana manip.j.
Florum chamæmeli,

Epithymi ana manip.ſſ.
Fol. ſenæ orient.vnc.ſſ.
Rad.ellebori nigri,
Polypodij ana drach.ij.
Fiat decoctio ſecundum artem, &
℞. huius decocti lib.j.
Mell. roſ.colati,
Olei chamæmeli ana vnc.j.ſſ.
Confect.hamech.vnc.ſſ.
Diaphœnici vnc.ſſ.
Diaſenæ ſolut.ana drach.ij.
Fiat clyſter, & inijciatur. Hac ratione inhibebitur humoris catalepſim facientis generatio.

## DE CVRATIONE CATOCHES, ſeu catalepſis per pharmaciam.

Genitum verò humorem in corpore alijs duobus inſtrumentis euacuare ſtudendum eſt, & primò ſi opus chirurgia fuerit,ea ratione adminiſtretur, vt diximus adminiſtrandam eſſe cap.de caro.

Deinde cogitandum eſt de purgatione, quæ vbi neceſſaria fuerit,& ipſa eſt vſurpanda ea ſeruata methodo, vt docuimus in alijs capitis affectionibus ab humoribus craſſis ortum ducentibus, & primò quidem preparantibus vtendum eſt, deinde euacuantibus. Ad humorem melancholicum præparandū in hoc caſū valet huiuſmodi ſyrupus.

℞. ſyr.de ſucco borraginis.
De pomis ſimpl.ana vnc.j.
Aquarum fumariæ,
Borraginis,
Bettonicæ ana vnc.j.ſſ.miſce.

Offeratur ſingulo mane per quatuor horas ante prandium, quouſque materia attenuata fuerit, quæ deinde hoc pharmaco educenda erit.

℞. ſem.aniſorum,
Carui ana drach.j.
Fol.epithymi manip.ſſ.
Corticum rad.elleb. nigri
Myrobal.ind.ana vnc.ſſ.
Rad.polypodij drach. iij.

A Fol.ſenæ orient.drach.ij.
Flor.cordial.pug.ij.
Fiat decoctio, &
℞. huius decocti vnc.iij.infunde
Rhabarbari drach.ij.
Facta forti expreſſione, diſſolue
Syr. de ſena magiſtr.
Magiſtri Auguſtini ana vnc.iij.
Fiat potus breuis.

Vel poſſunt humores his pilulis expurgari. B

℞.pil.de lapide lazuli,
De lapide armenio ana ſcrup. ij.
De elaterio Nic.ſcrup.ſſ.

Cum melle roſ. quantum ſufficit fiant pilulæ numero vij.& aurentur, deinde ſuperbibat prædictæ decoct. vnc. vj.

Vel ſic

℞. hieræ logadij,
Conf.hamech.ana vnc.ſſ.
C Diagridij g.iiij.

Cum ſaccharo quantum ſufficit, fiat bolus.

Euacuato corpore opus eſt caput, & membra rigida reſpicere, eaque ad priſtinam conſtitutionem reſtituere, quod & internis, & externis præſidijs conſequimur. Internæ ſunt.

℞. Conſeruæ florum pœniæ,
Stœchados,
D Roſmarini,
Bettonicæ ana vnc.j.
Mithridatij,
Elect.lætificantis Raſis ana drach. ij.
Cranij humani drach.j.ſſ.

Cum ſyr.de ſtœchade quantum ſufficit fiat conditum cum quatuor foliis auri. Deinde

℞. aquæ pœoniæ,
Borraginis ana vnc. iiij. miſce.

E Quam ſuperbibat æger. Huiuſmodi electuarium non modò valet ad reliquias euertendas humoris in capite, & membris remanentes, ſed cor ipſum etiam corroborare poteſt, quod in hoc caſu maximè requiritur.

Hoc decoctum præterea exhiberi poterit, ſi nondum æger conualuerit.

℞. aquæ meliſſæ,
Fumariæ ana lib.ſſ.
Ambæ extractæ per elambicum
Infunde per viginti quatuor horas
Radic. chinarum vnc.ſſ.
In fine infuſionis adde
Florum cord.pug.ſſ.
Coriandr.præparat.drach.ſſ.
Ligni ſasfras ſcrup.j.

Bulliant ad balneum mariæ per ſeptem horas, coletur, & diuidatur in duas partes pro duabus vicibus.

Sed antequam aſſumat iſtud decoctum, ingerat vnc.j.præſcripti electuarij, vel accipiat huiuſmodi tabellam.

℞. ſpec. lætificantis Raſis,
Diamuſchi dulcis ana drach.j.
Sacchari diſſoluti in aqua meliſſæ vnc.iij.

Fiat confectio in tabellis.

Poſt aſſumptum decoctum optimum eſſet, ſi natura oſtendit velle per ſudorem materiam euacuare; arte ei opem ferre.

Vel

℞. conſ.anthos,
Florum pœoniæ ana vnc.j.
Conf. anacard.
Aurea alex.
Mithridatij ana drach.j.
Cranij humani drach.j.ſſ.

Miſce, cum ſyrupo de bettonica fiat conditum: doſis ſit ad vnc.ſſ.

Externa medicamenta, quæ capiti, & membris rigidis conueniunt, ſunt inter alia irrigationes, quæ ex his rebus poſſunt fieri.

A ℞. capitis caſtrati, quod in aqua ebulliat vſque ad perfectam coctionem, in qua ponantur
Foliorum pœoniæ cum tota planta ſeminibus, & floribus manip.iij.
Foliorum maluæ,
Althęæ ana manip.j.
Florum chamæmeli manip.ij.
Sem.lini,
B Fœnugræci,
Seſami ana drach.ij.
Summitatum anethi,
Abſynthij ana manip.j.
Radic. polypodij,
Ellebori ana vnc.j.

Fiat decoctio ſecundum artem, deinde immergantur ſpongiæ, & membris rigidis applicentur, denique inungatur caput, & ipſa membra hoc linimento.

C ℞. olei ſambucini vnc.ij.
Euphorbij ſ. p. drach.ij.
Cum modico ceræ fiat linimentum;
Vel huiuſmodi oleo calido.

℞. olei liliorum alborum,
Seſamini,
Anethini,
Amygd. amararum ana vnc.ſſ.

Poteſt etiam cum prædictis oleis ebullire aliquod ſimplex; quod attenuandi, & emolliendi facultatem habeat,
D vt eſt
Serpyllum,
Hyſſopum,
Thymum,
Calamenthum,
Et huiuſmodi: & hæc de catoche dixiſſe ſufficiant.

DE

# DE LETHARGO, SEV VETERNO.

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

D ſomnolentas affecti- ones lethargus quoq; pertinet; de quo agen- dum nobis in præſen- tiarum, proponitur, quamuis à Raſi nulla de ipſo in particulari habeatur mentio, forte quia ſub graui dormitatione faci- lè cóprehenditur. Græci verò fuſo ſer- mone de ipſo tractant, nos preſſiùs, & primò de ijs, quæ faciunt ad cognitio- nem, deinde ad curationem, dicturi ſumus.

Apud Græcos reperitur iſtud nomē lethargus, qui apud Auicennam appel- latur ſirſen phlegmaticum lib.3. fen. 1. tract.3,cap.7.Latini modò obliuionem inertem, modò veternum appellant.

Eſſentia morbi iſtius ſpectat ad ſym- ptomatum naturam, non in excretis, aut qualitatibus corporis mutatis, ſed in actionibus læſis, in hegemonicis pri mùm,in quibus ratio eſt abolita ſimul cum memoria; imaginatio verò dimi- nuta, ſenſus autē, & motus totius cor- poris abolitus (excepta reſpiratione) aut ſaltem valdè diminutus.

Aegrotantes enim in hoc ſymptoma te iacent vix ſentientes, aut quaſi ſe- pulti, nihil eorum, quæ præterita ſunt recordantur, nihil diſcurrunt, aut ra- tiocinantur, diminutè imaginantes cū quadam febre lenta, aut ignaua: quare poſſumus ipſius definitionem ad hunc deſcribere modum.

Lethargus, ſeu veternus eſt ſympto- ma ratiocinantis, & memorantis facul- tatis abolitæ, imaginantis diminutæ; ſenſus, & motus totius corporis a- bolitus eſt, aut diminutus, palpebrarū clauſione, ſeruata reſpiratione, cum febre lenta.

Quibus apparet, quomodo ab apo- plexia, à caro, & comate differat, vt demóſtrauimus,dū ſermo eſſet de caro.

### DE PARTE AFFECTA IN LE- thargo, ſeu veterno.

B Partem affectam eſſe cerebrum nō non eſt dubitandum, eodemque modo læſum eſſe, quemadmodum in phrenitide, nempe ſecundùm ſubſtan- tiam, & ſuas membranas, quod docuit Paulus lib.3.cap.19.ex mente Galeni, & nos oſtendimus cap.de phrenitide.

C Auicennas tamen putat neque cere- brum, neque ſuas membranas poſſe ab hoc ſymptomate lædi, & primò quo ad cerebrum probat fieri minimè poſſe, vt patiatur, quia ſi pateretur, eſſet pro- pter humoris pituitoſi penetrationem. Hoc autem fieri nequit,tum propter ineptitudinem materiæ pituitoſæ ad pe netrandum, tum cerebri ad illam ad- mittendam; nā materia pituitoſa craſ- ſa, frigida, & glutinoſa eſt penetratio

D ni inepta, cerebri verò ſubſtantia craſ- ſa nòn admittens huius humoris pene- trationem, quare ab huiuſmodi mate- ria cerebrum minimè patitur, non vi- detur igitur id eſſe partem leſam.

Nec inſuper membranæ cerebri ſunt pars læſa,quia ſunt ſuapte natura denſæ, neque admittentes humorem huiuſmodi; quemadmodùm enim ſe habet pleura ad morbum pleuriticum,

E ita ſe habet membrana cerebri ad le- thargum, ſed pleura non admittit hu- morem pituitoſum in ſe,neque propte- rea poteſt fieri morbus pleuriticus à pi- tuita, ita prorſus dicendum eſt, mem- branas cerebri nō pati à lethargo, ergo falſum erit, quòd ex Galeno ſupra de- terminauimus nempe cerebrum cū ſuis mēbranis eſſe partē leſam in lethargo.

His

His non obſtantibus reſpondere poteſtis Auicennam oſtendere nobis difficultatem, non tamē impoſſibilitatem; neque vt cerebrum patiatur in affectione hac, neceſſarium eſt materiam intus penetrare, ſed ſat eſt poros ipſius ſubſtantiæ occupare, quæ quamuis craſſa ſit, ob ſui ingentem mollitiem admittit ſenſim huius humoris penetrationem, præſert m in ſuis illis anfractibus, qui in extima ſunt ſuperficie, intra quos poteſt colligi quæuis materia, & hoc ſatis eſt ad lethargum faciendum.

Quod ad membranas ſpectat, de dura eſſet dubitatio; nam de pia nullum eſt dubium, quia in eius ſubſtantiam, per poros penetrare poteſt queuis craſſa materia.

Neque puto eſſe verum ſuppoſitum, quod pleuritis non fiat à pituitoſa materia, de qua ſuo loco. Tandem materia pituitoſa ſola eſt difficilis ad penetrandum, ſed vbi habear adiunctam aliquā ſanguinis copiam, tam in pleuritide, quā in lethargo faciliùs penetrat, quod verò in lethargo adſit ſemper ſanguinis portio, patet, quia is eſt cauſa, cur putreſcat pituita, & producatur febris. Quare concludimus, partem affectam eſſe cerebri ſubſtantiam, aut corpus cū ſuis membranis, non ſecus atque in pleuritide.

## DE CAVSIS LETHARGI, SEV veterni.

Difficilius eſt determinare de morbo, quem ſequitur præſens ſymptoma; video enim inter grauiſſimos doctores litem eſſe; nam alij putant morbum eſſe intemperiem frigidam, & humidam cerebri; alij è contra dicunt eſſe malam cerebri compoſitionem, nēpe tumorem, aut apoſtema, quod eſt morbus in magnitudine adaucta.

Priores mouentur fundamento deſumpto ex Gal. 3. aph. 3. vbi ita ſcribit; febres lethargicæ fiunt ex humore pi-A tuitoſo in cerebro coaceruato, quod idem, & clariùs repetit idem Galenus 1. prorret. con. 1. tex. con. 1. ſi igitur fiūt ex humore pituitoſo, ſequitur, quod fiāt ab intemperie frigida, & humida, & per conſequens cōcluditur cerebrum pati, vt membrum ſimilare.

Secundæ opinionis fundamentum ab eodem Galeno deſumptum eſt lib. 13. meth. med. cap. 21. vbi ſcribit lethargum eſſe quodammodò contrariū B phrenitidi, at contraria dicuntur ea, quæ ſunt in eodem genere, & maximè diſtant, cum igitur phrenitis ſit inflammatio, ergo & lethargus.

Differunt verò inter ſe, quia pleuritis eſt inflammatio calida, lethargus eſt inflammatio quidem, ſed remiſsè calida, huiuſmodi autem contrarietas eſt ex parte materiæ, in qua calor accenſus C eſt; cū in phrenitide humor bilioſus ſanguini admixtus putreſcat; in lethargo verò pituita ipſi ſanguini adiuncta.

Confirmatur ex Auicennæ ſententia, qui libro 3. fen. 1. tract. 7. ſcriptum reliquit lethargum eſſe apoſtema frigidum, ſequitur igitur morbum eſſe in compoſitione, nempe in magnitudine adaucta.

Pro ſolutione dico nullum eſſe incōueniens, quod lethargus fiat ab intem- D perie facta à materia pituitoſa putreſcente ſine inflammatione, & aliquando etiam fiat ab inflammatione, nempe ab œdemate phlegmonoſo, quare morbus faciens lethargum aliquando eſt intemperies, nonnunquam verò & mala cōpoſitio, quæ ſępiùs euenit, quàm intemperies: hinc cerebrum patitur & vt eſt membrum ſimilare, & vt organicum. E

Huius affectus cauſa immediata, ac proxima eſt humor pituitoſus, qui aliquando intemperat, aliquando inflammationem facit, præſertim ſanguini admixtus.

Cauſæ verò exteriores ſunt omnes res non naturales tam neceſſariò, quàm non

non neceſſariò nobis occurrentes, ſi non fuerint rectè, vt decet, adminiſtratæ, conferentibus quoque rebus naturalibus, de quibus in alijs ſomnolentis affectionibus dictum ſatis eſt; hæc breuiter de cauſis.

A

### DE DIFFERENTIIS LETHARgi, ſeu veterni.

Differentiæ aliæ ſunt, quæ deſumũtur a morbo; vnde alia eſt, quæ a cerebri intemperie, alia quæ a mala eius compoſitione euenit, aliæ ſunt per conſenſum ab aliquibus corporis partibus, puto tamen raró fieri poſſe lethargum per conſenſum, quia ſtatim euadit per eſſentiam.

B

Aliæ denique accipiũtur ab alijs cauſis, ſed quæ parum faciunt ad cognitionem, & multominus ad curationem, inter quas vna recenſeri poteſt, quæ eſt deſumptá à modò generationis, vnde alia eſt differentia lethargi, quæ ortum ducit nullo præcedente morbo.

C

Alia verò, quæ ortum ducit ab inflammatione, hoc eſt à phrenitide, ſiue modò induretur inflammatio ob partium tenuium reſolutionem, ſiue quia à medicamentis refrigeretur.

D

### DE SIGNIS LETHARGI, ſeu veterni.

Signorum ad lethargum attinentiũ alia ſunt, quæ eũ affuturũ prædicunt, alia quæ iam præſentem demonſtrant. Priora ſunt capitis grauedo, propenſio ad ſomnum, nimia totius corporis ignauia, aut grauitas.

Præſentem demonſtrant Galeno authore lib. de comate cap. 3. in primis ſi ægrotantes veluti amentes iacent, nihil recordantur; aut ſapienter dicunt, vocati vix audiunt, puncti, vel irritati cũ maxima difficultate mouentur, profundiſſimo ſomno occupantur; neque ab eo, niſi cũ difficultate excitari poſſunt.

Interrogati reſpondent quidem, ſi cũ maxima voce acclamentur, ſed turbulentè admodum, quia ægrè ferunt, vt à ſomno excitentur, & ſtatim ad ſomnum redeunt, oſcitantes quandoque ore hiante remanent.

Trallianus addit eos manus mouere, tanquam ſi aliquid colligerent, nec potentes illud retinere: reſpiratio eorum tarda eſt, atque imbecillis, aliquando cum ſtertore, pulſus, Galeno authore lib. de ſynopſi pulſ. ca. 16. tardus eſt, rarus, vndoſus, turbulentus, intermittens.

Excreta per os ſunt ſaliua, quæ deorſum ſæpè ad mentum deſcendit, quia expuere nequeunt, tum quia ſi poſſent, non recordantur ſpuere.

Vrinæ ſæpè turbidæ conſpiciuntur vt illæ iumentorũ, docente Auicenna: excreta per ſeceſſum humida ſunt, ac pituitoſa; linguæ, & faciei color eſt albus: hæc de ſignis lethargi, ex quibus poteritis facilè ipſum ab apoplexia, caro, comate, & catoche diſtinguere, quemadmodum intellexiſtis etiam in proprijs capitibus.

### DE FVTVRO EVENTV lethargi, ſeu veterni.

Euentus lethargi timendus eſt iuxta Celſi authoritatem dicentis lib. 3. cap. 21. niſi huic affectioni ſuccurratur hominem iugulare, ſed ad ipſius euentum præſagiendum opus eſt, vehementiam morbi cum virium robore comparare; ſi vehemens ſit, ita vt vires ſuperet, euentus malus prædici poterit.

E

Si verò robur virium tale fuerit, vt ſuperare poſſit morbum, bonus euentus prædicendus eſt; ſi enim virtus naturalis, ac vitalis robuſta ſit animali facultate non admodum læſa, ea ratione, vt non opprimatur à vehementia ſymptomatum, ac ſomnus non ſit adeo profundus, à quo excitentur non difficulter,

ter; ſanitatem recuperabunt ægri.

Deinde ſi interrogati reſpondent, & nonpoſſint perferre puncturas, & nodos dolorofos, ita vt facilè eas ſentiát, faciliſque ſit reſpiratio, ægrotanteſque rectè ferant, & facilè, beneq; ad oblata ſe habeant, iuuenturque à medicamẽtis, quæ ſolent iuuare tales morbos, prædici poteſt certa ſalus; è contra verò expectandus eſt malus euentus, & certiſſima pernicies.

Tempus mortis non eſt admodum longum; nam 1. acutorum ab Hippocrate tex.8.& lib.2.de morbis, & à Galeno 1.in 3.caput com.1. inter morbos acutos lethargus numeratur; & idem Hippocrates affirmat infra ſeptimum lethargicos interire.

At tempus ſalutis non eſt tam breue, quia fit à materia craſſa, quæ tempore eget longiori ad ſui reſolutionem, niſi contingat ipſum per criſim terminari; qui eſt modus à natura ſeruatus in morbis acutis ſoluendis.

Vnde Galenus lib.3. de criſi. cap.4. ſcriptum reliquit lethargicos per ſudorem terminatos fuiſſe diebus criticis, per totum corpus, & caput calidum effluentẽm; aliquando per vrinam, & nonnunquam per tranſmiſſionem materiæ ad aliquam partem particularem, vt potiſſimùm ad parotidas, docente Auicenna.

Modus verò, quo ab arte terminatur, eſt per victus rationem, ſanguinis miſſionem, alterantia, euacuationem, & corroborationem; de quibus agendum in ſequentibus proponitur.

### DE LETHARGI CVRATIONE per victus rationem.

Cvm dictum ſit lethargum ex materia pituitoſa putreſcẽte ſola; nec non & ex pituita, cui ſanguis admiſcetur, tumorem in capite, & etiam intemperiem abſque tumore faciente, ortum ſuum ducere, vt idem cu-

A retur; conſilium medentis dirigi debet ad cauſæ antecedentis primùm, deinde ad coniunctæ remotionem è corpore.

Remouebitur autem cauſa antecedens, ſi humoris peccantis generatio inhibeatur, ille verò, qui in corpore genitus eſt, extra corpus euacuetur, ne poſſit caput petere, qui autem in capite eſt, ad partes infernas reuellatur, vel ad propinquas deriuetur, aut loca-

B libus præſidijs inſenſibiliter reſolui, & in vaporem redaci cogatur; & tandem vbi euacuatus fuerit, caput roboretur, ita vt nõn ampliùs recipiat talem humorem, nec per conſequens in lethargum deinceps incurrat.

Sed prædictis indicationibus non poſſumus ſatisfacere regulari, & ordinata curatione; niſi primùm animaduertamus eſſe tollendum, quod vrget, nempe

C ea curatione, quam coactam appellauimus, quæ inſuper regularis dici poteſt, atque irregularis. Regularis quidem, quia innititur indicationibus; irregularis verò, quia non procedit per cauſæ antecedentis ablationem primò, ſed immediatè effectum tollere tentat, quia vrget, vt in præſenti caſu.

Quare cogimur primò, nullo habito reſpectu ad cauſam antecedentem, au-

D ferre materiam, quæ eſt in capite, faciẽtẽ tot ſymptomata praua, quæ reuellenda eſt ad partes longinquas, quod fit duobus modis, impellendo ſcilicet, atque attrahendo, deinde ad palatum, ad os; ad nares deriuando.

Nonnunquam verò ſunt adminiſtranda cauteria ceruici, atque futurarum vnioni, ſæpè verò cogimur hirudines ad nares affigere, & venas ſecare, quæ

E in capite ſunt, vt à cerebro materia deriuetur.

Impulſio fit medicamentis refrigerantibus capiti, & fronti applicatis, quæ in lethargo conueniunt, ex Galeni authoritate lib.13.meth.medic.cap.21. cui Auicennas conſentit, & quamuis Mercurialis videatur dubitare ob pituitam,

quæ

quæ non eſt tam facilis ad impellendũ, dico tamen pituitam habere multas differentias in craſſitie, & tenuitate, quæ vbi eſt tenuis quemadmodum in lethargo, poteſt, antequam imbibatur in cerebro, impelli, atque cogi, vt retrocedat eò, vnde venit.

Facileque ſuccedit id, vbi adeſt ſanguinis mixtio, longè tamen minus reprimendum eſt, quàm in pleuritide, ideo licet à principio vti oxyrhodinis, de quibus ſuo loco, ad hoc vt impellatur materia: attrahitur verò tum clyſteribus validis, tum frictionibus, tum cucurbitis ſine ſectione, tum nodis doloroſis factis ad articulos pedum, ac manuum, vt dicemus cap. de apoplexia, ſed quia ſymptoma non vnica vice, aut duabus tollitur, opus eſt ſæpe huiuſmodi præſidia applicare.

Verum expedit ægros nutrire ad virtutem ſeruandam, at non poteſt victus ratio tam facilè conſtitui, quia ægrotantes non cedunt ijs, quæ ſibi dicuntur, & ſi eos vocemus, & cogamus violentia ad reſpondendum, reſurgunt quidem aperiendo oculos, ſed ſtatim deorſum caput reclinant oculos claudentes, nihil aliud quàm dormire curantes, proinde non poſſumus indifferenter illis præſcribere victus rationẽ, cum ſunt in ſymptomate, vt quando ſunt extra ſymptoma.

Aer debet eſſe cõmunis tam in primis quàm in ſecũdis qualitatibus, attamẽ in primis debet eſſe temperatus in aſtiuis ob febrem, quæ perpetuò adeſt docente Aretæo 1. acutorum 2. opus eſt etiam, vt ſit clarus, & quantum fieri poteſt radijs ſolaribus illuſtratus.

Cubile quoque eſſe eodem modo eſt neceſſe, in quo ægri tam in ſympto-ptomate, quàm extra decumbant; paratum nobiliori modo, quo fieri poteſt, ſtragulis, ac veſtibus pictis exornatum, cubiculi etiam picturarum varietate ornari debent vndique parietes, vt, quando incipiunt oculos aperire, ac reſpirare, ſpiritus viſiui conſopiti recreentur, & corroborentur.

Alimenta tamen, quæ in paroxiſmo offeruntur, debent eſſe vt plurimùm ſorbilia, quamuis eadem qualitates medicamentoſas habere oportet, nempe partim attenuandi, atque incidendi, partim refrigerandi propter febrem cõtinuam.

Vnde iuſcula pullorum, & gallinarum conueniunt, cum quibus eſt ebulliendum hordeum cum cortice, ſimul cum aliquibus ſimplicibus, vt eſt hyſſopum, ſaluia, ſatureia, ſerpyllum, vel ſimilia, cum quo iure panis tritus ebulliendus, vel diſſoluendus ptiſanæ cremor, vel cum cremore ptiſanæ ebulliat ex Tralliani decreto, modicum porri: vel etiam piperis tantillum craſſo modo contuſum in ipſo cremore ptiſanæ ponendum.

Oua quoque recentia in hoc iuſculo diſſoluta optima ſunt, hacque ratione incedendum in victus regimine, quouſque redigantur ad ſapientiã, & ſint extra ſymptoma, ſi vires valeãt, at vbi languidores appareant, tunc cõtuſis cum carnibus, & iuſculo prædicto diſſolutis, aut ſtillatitijs agendum eſt.

Pro potu aqua apij, hoc eſt, in qua ebullita ſit radix apij, vel cinnamomũ, aut ſemen aliquod calidum, vt eſt ſemen fœniculi, aut aniſi, vel dauci, & ſimilium: aqua etiam ſolùm ebullita valet, at vbi iam à ſymptomate liberati fuerint, & panem, ac carnes comedere debent.

Curabit elegans medicus panem ex optima farina fieri, qui ſit benè fermẽtatus, & coctus coriandro, aut aniſo præparatus: biſcoctus etiam aliquibus conceditur, & à quibuſdam in oxymel immerſus, ſed magis probo eos, qui panem ex optima farina cum ſaccharo, & ouorum luteis componunt, & modicò cinnamomi.

Inter carnes columbarum, gallicu-

 lorum,

lorum, caponum, attagenum, perdicum, & id genus mihi probantur.

Ex fructibus, pyra, & poma roſea, cocta concedi ſolent, quamuis melius eſt ab his abſtinere toto curationis tempore.

Pro potu, vinum album, odoriferũ, tenue, quod vt Tralliano placet, habeat aliquam adſtringendi facultatem.

Quies ſeruanda eſt, vt in cura coacta diximus.

Vigilia procuranda venit.

Animi affectus ad iram prouocãtes, dummodò non ſint violenter facti, ex vſu erunt.

Aluus mollis ſeruetur, quæ vbi non fuerit talis ſponte, arte procuranda eſt clyſteribus quibuſdam appropriatis, aut ſuppoſitorijs.

Clyſter poteſt eſſe ad hunc modum.

℞. fol. maluæ,
Althææ,
Mercurialis ana manip. j.
Centaurij min.
Rutæ ana manip. ß.
Hordei cum cortice vnc. j.
Agarici albi in petia inuoluti drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decocti lib. j.
Diaphœnici,
Hieræ logadij ana drach. v.
Olei chamæmeli vnc. ij.
Rutacei vnc. j.
Salis gemmæ drach. j.

Fiat clyſter: hæc de curatione per diætam.

## DE CVRATIONE LETHARGI, *ſeu veterni per chirurgiam.*

CIrca ſanguinis miſſionem peragẽdam in præſenti affectione non omnium eadem eſt ſententia; alij enim timent miſſionem ſanguinis; alij è contra eam libere admittunt. Priores videntur moueri à Galeni authoritate, qui lib. 4. de val. tuenda cap. 4. & lib. de ſanguinis miſſione cap. 6. & 10. dicit

A in humorum cruditate non eſſe mittendum ſanguinem, at in lethargo adſunt pituitoſi, & crudi humores, ergo non eſt mittendus ſanguis.

Hanc opinionem authoritate confirmant Meſuei, qui lib. 2. cap. de lethargo, de ſanguinis miſſione nullum habet verbum.

Qui verò affirmant eſſe ſanguinem mittendum, mouentur & ipſi authoritate

B eiuſdẽ Galeni, qui lib. 13. meth. med. cap. 21. ſcripſit in lethargo mittẽdum eſſe ſanguinem, quod idem per Auicennã confirmant lib. 3. fen. 1. tract. 3. cap. 7.

Arbitramur, & nos eſſe mittendum ſanguinem, quoties adſunt indicia ſanguinis mittendi, quæ ſunt vitium in maſſa ſanguinis, & robur virium; tunc enim adeſt indicans, quando adeſt ſan-

C guinis copia, aut eiuſdem motus ad caput.

Vnde eſt, quod ſanguis mittitur euacuandi cauſa, ſi copia adſit; ſi verò peccatum ſit in motu, mittitur reuellendi gratia, ita vt poſſimus mittere ſanguinem euacuandi, & reuellendi gratia in lethargo.

Ad rationem in oppoſitum allatam dicimus ex eodemmet Galeno cruditatem humorum poſſe eſſe cum copia

D ſanguinis, aut abſque ſanguine. Primo modo concedimus eſſe mittendum ſanguinem: ſecundo modo fatemur & nos nõ conuenire ſanguinis miſſionem; hoc modo intelligenda eſt Galeni ſentẽtia.

Quod ad rectam huius inſtrumenti adminiſtrationem ſpectãt, nulla eſt cõtrouerſia; nam à venis, quæ ſunt ad cubitum, primò eſt mittendus ſanguis

E pro intenſionis diuerſitate, vt multoties diximus; ſi namque euacuare eſt animus, detrahemus a iecoraria ſanguinem, ſi reuellendũ veniat, à cephalica.

At ſi vtrique intentioni ſatisfaciendum ſit, ex communi mitti debet ſanguis. Deinde facta hac ſanguinis miſſione ad venas, quæ ad caput ſunt, ſi

ad huc opus eſt, deueniendum, modò ex vena frontis, modò ex illis, quæ poſt aures ſunt, interdum, ex venis, quæ ſunt ad nares, ſanguis eſt extrahendus pro varia intentione, quod ex regulis mittendi ſanguinis apparet.

## DE CVRATIONE LETHARGI, *ſeu veterni per pharmaciam.*

Conſideranda ſunt medicamenta, tam, quæ intus aſſumuntur, quã quæ extra admouentur, topica appellata, & primò humor pituitoſus eſt deturbandus, ſi vires permittant. Verum præparatione priùs facta idoneis præſidijs; interea hoc vobis propono.

℞. fol. calamenthi,
Saluiæ,
Rutæ ana manip. ſſ.
Corticis myrobal. chebulorum drach. ij.
Hordei cum cortice vnc. ſſ.
Florum roſmarini,
Stœchados ana pug. ſſ.
Paſſularum vnc. j.
Fiat decoctio ſecundùm artem, &
℞. huius decocti vnc. iiij.
Syr. acet. ſimpl.
De mentha ana vnc. j.

Syrupus de mentha maior, magis probatur, quàm minor in hoc caſu; quãuis ſyrupus minor cum melle factus ad pituitoſum humorem alterandum efficacior, & præſtantior ſit.

Hoc medicamento, ſeu hoc ſyrupo præparatam materiam deinde extra corpus educite eiuſmodi potione.

℞. decoct. prædictæ vnc. iij. infunde
Rhabarb.
Agarici trochiſc. ana drach. j.
Spicæ,
Salis gemmæ ana g. v.
Facta expreſſione diſſolue.
Syr. magiſtri Auguſtini.
Mell. roſ. ſol. ana vnc. iij. f. potus b.

Bolus.

℞. diacatholici drach. vj.
Diaphœnici,
Elect. indi ma. ana drach. ij.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Pilulæ.

℞. pil. de hiera cum agarico drach. j. ſſ.
Trochiſc. alhandal. ſcrup. j.
Cum aqua ſaluiæ fiant pilulæ numero vij. & aurentur.

Vel

℞. pil. fœtidarum,
De agarico Meſue ana drach. j.
Cũ cathart. roſ. fiant pilulæ nu. vij. & aurentur.

Vel

℞. pil. de ſarcocolla,
Cochiar. ana drach. j.
Cum aqua ſaluiæ fiant pilulæ nu. vij.

Gordonius proponit hoc.

℞. hieræ picræ vnc. ſſ.
Pulpæ colocynthidos,
Bdellij ana ſcrup. ſſ.
Ex quibus vult fieri pilulas v. aut. vij.

Expurgato corpore hoc, vel alio præſidio ad cauſam coniunctam accedes, quæ à capite omninò euacuanda eſt, tam per reuulſionem, quàm per deriuationem, & per cutis poros euacuationem.

Reuellitur tam impellendo, quàm attrahendo. Medicamenta repellentia à principio conueniunt cum hac Galeni animaduerſione, vt in materia calida frigida ſint actu, in frigida verò ſint calida 1. ad Glauc. cap. 15.

Oxyrhodina igitur capiti applicanda veniunt tepida actu, & quæ mixtam facultatem habeant, vt in hoc caſu.

℞. olei roſati,
Chamæmeli ana vnc. j. ſſ.
Caſtorei ſcrup. ſſ.
Aceti vnc. j miſce.

Attrahentia ſunt clyſteres, de quibus ſatis ſupra, frictiones ad crura, fœmora, dorſum, ſcapulas, & brachia facta: cucurbitæ etiam ſine ſectione ijſdem partibus.

Deriuant ad os, & palatum, ac nares, maſticatoria, errhina, gargariſmata,

cauterium factum inter primam, & ſecundam vertebram ceruicis ferro ca-dente.

Aliquando ſectiones venarum frontis, aut poſt aures. Poſtremò euacuant per cutem, & caput corroborant multa tam intus, quàm extra admota.

Intus exhibentur magnæ antidotus, vt theriaca, mithridatium, aurea Alexandr. & huiuſmodi.

Extra multa ſunt, quæ applicari debent capiti, de quibus in alijs affectionibus ſatis dictum fuit, poſt factam irrigationem abraſo capite.

Huiuſmodi vnctio probatur.

℞. caſtorei drach. iij.
Pilorum crematorum drach. ij.
Succi ſcyllæ vnc. ſſ.
Mithridatij antiqui drac. ſſ.
Aceti ſquillitici vnc. ſſ.
Capiti, & fronti adhibeantur.

Guglielmus Varignana ſcribit in ſuis ſecretis ſatureiam in aceto infuſam, & capiti applicatam conferre.

Sinapiſmi quoque, & veſicatoria ex vſu aliquando ſunt.

Hoc loci Capiuaccius proponit controuerſiam inter Galenum, & Auicennam de vſu caſtorei in lethargo; dicit enim Galenum concedere caſtoreum, ſed vbi non adſit febris; quia is 11. de A ſimpl. med. facultate cap. de hac re, loquitur de caſtoreo cum pipere, quaſi velit eſſe adminiſtrandum caſtoreum in lethargo piperi admixtum.

Si tamen legetis locum præcitatũ Gal. non fuiſſe talem eius ſententiam vi debitis; ſed in vſu ipſius caſtorei in lethargicis, & cataphoricis cũ febre nõ oportere id cũ oleis ſupradictis macerare, ſed ſolo oleo roſaceo, atque inde B collo, & capiti ipſum applicare, non igitur Galeni mens eſt hoc loci, vt adminiſtretur caſtoreum piperi admixtum, ſed oleo roſaceo in prædictis affectionibus cum febre.

Ad euacuãdam materiã pituitoſam per totum corpus proponit Trallianus balneum aquæ dulcis tepidum, nec non & poſt balneum vnctionem, quæ ad hũc ſit modum.

C ℞. olei anethini vnc. iiij.
Vini albi generoſi vnc. j.
Caſtorei,
Pyrethri,
Piperis albi anã drach ſſ.
Nitri drach. j.
Miſce, & cum modico ceræ ad ignẽ

Fiat linimentum: & hæc de cognitione, & curatione lethargi. Nunc alium affectum aſſumimus declarandum, de D quo in ſequenti.

# DE COMATE VIGILI, SEV TYPHOMANIA.

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Occurrit alia ſpecies morbi, in qua ægrotantes, & dormiunt, & vigilant, quam aliqui ex antiquis, & recẽtioribus appellarũt, minus tamen propriè, catochen; nam etſi catoche affecti non moueantur, & oculos apertos teneant, non propter E rea dicuntur dormire, aut vigilantes eſſe.

Hunc nos affectum ex Galeni ſentẽtia nominamus coma vigil, quod conueniat cum comate duplici ratione: primò quia oculos clauſos ægri tenent, vt dormientes: ſecundò quia nemo horum valet ad munia aliqua vigilantium peragenda.

Diffe-

Differunt verò, quia in comate vigili ægrotantes vigilant ſemper, in comate verò ſomnolento ſemper dormiunt. De comate igitur hoc vigili agẽdum eſt nobis, in cuius tractatione examinabo primò ipſius cognitionem eamque vobis dilucidatam tradere enitar, deinde curationem.

Et quoniam affectio hæc videtur media inter lethargum, & phrenitidẽ, dicta fuit typhomania, hoc eſt, cæcum delirium, quod nomen deſumptum eſt ab Hippocrate 1. prorret.tex.1. vbi videtur proponere, & modeſtè quidem dubitationem hanc, an comatoſi vigiles phrenitici ſint, & quamuis Galenus lib.de com. cap. 3. non videatur iſtud nomen tanquam nouum admittere, nihilominus naturam ipſius conſiderans dicebat in principio non eſſe phreniticos, ſed temporis progreſſu euadere poſſe, pro vt ſit accretio vnius materiæ, & alterius reſolutio.

B

In lethargo enim adeſt imaginatio corrupta, & deficiens, fit autem, quando materia tenuis, nempe bilioſa reſoluitur, & augetur pituita: è contra verò quando reſoluitur materia pituitoſa, & augetur bilis, fiunt phrenitici.

C

Idem Galenus tum lib.de com. 3. in 3.epid.39.affert duplicem differentiam comatis vigilis, vnam pigram, alteram non pigram. Pigrum coma eſt, quando non multum mouentur ægrotantes, ſed dum ſomnolenti magis videntur, magis deſipiunt.

D

Non pigrum verò è contra eſt, quando vocati ſubitò reſurgunt. & vbi tententur, & vocentur, toruè reſpiciunt, & in omnes manus inijciunt, nihil differentes ab ijs, qui ſummè deſipiũt.

E

Quod ad eſſentiã huius affectus ſpectat, refertur ad ſenſus communis ſymptoma ex ligatione, & ſolutione ipſius coſtans; nam ſomnus eſt alligatio cõmunis ſenſus, vigilia verò eſt ſolutio; quare eſt actio eiuſdem deprauata.

Sed vidẽtur non poſſe ſtare duo contraria ſimul in eodem ſubiecto, at ſomnus, & vigilia ſunt contraria, non poſſunt igitur ſtare ſimul.

Ad tollendam hanc difficultatem, dico, quod comatoſi vigiles non dormiunt, ſed palpebras clauſas tenẽt ſperantes poſſe dormire, vt Galenus ſcribit 2.cap.libelli de comate, quare etſi grauedinem in palpebris percipiant, nõ propterea dormiunt, ſed vigiles ſemper manent, quare ſomnus, & vigilia non ſunt ſimul vno, & eodem tempore, id quod contingit ratione humoris peccantis copiæ, & dominij, vt paulò inferius, vbi ſermo fuerit de cauſis, fuſius intelligetis.

Sed neque poteſt definiri, quod ſit ſymptoma ſolius ſenſus cõmunis, ſiue dormiant, ſiue vigilent ægrotantes, & ratio eſt, quia adſunt hegemonicarum, nempe imaginantis, & ratiocinantis, læſiones; quare opus eſt ad ipſum definiendum, ita habere.

Coma vigil, ſeu typhomania eſt cumulus ſymptomatum facultatũm hegemonicarum, imaginantis deficientis, atque deprauatæ, nec non ratiocinij deprauati, cum ſenſus communis actione vitiata.

Huiuſmodi ſymptomatum cumulũ ab aliquo morbo dependere eſt opus, nempe (vt dictum fuit cap.de lethargo, & phrenitide) vel à cerebri mala compoſitione, id eſt, vt ſcribit Auicennas lib.2.fen.1.tract.2.cap.12.ab apoſtemate, vel ab intemperie, vt ex Galeno colligere facilè licet 3.com.3.epid. 45. tex. hoc eſt frigida, & humida, atque calida.

Nam cum ſtatuat Galenus hanc affectionem eſſe medium quoddam inter lethargum, & phrenitidem, prędictaſque affectiones ab intemperie fieri ex eodem oſtenderimus, nunc ex eiuſdem met Gal. ſententia dicimus typhomaniam fieri ab intemperie, ita vt cerebrũ patiatur, vt eſt membrum ſimilare, ex Auicenna verò, vt eſt mẽbrũ organicũ.

DE

### DE CAVSIS TYPHOMANIAE.

CAuſæ verò aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. Internæ proximæ & immediata eſt humor pituitoſus, ac bilioſus mixtus tam ex Galeno, quàm ex Auicenna, quamuis differant circa modum.

Nam Galenus vult huiuſmodi humores inter ſe admiſceri, atque ſimul putreſcere, proinde facere intemperiem ſibi ſimilem in ipſo cerebro; Auicennas verò vult eos facere apoſtema.

Verùm, vt alias oſtendi vobis, nullum ſequitur inconueniens, vt quandoque ex his fiat apoſtema; ſed frequentius abſque apoſtemate tales humores putreſcunt in cerebro.

Quin etiam fieri poteſt à vaporoſa materia à partibus infernis eleuata, non ſecus atque de paraphrenitide dictum à nobis fuit.

Hinc colligite differentias deſumptas à capite per eſſentiam, & per conſenſum, tam à toto, quàm ab aliqua corporis parte, deinde & à cauſis; nã alia eſt typhomania pigra, in qua minor copia bilis, maior pituitæ putrefactæ reperitur, magisque delirant ægrotantes, quando videntur dormire; alia A eſt non pigra, in qua maior copia humoris bilioſi putreſcẽtis adeſt, & ægrotantes magis delirant, quando vocantur, & coacti ſunt ſurgere, quàm vbi quieſcunt, dormireque videntur.

Cauſæ verò exteriores petuntur à rebus non naturalibus, tam neceſſariò, quàm non neceſſariò occurrentibus, de quibus aliàs ſatis.

Sed quoniam huiuſmodi affectio ra-B rò, aut nunquam per ſe contingit, ſed vt plurimùm ſequitur febres, hoc eſt illa ſpecies pigra vocata tertianas notas, extenſas, quotidianas, & hemitritæos; alia verò ſpecies dicta non pigra magis ſequitur tertianas minus extenſas, & quæ breuioris ſunt acceſſionis; ideo ad cognitionem harum habendam præter res non naturales, opus eſt etiam cõſiderare res prẹter natura-C les, nempe morbos, quos ſequuntur, non neglectis rebus naturalibus, de quibus plenior habebitur diſcuſſio in tractatu de febribus, vnde etiam & curatio deprehendi poterit; nam cum ſit ſymptoma febris, ad huius ablationem concidit & is affectus, cui interim finẽ imponimus, animaduertentes inde tractationis coronidẽ eſſe accipiẽdam, & ad alia properamus.

# DE VIGILIA IMMODERATA.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

POſt tractatum de ſomno præter naturam, ordo exigit, vt ad contrariũ orationem conuertamus. Dictum à nobis fuit ſomnum, & vigiliam duo eſſe accidentia, quæ verſantur circa ſenſum communem, quorum vigilia videtur aſſimilari poſſe luci actuãti viſus colores, ſomnus verò tenebris.

Rurſus quemadmodum tenebræ, ſiue reſpectu intenſionis, ſiue extenſionis non modò opem non ferunt ſenſui vi-E ſus, quia eius corrumpunt, atque perturbãt videndi actionem, ita prorſus, & ſomnus immoderatus ſenſus communis delet omnem actionem.

Immoderata verò vigilia, quippe quæ actuantis quodammodo rationem habere videtur proportioni correſpondet nimiæ luci, qua oculi veluti organa viſioni deſtinata offenduntur. Hanc

Latini vigiliam cum additione appellarunt immodicam.

Pertractare in præſenti de hac propoſuimus, cuius definitio inueſtiganda eſt primò, quam forte ex definitione ſui contrarij habere poſſumus. Verum duæ traduntur à ſcriptoribus; vna à doctiſſimo Capiuaccio; altera ab Euſtachio Rudio ſuo condiſcipulo, qui maximè, vt videbitis, contradicendi ſtudio delectatur; cumulum enim fecit omnium Capiuaccij definitionum, quas ſigillatim reprobare ad verbum nititur; ſed ſæpè hominem (niſi ego fallor) verbis potiùs, quàm re ipſa carpit.

Primò in medium veniat ipſius Rudij definitio. Vigilia (inquit) eſt actio immodica facultatis ſentientis propter cauſam ſpiritum, & calorem ad interiora ferri prohibentem: libro primo capite duodecimo.

Ex hac oratione non habemus naturam immoderatæ vigiliæ, quia in primis hęc definitio peccat in genere; cùm vt dictum fuit ex Ariſtotele, vigilia non ſit actio ſenſus, nec facultatis ſentientis, ſed quia in vigilia fit actio, ipſa vigilia videtur actio ſenſus non rectè ſpeculantibus.

Vt enim nullus ſanæ mentis dixerit lucem eſſe actionem ſenſus viſus; ita neque dicendum videtur vigiliam immoderatam eſſe actionem immodicam ſentientis facultatis; quinimo vigilia immoderatà eſt cauſa immodicæ actionis facultatis ſentientis.

Deinde vigilia ſecundùm naturam non eſt actio, ita neque illa, quę eſt pręter naturam, cùm non differant inter ſe niſi extenſionis ratione, quia immodica vigilia eſt, quādo nimium durat; formalitas igitur vigiliæ immoderatæ non eſt actio immodica facultatis ſentientis.

Quod ad cauſam efficientem ſpectat, videtur hic potiùs formalitatem vigiliæ afferre, quàm efficientem; nam expanſio ſpirituum, & caloris ab internis ad

A externas partes eſt illud, quod prohibet intus calorem recurrere, id autem eſt vigilia; vnde vigilia eſt cauſa prohibens, ne intus feratur calor, & ſpiritus.

Quod verò hanc expanſionē, aut ad interna recurſum, aut profundationē caloris, & ſpirituum prohibet, debet cenſeri cauſa vigiliæ, ſiue modò calor fuerit extraneus, aut priuatio vaporū, aut quidpiam tale, ac tandem

B quidquid prohibet intus ferri, & profundi calorem, & ſpiritum, inducit vigiliā: Quare & vigilia erit prohibitio recurſus caloris, & ſpirituum ad interiora.

Non tamen determinamus hanc prohibitionē eſſe vigiliam, ſed ratione, ac diſcurſu à nobis agendum, vt poſſimus reperire definitionem rem hanc declarantem, vnde hæc dicta ſint philoſophandi ſtudio.

C Nos oſtendimus Galenum inueſtigaſſe morbi definitionem ex ſanitatis natura; ita quoque vigiliæ definitio ex ſomni natura requirenda eſt.

Somnus eſt alligatio ſenſus communis facta ab humoribus obſtruentibus vias, per quās à cerebro ſpiritus animales ad partes diſtribuuntur, & vt voluit Ariſtoteles, per quas à corde ad cerebrum vitales vehuntur ſpiritus: vnde

D idem Philoſophus dicebat eos, qui hoſcè meatus anguſtos habent, faciles eſſe ad ſomnum.

Vigilia igitur nihil aliud eſt, quàm apertio, ſeu dilatatio horum meatuum, cùm ſomnus ſit ſenſus communis vinculum quoddam. Poteſt etiam dici immoderata ſolutio, ſeu relaxatio ſenſus communis dependens à nimia ſpirituum, & caloris profuſione.

E Huius ſymptomatis forma procul dubio eſt ſolutio, aut relaxatio ſenſus communis, quemadmodum etiam dicimus lethargum eſſe diminutam imaginationem, aut catalepſim eiuſdem reſolutionem: ſenſus comunis eſt differentia, quæ indicat ſubiectum, quia vt dictum eſt, ſæpè ſomnus, & vigilia verſantur

ſantur circa ſenſum communem tanquam circa immediatum, & proximum ſubiectum.

Poſtrema differentia eſt profuſio nimia ſpirituum animalium; & caloris naturalis,ad differentiam vigiliæ naturalis; quæ moderata profuſione proueniт. Verùm cùm ſenſus communis ſit potentia quædam animæ ſenſitiuæ,non poteſt per vigiliam deuenire ad ſuas actiones, niſi per cerebrum, & neruos, qui vbi opplentur, ligatur ſenſus communis, vbi verò euacuantur, aut dilatantur, fit vigilia.

Et quemadmodum vbi obſtructi sũt, ſpiritus, & calor in cerebrum, & cor profundantur, ita quoque vbi ſint dilatati ſpiritus, & calor ad extimas partes corporis nimium profundũtur,quo nomine contingit etiam motum ipſius ſenſus communis, atque actionem deprauari.

Non quidem quod per hunc homines de ſenſibilibus alio modo, quàm cõſueuerant, ſentiant,vt doctè Vidius iunior admonet, ſed quod maiori tempore,quàm natura requirat, maneat ſenſus in actione, quia vbi quieſcendum eſſet poſt cibum; & per noctem,aſſidua vigilia macerantur.

Quamobrẽ Capiuaccij definitio nõ mihi reprobanda videtur, vbi ſcribit eſſe relaxationem cerebri dependentem ab effuſione præter naturam ſpiritus animalis, quia etſi non ſit formaliter relaxatio cerebri, dependet tamen ab ipſa tanquam ab immediata cauſa: quibus ſic declaratis, puto vigiliæ morboſę vos iam intellexiſſe naturam, modò opus eſt ad cauſas progredi effuſionem efficientes.

## DE CAVSIS IMMODICAE vigiliæ.

AD cauſas coniunctas; & antecedentes omnes internæ ſunt referendæ. Grauiſſimi authores varias enumerant cauſas, & Galenus præcipuè (à quo omnes deſumunt) tum lib. 2. de locis affectis cap. vlt. tum lib. 1. de cauſis ſymp. cap. vlt. ait eſſe acutam febrẽ, dolores vehemẽtiſſimos, ventriculi prauos affectus, curas, ſollicitudines,triſtitias, intenſas admodum cogitationes, vehementes animi affectus,alimentorũ, aut medicamentorum calidorum immoderatum vſum, acriumque ſuccorum redundantiam.

Cauſæ internæ ſunt priuatio vaporum, aut eorundem conſumptio, qui non eleuantur ob ingentes dolores, vel ob totius corporis maciem, vel propter alimentorum penuriam, vel nimium alui fluxum,ſanguinis profuſionem immodicam, & tandem totius corporis exiccationem, quocunque euenerit modò, ſiue per morbum aliquem, vel ob ætatis progreſſum, quæ omnia excitare poſſunt vigilias immoderatas.

Vini immoderatus vſus idem facit, vt puero illius grãmatici accidit, cuius meminit Galenus, qui ob vini potum in vigilias perpetuas incidit, & tandẽ mortẽ oppetijt ex immoderata vigilia.

Huiuſmodi enim cauſæ corpus calefaciunt aſſumentes vapores, quibus deberent obſtrui ventriculi cerebri, atque meatus iam dicti, vel etiam quod per inediam nulli eleuantur vapores:& tandem immediata, & proxima cauſa huius ſymptomatis eſt vaporum vel priuatio, vel generatorum omnimoda cõſumptio a caliditate, & ſiccitate cauſata tum capitis, tum totius corporis,ſed potiſſimùm capitis.

Itaque vigilia alia per conſenſum à toto, alia ab aliqua corporis parte, vel dolente, vel calefacta fieri poteſt, ſicut etiam per eſſentiã in capite.

## DE SIGNIS IMMODICAE vigiliæ.

SIgna vigiliæ admodum nota ſunt, vt nulla egeant verborum expli-

catio-

eatione, quia præter quam quod vidẽtur ſenſu ipſo, ægrotantes, & aſſiſtentes aperiunt, quamuis tamen cauſæ non ſemper pateant.

Quæ vigiliæ ex doloribus, aut rebus alijs manifeſtis præcedentibus, aut præſentibus cauſatæ ſunt, innoteſcere medicis probè poſſunt: at quæ ex animi, vel praua quadam corporis affectione, non ita facilè patefiunt.

Has induſtria qua poteſt, debet medicus inquirere, vt in exemplo vigiliæ adeſt, quia vapor non generatur, at ſi generatur, paucus eſt, & meatus magis quàm par ſit, ſunt dilatati; tunc inquirenda eſt victus ratio ante acta, quia ex inedia longiori, aut ex eſculentis, & poculentis calidioribus ſæpè vigiliæ euenire conſueuerunt.

Ideo ab aſſiſtentibus diligenter omnia perquirenda veniunt, quæ verò ab ætate declinante contingit vigilia, cæteris notior eſt.

## DE FVTVRO EVENTV *immodicæ vigiliæ.*

Vigiliæ immoderatæ vires proſternunt, vt 2.aph.3.ſcriptum à Galeno eſt; nam cùm homines per ſomnũ eam virium refectionem, quam recipere deberent in ſomnis, atque vigilijs non habeant, coguntur ſæpè mortem cum vita commutare, ſicut a Galeno ſcriptum eſt de puero illius grammatici.

Ad rectam prædictionem in hoc caſu faciendam ad duo potiſſimùm reſpicere debetis, ad cauſam videlicet, & ad ſymptomata, quæ vigilijs euenire conſueuerunt; nam dolor, febris maligna, & huiuſmodi cauſæ vigiliarum mortem ſæpè portendunt.

Victus ratio, & id genus ſæpè emendantur diligentia medici: ſymptomata quoque pro vt vehementia, aut debilia ſunt, oſtendunt euentum; nam conuulſio, delirium, & huiuſmodi ſæpè morté minantur, ſed ſpectare virtutem oportet, & cognoſcere, an valida ſit, an debilis; ſi valida poteſt ſperari ſalus, ſi inualida prænuntiare mortem, vt plurimum poteſtis.

Vigiliæ immodicæ ſequuntur febris malignitatem, ſi potiſſimùm non ſit bona tolerantia, neque à medicamentis, quæ ſolent iuuare, non iuuatur, ægrèq; ſe habeat ad oblata æger.

## DE CVRATIONE IMMODICæ vigiliæ per victus rationem.

Indicatio curandi alicuius morbi de ſumitur ab eſſentia indicantis: indicans videtur eſſe nimia meatuum, per quos ſpiritus animales deferuntur, dilatatio, hæc autem indicat adſtrictionem, aut obſtructionem; nam quemadmodũ in ſomno præter naturam indicatio deſumebatur à nimia obſtructione, ita & nunc à nimia dilatatione deſumitur.

Hęc autem vel eſt ex parte vaſorum, quæ indicat adſtrictionem, vel eſt ex parte viarum nimis apertarum indicantium repletionem ſui; vtroque enim modo affectus prӕter naturã eſſe poteſt.

Nam ſecundùm naturæ inſtitutum iſti meatus tempore ſomni à vaporibus benignis alimenti, & colliquamenti obſtrui conſueuerunt, vt ex Ariſtotele, & Galeno ſupra demonſtrauimus. Cum à calore, & ſiccitate vigilia eueniat, ratione caloris fortis dilatantur nimium viæ, ratione nimiæ ſiccitatis abſumuntur vapores.

Ideo à nobis omni ingenio curandũ eſt, vt vtrique intentioni ſatisfaciamus, nempe curemus, vt generentur vapores, atque ferantur in caput, vaſaque adſtringamus; quod fiet per victus rationem, atque per eam chirurgiæ partem, quæ medicamenta localia applicat.

Localia enim talia erunt, quæ non modò adſtrictioni vaſorũ faueant; verũ etiam prohibeant, ne vapores à diæta

geniti conſumentur, aut diſſipentur. Auſpicemur autem nos primũ à victus ratione.

Vapores eleuantur à poculentis, & eſculentis humidis, non modò quando in ventriculo concoquuntur, ſed etiam dum in ſanguinem in hepate tranſmutã tur, ac in partibus ſolidis in nutrimentum conuertuntur.

In primis panis benè coctus, nec ad modum fermentatus ſit, in quo papauerum ſemina, fęniculi in modum fuerint recondita, ita vt ſit papaueratus, ex quo portiones ſubtiles immergi poſſunt in iuſculis carnium, aut ex eodem fercula parari cum iure

Carnium gallinarum.
Anſerum,
Anatum,
Suis recentis,
Columbarum iuniorum.
Vituli,
Agni,
Hœdi recentis,
Veruecis.

Si vires valeant, febriſque non admodum intenſa ſit, has carnes elixas nunquam aſſatas concedere debetis; at qui vbi langueant vires, parate ex his contuſa, tum liquores, atque potiunculas.

In hoc caſu oua recentia tremula mirificè proſunt, ſorbilia quoque valent.

Piſces ſaxatiles, qui carnes molles habent, in aqua cocti ex vſu ſunt.

Inter olera,
Malua,
Lactuca,
Atriplex,
Scariola,

In poſtrema menſa lactuca decocta, condita cum modico aceti, ſummopere prodeſt ad ſomnum conciliandum, hæcque ſimplicia cum prædictis carnibus, vt maiorem efficaciam habeant, decoqui facilè poſſunt.

Pro potu aqua ſimplex ſaccharata, vel etiam vinum, ſed quod aqua bene ſit lymphatum, & etiam in ſatis ſufficienti quantitate ſumptum, ſi vires valeant; hoc enim modo humectandi facultatem habet.

Docet Vidius, vt à cœna per horam æger ſuperbibat cyathum magnum aquæ extractæ per elambicum

Ex lactuca,
Nymphæa,
Violis, aut
Solano,

Quia pluribus vaporibus caput replebit, qui ad ſomnum reuocandum maximè ſunt neceſſarij.

Aqua prodeſt extracta per elambicũ à tota planta papaueris cornicularis.

Aer eligendus eſt frigidus, & humidus, vt in locis ſubterraneis eſſe conſueuit, qui tamen vbi deſideretur à natura, ars ſupplere debet vices illius, ideo opus eſt in thalamo ſpargere.

Flores nenupharis,
Violarum,
Folia lactucæ,
Ad parietes.
Folia arundinum,
Vitium,
Semperuiui maioris.

Deinde totum pauimentum aqua frigida irroretur, ſi potiſſimùm æſtas fuerit: parentur quoqùe fonticuli ex vaſis, ita vt aqua ex vno in aliud vas murmurando cadat: hu iuſmodi artificium quantum faciat ad ſomnum reconciliandum, intelligetis, ſi legeritis Celſum lib. 3. cap. 18. & Galenum lib. 10. meth. cap. 8.

Galenus lib. 2. de locis affectis cap. 9. proponit aquæ dulcis balneum, quæ actu calida ſit; nam vbi quis diù immoratur præter humiditatem, quam recipit per totum corpus, acrimoniam ſuccorum in corpore exiſtentium remittet: aerem etiam hæc aqua humectat, quem æger per inſpirationem trahit, à quo etiam vapores eleuantur, & in caput feruntur ad conciliandum ſomnum.

Par-

*DE CVRATIONE IMMODICAE vigiliæ per medicamenta topica.*

PArticularia quoque topica naribus applicantur,quæ eodẽ tendant,vt eſt aquæ huius balnei quantitas per nares ſurſum attracta, aut aqua ſtillatitia

Solani,
Semperuiui;
Portulacæ,
Lactucæ,
Papaueris,
Lac muliebre,
Olea refrigerantia, vt
Violarum,
Nenupharis,

Et huiuſmodi, quæ ſurſum per nares euaporare poſſunt.

Capiti irrigationibus ſuccurrendum factis cum decoctione.

Fol.violarum.
Nymphææ,
Papaueris,
Lactucæ,
Solani,
Mandragoræ,

Aqua quoque, in qua diu macerata fuerint, deinde bullierint hæc ſimplicia

Folia maluæ,
Vitium,
Violarum,
Nymphææ,
Lactucæ,
Solani,
Mandragoræ,

Deinde facta profuſione, atque valida harum rerum diſtillatione cum huiuſmodi oleis inunctiones, tum quoque, & embrocæ fieri poſſunt.

Oleo roſarum,
Nymphææ,
Mandragoræ,

Quæ omnia ad hunc modum parata, niſi profecerint, ad validiora, hoc eſt ad narcotica à Græcis appellata, à nobis ſtupefacientia, recurrendum eſt, quorũ tamen vſus rarus eſſe debet, & non niſi

A maxima vrgẽte neceſſitate, & cum omnimoda cautela, cauendo ne nimium caput refrigeretur, atque ex vigilijs in lethargum, aut aliquam ſomnolentam affectionem deducatur.

Capiti, & naribus perfuſio deinde efficiatur ex decocto pſyllij,

Papauerum,
Solani,
Mandragoræ,
B Lactucæ,
Violarum,
Nenupharis,

Pro naribus,

℞. vnguenti populei,
ol.papau.ana drach.j.

Vel

℞. vnguenti ex nenuph.
Opij,
Croci ana drach.j.
C Caſtorei drach.ſſ.

Cum cera quantum ſufficit, fiat vnguentum.

*DE CVRATIONE IMMODICa vigiliæ per pharmaciam.*

POſt pharmacia quoque nonnihil opitulari huic affectui poſſumus; nam ſi adſit cacochymia bilioſa, ea ca-

D thartico quodam expurganda venit, & primò,

℞. ſyrupi roſ.ſolutiui recenter facti ex nouem infuſionibus à quatuor vncijs vſque ad libram ſemis.

Sub forma boli

℞. caſſiæ nuper extractæ,
Diacatholici ana drach.vj.
Rhabarbari ſubtiliter puluerizati drach.ij.

E Sub forma pilularum,

Componi poſſunt pilulæ ad hunc modum.

℞. pilularum ſine quibus drach. j. & ſſ.
Rhabarbari drach.j.
Cum cathartico roſato

Fiant pilulæ num.viiij., & vigorentur cum diagridij g.v.

Sunt præterea ſerapia quædam, aut electuaria, ſeu condita vt

Syrupus ex lactuca,
Nenuphare,
Papauere ſ.& comp.
Decoctum ex capitibus papauerum
Diacodion,
Theriaca recens,
Philonium recens Romanum, & Perſicum,
Requies Nicolai,
Pilulę ex cynogloſſa,
Opium,

Monardes ſcribit tabachi ſuffimigia ſomnum conciliare.

Ex opio fiunt morſelli, vel confectio quædam, quam Indi alcion vocant, & doſis eſt ad drach.j. Nobiliores verò aliam, ſed pretioſiorem componunt, quã baguen vocant, Monardes lib. de ſimpl. occid. cap. 1

Vide Dominicum Leonem, qui trochiſcum affert expertum capite de vigilia libro ſecundo ſectione primæ.

Quod ex Meſue libro ſecundo capite decimo octauo deſcripſit ad verbũ.

℞. ſem. lactucæ,
Portulacæ,
Cucurbitæ,
Citruli excort. ana drach. v.
A Succi liquiritiæ,
Amyli,
Tragacanthi,
Opij ana drach. j. ß,

Terantur omnia, & fiat puluis ſubtiliſſimus, & fiant trochiſci cum mucilagine pſyllij: doſis ſit à drach. j. vſq; ad drach. ij. cum aqua frigida, & quando maior eſt neceſſitas cum aqua coriandri humidi, aut

B Lactucæ,
Citruli,
Cucurbitæ,
Et ſimilium,

Vel

℞. Hyoſcyami,
Sem. lactucæ,
Papauerum,
Cum ſucco lactucæ,
Fiant trochiſci.

C Pro irrigatione.

℞. ſeminum lactucæ,
Violarum ana drach. ij.
Radicis mandragoræ vnc. ß.
Hordei cum cortice vnc. j.

Bulliant in ſufficienti quãtitate aquę, vſque quo aqua rubeſcat, & fiat irrigatio pro capite.

Hactenus dixiſſe ſit ſatis de immoderatæ vigiliæ curatione.

# DE APOPLEXIA.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Tractatui de phrenitide Raſis noſter immediatè ſubiungit caput de Apoplexia. Nos euariauimus ordinem ab eo propoſitum, quem tamen initio ſeruandum eſſe putabamus, idque fecimus primò facilioris doctrinæ gratia; ita enim nobis viſum. Deinde quia nihil refert hanc priùs, vel illã examini ſubijcias affectionem, dum omnes tandem diſcuſſas habeas. Poſt igitur ſoporoſos affectus, quibus adnexam exhibuimus vigiliam ſuperfluentẽ, (E) præbemus apoplexiam, quæ vtcumque ſit, aliquam rudioribus videtur habere ſimilitudinem cum veterno, aut alio ſomnolento affectu, circaque huius diſcuſſionem methodo huc vſque ſeruata procedemus; primò ſcilicet cognitionem, ad hæc curationem preponere placebit.

A græ-

A Græcis hæc affectio fuit dicta apoplexia, obque vocũ inopiam tam apud Arabes, quàm Latinos idem retinuit nomen, quod deductum eſt ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν. ideſt à percutere. Verum ἀποπλήττω καὶ ἀποπλήσσω aliquando ſignificationem paſſiuam habet, vnde percutior ſignificat, nonnunquam ſtupeſio, & attonitus reddor.

Idem affectus apud antiquos morbus attonitus dicebatur ab effectu, quod ſcilicet mens, atque corpus apoplecticorum ſtupeat: vnde ab ipſo Celſo morbus attonitus fuit dictus lib. 3. cap. 26. ab aliquibus verò ſideratio, quod à fulmine (ab ipſis ſidus vocato) percuſſos homines exiſtimarent.

Dicitur verò à vulgaribus gutta, nõ quia à capite, vt illi arbitrantur, gutta quædam in cor cadat, ſed quia priuantur homines ſenſu, & motu tam breui tempore, vt gutta aliqua aquæ cadit. Huiuſmodi quoque homines ab Hipp. 4. acut. tex. 23. 6. aph. 51. 7. aph. 58. (ni fallor) appellati fuerunt ἄφωνοι, ideſt ſine voce, quod ſtatim ipſi ſine voce, atque auditu fiant.

In apoplexia autem non modò ſenſus, & motus deperditur, verum, & omnes cerebri principales actiones, nẽpe imaginatiua, ratiocinatiua, & memoratiua omni priuantũr munere, ita vt homines non ſecus atque cadauera ſine motu, & vita videantur in terram decidentes.

Sed quoniam apoplexia accidere duobus modis conſueuit, vt Hipp. 2. aph. 42. ſcriptum reliquit, primò cum omnium partium motus, & ſenſus priuatione, reſpiratione tamen ſoſpite remanẽte ſenſibilite: altero verò, in quo remanet adeo obſcura reſpiratio, vt opus ſit, maxima diligentia tales homines à cadaueribus diſtinguere, admouendo candelam accenſam naribus, & ori, vel goſſipij pauculam quantitatem; vel ſupra pectus, & vmbilici regionem cyathum aqua plenum, ex quibus vix ex-

A ploratur, an ex toto perierit reſpiratio, an eius pars remanſerit.

Vtcunque tamẽ ſit, amittitur motus, & ſenſus, nec non & actiones cerebri rectrices, vt tandem homines mortui videantur, niſi quod in aliquibus reſpiratio diſcernitur, in aliquibus verò minime: hinc duplex eſt apoplexia, vnam quam Hipp. fortem dixit; aliam verò debilem.

B Ex quo quidem diſcurſu clarè colligere licet, quod apoplexia eſt ſymptoma in genere actionum principalium cerebri abolitarum, nec non ſenſus, & motus totius corporis, vno excepto diaphragmate, cuius motiua actio non aboletur, ſed ſolum diminuitur.

Eſt idem, ac ſi diceremus, apoplexia eſt abolitio imaginationis, ratiocinij, ac memoriæ, nec non ſenſus, & motus C omnium corporis partium, vna excepta illa, nempe diaphragmatis, cuius motus eſt ſummè diminutus.

Dicitur motus, & ſenſus abolitio cũ rectricibus virtutibus abolitis ad differentiam aliarum affectionũm cerebri, in quibus motus, & ſenſus ſolum vitiatur, aut diminuitur.

Ponitur abolitio rectricum, vt apoplexia diſtinguatur ab affectionibus caD pitis, in quibus ſenſus, & motus aboletur quidem; ſed rectrices ſuis funguntur officijs, licet deprauate, & vel diminutè.

Poſtrema differentia eſt motus diaphragmatis diminutus, ex quo reſpiratio vix ſeruatur; in alijs verò omnibus ſenſibilis apparet, conſeruaturque reſpiratio, de quibus omnibus ſingillatim, & ordinatè tractauimus, vel etiam diE cemus, & vbi fuerit opus ſemper indicabimus differentiam, qua apoplexia ſeiũngitur ab alijs morbis.

Ex quibus clariſſimè colligitur, quod pars læſa in hoc affectu ſit cerebrum, quod eſt principium omnium ſenſatiorum, ac motionum, nec non & dictarum rectricum actionum.

## DE CAVSIS APOPLEXIAE.

MOdò inquirimus, quomodo patiatur cerebrum,an vt membrũ ſimilare,an vt organicum, quod ex cauſis ipſius apoplexiæ manifeſtum fiet, quarum aliæ ſunt internæ, aliæ externæ: cauſa interna immediata, & proxima eſt humoris pituitoſi, vel melancholici copia collecta in ventriculis anterioribus, & poſterioribus cerebri totam capacitatem obſtruens, aut tumorem faciens, vt Auic. placuit.

Cauſa antecedens eſt humor in corpore collectus pro cauſarum externarum diuerſitate, conferentibus cauſis naturalibus, ætate nempe, habitu, & temperie totius corporis, in quibus cauſis recenſendis, etſi diuerſitas ſit apud authores, in hoc tamen omnes cõueniunt, vt cerebrum tanquam membrum organicum lædi dicant.

Siquidem Hipp.4.acut.23.ſcribit im moderatam repletionem, vaſorum interceptionem, nonnunquam ebrietatem cauſam huius affectionis eſſe. Idẽ 5.aph.5.redundantiam humoris melãcholici: quandoque ex 7.aph.40. valida cerebri cocuſſionẽ,& Gal.2.aph.42. non modò dictas cauſas admittit, ſed ſubiungit craſſum humorem, ſuccumque pituitoſum in ventriculis cerebri contentum eſſe huius ſymptomatis immediatam cauſam. Auic.fen.1.3. tract. 5. cap. 12. cauſam refert in tumorem, præter naturam cerebri ſubſtãtiam cõprimentem.

Ex quibus patet cerebrum vt membrum organicum, non vt ſimilare lędi à materię copia ipſius ventriculos obſtruente.

Sed quamuis doctrina hæc Hippocratica ſit,à Gal. & omnium medicorũ ſchola recepta, dubitare tamen quis poterit,an cerebrum poſſit pati vt mem brum ſimilare? & cauſa dubitationis eſt, quia non modò à nimia materiæ quantitate id ſymptoma fieri videtur, A ſed etiam ab intemperie.

Nam ad motum faciendum requiritur ſpiritus animalis tanquam non modò ſenſus, & motus immediatũ inſtrumẽtũ,verũ etiã cerebri principaliũ actionum, vt verò ſpiritus fiat requiritur cauſa efficiens effectui proportionata, quibus deficientibus, & ſpiritum quoque deficere neceſſe eſt,quo deficiente ſequitur motus, & ſenſus, & aliarum B affectionum abolitio.

Hæc eſt doctrina Gal. deſumpta ex 6. de Hipp. & Plat. decr. cap. 3. at ſpiritus vitalis per plexus choroideos appellatos à corde in cerebrum pro materia ſpiritus iam dicti fertur, qui ſimul cum aere attracto per nares ad vẽtriculos cerebri à virtute, aut facultate cerebri tranſmutatur in ſpiritus animales. C

At vbi non adſit bona cerebri temperies, aut ſit ad frigidum nimis intemperatum ipſum cerebrum, cauſa efficiens proportionata non aderit, quare non poterit fieri ſpiritus animalis, hinc neque ſenſus, neque motus, neque alia operatio.

Huic dubitatiunculæ aliam addo, quà probari poteſt in hac affectione cerebrum non ſolùm non lædi, vt orga- D nicum membrum, ſed nec ſimpliciter; nam plexus choroides poſſunt intercipià multitudine, qua prohibeantur ſpiritus in caput ferri.

At ex interceptione venarum Gal.4. acut.com.3. ſcribit poſſe fieri apoplexiam,quod nulla ratione euenire credendum eſt, niſi quia non ſuppeditatur materia per venas cordi, neque à E corde ad cerebrum tranſmittitur pro ſpirituum generatione; multo magis vbi plexus,per quos ſpirituum vitalium materia ad cerebrum tranſuehitur, intercipiantur, contingit fieri omnium ſenſationum tam internarũ,quàm externarum abolitionem.

Ex quibus videtur cerebrum vt ſimilare pati poſſe; aliaſque reperiri partes læſas

læſas præter ventriculorum cerebri capacitatem repletam.

Exiſtimo huic obiectioni ita ſatisfaciendum eſſe, quod cerebrum ad tantam intemperiem declinare non poteſt, vt tollatur affatim, & ſubitò vniuerſa ſpirituum generatio homine ſuperſtite, & quando ſimilis caſus daretur, ceſſet vltima priuatio ſenſus, & motus, ita vt non amplius ad motum regreſſus dari poſſet.

Non negatur tamen, quin cerebrũ poſſit intemperari ad frigiditatem, ita vt ſpirituum animalium generatio aliquo pacto deprauetur, ſimulque colligantur in eo ſuperfluitates multæ, quæ nequeant expurgari, ac diſcuti, ita vt ex his ad vẽtricuios cerebri delatis fiat tandem apoplexia.

Quod ad Gal. authoritatem attinet, etſi à venarum interceptione apoplexiam fieri poſſe ſcribat, non id intellexit, vt velit interceptionẽ venarum vt cauſã, ſed eſſe vt ſignum quoddam repletionis, quo futura apoplexia prænunciari facilè poteſt.

Ex venarum enim interceptione Hipp. eo loci ſcripſit fieri priuationem vocis materia ad neruorum capita fluente, quibus fertur motiua virtus ad vocis organum, nempe ad caput tracheę arteriæ.

Si verò contingeret proceſſus choroideos à multitudine humorum obſtructos eſſe, procul omni dubio, quod amitteretur ſenſus, & motus, & forte etiam vita, quia deficientibus ſpiritibus animalibus, tolleretur ſubitò reſpiratio, ad cuius abolitionem ſequitur mors.

Ad apoplexiam autem faciendam requiritur, vt ſoſpes maneat reſpiratio ſecundum tamen magis, & minus. Cuius apoplexiæ cauſa proxima, & immediata ex 4. de locis aff. 2. eſt humor pituitoſus, cui aliquando melancholia admiſcetur; addo & ſanguinis multitudinẽ contentam in ventriculis cerebri; à quibus non modò eorum capacitates, ſed & ſpinalis medulla, vnde omnes prodeunt nerui, obſtruuntur, indeque prohibentur ſpiritus animales, quo minus ad ſua munera obeunda adire valeant.

Hi verò humores craſſi, & lenti non modò in ventriculis continentur, ſed in tota cerebri ſubſtantia: hinc Gal. loco citato loquens de modo, quo apoplexia generatur, dicebat in apoplexia cerebrum lædi magis, quo ad corpus (ideſt, vt Capiuaccius interpretatur, quo ad poros corporis) quàm in epilepſia, tamen facta comparatione epilepſiæ cũ apoplexia.

In epilepſia ſi comparetur cerebrum cum ſuis ventriculis, ſcribit Gal. ventriculos lædi magis, quàm corpus; ſin ſi at cõparatio epilepſiæ cum apoplexia, magis læditur corpus cerebri in apoplexia, quàm in epilepſia, quemadmodũ etiam & ventriculi magis læduntur, quã in epilepſia.

Et ratio eſt, quia longè maior copia humoris pituitoſi detinetur in cerebro apoplectici, quàm in epileptico; materia namque contenta in ſubſtantia cerebri, in vtroque affectu tota, & repente in ventriculos præcipitat.

Hinc eſt, quod quemadmodum voluit loco præcitato, quod apoplexia, nec non & epilepſia, quàm citiſſimè fiat, quamuis non tam citò euaneſcat; materia enim in vẽtriculos illapſa, hinc inde mouetur, ad propriaque loca ipſius expurgationi deſtinata; in epilepſia quod minus copioſa ſit, & forte non tam craſſa aliqua eius portio deorſum per cannam ad os, & ad palatum cadit, quæ remanet diſſipatur, quo nomine epileptici facilè liberantur.

At in apoplexia humore lõge copioſiore, atque craſſiore exiſtente non poteſt per canales iam dictos expurgari, vnde replet & omnem ventriculorum capacitatem, ſimulque & ſpinalis medullæ principium, ideoque cum materia hæc nequeat expurgari, aut diſſolui, neceſ-

neceſſe eſt,vt vel in partem aliquam præcipitet motum, & ſenſum inhibens, reſolutionemque faciens, vel ad mortẽ ducat ægrotantes.

Præterea Galenus ſcribit in ſopore, & epilepſia magis lædi cerebrum, quo ad ventriculos; minus quo ad corpus, in apoplexia magis corpus, nec tamen addit magis lædi corpus, quàm ventriculos.

Colligitur autem copia horum craſſorum, & lentorum humorum in ſenibus, & ijs, qui à quadrageſimo anno ad ſexageſimum properant, præſertim hyeme, vbi in aere degant humido, caputque ad frigidum, & humidum intẽperatum habeant, crapuliſque, & aſſiduis commeſſationibus, & potationibus incumbant, craſſis, frigidis, lentis, & glutinoſis cibis delectentur, ac rebus venereis ſint dediti.

Hæc quidem omnia tũ coniunctim, tum ſeiunctim accepta craſſos, lentoſque humores in capite coaceruare poſſunt, & tandem in apoplexiam impellere, quia coaceruati in cerebro ad ventriculos cadunt; primò quod aliquando ab aeris nimia caliditate veluti liquantur, ac funduntur, quemadmodum ſæpè obſeruamus in his, qui ſoli in ſummo æſtu intempeſtiuè, & præter conſuetudinem ſe exponunt.

Plerumque ab externo frigore ſiue ambientis, vel borealis venti, aut pluuię, aut niuis, vel ſummè refrigerantiũ medicamentorum, veluti à manu quadam exprimuntur: non rarò abſque caliditatis, aut frigoris violentia, citra liquefactionem, vel expreſſionem vterque ſuccus ſiue pituitoſus, à quo ſæpe apoplexia fit, ſiue melancholicus, à quo non rarò à quadrageſimo anno ad ſexageſimum eadem excitatur, ad ſinus cerebri transfertur à ſubſtantia cerebri, quaſi impulſus, vt ad loca ipſius expurgationi deſtinata depoſitus ad palatum tranſmitti poſſit; interim quoque nimia ſua copia, aut grauitate in ſinus præci-

A pitat, obſtruenſque ſubitò ſpirituum vias apoplexiam facit.

Et iſtæ ſunt cauſæ coniunctæ apoplexiæ, nempe humor collectus tam in ſubſtantia cerebri, quàm in ſuis ventriculis, ex quo apparet cerebrum lædi, vt membrum organicum ſecundùm ſuas cauitates, & vt rectè admonet Capiuaccius ſecundùm poros ſuæ ſubſtantiæ.

Cauſa verò antecedens eſt humor B paratus adire in caput. Cauſæ verò primitiuæ à peſſima victus ratione deſumptæ ſunt, vt dixi.

Notandum eſt hic, quod duplex eſt apoplexia, vera, & non vera, prima ea eſt, in qua cerebrum læditur, tam corporis, quàm ventriculorũ occaſione, 4. de locis aff. cap. 2. non vera à Galeno interceptio venarũ dicitur 4. acut. 23. & in hac læduntur plexus choroides.

C Ex quibus habetis, quid ſit apoplexia, quotuplex ſit, & quas cauſas habere poſſit.

### PROPONITVR, ET EXPONITVR *difficultas quædam.*

IAm quibus recognoſci debeat, tempus eſſet aperire, ſed quoniam dictum fuit ſpinalis medullæ principium, D & ventriculos cerebri obſtructos eſſe, vt omnis inde tollatur ſenſus, & motus, inquiſitione dignum eſt, quomodo ſeruetur reſpiratio: quæ res difficillima eſt, nec aliquem vidi huius rei inquirentẽ rationem, quam quidem ſcire nemo poteſt, niſi qui in rebus anatomicis pluſ quàm mediocriter ſit verſatus.

Sed neminem veſtrum eſſe arbitror qui rem hãc intelligere perfectè poſſit, E niſi prius agnouerit, ac viderit ſenſibus proprijs partium capitis ſtructuram, veniọ tamen ad declarandam huius diuerſitatis rationem, quæ patebit ex declaratione illius quæſiti, quomodo ſeruetur in ſomno reſpiratio?

Non deſunt aliqui, qui dicant ita à natura comparatum eſſe, vt (tanta neceſſi-

ceſſi-

ceſſitate reſpirationis exiſtente) nerui famulantes reſpirationi vltro ab eadem impellantur.

Sed huiuſmodi reſponſio inſulſa eſt, nec ſuum ſapit philoſophantem medicum. Similis eſt huiuſmodi determinatio ei, quam 11. de vſu par. reprehēdit Gal. antiquorum dicentium palpebras, atque ſupercilia (quamuis ſint in capite) nunquam creſcere, ſemperque cilia recta manere, atque æquali ſpatio inter ſe diſtare, quia Deus ſic iuſſit; hac enim via reſpondendi facilè ſolueretur omne quæſitum.

Sed cum Deus, & natura de poſſibilibus agant id, quod melius eſt; idque à materia, & à fine deſumendum ſit, ita, & in præſenti caſu non ſatis eſt dixiſſe natura ita comparatum fuiſſe, vt in ſomno ſeruaretur reſpiratio, quia id tā clarum eſt, vt nulla egeat probatione: ſed modum, & per quæ inſtrumenta natura efficerit, inquirere nobis opus eſt, quod vt perfectè à vobis intelligatur, paulò altius repetenda res eſt.

Memoriæ firmiter mandandum eſt à ſiniſtro cordis ſinu arteriam illam magnam, quam Ariſt. aortam appellauit, tanquam fiumen exoriri, ſtatimque in duas inſignes, & æquales portiones, diuiſam eſſe; quarum vna deorſum, altera ſurſum ſcandit, quæue ſurſum ad caput tendit plures ramificationes diſtribuit, quarum aliæ iugulares internę, aliæ externæ appellantur.

Ab internis iugularibus, ſoporariis, & carotidibus appellatis, plexus quidām, ſeu duæ ramificationes exortum ſuum deducunt, ab earum ſcilicet parte, quæ effingunt rete illud antiquis dictum admirabile; ac feruntur per interna*m* ſuperficiem anteriorum ventriculorum cerebri, qui appellantur plexus choroides; in hiſque ſpiritus continentur vitales à corde in cerebrum tranſmiſſi, vt inde ſimul cum aere per inſpirationem tracto tranſmutari, & fieri poſſint ſpiritus animales, qui euadunt inſtrumentum omnium ſenſationum tā internarum, quàm externarum totius corporis.

Verùm hi ſpiritus non ita indifferenter omnibus actionibus opem ferunt, ſed variam alterationem accidentalem recipientes idonei redduntur primùm in capacitate ipſius cerebri pro rectricibus actionibus cerebri celebrandis; hinc eſt, quod vna pars eorum continetur in ventriculis cerebri; altera verò ad ſpinalem medullam tranſducitur pro omni motione, & ſenſatione corporis agenda.

Spinalis autem medulla à cerebri ventriculorum parietibus ortum ſuum ducit, & rectè producitur per longitudinem vnius digiti, antequam è capite exeat; ita vt ipſius duæ partes poſſint aſſignari: altera, quæ eſt in capite; altera verò quæ extra caput deorſum, per ſpinam meat, ſpinalis medulla dicta, quæ nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia ipſius cerebri, & à Gal. cerebrum elongatum appellata.

Stante igitu hac vera ſpinalis medullæ deſcriptione, antequam exeat à capite, de ſe producit ſecundùm communē omnium opinionem ſeptem paria neruorum, ſeu ſeptem coniugationes, quamis ſint nouem inter ſe diſtinctæ; quādo verò extra caput ceruici offert à capite vſque ad os ſacrū triginta dus de ſe ramificationes (quāuis per Velium ſint 34.) partibus omnibus infeʀioribus exporrigit; itaque à ſui princip ad finem vſque quadragin ta, & vna numerantur ramificationes.

Natura itur ſpinalem hanc medullam à cerebro tali conſtructione elongauit, & p vnum principium eiuſdē generis raificationes per totum corpus diſtribuerentur; non ſecus atque venæ omns, & arteriæ ab vno prodeunt trunco & ab illo omnibus corporis partibus diſtriburæ ſunt.

Et quauis exteriores ramificationes ſenſitam, atque motiuam ferant,

virtutem, magis tamen motricem, quã ſenſitiuam vehunt, vt apparet in illis, qui ex alto cadentes motum crurum amittunt, ſenſum tamen retinent.

At earum coniugationum, quæ in-tus caluariam ab eadem ſpinali ſubſtã-tia prodeunt, non eſt par ratio, ſiquidẽ aliæ ſenſum ſimpliciter, aliæ motricem ferunt facultatem: inter eas ramifica-tiones priores, & origine, & magnitu-dine, & dignitate præſtant nerui optici, qui conſpicuè perforati ſunt, & ampli, vt ſpirituum ingens copia ad oculos ferri queat pro viſione facienda; quæ maiorem ſpirituum copiã diſſipat, quã faciant omnes ramificationes ſimul, & ipſiſſima ſpinalis medulla.

Secundum par, ſeu ſecunda ramifi-catio exigua eſt admodum, quæ virtu-tem motricem tum oculis, tum palpe-bris offert.

Tertium par ſenſum guſtus, & tactus linguæ diſtribuit.

Quartum par per palatum deriua-tur, nec non & ad aures aliquot ſurcu-los exporrigens tum guſtatum, tum quoque ſenſum tactus affert.

Quintum par cæteris tribus paribus poſtremis longè maius ad inſtrumentũ auditus per quaſdam oſſis cauernulas di-ſtribuitur.

Quæ paria neruorum ab ea portione ſpinalis medullæ exoriuntur, quæ eſt inter ramificationes ab ipſa in cerebel-lum prodeuntes, hoc eſt inter ſpatium ſpinalis medullæ, quod intercet inter cerebrum, & cerebellum.

Sextum verò par neruorum à ſpinali medulla vtrinque à lateribus pſius fa-tis exiguum explantatur, & capite exiens, per viamque magnum ad ſpinæ vtrumque latus effectum re produ-citur vſque ad oſſis ſacri poemam regionem.

Huiuſque paris non ſatis admirari licet naturæ opificium, atque præſtan-tiam; nam vbi hæc ramificatio ad iu-gulum venerit, à dextro latè iuguli

A ramificationem quamdam efficit, & eã ſurſum ad laryngem reuellit; ne verò præſidio deſtituatur, reflectit ſupra ip-ſam ramificationem vnius arteriæ, quæ brachium adit trochleæ in modum.

Idem facit in ſiniſtro latere, ſed ad cordis regionem ſupra truncum arteriæ magnæ hanc ramificationem reuoluit, ambæque vnitæ iſtæ ramificationes in

B muſculos laryngis diſſeminantur, licet in via, vna à dextris ſpinæ ceruicis, alia à ſiniſtris feratur. Qui vult cognoſcere huiuſmodi præclariſſimum artificium, legat Gal. 16. de vſu par. cap. 4.

Addo ego modo aliquid, quod à nullo, quem viderim, obſeruatum ſcio; nam ab huiuſmodi ſexta neruorum con iugatione, vbi quam primum ingreſſa eſt thoracis capacitatem, diſtribuitur

C omnibus intercoſtalibus muſculis ner-uus quidam, qui coniungitur neruo à ſpinali medulla ibi contento; ita vt ex ipſo, & illo ſpinalis medullæ vnicum corpus fiat diſſeminatũ per omnes mu-ſculos thoracis: at diaphragma attin-gens ramificationem ſolam de ſe ipſa exporrigit: ita vt notum ſit huiuſmodi ſextam coniugationem à natura factam eſſe, vt famularetur primum, & maxi-mè reſpirationi, & per conſequens vo-

D ci, quæ fieri non poteſt niſi mediante reſpiratione.

Verùm cum reſpirationis duplex ſit differentia, vna inſpiratio, alia expira-tio dicitur. Inſpiratio eſt, quando ae-rem attrahimus; expiratio, quando ipſum extrapellimus. Vtraque etiam duplex, vt à Gal. 2. de motu muſc. vlt. habetur; nam alia naturalis, & parua;

E alia verò magna, quam violentam ap-pellat.

Inſpirationi naturali contraria eſt ex-piratio naturalis: inſpiratio verò violẽ-ta expirationi violentæ eſt contraria.

Atqui cum reſpiratio fit motus vo-luntarius, opus eſt, vt habeat ſuos mu-ſculos, à quibus thorax dilatatur, atque cõſtringitur, alioquin nõ fit reſpiratio.

Stan-

Stante igitur veriſſima hac doctrina, intelligere etiam debetis, quod quædã ſunt corporis diſpoſitiones, in quibus muſculi, qui ſunt voluntarij motus inſtrumenta, agunt, & tamen age-re videntur: priores diſpoſitiones indu-plici ſunt differentia; nam aliæ ſunt, in quibus omnes muſculi illius membri operantur, vt quando ſuſtinemus bra-chium, & hæc diſpoſitio dicitur à Gal. tonica.

Altera verò, in qua non omnes ſim-pliciter, ſed illi, qui ſunt in vna parte, ſed paulatim, & ſenſim etiam agunt, & hæc diſpoſitio dicitur reclinatio, & eſt quando, verbi gratia, brachium deorſum paulatim reclinamus; in huiuſmo-di affectionibus muſculi agunt, & ta-men nihil agere videntur.

Alia autẽ diſpoſitio, in qua quicpiã muſculi agere videntur, & nihil effici-unt, appellatur decidentia. Relinquo modò illas diſpoſitiones, in quibus mu-ſculi reagunt, & agere videntur, quia huiuſmodi ſunt propriæ actiones mu-ſculorum, quæ contractiones dicuntur; nam dum muſculi agunt, contrahuntur: oppoſiti verò dicuntur pati, quare di-cuntur actio, & paſſio muſculorum.

Ex hac ſuppoſitione Galenica venio ad principale propoſitũ, & dico, quod fabrica neruorum ſenſus viſus, guſtus, auditus, odoratus, & tactus, nec non motus per totum corpus deferentium, fabrefacta eſt, vt à benignis vaporibus facilè impleantur, quibus ſpirituum via interclufa, ſenſu, & motu in ſomno ho-mines priuantur: eorum verò neruorũ ſextæ coniugationis talem, vt audiui-ſtis fecit, fabricam, vt ſemper aditum præbere poſſint.

Nam immediatè poſt cerebellum in ſpinali medulla ipſos collocauit, vt ſpi-ritus ab eo alterati pro motu thoracis faciendo recipere primi, & ſoli queant: nec poſſunt à vaporibus ita benignis af-fici; quemadmodum alij in ſuperiori magis parte exiſtentes.

A Sed cum ſpinalis medullæ principiũ in ſomno ſit occluſum, hinc eſt, quod pauca copia ſpirituum ad eos ferri poſ-ſit, ſed tanta, quanta ſatis eſt, ad dia-phragma mouendum, quod vt loco ci-tato docet Gal. ſolum ſine ope aliorum muſculorum thoracis author eſt inſpi-rationis.

Ad diaphragma igitur virtus motiua per illam ramificationem à ſexta coniu-

B gatione tranſmiſſam transfertur, vt tho-racem naturaliter dilatet; quo nomine fiat aeris attractio, eo autem di atato à grauitate coſtarum cadit, ſimilemque motum efficit decidentiæ, & huiuſmo-di dilatatio ſatis eſt ad reſpirationem ſeruandam.

In magna uerò facienda opus eſt om-nibus thoracis muſculis, quæ nobis dor-

C mientibus fieri nequit; dilatatur enim thorax ab omnibus muſculis, conſtrin-gitur verò à muſculis intercoſtalibus, motumque decidentię ſimilem patitur.

A ſexta igitur coniugatione nobis dormientibus ſeruatur reſpiratio, & hæc illa eſt, quæ in apoplexia non ex toto obſtruitur, cùm ſit ſub cerebel-lo, in quo ſpiritus aliquot continentur: ſed per paucum, & breue tempus ſuffi-

D cere poſſunt pro reſpiratione facienda; nam cum pauci admodum ſint, vix ip-ſum diaphragma dilatãt in maxima po-tiſſimùm cerebri cauitatum obſtru-ctione, à qua cùm prohibeatur materia ad caput ferri pro noua ſpirituum ani-malium generatione, hinc eſt, quod tã cito intereant apoplectici; vbi verò nõ tanta fiat obſtructio, vt denuò poſſint regenerari ſpiritus, atque alterari in

E ipſo cerebello, reſpiratio ſeruatur lon-giori tempore.

Et hęc ſint dicta de modo, quo ſer-uatur reſpiratio in apoplecticis: tempe-ſtiuum eſt, vt ad ſigna declaranda ac-cedam.

## DE SIGNIS APOPLEXIAE.

RAſis tria ſigna in medium affert, quibus dignoſcitur hæc affe-ctio : primum eſt, quod apoplecticus iaceat in terra, quaſi dormiens : deinde, quod ſine ſõno ſtertat:tertiò, quod punctus non ſentiat.

At certè hæc tria ſigna ſatis ſunt ad deſcribendam apoplexiam, eamque inter cæteros capitis affectus dignoſcendam, quia in primis ægrotus in terra iacet non modò, quaſi dormiens, ſed tanquam cadauer, oculis clauſis, pronus, aut ſupinus,nihil loquitur, nihil intelligit,vel audit: ac vt Celſus author eſt lib.3.cap.26.mens cum corpore vna ſtupet,ſtertit, & vniuerſo motu deſtitutus eſt.

Deinde nulla percipitur ſenſibilis reſpiratio, quia videtur abolita, & ſi tamen adhuc, vt diximus adſit, admodũ obſcurè, & diminutè apparet : vnde à comate differt; vt ſuo loco diximus, in quo reſpiratio nullam labem patitur.

Tandem cum apoplexiæ differentiæ deſumantur à maiori,& minori reſpirationis læſione, vt Gal. tradidit 3.aph.4. validiſſima illa eſt, in qua cum ſtertore ita offenditur reſpiratio.vt cohiberi omninò videatur, alia verò eſt, in qua æger anhelat, ſed cum difficultate, & ſecundum magis, & minus,& inæqualitate quadam.

Auic. 1. 3.tr.5.cap. 13. futuræ apoplexiæ aliquot affert indicia, inter quæ primum eſt præcedens capitis dolor, inflatio venarum iugularium, quas guiden appellat. Præcedit vertigo,tremor dentium,ſtridor, grauitas, atque pigritia motus: quæ quidem omnia, vel aliqua quandoque præcedere poſſunt,ſed ſæpe repente materia in ventriculum cadit anteriorem, eumque obſtruendo repentinam facit apoplexiam.

Sunt, qui addunt ſpumam tamquam huius affectionis ſignum, quod quidem aliquando cernitur, ſed rarò, & ſolùm

A in vehementiſſima, vnde dicebat Raſis apparente ſpuma in apoplexia non eſſe curandam, quæ tamen ſpuma ſæpe,aut ſemper in epilepſia apparet, de qua ſuo loco.

Relinquuntur ſigna declaranda cauſarum prædictarum, quæ tamen ad humores in corpore peccantes referri debent,à quibus quidem indicationes curatiuas deſumi oportet. Cauſæ exteriores nihil indicant,ideo illæ tantum inquirendæ ſunt, vt ex ijs in cognitionem

B deueniamus humoris peccantis, viaſq; obſtruentis ſpirituũ animalium; ſi enim de ante acta vita perquiratur,an ſcilicet potationibus,ac commeſſationibus frequentiùs delectatus fuerit, vſuſque cibis craſſis, ex quibus conijci poſſit copiam humorum in corpore adeſſe, iam habebis apoplexiam factam eſſe ex humorum nimia quantitate.

C Idem quoque agendum, vbi ex habitu corporis ſuſpicatur pituitoſos humores eſſe, qui faciant apoplexiam; plerumque enim ex hoc humore viſcido fit: vnde Aetius lib.2.cap.27.ſcribit ex Gal.ſiderationem propter repentinũ ſui exortum indicare humorem craſſum, & frigidum,vel viſcoſum implentem principaliores ventriculos cerebri.

D Inſuper ex conſuetudine, regione, anni tempore, ante acta victus ratione, ab excretis, à qualitatibus faciei mutatis, alijſq; poſſumus cognoſcere pituitã peccantem, de quibus ſupra in capite de cephalalgia egimus.

Quod à melancholia proueniat apoplexia, deprehenditur ab habitu, & ab ætate, quia Hipp. ſcripſit à quadrage-

E ſimo anno ad ſexageſimũ homines corripi hac affectione,præſertim, vt inquit Gal.ab humore melancholico.

An modò à ſanguine fieri poſſit, vt Auic. placuit, dum affert ſigna apoplexiæ à ſanguine, dicendum eſt poſſe quidem, ſed vbi adſint humores craſſi, & lenti ſanguini adiuncti: niſi dicamus à ſanguinis copia contingere vaſorum

ſeu

proceſſuum choroidum interceptionẽ, ac repletionem, à qua prohibeantur ad caput ferri ſpiritus vitales, quibus impeditis ſine ſenſu, & motu ægrotantẽ remanere neceſſe eſt: cuius apoplexiæ differentia à notis ſanguinis cognoſci poterit à perito medico.

Sed in huiuſmodi affectione non datur nobis ſignis vti, atque experimenta facere ex medicamentis ad dignoſcẽdam materiam peccantem; quia morbus iſte non dat inducias, quare omni ingenio curandum eſt, vt ſtatim ventriculi ab hiſce humoribus liberentur, cum potiſſimùm vt plurimum hunc affectum à craſſis humoribus, & frigidis prouenire quotidiana demonſtret experientia.

## DE FVTVRO EVENTV *Apoplexiæ*.

AN quidpiam ex noſtra diligentia vtilitatis conſequi poſſint ægrotantes, ab ipſiuſmet ſymptomatis vehementia deprehendi poteſt. Atque hoc loci videndum eſt, quæ ſit apoplexia fortis, quæ debilis, quod vt cognoſcatur ad Gal. ito, qui ad reſpirationẽ recurrendum eſſe docet; nam fortis apoplexia illi cenſetur, in qua reſpiratio inſigniter, & valde eſt læſa; debilis verò vbi reſpiratio mediocriter eſt læſa.

At vbi inſigniter fuerit labefactata reſpiratio, ita vt ſenſui non appareat, hæc prorſus eſt fortis, & à Saxonia dicitur eſſe in primo gradu apoplexiæ deploratæ. Secundus gradus in diſperatione eſt apoplexia cum ſtertore. Tertius gradus eſt, quando ſpiratio eſt ſine ſtertore, nihilominus ipſa intercipitur, cum magna inæqualitate: & omnes iſtæ differentiæ ad apoplexiam fortem reduci valent.

Sunt & aliæ ſpecies apoplexiæ, in quibus remanet ſpiratio ſine ſtertore, & inæqualitate, quæ ad debilem reduci

A poſſunt: & iſtæ ſunt illæ, de quibus dicebat Gal. terminari in paraplegiam. Sed quamuis apoplexia ſit cũ ſtertore, & aliqua etiam ſit cum inæqualitate, ſunt tamen eæ non ſemper deploratæ; nam obſeruatum eſt aliquos ſanatos fuiſſe.

Præclara quidem prognoſtica à grauiſſimis authoribus in medium allata fuere, inter quæ veluti diffinitiuũ illud

B eſt, quod ſummus dictator ſcriptum reliquit 2.aph.42. nempe apoplexiam fortem nemo curare poteſt: debilem verò rarò: ex quo habemus infelices eos eſſe, ac valde miſeros, qui in hanc affectionem incidunt; nam ſi valida fuerit, ad mortem terminatur, ſi verò debilis rarò, vix, & maxima cum difficultate poteſt ad ſanitatem reduci, ſed ad aliquod morbi genus incurabile pertranſit.

C Aliud etiam oraculum 6.aph.51. ſcriptum eſt. Quicumque ſani capitis dolore de repente capiuntur, ſtatimque muti fiunt, ac ſtertunt, infra ſeptimum moriuntur, niſi ſuperuenerit febris. Adeo hæc ſententia determinata eſt, vt non modò mortem prædicat, ſed diem quoque præſcribat; ita vt nulla ſit in hoc affectu ſpes ſalutis, niſi alius ſuperueniat morbus, nempe febris. Vt ſalus

D ægrotantis poſita ſit in alio affectu, qui etiam ſuapte natura eſt malus.

Doctiſſimus inter Græcos Aretæus interdum febrem adiunctam apoplexiæ reperiri ait, quæ non minus ipſa apoplexia periculum affert: & certè vbi vehemens adfuerit febris, nulla ſpes ſalutis expectanda eſt. At vbi febris quædã aduenerit, que tantum habeat caloris,

E vt vnica, vel duabus acceſſionibus diſſipet materiam facientem apoplexiam, hæc erit ſalutis cauſa, ſed ſi diu perſeueret, verendum eſt, ne ægrotum interficiat.

Sed quamuis apoplexia morbus ſit ſuapte natura hominem vel iugulans, vel ad infœlicem ſtatum reducens, plures tamen obſeruationes oſtendunt no-

nobis multos ab ipſa apoplexia fuiſſe liberatos; nam aliquos videmus ex ea in oris torturam incidiſſe, qui tandem temporis beneficio euaſerunt. Ideo medicus debet eſſe diligens admodum, atque oculatus in apoplexia forti à debili diſtinguenda, ne ars medica apud vulgares diffametur.

Sed vbi caſus deploratus videtur, affinibus, & aſſiſtentibus rem in anguſto eſſe dicendum venit: non tamen debemus abſque auxilio relinquere ægrotantem; ne crudelis medici nomen ſubeamus, ſed ea ſemper agere debemus, quę à prudentia diſcurſiua ſuppeditantur.

## DE CVRATIONE APOPLEXIÆ in acceſſione, & per chirurgiam.

Quāuis in omni morbo è corpore pellendo oporteat ſemper medicum methodicè procedere, fuiſque inſtrumentis cautè, & cum ratione vti; ſunt tamen aliqui morbi, in quibus exactè regulæ ſeruari nequeūt, inter quos fortè ſola eſt apoplexia; cuius paroximus, ſeu acceſſio adeo præcipitoſa eſt, vt authore Aetio lib.2.c.27.pro ægroti ſalute cogamur etiam nōnunquā omnia temerè tentare.

In primis igitur vbi paroxiſmus hominem inuaſerit, cum correptus ſit ſine ſenſu, & motu, explorādum rectè eſt, an viuat adhuc, nec ne? quia in quibuſdam, vt diximus, reſpiratio vix ſeruatur, quod fiet experimentis iam dictis, nempe goſſipij parua quantitate ad os, & nares applicata, quæ ſi moueatur, ſignum eſt ſpiritum exire: vel apponatur cyathus aquæ ſupra thoracem, quæ ſi moueatur, ſignum eſt adeſſe reſpirationem: ſed malè tunc agitur pro ægrotāte, vbi ad id redacta res eſt; exiſtimo enim tunc temporis caſum eſſe deploratum.

Vbi verò apertè adſit reſpiratio, omni inſtrumento medico vtendum eſt, vt ægrotus ab hac acceſſione liberetur, quod per reuulſoria inſtrumenta agendum, nec non per ea, quæ attenuandi facultatem habēt, applicita naribus, ori, capiti: & vt vno concludam verbo, ad vehementiſſima medicamenta deueniendum eſt, videlicet ad ferrum, atque ignem: & ſi fieri poterit, omnia medicinæ inſtrumenta confuſim ſunt adminiſtranda.

Frictionibus igitur vehementioribus ad crura, ad brachia, ad ſcapulas, ad dorſum vtendum eſt continuis, nodis doloroſis ad artus, digitorum pedis, ac manus contorſione.

Sunt, qui inungūt plātas pedis oleo, deinde eas vehementer cum ſale, & aceto acerrimo fricant: applicandæ ſunt cucurbitæ ad fœmora, ad tibias. Raſis ſartaginem calidam, atque ignitā capiti apponit, eamque ter, aut quater repetit, quæ tamen actu caput non tangat, ſed ſua caliditate pilos aliquo modo adurat.

Cucurbitæ quoque ex Aetio ad lumbos applicandæ, & ita continuata ſerie ad ſacrum os ſequi; quandoque enim his cucurbitis applicatis ab acceſſione reuocantur ægrotantes.

Ad cauterium quoque ab igne factū ſtatim properare poſt immiſſum clyſterem, vel acre ſuppoſitorium ſummæ vtilitatis eſſe exiſtimo, quia debilitata hac in parte cute natura valet tranſmittere materiam contentam in ventriculis cerebri, quæ ob ſui copiam per canales ordinarios expurgari nequit.

Clyſteres autem ſint huiuſmodi.

℞. ſucci mercurialis, vel braſſicæ lib. j.
Hieræ ſimpl. vnc.j.
Salis gemmæ drach.j. fiat clyſter.

Vel

℞. rad. cucumeris aſinini vnc.ij.
Furfuris in petia ﬅig. lib. ſſ. bull. ſecundum artem.
℞. huius decocti lib.j.
Succi betę vnc.iiij.
Hieræ ſimp.
Diaphęn.ana vnc.ſſ.

Sa-

Salis gemmæ ſcrup.ij.
fiat clyſter.

Clyſter quoque ex aqua marina, in qua hiera diſſoluatur bonus eſt,

Pro ſuppoſitorio
℞. mellis deſpum.vnc.j.
Salis gēmmæ,
Ellebori ana ſcrup.j.ſſ.
Fiat ſuppoſitorium.

Raſis clyſma quoddam ſatis validū, & ex vſu opportunum proponit, ſic
℞. pulpæ colocynthidos,
Panis porcini, ſeu cyclaminis.
Centaurij minoris,
Ellebori albi ana vnc.j.
Bull. in lib. iij. aquæ fontis pur. ad cōnſumptionem duarum partium
℞. huius colati lib.ſſ.quæ ſi extra rediérit, fiat alius clyſter ex eadem materia.

Quibus, & alijs ſperare licet, vt ab acceſſione liberetur,à qua vbi liber fuerit, ad regularia medicamenta properandum eſt,primò ad chirurgiam.

Sanguinis igitur miſſionem primo loco aggrediemur, quæ fieri poteſt in acceſſione, de qua quidem omnes authores cōnſentire videntur, quamuis diſſentio quædam inter eos ſit de loco,vnde extrahendus ſit, nec non de modo, quantitate, & tempore.

De loco quidem, quia Auic. 1.3.tr. 5.cap.14.nihil certi determinat, Aetius verò lib.6.cap.27.vult ſanguinem mittendum eſſe ex manu dextera.

Non poſſum ſatis mirari Capiuacciū ſcribentem Auicennæ conſilium eſſe,vt in primis in hoc affectu ſecentur venæ cephalicæ ex brachio, colli, pedum,& narium venæ,quia in hoc capite ſolum modò ſcribit in apoplexia ſanguinea, & phlegmatica mittendum eſſe ſanguinē, de loco ne verbum quidem,quáuis cap. de vertigine, necnon cap. de dolore capitis, vt audiuiſtis, ab his locis non modò ſanguinem mittendum eſſe, verū & cucurbitam ad terminum inferiorem ceruicis, nec non ad caput applicandā ſcribit.

A Secundò ſcribit etiam Capiuaccius Raſim ſecare priùs venas medias, deinde remotas à capite,tertiò proximas,cū tamen in tribus locis, in quibus loquitur de apoplexia, non ita rem hanc determinat; nàm. 1.contin cap.1.de ſanguine mittendo nulla fit mentio. Secūdo loco ſermonem breuiſſimum, de eadem habet apoplexia lib.diuiſ.cap.2. vbi ſcribit eodem tempore mittendum

B eſſe ſanguinem ex vtraque cephalica, ſi potiſſimum apoplexia à ſanguine ortum duxerit. Tertiò in præſenti 9. lib, cap. 4. loquens de ſanguinis miſſione inquit illicò mittendum eſſe ſanguinē ex venis iugularibus, quas guiden appellat, vel ex duabus cephalicis: quare non determinat Raſis ſanguinis miſſionem ea ratione faciendam, qua ſuppoſnit Capiuaccius.

C Sed tamen cum Aetius ex manu dicat ſanguinem eſſe extrahendum, Raſis verò à cephalicis, vel iugularibus, ſaltē inter ipſos differentia eſt de loco, à quo mittendus ſit ſanguis.

De modo autem, aut quantitate ſanguinis mittendi, Aetius vult paucam quantitatem ſanguinis eſſe extrahēdam,faciendamq;illam epicraſim, hoc eſt ſanguinis iteratā euacuationem;

D nam cum dixiſſet partiendam eſſe, ſubiungit; cōmouere enim tantùm oportet, non exoluere vires, & calorem extinguere, quia ex vnica ſanguinis euacuatione virium fit iactura: vbi igitur nil mali ſucceſſerit, iterandam ſectionem iubet. At auic. è contra ſcribit multā copiam ſanguinis vnica vice mittendā eſſe.

Dicendum pro ſolutione harum dif-

E ficultatum omnes authores conuenire in ſanguinis miſſione ob ingens ſuffocationis periculum, quia niſi mittatur ſanguis, ſtatim moriuntur ægrotantes: & id præcipuè ſtatim à principio agendum & in ipſa acceſſione.

Verùm quoniam apoplexia aliquando fit à ſanguine, nonnunquam imò ſæ-

ſæpe à pituita; in prima ſpecie ſanguis rationem habet cauſæ principalis, in ſecunda verò cauſæ ſine qua non; vtramen indicat ſanguinis miſſionem, ſed magis vbi peccat ſāguis in quantitate, ſed aliquando virtus permittit ſanguinis miſſionē, aliquādo verò minimè: ideo Auic. reſpiciēs primariū ſanguinis mittendi indicans ſcribit ſanguinem copioſum eſſe mittendum, ſubintelligens ſemper quoties virtus id permittit.

Aetius verò virtutem conſiderans admonuit eam eſſe reſpiciendam diligenter, vt ſi non poſſit admittere vnicâ vice tantam ſanguinis miſſionem, quanta opus eſt ſemel, vt in duas vices euacuetur. Quare inter Aetium, & Auic. nullam exiſtimo reperiri cōtradictionem.

Nec etiam inter inter Aetium, & Raſim, quia Aetius ſcripſit ex manu dextera mittendum eſſe ſanguinem: per manum autem duo intelliguntur, nēpe manum, & extremam manum: manus ſimpliciter dicta eſt tota illa moles, quæ à ſcapula ad extremos vſque digitos pendula conſpicitur in tres partes diuiſa, hoc eſt, in humerum, vlnam, & extremam manum: extrema verò manus in carpum, metacarpum, & digitos partita eſt, ideo cum manus ſub ſe brachium contineat, Aetius voluit intelligere nomine ipſius eam partem, à qua frequentius mittitur ſanguis, quæ eſt ad cubitum, vt ſenſus Aetij ſit, vt ſanguis, mittatur ex brachio dextero.

Raſis igitur magis particulariter loquens locum determinauit, nempe venam cephalicam, à qua quidem mittitur ſanguis, tum reuellendi, tum euacuandi cauſa, quemadmodum in hoc caſu contingit: & quoniam peccatum ſanguinis eſt vehemens, ideo indicat multam ſui copiam eſſe euacuandam; ideo Raſis primò non modò ab vnica vena ſanguinem trahit, ſed ab vtraque cephalica vtriuſque brachij, vt fiat vniuerſalis totius corporis euacuatio:

A quaperacta ad euacuationem particularem deueniendum eſſe putat, ideſt ad venas iugulares ſecandas.

Rectè igitur Aetius, & rectiùs Raſis de ſanguinis miſſione in hac affectione determinant. Sed venarum iugularium ſectionem tunc maximè iuuare credendum eſt, quando ob venarum, & potiſſimùm plexuū choroidum interceptionem apoplexia prouenit; nam emiſſo
B ſanguine ſtatim ſpiritus in caput ferri poſſunt, & tranſmutari in ſpiritus animales. Sed difficilis admodum eſt harum venarum ſectio, & non niſi à peritiſſimo chirurgo in hac potiſſimùm affectione tentanda.

Poſſumus etiam mittere ſanguinem ex poplite, & ex talo, vbi iam facta fuerit vniuerſalis euacuatio, vt inde reuellatur à capite materia. Hoc quidem
C modo per ſanguinis miſſionem auſpicabimur apoplexiæ curationem. Cucurbitæ quoque vt dictum eſt in acceſſione cum valida flamma ad dorſum, ad clunes, ad crura omninò ſunt applicandæ, deligationes, frictiones, & id genus, de quibus iam ſatis eſt dictum.

Et quamuis huiuſmodi remedia referantur ad vnam ex ſex rebus non naturalibus, ad motum nempe, nihilominus
D quia ſunt operationes manuales, ad inſtrumentum chirurgicum retulimus.

## DE CVRATIONE APOPLEXIÆ per victus rationem.

Qvamuis præſens morbus ſit acutiſſimus, qui hominem vt plurimum infra quartum, aut ſeptimū iugulāt, & à medicamentis poti-
E ùs, quàm à victus ratione eius petenda eſſet curatio; de hac tamē ſunt dicēda, quæ de cæteris alijs huc vſq; diximus. Et primò aer ad calidum, & ſiccum vergere debet, quia frequentiùs apoplexia ex pituitoſo, quàm ab alijs humoribus contingere ſolet; nam ex bile nunquam, ex ſanguine raro, ex melan-

cho-

cholia frequentiùs;ex pituita verò quaſi sēper. De viuendi autē modo regulas aliquas cōſueto ordine hic adnectimus.

Primò quidem æger collocetur in conclaui dilucido, ac claro, in quo aer vergat ad calidum magis, vt materia à capite foras euocari poſſit, qui etiam parari poteſt cum rebus à me dictis cap. de cephalęa à materia pituitoſa, vt ſunt ignis, res aromaticæ,& huiuſmodi,quæ exiccandi, & calefaciendi facultatem habent.

Lectus,in quo decumbere debet, ſit pendulus ad pedes, ſiquidem hic motione eſt opus, & potiſſimùm ad partes inferiores, vnde, vt dictum eſt, frictionibus validis, ac frequentibus vti optimum eſt, quibus ſperare licet excitari poſſe naturæ vim à morbo ſopitam, nec non liberari obſtructa, præparariquè materiam ad fluxum.

Vectio, nauigatio,& huiuſmodi,quæ corpus exercent, non reprobantur, ſi declinante morbo fiant, & æſtiuo tempore, aut ſaltem ſub cælo temperato magis ad caliditatem,& ſiccitatem vergente.

Curandum eſt, vt potius vigilet,quā dormiat, quinimò quia apoplectici ſolent eſſe quaſi ſomnolenti, ideo expergefaciendi ſemper veniunt, ne in profundum ſomnum cadant.

Animi affectiones ad iram, & excandeſcentiam ducentes facultatem & ipſę habēt ad humores attenuandos, proinde in præſenti caſu non ſunt inutiles.

At quoniam in principijs vix aliquid deglutire poſſunt, ideo eorum victus debet eſſe fluidus, vt deorſum fluat;atque in ſtomacho alterari poſſit; talia ſunt fercula panis triti in iure pullorum, diſſoluti, vel vitelli ouorum recentium in iure prædicto diſſoluti; vel fercula iuris, vel etiam contuſa ex carnibus, vel ſtillatitia.

Cum cibo quoque ſemper aliquid admiſcendum venit, quod incidendi,& attenuandi facultatem habeat. Panis aromatizatus, mellitus, fœniculatus, aut aniſatus, nec non biſcoctus in hoc caſu probatur. In iuſculis carnium pullorū, vel caponis, vel ſimilium ( de quibus alibi prolixè egimus)infundatur panis; in quibus iuſculis ebullierint ſerpyllū, hyſſopum, calamenthum, ſaluia,bettonica,ſampſucus, & id genus, vbi autem liberatus fuerit ab affectione æger,alia eſt inchoanda victus ratio.

Pro potu ſit aqua, in qua ebullierit modicum cinnamomi, aut aniſorum, vel melicratum,vel ſaluiæ:aqua quoque ſaluiæ, & bettonicæ ſtillatitia confert; vbi autem morbus in longum protrahatur, vt fieri ſolet, nonnunquam modicum vini pauciferum concedendum eſt.

Singulis, aut ſaltem alternis diebus aluus per clyſterem educenda venit,vel ſuppoſitorijs quibuſdam acribus vtēdū, vt ſupra in acceſſione diximus.

Pro clyſtere.

℞. chamæmeli,
Rutæ,
Anethi,
Saluiæ,
Origani,
Calamenthi,
Cētaurij minoris ana manip.ſſ.
Carthami vnc.j.fiat decoctio ſecūndum artem.

℞. decoct.huius lib.j.
Olei de caſtoreo vnc.iij.
Hieræ picræ vnc.j.ſſ.
Bened.vnc.ſſ.
Mellis vnc.j.ſſ.
Salis gemmæ drach.j.
Agarici drach.ſſ.m.pro clyſtere.

## *DE CVRATIONE APOPLEXIAE per pharmaciam.*

SI curatio per hoc inſtrumentum recte, & vt decet inſtituenda venit, opus eſt in primis animaduertere causā antecedentem, deinde & coniunctam. Immediata, & proxima cauſa, nempe

coniuncta, vt plurimum eſt materia, contenta in ventriculis, & etiam in corpore ipſius cerebri, de qua loquens Gal.2.aph.45.ſcribit eam eſſe, vt plurimum frigidam, & craſſam.

Sed quamuis alia poſſit eſſe materia, nempe ſanguis, aut humor melancholicus, vt ſupra ex Hipp. vidimus contingere iis, qui à quadrageſimo ad ſexageſimũ annũ properant; illa eſt tamẽ,ad quam conſilium medici dirigi debet, vt obſtruentis rationem habet: ita vt obſtructio ſit immediata, & proxima cauſa huius ſymptomatis, vel plurium horum ſymptomatum, vt melius loquar, quia hic rectices facultates cerebri abolitæ ſunt, nec non ſenſitiua, & motiua totius corporis,ea excepta,quæ ad diaphragma eſt.

Quare nec à ſola pororum, & meatuum cerebri adſtrictione fieri poteſt,vt nonnulli ex neotericis exiſtimãt, quia non videtur ventriculos cerebri, tam patentes ſola aeris frigiditate poſſe conſtringi, vt aditus ſpirituum prohibeatur.

Non negamus tamen, quin adſtringi poſſint ex vulnere intus os pellente, de cuius quidem cura non eſt præſentis inſtituti; ſed ad eam deuenire oportet, in qua ſupponitur craſſos humores, crudos, & pituitoſos primùm ventriculos obſtruere; deinde ad eam, quæ melancholicos habet humores.

Secundum igitur noſtrum conſuetũ loquendi modum dicimus opus eſſe prohibere, ne affectus magis increſcat, quod fiet, ſi eius generatio inhibeatur, quod per dictam victus rationem conſequemur: deinde, ſi humor, qui in toto corporis habitu reperitur, in caput ferri prohibeatur, quod fiet, ſi ipſum ad alium locum, & extra corpus ducamus.

At id commodè fieri nequit, niſi priùs præparetur materia,at cum ſit frigidus, craſſus, lentus ac viſcidus humor, medicamentis, quæ ipſum altera-

A re debent, vt calefaciendi, attenuandi, & incidendi virtutem habentibus,vti opus eſt, vt ſunt

Syr. de bettonica,
De hyſſopo,
De ſtœchade ſim. & comp.
Oxymel. ſimp. & comp.
Squilliticum,
Mel anacardinum,
Byzantinus ſim. & comp.

B De iua,
Cum aquis,
Bettonicæ,
Hyſſopi,
Saluiæ,
Maioranæ,
Pulegij,
Thymi,
Calamenthi,
Stœchadis,

C Medicamenta autem educentia pituitoſos humores ſunt

Elect. indum maius:doſis ad vnc.ſſ.
Diaphœnicon,
Bened. laxat.
Diaturbith. doſis ad vnc.j.
Diacarthamum,doſis drache. v.
Hiera picra cum agarico,
Hiera logadij,doſis drach. iiij.
D Hiera diacolocynth. doſis drach.ij.
hoc modo.

℞. ſyr. roſ. ſol. vnc.v.
Diacarth.
Hieræ logad. ana drach.ij.
Aquæ bett. q.ſ. fiat pòtus breuis.

Vel

℞. Hieræ diacolocynth. drach.iiij.
Diacatholici drach.vj.
Cum ſacch. fiat bolus.

E Pilulæ alephanginæ,
Arabicæ,
Aureæ Nic.
De opopanace,
De ſarcocolla Meſ.
De octo rebus Nic.
Fœtidæ maiores.
De euphorbio,
Ex trochiſc. alhandal.

De colocynth.
De nitro Alexand. quæ ſunt mirabilis operationis, vt

℞. pil. de nitro Alex.
Cochiar. ana drach. j.
Cum aqua ſaluiæ fiant pil.

Vel

℞. pil. alephang. drach. j. ſſ.
Trochiſc. alhandal ſcrup. ſſ.
Fiant pil. num. vij.

Sunt, & medicamenta localia; ſunt quoque medicamenta interna, pro quibus recurre ad curam doloris capitis à materia pituitoſa.

Vbi verò fiat à melancholico ſucco, quod rarò contingit, ad eos ſyrupos recurrendum eſt, qui eum alterare ſunt apti, vt

Syr. de epithymo,
De ſucco borrag.
De ſucco bugloſſi,
De polypodio,
De peonia Meſues.
De pomis,
De ſcolopendria,
De fumaria,

Cum aquis.

Meliſſæ,
Bugloſſi,
Borrag.
Fumariæ,
Pœoniæ,
Scolopendriæ,
Meliſſophylli,

Hiſce ad humorem melancholicum præparãdum procedere poteſtis ſingulo mane vnum offerentes, qui vbi præparatus fuerit educendus eſt medicamentis, ad id facientibus, vt ſunt

A Diacaſſia, cuius doſis ab vnc. j. ad drach. x.

Diaſena lenitiua, doſis ab vnc. j. ad vnc. j. ſſ.

Confectio hamech. doſis à drach. iij. ad drach. v.

Diaſena ſolut.

Hiera Archig. à Meſue, & Auicenna deſcripta: cuius doſis eſt à drach. iiij. ad drach. vij.

B Vt

℞. Diacaſſiæ vnc. j.
Confect. hamech. vnc. ſſ.
Cum ſacch. fiat bolus.

Vel

℞. Diaſenæ len. drach. x.
Hieræ Archig. drach. iij.
Cum ſacch. fiat bolus.

Ad idem faciunt.

Pilulæ indæ,
C De lapide lazuli,
De lap. armenio,
De elat. Nicolai,
De elleboro Meſ.

Quarum duarum vltimarum doſis eſt à gr. iij. ad gr. v.

Sub forma pilularum,

℞. pil. de lap. lazuli ſcrup. iiij.
Pil. de elat. gr. iij.
Fiant pil. num. v.

D Pro curatione autem cauſæ coniunctæ opus eſt vti localibus, quæ ſenſibiliter, & inſenſibiliter poſſunt educere vtramque materiam à capite, quorum alia naribus, alia ori, & palato applicentur, de quibus omnibus recurre ad caput de dolore capitis, vbi ſatis prolixè de ijs ſermonem habuimus. Apoplexia diſcuſſa epilepſiam examinamus.

# DE EPILEPSIA.

## CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

TAnta eſt ſimilitudo, & affinitas inter apoplexiam, & epilepſiam, tã cauſarum, actionũ læſarum & partis affectæ, quàm modi inuaſionis ratione, vt in primo inſultu vix vna ab altera diſtingui poſſit. Nam ægrotantes in terram cadunt tãquam mortui nihil audientes, aut ſentientes, neque interrogati quidquam reſpondentes in vtraque hac affectione, vt meritò poſt tractatum vnius afferenda veniat alterius contemplatio.

Quare in animum induxi declarata, & ad viuum depicta apoplexia ante oculos veſtros, epilepſiam tanquam in tabella quadam delineatam afferre, vt inde agnoſcere valeatis, in quibus re vera conueniat hæc cum apoplexia, & in quibus differat.

Sed antequam ipſius eſſentiam delineem, quot nominibus appelletur vobis aperire decreui; non tamen eorumdem etymologiã inueſtigare conabor, cum parum id veſtra referat: ac quia legere poteſtis per vos ipſos authores magis curioſos, qui multum temporis impendunt in nominibus declarandis.

Igitur appellata fuit epilepſia, morbus ſacer, morbus Herculeus, morbus lunaticus, morbus comitalis, morbus caducus, & tandem ab Hipp. fuit appellata morbus puerorum.

Arnaldus à Villanoua ad ipſam ſignificandam lib. de epilepſia varijs vtitur nominibus, ſed quam aptè viderint alij: & hæc de nominibus;

Eſſentia epilepſiæ ex aliquorum mente poſita eſt in ſymptomate læſarũ actionum animalium omnium tam rectricum, & ſenſitiuarum, quàm motiuarum, non ſecus atque apoplexia: ab ipſa tamen differens, quia in illa motus

A eſt abolitus ex toto; in hac verò eſt deprauatus: in illa non ſeruatur reſpiratio, in hac autẽ ſeruatur, nec quidquam læditur.

Nonnulli è contra ſunt, qui dicunt in epilepſia nec ſenſum, nec rectrices facultates lædi, ſed motum deprauatũ eſſe, vt eſt Marcellus Donatus lib. de mirab. hiſt. medica cap. 4. ita vt dicendũ ſit epilepſiam multis nominibus ab B apoplexia differre.

Sed cùm epilepſia alia ſit per eſſentiã in capite facta, alia per conſenſum, dicendum forte erit in prima actiones hegemonicas lædi; in altera per conſenſum minimè. Quare inquirenti huius affectionis eſſentiam non videtur poſſe vtramque ſub vna definitione cõprehendi, quia natura epilepſiæ per eſſen- C tiam poſita eſt in deperditione facultatum rectricum, ſenſus ablatione, nec non conuulſione totius corporis, quæ eſt motus deprauatus.

Illa verò, quæ per conſenſum eſt, eſſentiam ſuam habet in deperditione ſẽſus tantùm, & motus voluntarij deprauatione. At ſi in ea, quæ per eſſentiam eſt, non amittuntur hegemonicæ, vt Marcellus Donatus velle videtur, non vna, & eadem eſſe poteſt definitio.

D Verùm hæc opinio Galeno omninò contrariatur, qui 3. de loc. aff. 7. ſcriptũ reliquit epilepſiam eſſe conuulſionem omnium partium corporis, non perpetuam, ſed quæ ex temporum fit interuallis cum mentis, ac ſenſuum læſione.

Ex Gal. igitur rectrices læduntur facultates tam in epilepſia per eſſentiam, quàm in illa per conſenſum: quare vna, E & eadem res, & ſub vnica definitione comprehendi debet, & in vtraque cum ſenſu hegemonicæ abolentur: motus autem deprauatur, quod potiſſimùm in epilepſia per conſenſum apparet, in

qua

quæ tot motus deprauati, & tot modis conſpiciuntur, vt vix credibile ſit fieri tales motus.

Nam videbitis aliquos contorquentes ſpinam ad poſteriora, vt caput attingat eorum calcanea: alios videbitis capite terra innixos pedibus ſurſum eleuatis, vt mirum ſit, quomodo poſſint in hac figura permanere: alios obſeruabitis quandoque habere manuum, & pedum digitos ita contractos, vt non poſſint vlla violentia extendi.

Vidi inter alias mulieres vnam in lecto decumbentem manus, & pedes perpetuò, ſurſum deorſumque retrahentem, neque vnquam quieſcentem integris manentibus facultatibus rectricibus.

Definitur à Gal. lib. 3. de loc. aff. 7. quod ſit conuulſio omnium corporis partium, non perpetua, vt in empro-ſtotano, opiſtotono, & tetano videre eſt, ſed quæ interuallis temporum euenit, neque ſolum hac de cauſa, ſed mẽtis quoque, & ſenſuum læſione à iam dictis conuulſionum generibus differt. Idem ait Paulus lib. 3. cap. 13. & Auic. 1.3.tr.5.cap.8.

Ita vt ex Gal. authoritate loco cit. & 2. de cauſ. ſympt. c. 2. eſſentia epilepſiæ ſit poſita in motu deprauato, qui eſt conuulſio. Verùm conuulſio conſideratur duobus modis primò vt ſignificat conuulſionem conſũmatam, in qua membra cõuulſa in vna figura quieſcũt, vt contingit in prædictis conuulſionibus; ſecundò vt ſignificat motum conuulſiuum.

Quare epilepſia eſt totius corporis motus conuulſiuus cum ſenſuum internorum, & externorum priuatione; vnde cõuulſio eſt loco generis, reliqua verò verba loco differentiarum, vt notat Garcias Carrerus diſp. 17. de epilepſia cap. 4. ſupra lib. citatum Gal. 3. de loc. aff. 7.

A

## DE PARTE AFFECTA IN *epilepſia.*

PArtem affectam cerebrum eſſe nulli eſt dubium, ſed cum diuidatur cerebrum, vt diximus cap. de apoplexia in corpus, & ventriculos, à Gal. 4. de loc. aff. 2. determinatur magis lædi ventriculos, quàm corpus facta compa-ratione cerebri epileptici ſecundùm

B ſuas partes, videlicet corpus eiuſdem cerebri, & ventriculos.

Sed quando additur corpus cerebri apoplecticorum magis lædi, noluit Gal. inferre, quod corpus cerebri apoplecticorum in apoplexia magis lędatur, quã ventriculi eorundem apoplecticorum, ſed id dixit per comparationem ad corpus cerebri epilepticorum; nam corpus

C cerebri apoplecticorum magis læditur, quàm epilepticorum: quemadmodum etiam ventriculi cerebri in apoplecticis magis læduntur, quàm in epilepticis ob allatas in tractatu de apoplexia rationes.

Pars igitur affecta in epilepſia eſt cerebrum, tam corporis, quàm ſuorum ventriculorum ratione, ſed magis ſecũdum ventriculos. Inuenta iam definiti-

D one, & parte affecta opus eſt, vt inquiramus, quẽ morbũ ſequatur epilepſia.

## QVEM MORBVM SEQVITVR *epilepſia.*

INter ſcriptores recentiores maxima lis eſt, & controuerſia de hoc morbo; alij enim defendunt cum Gal. non poſſe eſſe niſi obſtructionem, inter quos

E eſt Valleſius ſupra quartum lib. de loc. aff. 2. quem ſectatus eſt Io. Baptiſta Syluat. lib. controu. 44. & plerique alij.

E contra Fernelius, Rondelet, Ioubertus, & omnes Galli negant fieri poſſe ab obſtructione, ſed à mala qualitate, & venenata. Hos ſectatus eſt Mercellus Donatus lib. admir. hiſt. med. cap. 4. admirandæ epilepſiæ.

Sunt

Sunt alij authores, qui in medio ſtãt diuidentes epilepſiam per eſſentiam ab ea per conſenſum, & afferunt illam per eſſentiam requirere obſtructionem, pro certo habentes non poſſe ab alia cauſa fieri.

At illa,quę per conſenſum eſt;tam ab obſtructione, quàm à mala, & venenata qualitate fieri contendunt.

Legere poteſtis Garciam diſput. de epilep. cap. 4. quo in loco videbitis rationes omnium prædictorum authorũ, ſimulque & ipſius Carrerij determinationem, quod obſtructio quidem adeſt in ventriculis cerebri, ſed non eſt ſufficiens ad facienda ea ſymptomata, quæ concurrunt in epilepſia; nam ibi adeſt ſenſuum internorum, & externorum priuatio, nec non & partium conuulſio.

Senſuum autem priuatio fieri ab obſtructione quidem poteſt, ſed ad conuulſionem faciendam non ſatis eſt obſtructio, ſed aliquid aliud requiritur, vt fiat eiuſmodi motus; id autem non aliunde ex Gal. peti poteſt, quàm à cerebro, quod percipiens ſe oppreſsũ eſſe, maximè conatur, vt noxium eijciat, & huiuſmodi motus, quem facit cerebrum,eſt cauſa conuulſionis.

Additque non omnes eſſe huius opinionis, vt putent à cerebro ſe concquatiente, & mouente fieri motum illum conuulſiuum, quia aliquando cõtingit vnam partem, vel aliquas partes moueri reliquis quieſcentibus, vnde non cenſet talem motum particularem poſſe à cerebro fieri, à quo omnes nerui, vt à principio prodeunt; nam opus eſſet, vt omnes nerui ab ipſo prodeuntes mouerentur.

Neque videtur rectè dici poſſe cerebrum lædi ſecundùm diuerſas ſui partes, ſecundùm quas,cum mouetur,mouet etiam neruos, & muſculos illi correſpondentes, cum ſit totũm quoddã continuum, & ſimilare. Melius propterea iudicat poſſe eſſe, quod parti-

A culares nerui irritẽtur,vel pars à qua ipſi oriuntur, quia contingit eos ſolos irritari, quibus communicata eſt materia, ac inde moueri membra, quibus innaſcuntur.

Verùm à qua facultate fiant hi motus, non adeo clarum eſt, an à naturali irritata, an ab animali, quamuis huiuſmodi inquiſitiones ad curationem, aut ad præſens inſtitutum parum, aut nihil B faciant; ſat enim eſt nobis, ſi cognoſcamus partem læſam eſſe cerebrum ſecundum corpus, & ventriculos, ſed magis ſecundum ventriculos, & quod etiam idem cerebrum ſit læſum cum ſua ſpinali medulla, quæ iam extra corpus per ſpinã oſſeam in trigintaduo paria neruorum diſtribuitur pro motus localis diſtributione; nam iſthæc triginta duo paria neruorum ſparſa ſunt C per muſculos motus localis gratia.

Sat deinde eſt ſcire, quod morbus ſit in compoſitione, nẽpe eſſe obſtructionem, vel compreſſionem, per irritationem; & quod huiuſmodi motus ſit potiùs à cauſa morbifica, quàm à facultate naturali, vel animali.

## DE CAVSIS EPILEPSIAE.

D Cauſæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. Interna immediata, & proxima eſt pituitoſus, nec non melancholicus humor.Habetur à Gal. pluribus in locis epilepſiam fieri ab humore pituitoſo lib.3.de loc.aff.vbi hac ratione id demõſtrare contendit, quod fiat ſubitò; meatuum enim obſtructionem à craſſo,& viſcido humore fieri conſtat.

Quod cõfirmat lib.2.de cauſis ſympt. E cap,7.& 4.de loc.aff.cap.2.6.epid.ſec. 6.tex.7.quod recipiunt non modò alij Græci vt Paulus, Aetius, Trall. ſed & Auic.& omnis antiquitas.

Quod verò fiat ab humore melãcholico idem teſtatur Gal. 3. de loc. aff. 7. citato vbi interpretatur illam Hipp. ſententiam 6.epid.com.6.com.vlt.Melan-

cho-

cholici magna ex parte fiunt epileptici, & 3.aphor.con. 2.poſuit epilepſiam inter morbos autumnales, quod confirmat Auicenna, & Ariſt.30.probl.1.ſcripſit ab humore melancholico epilepſiam fieri.

Sed fortaſſe veſtrum quiſpiam inquiret à me, quomodo Gal.3.de loc.aff.7. ſcriptum reliquit epilepſiam fieri citò, & citò terminari, cum fiat à materia craſſa? Hoc dedit anſam omnibus ſcriptoribus excogitandi non poſſe fieri niſi à materia tenui irritante, ſed quemadmodum ſupra dixi, magna eſt lis, & controuerſia inter ſcriptores, quam in præſenti dirimire non eſt opus.

Reſpondeo ad quæſitum, Gal. argumentum demonſtratiuum eſſe ijs, qui anatomicam adminiſtrationem norunt, ac ſciunt in corpore cerebri, & potiſſimum ad extimam ſuperficiem, qua attingit piam membranam, & reſpicit ſinciput, reperiri quaſdam cauitates, i-bique colligi ſenſim, & paulatim materiam pituitoſam, vel melancholiam ex qua fit epilepſia.

Hæc deinde materia à frigiditate ambientis exprimitur, vel à caliditate liquatur, deorſumque ad ventriculos præcipitat, proque diuerſitate copiæ, vel qualitatis totam cerebri cauitatem obſtrui, vt in apoplexia, contingit, quæ copioſa admodum, & craſſa eſt, vt ventriculos omnes repleat, nec non ſpinalis medullæ principium, fitque citò apoplexia, ſed non citò terminatur.

At in epilepſia non reperitur tanta copia: deinde materia non eſt tam craſſa, vt in apoplexia, ſed magis fluxilis, citoque cadit in ventriculos cerebri, nec eos ex toto obſtruit: & partim ipſius in glandulam pituitariam, quæ in hunc vſum facta eſt, vt ventriculos cerebri expurget à craſſis excrementis, qualis eſt tam pituita, quàm melancholia, eaque ad os, & ad palatum deponat.

Quod officium præſtat, quando non

A adeſt tanta copia, neque adeo craſſa eſt materia, vt fluere poſſit, talis eſt in epilepſia: ab hac igitur glandula accipitur copia materiæ, ad oſque deponitur, quæ tandem in acceſſionibus ab epilepticis deglutitur, quod ſæpe obſeruatum eſt à nobis, quod tamen minimè fieri videtur ab apoplecticis.

Hinc eſt igitur, quod tam breuiſſimo tempore tàm apoplectici, quàm e-

B pileptici fiunt, ſed non tam citò ab acceſſione ſubleuantur, quamuis epileptici longè citius ab accidente liberentur, quàm apoplectici. Et hæc eſt ratio, cur epileptici per eſſentiam (de quibus modò loquimur) citò fiunt, & citò liberantur, quia fiunt à materia craſſa, quæ à cerebri corpore in ventriculos ſtatim præcipitat, inde ad glandulam pituitariam, & ad os.

C Cauſa igitur immediata faciens epilepſiam eſt pituita craſſa, aut melancholia, vel vtraque mixta. Cauſa verò antecedens interna eſt idem humor paratus ad caput ferri.

Cauſæ exteriores aliæ ſunt, quæ accumulant humorem in corpore, & in capite, à quo excitatur epilepſia: aliæ ſunt, quæ ipſam epilepſiam ſtatim pro-

D ducunt: priores ſpectant ad malum vſum rerum omnium naturalium, vel etiam aliquarum.

Inter alias cauſas eſt aer frigidus, qui duplici nomine concurrit, primò quia facit ad generationem frigidorum, & craſſorum humorum: deinde quia ſua frigiditate exprimit humores à corpore cerebri (vt diximus) in eius ventriculos, quod idem facit, vbi immoderatè eſt calidus, ſed aliquando, vt ſupra dixi.

E Deinde ſunt alimenta, quæ craſſos humores generant, quamuis ea, quæ non ſunt talia, poſſunt facere cruditates, ſi intempeſtiuè, & inordinatè aſſumpta fuerint, ita vt in ventriculo neque-ant probè concoqui.

Crapulæ etiam frequentes accumulant copiam craſſorum humorum. Nimius

mius aquæ potus, & intempeſtiuus; immoderatus quoque, & frequens vini potus. quamuis alia, & alia ratione; aqua enim nimia calorem viſcerum extinguit, vinum calorem innatum ſupprimit, atque ſuffocat.

Nimius ſomnus, nimium ocium, animi immoderati affectus, excreto um nimio, & longo tempore ſuppreſſiones. Et iſtæ ſunt cauſæ colligentes in corpore craſſos humores cóferentibus rebus naturalibus, habitu corporis pituitoſo, temperamento frigido, & humido, atque ætate declinante.

Illa verò, quæ epilepſiam faciunt, ſunt apium ex Auic. & Raſis conſenſu: eſt & hepar hircinum tam commeſtum, quàm odoratum, quod ex Raſis opinione ſtatim excitat epilepſiam: alij addũt bituminis ſuffitum.

Porrò epilepſia duas primas, & notabiles habet differentias, vna quæ fit per eſſentiam in capite, ſeu per idiopathiam, hoc eſt, per primariam paſſionẽ; alia quæ fit per deuteropathiam, nimirũ per ſecundariam paſſionem, quam per conſenſum vocant, de qua infra, poſtquam abſoluero hanc, quæ fit per eſſentiam.

Hæc ipſa differentias habet à ſubiecto reſpectu ætatum; nam alia eſt, quæ pueris contingit, alia quæ lactentibus, alia quæ adultis, & huiuſmodi epilepſiæ tam pueris, quàm adultis euenientes aut fiunt ab humore pituitoſo, aut à melancholico: rurſus deſumuntur differentiæ epilepſiæ à tempore acceſſionis; alia enim durat per horã, alia per diem integrum.

## DE SIGNIS EPILEPSIAE.

Signorum alia ſunt, quæ imminentem tam in pueris, quàm in adultis, & alia quæ præſentem demonſtrãt epilepſiam.

Puerorum futura epilepſia conijci poteſt rationali quadam coniectura à

A parentibus accepta, deinde à pueri cóſtitutione capitis, & corporis totius; nam ſi ex parentibus natura humidioribus, & pituitoſis, qui in victus ratione deliquerint, nec moderatam viuendi regulam ſeruarint tam in cibo, & potu, quàm in alijs rebus, ita vt collegerint multa, & craſſa excrementa, caputque pueri ſit improportionatum magnitudinis ratione, ſcilicet ſit maius, aut minus, quàm conueniat, appareatque ſpuma circa os, oculoſque contorqueat, nimium quàm conſueuerat, clamet, ac vociferet, lugeat, vel labia inordinatè moueat, dubitandum eſt de futura epilepſia.

B

At vbi acceſſionem habeat, in qua non ſentiat, & deprauatè moueatur, tunc præſens eſt epilepſia.

C Prænunciari poteſt epilepſia futura in adultis ex quibuſdam rebus præteritis præter naturam, & ex aliquibus præſentibus, vt ſi adfuerit dolor capitis, aut vertigo, vel incubus, vel rerum turbidarum, aut aquarũ in inſomnijs imagines quædam, ſomnuſque turbulentus ſit, ac profundior quàm antea, vt vix ab eo excitari poſſint, adſitque continua capitis grauitas cum quadam ambulandi grauitate, & difficultate brachia mouendi, imminens eſt epilepſia.

D Præſens autem ſtatim cognoſcitur, quia ægrotantes in terram præcipites cadunt, & veluti mortui iacent, quandoque in ore ſpuma cóſpicitur: quæ ſpuma in ore eſt ſymptoma proprium epilepticorum, quod raró contingit in in apoplecticis, fitque ex materia pituitoſa, & viſcida, ſpirituque intus concluſo.

E Signa: modò diſtinguentia cauſas, tam in pueris, quàm in adultis deſumi poſſunt à victus ratione, à corporis habitu, à complexione, à qualitatibus, ab excretis, motuque humoris, ac deniq; à iuuantibus, & nocentibus.

Primò puerorum victus cóſideratur reſpectu nutricis, quando ſunt lactentes,

tes, quæ ſi fuerit habitus pituitoſi, & complexionis ad humidum tendentis, & vtatur alimentis craſſioribus, vt ſunt piſces, edulia ex paſta, & caſeo, carnes ſuillæ, bubulæ; vtaturque pro potu nimia aqua, aut nimio, & immoderato vino, ſomnuſque illi ſit longior, ac profundior, quàm ſit ex vſu, otioſamque, & ignauam ducat vitam, animique illi ſint immoderatæ affectiones, vel retineantur excrementa, quæ expurgari deberent, dicendum eſt illam coaceruaſſe humorum pituitoſorum copiam, & quod lac, quo nutritur infans, ſit pituitoſum, & per conſequens præſens epilepſia ſit facta ab humore pituitoſo.

Quod certius erit, ſi puer quoque ſit pituitoſus, colorque faciei appareat albidior, exaſperetur magis epilepticus motus media nocte, quàm reliquis tẽporibus: ſi tandem iuuetur ab illis præſidijs, quæ pituitam euacuant, aut diſſipant: & aer ambiens ſit frigidus, & humidus, certiſſimè concludere debetis epilepſiam ſuum ortum ducere à pituitoſo humore.

Eadem ſolertia vtendum vobis erit circa epilepſiam adultorum, cuius cauſam ſi diſtinguetis, ſtatim cognoſcetis fieri, vel à melancholia, vel pituita, diſcurrentes circa victus rationem, corporis habitum, complexionem, ætatem nec non circa aerem externum, ipſiuſque conſuetudinem.

Tandem recurrentes ad iuuantia, & nocentia poteritis demóſtrationem facere de humore in corpore peccante, vbi qualitates, & motum humoris facientis epilepſiam animaduerteritis.

Hæc de ſignis cauſarum pituitoſi potiſſimùm humoris, qui etiam ex ſpuma in ore confirmari poteſt; nam ſpuma, docente Gal. ſignum eſt humoris pituitoſi in capite exiſtentis, quod ex ipſius generatione, quam idem affert Gal. 2. aph. 42. & 43. vbi inquit ſpumæ, materiam eſſe ſpiritum, & viſcidum humoré, cauſam verò efficientem eſſe vel motũ, vel calorem, aut vtrumque.

In epilepticis ſpiritus tum intus attractus per inſpirationem, tũ extra per expirationem pulſus, ſimul cum motu linguæ agitat ſaliuam, quæ ex pituita conſtat, extenditurque ratione ſuæ viſcoſitatis, aere in ipſa incluſo, & ſpuma generatur: quare inter ſigna pituitæ ſpuma ab authoribus meritò recenſetur, tanquam ab exeunte mutato.

## DE FVTVRO EVENTV epilepſia.

Huius morbi euentus futurus incertus admodum eſt; nam fieri poteſt, vt ſanetur æger, & tunc euentus eſt bonus: vel etiam euentus eſt bonus quidem, ſed non ſimpliciter, quia mutatur in aliud genus morbi, ſed incurabilis: nonnunquam eſt malus ſimpliciter, quia ad mortem terminatur: nonnunquam eſt malus ſecũdùm quid, quia terminatur in morbum peiorẽm.

Nihilominus Gal. 5. aph. 30. ait, morbus comitialis eſt morbus acutus, propter cuius magnitudinem, & acutiem impoſſibile eſt ægrotantem euadere: præcipuè vbi ſpuma in ore appareat, quæ ex eodem 2. aph. com. 43. tanquam exitiale ſignum cenſetur.

Nihilominus vt præcognoſcatis, & prædicere poſſitis, qualem euentum habere poſſit epilepſia, opus eſt magnitudinem ipſius comparare cum virium robore; quæ magnitudo à vehementia, vel clementia ſymptomatum, à cauſa efficiente, ab ætate, à iuuantibus, & nocentibus deſumi poterit.

Nam ſi puer ſit, qui dum lac ſugit, in hunc cadat morbum (vt euenire ſæpè conſueuit) eſt Hipp. authoritas diuulgatiſſima, quod liberantur ante pubertatem, eo quod caput ad calidius, & ſiccius tranſmutatur, Gal. in com. notat, quod ſi pueris, vbi proceſſerit ætas, ob aliquam cauſam externam in epilepſiam cadere contigerit, quod nõ libe-

liberantur, niſi ſimul cum ætate mutetur, aut ratio victus, aut locus: quod confirmatum eſt ex 2.aph. 45.

Rurſus epilepſia, quæ euenit ante pubertatem, omninò bonum euentum habet ſimpliciter.

Habetis igitur pueros ab epilepſia ſanari ante pubertatem, dummodò non adſint ſymptomata vehementia, quia vbi hæc adſint, fiantque à copia pituitoſi humoris, in apoplexiam citò terminatur, & moriuntur ægri.

At vbi contingat ſymptomata valida quidem eſſe, ſed non adeo copioſa eſt materia pituitoſa, ne euinci à capitis facultate poſſit, degenerant in dolorem nephriticum, quod Hipp. ſcriptum reliquit 6.epid.com.1.tex.5.aut in alium ſimilem morbum, vel etiam in lapidem veſicæ.

Sed ſi eueniat poſt pubertatem homines inuadere, eos vſque ad mortem comitatur. Gal.in comm.7.aph. lib. 5. notat ætatem pubertatis eſſe à decimoquarto anno ad vigeſimumquintum, vſque; quare ſi pueri in pubertate non liberantur, tunc raro ab epilepſia euadunt, ſed ad mortem vſque ab ipſa detinentur, quod de Iulio Cæſare refert Plutarchus in vita eiuſdem, qui nũquam à tali morbo liberari potuit: qui igitur non ſanãtur tempore pubertatis, ſunt incurabiles: multoque minus ſecundùm hanc regulam curari poterunt, qui poſt pubertatem in epilepſiam incidunt.

Sed hic opus eſt magna animaduerſione, quia ſi ſymptomata non ſint adeo valida, ægerque benè, & rectè toleret, beneque ſe ad omnia habeat, tã alimenta, quàm medicamenta, illaque, quæ ſolent iuuare, multum iuuẽt, & vt 1.contin.cap.5. ſcribit Raſis, epileptici facilè à ſe ipſis reſurgant à ſymptomate, & verecundentur, vel quando paroxiſmus declinat, cum ſternutatione terminetur, bonum euentum ſimpliciter ſperare oportet, ſanitatẽ nẽpè.

Si autem contrariæ conditiones fuerint, malus euentus ſimpliciter timendus: nã ad mortem terminatur morbus.

Contingit quandoque pro materiæ varietate, viribus naturalibus, & vitalibus validis, epilepſiam in aliud genus tranſmutari: vt quando materia eſt melancholica. Ex Hipp. decreto 6. epid. comp. 6. tex. vlt. magna ex parte epilepſia ſolet terminari in melancholiam: quod etiam confirmatur à Raſi addente eos, qui à pituita fiunt epileptici, tranſire in paralyſim.

Sed quiſpiam inquirere poterit, an epilepſia ſit morbus acutus, an longus? Reſpondet huic Gal.lib.4.de com. pul. cap.21.eſſe morbum acutum quidem ratione acceſſionum, quæ tam frequẽtes, & vehementes ſunt, vt ſtatim interficiant; longus verò ratione durationis, quia vt plurimum ægrotantes ad mortem vſque comitatur.

Quare ex vehementibus, & frequẽtiſſimis acceſſionibus, licet arguere malum euentum ſimpliciter: ex contrarijs autem conditionibus bonum euentum ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundum quid modo explicato. Et hæc de præſagijs.

## DE CVRATIONE EPILEPSIAE *in acceſſione.*

Qvamuis indicationes eædem ſint in adultis, & in pueris, ratio tamen auxiliorum applicãdorum eſt diuerſa, tam in cura coacta, quàm in non coacta.

In cura coacta opus eſt nulla facta conſideratione cauſæ antecedentis, deuenire ad cauſam coniunctam, ad materiam nempe pituitoſam, aut melancholicam, quæ in ventriculis cerebri continetur, vnde tam in adultis, quã in pueris reuellenda, deriuanda, atque per inſenſibiles halitus euacuanda eſt internis, & externis auxilijs.

Inter reuellentia ſunt attrahentia, vt frictiones ad crura, ad brachia, ad dor-

ſum,

ſum., quæ validiores eſſe debent, ſunt & cucurbitæ cruribus, brachijs, dorſo, ceruici applicandæ; nec non ligationes, & nodi doloroſi, qui fieri conſueuerũt ad articulos tum pedum, tum digitorũ adultis conuenientia, ques puerulis adminiſtrari minimè queunt. Inter deriuantia ad palatum, & os multa propinari poſſunt adultis, dum ſunt in paroxiſmo; quæ pueris non cõueniunt, vt ſunt errhina, & ſternutatoria, quamuis & pueris, & adultis liceat palatum inungere aliquo auxilio, vt eſt mithridatium, aurea alexandrinæ, anacardina confectio, & id genus. Deriuabitur quoque materia per orificia ab arte facta, quorum quædam, ſunt communia, alia verò ſolum adultis conuenientia. Commune vtriſque auxilium eſt cauterium ferro candente inter primam, & ſecundam ceruicis vertebram factum. Quod verò non conuenit puerulis, eſt deriuatio per ſectionẽ venæ ad partes poſt aures, & ad frontẽ, quæ ſolis adultis quandoque, non ſemper conuenit.

Rurſus ad excitandos adultos ab acceſſione ſcribit Aetius lib.6.cap.13. opus eſſe contortas, & conuulſas partes deligare. Præterea in acceſſione addit pungendum digitum pedis magnum, quem pollicem appellamus, ita vt ab eo extrahatur ſanguis, quo labia ægrotantis inungenda veniunt, ſtatimque ab acceſſione liberari hoc præſidio bona fide teſtatur: hæc pueris minimè adminiſtrari queunt.

Quamuis clyſteres, & ſuppoſitoria vtriſque conueniant, vt excitentur à paroxiſmo, materiæ tamen auxiliorum ſunt diuerſæ; nam puerulis leuiſſimi ſufficiunt clyſteres, leuiſſimaque ſuppoſitoria, adultis verò validiora, imò validiſſima competunt, vt clyſteres ex muria, & ex aqua maris.

In tertia quoque indicatione conueniunt; nam vtriſque auxilia reſoluentia capiti applicanda ſunt, vt inde per in-

A ſenſibilem euaporationẽ reſolui poſſit: de quibus paulò infra, vbi ſermonem habebo de curatione regulari poſt paroxiſmum.

## DE CVRATIONE EPILEPSIAE *per victus rationem.*

INdicationes primò deſumuntur à cauſa antecedente, ſiue ſit pituita, B ſiue melancholia, quæ indicat ſui euacuationem: deinde ad materiam contẽtã in capite deueniendum, quæ reuellenda, deriuanda, atque euacuanda, eſt.

Cauſa igitur antecedens, cum ſit partim in generatione, ita tractanda venit, vt ſui generatio inhibeatur, ne maior fiat per ipſius augmentum epilepſia: C at illa, quæ genita eſt, extra corpus educi debet, ne in caput amplius ferri poſſit.

His omnibus indicationibus ſatisfacimus auxilijs à triplici illo medicinæ inſtrumento acceptis: & primò à victus ratione ea auxilia petũtur, quæ inhibẽt humoris peccantis generationem: ſed diuerſimodè in puerulis lactentibus, atq; in adultis; in pueris enim nutricibus ratio D tio victus eſt adminiſtranda, quæ talis ſit, vt hnmoris pituitoſi, vel melancholici impediat generationem.

Aer igitur in pituitoſa materia calidus, & ſiccus ſit, in melancholica verò calidus quidem eſſe debet, ſed in paſſiuis temperatus.

Alimenta ſint boni ſucci, & quæ generent bonum ſanguinem, qualitate medicamentoſa prædita, quæ calefaci- E endi, atque exiccandi facultatem habeant. Omnes piſces, omnia, quę ex paſta ſiunt, omnia olera, ac legumina, præterea omnes res ſalſæ, ac omnia, quæ pituitoſum, vel melancholicum generant ſuccum, ſunt euitanda.

In ſumma alimenta reſtringi debent ad carnes volatilium aſſatas, rebuſque aromaticis conditas, ſed quæ in valli-

aut aquis viuunt, minimè valent. Cæteris omnibus præferuntur, quæ in locis montuoſis degunt, & quæ etiam ſunt domeſticæ, vt capones, & gallinæ. Cõueniunt etiam cuniculi, & lepores inter quadrupeda animalia.

Panis ſit ex optima farina aliquo aromate conditus, benè coctus, & fermẽtatus. Pro potu aqua magis conuenit, in qua pœoniæ ſemina ebullierint, aut aut modicum viſci quercini, aut radicis cyperi, aut etiam iridis cum modico ſaluiæ. Vinum in declinatione vniuerſali pauciferum album concedi poteſt.

Prodeſt puluis ſequens inſperſus ſuper alimenta

℞. mannæ thuris,
Maſtiches ana ſcrup. ij.
Ligni viſci quercini ſcrup. ſſ.
Nucis muſcatæ,
Cinnamomi,
Spicæ ana gr. ij.
Hirundinis præpar. ſcrup. ſſ.
Seminis pœoniæ,
Radicis pœniæ ana gr. iij.
Pulueris cranij fœminæ, ſi fœmina, vel maris, ſi mas fuerit, gr. v.

Fiat puluis ſubtil. cui addatur ſacchari vnc. ſſ.

Vel

℞. ligni ſasfras,
Ligni viſci quercini,
Radicis pœniæ ana drach. ſſ.
Oſſis cranij humani,
Seminum peoniæ ana ſcrup. j.
Aniſorum,
Fœniculi ana ſcrup. ſſ.

M. & fiat pulu. ſubtiliſſimus cui adde ſacchari albi ſ. p. ad pondus omnium; qui inſpergatur ſuper omnia alimenta.

Non deſunt, qui cerebrum leporis pro idoneo in hoc caſu alimento proponunt, alij carnem milui, alij picæ, ſed quia ſunt praui ſucci, mihi minimè probantur.

Sed duo ſunt olera, de quibus ab authoribus diſputatur, an in epilepſia A conueniant, vnum eſt apium, aliud verò coriandrum. De apio eſt authoritas Raſis non conuenire, quem ſectatus eſt Auic. addens apium inducere epilepſiam, vt ſupra diximus, proinde multi ex ſcriptoribus in epilepſia illud fugiendum eſſe dicunt; Gal. è contra illud concedit tanquam optimum, & conueniens auxilium.

Montanus lib. conſult. 18. de medio B tollit hanc difficultatem dicens nomine apij duo intelligimus, vnum eſt noſtrũ petroſelinum vulgare, quod, vt ait Plinius, vulgò in tanta gratia eſt. Alterum eſt apium Macedonicum, quod vulgò dicitur Alexandrinum, de quo Raſis, & Auic. loquuntur, Gal. verò loquitur de petroſelino.

Græci ſub nomine ſelini comprehen C dunt omnes ſpecies apij, quarum alia eſt, quæ in petris naſcitur, & petroſelinum vocatur: alia, quæ in montibus, & apium montanum dicitur: alia tandẽ, quę in paludibus, & locis humidis naſcitur, & paludapium vocatur, & hæc eſt illa ſpecies apij, quæ ſimul cum montano non conuenit.

Vt enim daucus, & ſinapi huic morbo aduerſantur, quod acres humores, & D prauos generent, non quòd inducant epilepſiam, ita apium, ſi conſideretur vt alimentum, quia generat prauum ſuccum, non conuenit; vt medicamentum verò in pauca quantitate, quia diſcutiendi facultatem habet, poſſet cõuenire, & hæc breuiter de vſu apij.

Quod verò ad coriandri vſum ſpectat, Auic. ipſum tanquam inutile reprobat, non ſecus atque omnia olera E frigida, nam arbitratur coriandrum eſſe frigidæ naturæ, illudque ab epilepticis, ſicuti & lactuca eſſe fugiendum: Auic. ſequitur Dioſcorides lib. 3. capit. 62. & Mercatus lib. de morbis internis cap. de epilepſia.

Quæ poſitio aduerſatur communi practicantium authoritati, qui vbi calefaciendum eſt, flatuſque diſcutiendus corian-

coriandrum accipiunt. Quod etiam confirmatur à Gal. 7. de ſimpl, med. fac. vbi aduerſus Dioſcoridem probat eſſe calidum, cui Matthiolus cap. citato facilè conſentit.

Sed huiuſmodi difficultas à quibuſdā facilè de medio tollitur, dicentes cori-andrum, aut eſt viride, & ſine præparatione: aut eſt præparatum, atque iam exiccatum, & hoc eſt ſemen ipſius: ſi primo modo conſideretur, vt viride, & non dum ſemen à planta extractum, poteſt dici frigidum, & de illo Dioſcorides, Auic. & Mercatus intelligendi ſunt, quando ipſum prohibent in epilepticis.

At ſi ſecundo modo illud conſideretur, calidum eſt, & à communi practicantium ſchola epilepticis conceditur, quod attenuandi, incidendique facultatem habeat cum quadam ſtipticitate, qua ventriculus corroboratur.

Cum verò Galenus diſputat aduerſus Dioſcoridem, non loquitur de ſemine exiccato coriandri, ſed de tota planta, quam probat ex natura rei, potiùs calidam eſſe, quàm frigidam; oſtēdit enim hanc plantam diuerſas partes habere, aqueas nempe, atque terreſtres: aqueæ nonihil teporis habent: at terreſtres ſunt tenuium partium, & amaræ: at quæ talia ſunt, potiùs calida, quàm frigida cenſentur, rectè igitur cōcludit Gal. aduerſus Dioſcoridem cori-andrum eſſe calidum.

Et certè videtur Gal. ratio euidentior; nam ſi coriandrum eſſet frigidæ, & humidæ naturæ, nunquam ex præparatione, quæ fit cum aceto, quod frigidum eſt, poſſet recipere caliditatem: quamuis abſque aceti præparatione ex ſola aeris qualitate exiccatum calefaciendi facultatem habet: meritò igitur valet pro epilepticis, longe tamen præſtantiùs ſi præparatum ſit.

Quod ad fructus attinet, opus eſt aliquos concedere, quia vt plurimum, cum ſit morbus longus, & qui homines

A ad mortem vſque comitetur, non videtur poſſe ita contineri, vt viuant ſine fructibus, & acetarijs quibuſdam, Gal. ideo concedit cappares, & fructus aliquos, qui facilè deſcendant, & ſecum ducant inteſtinorum fœces, vt ſunt mora, præcocia, ficus, & pepones ſuis tēporibus.

Demum fugere oportet nimiam repletionem, crapulas, & conuiuia, quā-

B tum fieri poteſt: & ab immoderato quo que vini potu abſtinere ægros oportet.

Et quoniam epileptici, tanquam ſi ſani eſſent, ſua munia obeunt quotidiana, opus ideò illis eſt, vt timeant, ne cadant in paroxiſmum; quare corpus ſuum moderatè exercere, & tempeſtiuè debent mane, & veſperi. Quando eunt decubitum, & reſurgunt, curare debent, vt fiant frictiones paulò aſpe-

C riores ad crura, ad brachia, ad dorſum, ad pectus, & ad abdomen.

Singulo mane pectine ſcalpendum eſt caput à ſincipite ad occiput, & ab occipite per medium ſinciput ad frontem vſque. Cauere debent ab ambulatione ſub ſole: neque in locis altis, vel ſuper trabibus illis ambulandū eſt, nec per loca, quæ circumuoluuntur, ne in

D paroxiſmum incidant.

Somnus ſit moderatus; caueant ab animi affectibus, quæ ſubitam in animo faciant, & vehementem alterationem, ſiue ad hilaritatem, ſiue ad triſtitiam.

Aluus lubrica ſeruanda eſt, vtendūque clyſteribus validioribus, qui non modò aluum lubricam reddant, ſed à capite trahant, vt eſt, qui ſequitur.

℞. fol. mercurialis,
Betæ,

E Braſſicæ ana manip. j.
Chamæpytios,
Rutæ,
Herbæ paralyſis, quæ alio nomine dicitur à multis primula veris, ana manip. ſſ.
Radicis pœoniæ vnc. j.
Sem. pœoniæ,

Carthami,
Rutæ ana drach.ij.
Florum ſtœchados,
Roſmarini ana pug.j.
Agarici albi in linteo reuoluti drach. ij.
Fiat decoct.ſecundum artem.
℞. decocti huius lib.j.
Hieræ picræ,
Benedictæ ana vnc.ſſ.
Olei rutacei,
Chamæmeli ana vnc.j.ſſ.
Salis gemmæ drach.j.
Fiat clyſter.

Suppoſitoria quoque conueniunt, verbi gratia.
℞. ſalis gemmæ,
Trochiſc.alhandal.
Euphorbij,
Nitri ana ſcrup. j. cum melle deſpumato fiant ſuppoſitoria num.ij.

Et hæc de victus ratione: venio ad indicationem, quæ deſumitur ab humore in corpore coaceruato, & parato, vt feratur in caput, qui inhibendus chirurgicis, & pharmaceuticis auxilijs.

## DE CVRATIONE EPILEPSIAE *per chirurgiam.*

Quod ad inſtrumentum chirugicũ ſpectat, materia auxilij vna, & præcipua eſt ſanguinis miſſio per ſectionem venæ, ex Gal.lib.de cur. rat.per ſang.miſſ.cap. 7. vbi connumerat epilepſiã inter eos morbos, qui per circulum reuertuntur, quos periodicos appellamus, qui veris tempore curandi ſunt per ſanguinis miſſionem.

Verùm cum in acceſſione ſunt epileptici, adeſtque plenitudo cum virium robore, mittendus eſt ſanguis; mulieribus quoque, quæ præbent lac pueris epilepticis, ſi adeſt copia ſanguinis, & virtus valeat, ſanguis mittendus eſt ex brachio dextero ex vena baſilica.

Nec vnica vice, & affatim euacuandus, ſed ſenſim, & per vices repetitas, A nunquam ex venis, quę ad malleolos ſunt, vocatis ſaphenis, ne lac à mammis auertatur.

At in adultis, cum poſt acceſſionem fuerint, nec miſſus illis fit ſanguis, exiſtente indicante, & permittente mittatur ſanguis ea ratione, qua dictum fuit in alijs capitis affectionibus.

At ſi epilepſia fiat ab humore melancholico, poſſunt poſt ſanguinis miſſionẽ B affigi hirudines ad venas hæmorroidales: & hæc ſatis pro hoc inſtrumento.

## DE CVRATIONE EPILEPSIAE *per pharmaciam.*

Idẽ humor in corpore collectus per pharmaciam expellitur, hacque ratione inhibetur in caput ferri; verum C is ſiue ſit pituitoſus, ſiue melancholicus, eſt præparandus, antequam educatur: debet igitur præparari hoc modo.
℞. ſyr.de pœonia,
Syr de ſtœchade comp.ana vnc.j.
Aquarum bettonicæ,
Saluiæ ana vnc.j.ſſ.m.

Vbi præparatus fuerit, ſi pituitoſus eſt, educitur his præſidijs

Sub forma pilularum.
℞. pilul.de agarico,
D Aurearum ana drach.j.
Trochiſc.alhandal.ſcrup.j.
Cum cathart.roſ.fiat pilulæ num.vij. & aurentur.

Sub forma boli,
℞. diaphœnici,
Diacatholici,
Elect.indi ana vnc.ſſ.
Cum ſacch.quantum ſufficit, fiat bo-
E lus.

Sub forma potus.
℞. radicis pœoniæ vnc.ſſ.
Radicis acori drach.ij.
Myrobal.cheb.drach.iij.
Seminum aniſorum,
Pœoniæ ana drach.j.
Fiat decoct.ſecundùm artem,
℞. huius decocti vnc.iiij.in quo infũde,

Agarici trochiſcati,
Rhabarb.ſubtil.pul.ana drach. j.
Facta forti fiat expreſſ.diſſolue
Mellis roſ.ſol. vnc.iiij.
Diaphœnici,
Elect.indi,ana drach.j.
Miſce, & fiat potus.
Vel ſic
℞.Syr.ex ſucco roſarum cum ſena,& agarico,
Mellis roſ. ſolut.ana vnc.iij.
Elect.indi maioris,
Diacatholici,
Diaturbith Montag.ana drach.j.
Aquæ bettonicæ quantum ſufficit, miſce, & fiat potus breuis.

Vbi materia eſt melancholica prædicto ſyrupo, vel potiùs hoc præparetur.

℞. decoct.rad.pœoniæ,
Acori,
Aniſorum vnc.iij.
Syr.de pœonia,
De fumar.comp.ana vnc.j. miſce.

Præparata materia educatur vno ex hiſce medicamentis.

Sub forma potus,
℞. fol.meliſſæ,
Fumar.ana pugn. j.
Florum roſmarini,
Borrag.ana drach.ſſ.
Myrobal.ind.vnc.ſſ.
Sem. pœoniæ,
Dauci ana drach.j.
Bul.in ſuff.quantitate aquæ ad conſumpt.duarum part.coletur, & in colatura inf.per noctem.
Fol.ſenæ,
Rad. polypod.ana vnc.ſſ.
Turbith.drach.ij.
Facta forti expreſſ.diſſolue
Syr. domini Auguſtini vnc.v.
Confect.hamech.drach.ij.m.
Sub forma pilularum,
℞.pilul.indarum,
Arabic.ana drach.j.
De elaterio gr.v.vel de nitro ſcrup ſſ.
Fiant pilulæ num.vij.& aurentur.
Sub forma boli

A ℞. diacatholici,
Diaſenæ ſolut.
Confect.hamech.ana drach.v.
Cum ſacch.fiat bolus.

Pro materia autem contenta in capite exiccare, & corroborare oportet, vnde deueniendum eſt ad aliquod decoctum ex ſalſa, china, ligno ſancto, & ſasfras, quod varijs modis componitur B pro varia intentione medici curantis, nec paretur niſi facta purgatione, euacuataque cauſa antecedente.

Itidem cogitandū eſt de auxilijs corroborantibus membra præcipua, vt iecur, cor, caput, ventriculum, quibus indicationibus ſatisfacimus internis, & externis auxilijs.

Externa ſunt, quæ reuellunt, vt frictiones, cucurbitæ, clyſteres, ſuppo- C ſitoria: deriuant verò ad nares errhina, & in hoc caſu tale fieri ſolet.

℞. origani,
Caſtorei pulu.ana vnc. ſſ.
In linteo inuoluta bulliant in aceti acerrimi lib.ſſ.

Aliud errhinum,
℞. Calamenthi,
Rutæ,
Maior.ana manip.j.
D Inf.in lib.j.aquæ hordei,
Deinde adde,
Succi betæ,
Maior.ana vnc.ij.miſce.

Curate, vt per inſpirationem attrahant in nares. Sternutatoria quoque ex vſu ſunt, quæ parātur ex pulueribus

Ellebori,
Piperis albi,
Staphidis agriæ,
Qui naribus ponuntur.

E Maſticatoria quoque deriuant ad os, & palatum, quæ fieri poſſunt ad hunc modum.

℞. hyſſopi,
Pulegij,
Pyrethri ana ſcrup.j.
Cum cera, vel maſtiche fiat maſticatorium.

De-

Deriuatur quoque materia ad loca, facta ab arte, vt per foramē, quod fit ferro candente in ceruice; vel per ſectionē alicuius venæ, vel frontis, vel poſt aures. Et hiſce præſidijs deriuatur cauſa coniuncta.

Euacuatur etiam per inſenſibiles vias medicamentis capiti admotis, & in tus per os acceptis.

Medicamenta verò, quæ extra caput admouentur, ſunt irrigationes, vnctiones, emplaſtra, ſacculi, cerata, cucuphæ, & id genus, de quibus multis in locis actum eſt, vt in cap. de dolore capitis à materia frigida, de apoplexia, de caro, quæ non videntur fruſtra hic repetenda.

Venio ad medicamenta intus aſſumenda, quæ non modò viſcera corroborant, ſed quæ morbum hunc tota ſubſtantia, aut qualitatibus occultis fugant, inter alia, eſt hoc.

℞. Mithridatij veteris,
Conſer. bugloſſi,
Borrag.
Corticis citri cond. ana drach. ij.
Acori,
Roſmarini,
Pul. rad. pœoniæ,
Ligni viſci quercini ana ſcrup. j.
Raſuræ eboris,
Cranij humani ana ſcrup. ſſ.
Syr. de ſtœchade quantum ſufficit, fiat opiata,
Doſis ſit ad drach. ij.

Aſſumat æger ſummo mane horis quatuor ante prandium ieiuno ventriculo, deinde ſuperbibat vini albi vnc. ij. Aut aquæ ſaluiæ vnc. iij.

Vel componite tabellam ad hunc modum.

℞. lapidis bezaartici, veri, & non adulterati, qui vbi non eſt verus, non eſt accipiendus.
Vnguis alcis, id eſt magnæ beſtiæ, ana ſcrup. j.
Rad. pœoniæ,
Sem. pœoniæ,

A Aniſi,
Carui,
Viſci quercini ana ſcrup. ſſ.
Cranij humani gr. ix. fiat puluis ſubtiliſſimus,
Sacch. optimi diſſol. in aqua ſaluiæ ad vnc. ij. fiat confect. in tabel.
Doſis ſit ad drach. ij.
Superbibat aquæ bettonicæ vnc. iij.

B Gal. lib. de theriaca ad Piſ. cap. 9. ſcriptum nobis reliquit cerebrum cameli, ac muſtellæ exiccatum, & in puluerem redactum, ac cum liquore aliquo, ſeu aqua aſſumptum liberare epilepticos.

Varignana in ſuis ſecretis ſcribit ſecundinam humanam, aut etiam aſini-nam in puluerem redactam eſſe mirabile remedium, quod liberat homines ab hoc morbo.

C Sed affero vobis vnū pro coronide, quod multoties fuit probatum, & fœliciſſimo cùm ſucceſſu, idque eſt ſcrup. j. coaguli leporis cum aqua, & melle in qua ebullita ſit ſaluia.

Et hæc eſt cura, quæ adultis conuenit.

## DE CVRA EPILEPSIAE *in pueris.*

D Puerorum verò caput inſpergi quibuſdam pulueribus poteſt, vt per halitum materia euaporari poſſit, & potiſſimum per futurarum coalitum, vt eſt.

℞. adianthi ſubt. puluerizati,
Iridis,
Cyperi ana ſcrup. j.
Rad. pœoniæ,
Cranij humani ana ſcrup. ſſ. m.

E
## DE AMVLETIS.

Svnt modò amuleta quædam, quæ collo ſuſpenſa liberant, & adultos, & pueros ab acceſſione epilepticæ, inter quæ eſt radix pœoniæ tam celebrata à Gal. lib. de puer. epilept. eſt & ſmaragdus,

dus, corallium, ſeſeli, viſcum querci-num, quæ etiam collo geſtata id præſtant.

Arnaldus Villanouenſis lib. de epil. cap. 1. ſcribit in hirundinum nidis reperiri duos lapillos, quorum vnus albus eſt, rubeus alter: albus collo geſtatus tollit ſymptoma, rubeus verò aufert morbum. Iſtud remedium de lapidibus longè ante Arnaldum fuit propoſitum à Serapione, vt vnuſquiſque videre poterit in miſcellaneis meis tractatu de lapide bezaar.

Sunt, & alia multa apud ſcriptores, quæ per vos legere poteritis: ſat modò eſt, quod attulerimus præſtantiora, & magis probata.

## DE EPILEPSIA PER conſenſum.

Venio ad epilepſiam per conſenſũ, quæ multiplex eſt; alia enim per conſenſum à toto, & alia à diuerſis partibus eſt tam internis, quàm externis, quæ in hac Mamertina Ciuitate potiſſimùm adeò frequens eſt, vt nullus ſit morborum ea frequentior præſertim mulieribus, & maximè in quibuſdam monaſterijs.

Epilepſiam à toto corpore fieri clariſſima eſt Hipp. authoritas 4. acut. 27. vbi ad hunc ſcribit modũm: epilepſia fit, dum ſpiritus non poteſt meatus trãſire ob ſanguinem venas ſupra modum opplentem: fit vbi veluti in corpore exanimi ſanguis concreſcit.

Duplici nomine habemus ex hoc loco fieri epilepſiam: primo eſt, quando tãta copia ſanguinis colligitur in venis, vt eæ omninò oppleãtur, & tũc ſpiritus vitales impediuntur, quo minus ferantur ad plexus choroideos ad ſpirituum animalium generationem: ſecũdò quãdo ſanguis adeò copioſus eſt, vt euentatio caloris innati prohibeatur; nam ſanguis concreſcit, vt in corpore anima deſtituto, caloreque naturali quaſi ſuffocato.

Succedit calor præter naturam, qui agens in ſanguinem quodammodo à natura derelictum eleuat vapores craſſos, qui deinde in caput delati opplent cerebri ventriculos, & impediunt, quo minus ſpiritus animales poſſint per meatus, hoc eſt, neruos permeare, quod confirmat Gal. in com. & Auic. 1. 3. tr. 2. cap. 7.

Illi verò, qui tenent poſſe fieri epilepſiam à qualitate venenata, dicũnt ab hoc ſanguine corrupto eleuari vapores venenatos, atttingereque ventriculos cerebri, & ſpinalis medullæ initium, quamuis huiuſmodi epilepſiæ ſpecies fieri poſſit à ſanguine; raro tamen Gal. docente euenit,

In omnibus ſpeciebus epilepſiæ per conſenſum vapor eleuatur, qui & ſua quantitate non modò ventriculos cerebri replet, ſed mala quadam aura, & venenata qualitate ipsũ afficit: multiplexq; eſt pro varietate ſuæ mineræ, à qua eleuatur.

Plures igitur ſunt differentiæ epilepſiæ per conſenſum, vna (vt intellexiſtis) à tote corpore; alia quæ à varijs ſuis partibus prouenit; aliæ harum ſunt exteriores, aliæ verò internæ:

Ab exterioribus partibus epilepſiam prouenire ſatis patet apud Gal. 3. de loc. aff. 7. vbi hiſtoriam refert duorum puerorum in epilepſiam per conſenſum incidentium, ab aura quadam à crure in caput eleuata, quamuis vnus horum nihil ſentiret; alter verò ſentiret frigiditatem auræ ſurſum euolantis.

Deinde teſtimonio Marcelli Donati authoris ſanè doctiſſimi lib. de adm. medica hiſtoria cap. 4. atteſtantis ſe monacham quandam agnouiſſe, quæ ex mã mæ dolore facilè in epilepſiam labebatur.

Fernelius quoque ſcribit lib. 5. de partium morbis, & ſympt. ſe quendam obſeruaſſe, qui ex dolore partis poſterioris capitis externæ ab epilepſia corripie-

ripiebatur, & ſæpè quidem.

Gattinara quoque cap. de epilepſia teſtatur ſe quendam curaſſe, qui in epilepſiam incidebat à teſtium dolore,& à fœmoris parte.

A partibus verò internis epilepſiam fieri clariſſimum eſt. A ventriculo Gal. docet in Diodoro Grammatico, cuius ipſe meminit loco ſupra cit. Apud Valeriolam lib.3.obſ.7.exemplum habetis cuiuſdam mulieris, quam ab epilepſia ex ventriculo ipſe curauit. A liene, veſica, & vtero in mulieribus fieri epilepſiam multi, & grauiſſimi authores atteſtantur.

Si quis vult videre hiſtorias eorum, qui à morbis partium internarum abdominis inciderunt, tam viri, quàm mulieres, legat Marcellum Donatum loco cit. & Ioannem Schenchium lib. 1. de epilepſia obſ. 196. apud quem, habetis caſus eorum, qui ex digito, manu, brachio, & humero incurrerunt in epilepſiam, & obſer.200.eorum,qui ex pede: multaſque mulieres vtero gerẽtes obſeruauit epilepſia correptas, neq; vnquam ſanatas,niſi poſt partum.

Tandem dies deficeret, ſi vellem, vobis eos omnes recenſere, qui ab internarum partium affectione in epilepſiam lapſi ſunt: ſat mihi eſt oſtendiſſe epilepſiam per cõſenſum multas habere differentias pro partium læſarum diuerſitate, à quibus cauſatur. Accedo ad cauſas.

## DE CAVSIS EPILEPSIAE *per conſenſum.*

Cauſæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, & quamuis immediata,& proxima cauſa ſit humor eleuatus, qui vel ſua copia vẽtriculos cerebri obſtruat, vt antiquorum videtur ſententia, vel ſua maligna, ſeu venenata qualitate cerebrum irritet, vt recentiores putant; diuerſa tamen eſt minera,à qua eleuatur: nam licet cæteris omnibus

A frequentior ſit epilepſia à ventriculo,& in mulieribus ab vtero malè affecto, in pueris nihilominus ſæpe obſeruatur eam fieri à chylo ex morbifico lacte producto: in alijs verò,nempe adultis,eſſe poteſt ſuccus bilioſus, vt in Diodoro Gramatico ex Gal. apparet, pituitoſus quoque, ac melancholicus, vel etiam ſanguis corruptus, vt in mulieribus, quibus ob menſes retentos euenit

B epilepſia: eſt & ſemen diu retentum: eſt & vermis,qui, ſi viuus mordendo inducit epilepſiam, ſi mortuus vaporem putridum eleuando.

Vapor igitur, qui eleuatur à ventriculo, aut ab vtero, tanquam à termino à quo, & fertur ad cerebrũ tanquam ad terminum ad quem,producit epilepſiã.

Viæ verò, per quas effertur, poſſunt eſſe vaſa, vt dicebat Auic. vel etiam ſpa-
C cia, quæ ſunt intra vaſa: & tunc faciliùs recipitur, quando caput eſt debile.

Cauſa antecedens eſt minera, quæ in ventriculo, vel in vtero verbi gratia malè affecto continetur, vel in alia parte,à qua contingit vaporem eleuari pro epilepſiæ generatione.

Cauſæ externæ ab inordinata victus ratione prodeunt, à qua,in pueris lac corrumpitur: in adultis verò generan-
D tur praui ſucci, ſiue bilioſi fuerint,vt in Grammatico apud Gal. habemus, cui ab animi immoderatis affectibus, & à nimio motu huiuſmodi ſuccus in ventriculo colligebatur, ac inde euaporatione in caput facta in epilepſiam incurrebat.

Alij etiam ſucci ab eadem inordinata victus ratione fiunt ad id conferente habitu, complexione, ætate, & conſu-
E etudine. Epilepſia quoque in pueris ob aliquẽ ex improuiſo euenientem terrorem obſeruata eſt.

DE

## DE SIGNIS EPILEPSIAE *per conſenſum.*

QVemadmodum rarò contingit fieri epilepſiam à toto corpore, ita à ſcriptoribus nulla alia ſigna habentur, niſi quæ, vel cacochymiam, vel totius plenitudinem demonſtrant.

Partes verò læſæ etſi difficilem habeant cognitionem, nihilominus Gal. 1.de loc.aff.vt multoties à me inculcatum eſt, docet, vt nos diſcurramus per actiones partium læſas, per ſitum earũ, per proprium ſymptoma, per id, quod exire ſolet, per propriam affectionem.

Vt ſi vultis in adultis cognoſcere vẽtriculum læſum eſſe, cognoſcetis ex coctione læſa, quæ eſt ipſius actio, à ſingultu, à nauſea, à vomitu, quæ ſunt propria eius ſymptomata: & ſic per alia, diſcurrendo innoteſcet vobis ventriculum læſum eſſe, & per conſequens ab eo prodire epilepticam affectionem.

Succedit; quod paroxiſmus repleto ventriculo ceſſat, vbi euacuatur, denuò reuertitur. Auic. addit tremorem eſſe in ore eius ſuperiori: ac aliquando adeſt tremor cordis.

Sed quia à cibo corrupto fieri ſolet, id vbi contingat, adeſt oris fœtor, & iuuatur à medicamentis corroborantibus tam intus, quàm extra admotis.

Reliqui verò humores peccantes cognoſcuntur à victus ratione, habitu corporis, ætate complexione, conſuetudine, & reliquis, à iuuantibus, & nocentibus, à proprietatibus humoris peccãtis, vt à ſapore, odore, atque motu tã diurno, quàm periodico.

In mulieribus verò habetur epilepſiam ab vtero fieri ab ipſius actione læſa, à menſium nempe retentione.

A

## DE FVTVRO EVENTV *epilepſiæ per conſenſum.*

DIctum fuit ſupra omnem epilepſiam eſſe curatu difficilem; pueros tamen à corruptione lactis obſeſſos curari, ſi à principio auxilia idonea applicentur: at inueterata epilepſia rarò, aut nunquam curatur: vnde Gordonius optimus medicus cap. de hac materia, ſcri-
B ptum reliquit epilepſiam euenientem à mala victus ratione curabilem eſſe, alias verò omninò eſſe incurabiles tam per eſſentiam, quàm per conſenſum.

## DE CVRATIONE EPILEPSIAE *per conſenſum.*

RAſis in curatione epilepſiæ per cõſenſum à ventriculo in adultis
C quatuor agenda eſſe docet: primum eſt parare vomitorium, ſi æger, antequã incidat in paroxiſmum, percipiat nauſeam, vel triſtitiam, vel cordis tremorem, idque pluries eſſe repetendum.

Secundum eſt ſæpè hieram picram exhibere.

Tertium eſt emplaſtrum ex ſpica, roſis, maſtiche, & cortice thuris cum vi-
D no odorifero parare, & ſtomacho applicare, vt

℞. roſarum rubr.
Spicæ,
Maſtiches,
Corticis thuris ana drach.ij.
Cum vino odorifero quantum ſufficit,
Fiat empl. pro ventriculo,

Poſtremum eſt inſtituere victus ra-
E tionem, quæ ſit boni ſucci, & paucarũ ſuperfluitatum: tale autem eſt caro frixa in ſartagine, nec non, & caro cocta in verubus.

Hæc ſunt, quę breuibus proponit pro curatione epilepſiæ ortum ducentis à ventriculo Raſis.

Quæ omnia vbi rectè, & methodicè fuerint adminiſtrata, optima ſunt, ſed

quæ egerent maiori declaratione, verũ cum intẽtio ſit morbos capitis hoc anno proſequi, ideo vbi ſermo erit de affectibus ventriculi, & aliorum quoque viſcerum, fuſius eorumdem curationem A (Deo dante) proſequemur, ſat modo nobis ſit oſtendiſſe plures adeſſe epilepſiæ differentias per conſenſum, quæ quoque apud alios à vobis videri poterunt.

# DE EPHIALTE, SEV INCVBO.

## CAPVT DECIMVMNONVM.

EPhialtes, ſeu incubi nomen æquiuocum eſt; nam prædicatur de dæmone, & de affectione quadã capitis, quæ multam cum epilepſia ſimilitudinem habet: verum cum ipſius paroximus breuis ſit, dicitur epilepſia parua.

Apud inſignes Theologos habetur dæmones quoſdam eſſe, qui ab aere condenſato corpus (Deo ita permittente) modò virile, modò muliebre aſſumant. Si corpus virile ſibi affingant, adeantque mulieres, vt contingere quandoque ſolet, tunc incubi dicuntur: ſi è contra muliebre corpus accipiant, viriſque ſubijciantur, ſuccubi appellari conſueuerunt.

Huiuſmodi incubus non eſt præſentis conſiderationis: amplector equidẽ incubum ad medicos ſpectantem, de quo Auic.p.3.tr.5.cap.5. Aetius lib. 6. cap.12. Paulus lib.3.cap.15. diffusè tractant. In hoc morbo homines, dum dormire incipiunt, putant ab aliquo præmi, tantoque impetu, vt corpus mouere nequeant, neque thoracem dilatare ad reſpirandum, aut vociferandum: vnde ἐφιάλτης Græcè quaſi inuaſionem ſignificare volũt: & quia nocturno tẽpore euenit, dicitur etiam inuaſio nocturna, & ob ingentem thoracis anguſtiam, quam facit, ab aliquibus ſuffocator, vel ſtrangulator appellatur.

Dum hoc affectu corripiuntur ægrotantes, vt dicebam, exiſtimant ſe ab onere quodam ita comprimi, vt corpus mouere non poſſint, neque clamare, quamuis magnum faciant conatum. C Tandem à ſomno ij excitantur maximè clamantes, & vbi à paroxiſmo liberati ſunt, per aliquod temporis ſpatium percipiunt tremorem quendam cordis, ac totius corporis internum.

In eſſentia, & natura huiuſmodi affectionis declaranda non videntur omnes eſſe eiuſdem opinionis, quamuis Auic. ipſum deſcripſerit per ea, quæ producit ſymptomata, dum inquit. D Incubus eſt ægritudo, in qua homo ſentit, cum in ſomnum ingreditur, phãtaſma graue ſuper ſe cadens, & comprimens, ex quo anguſtatur eius ſpiritus, & interſecantur motus, & vox ipſius.

Ex qua deſcriptione poſſumus colligere eſſe ſymptoma facultatis motricis thoracis abolitæ, vel deprauatæ. E Multi ſunt, nec ſpernendi authores exiſtimantes hanc affectionem eſſe imaginationem deprauatam. Alij verò dicunt eſſe inſomnium prauum. Sed cum deprauata imaginatio dicatur illa, quæ vel non recipit obiectum, aut alio modo, quàm illi offertur, in hoc caſu imaginatio recipit phantaſma, quale offertur à ſenſu tactus læſo; illud enim perci-

cipit ſub ratione contriſtantis, ac cō- A primenris, & ſuffocantis, vt videatur reſpiratio abolita, quale à ſenſu tactus offertur iſtud obiectum dolorificum imaginationi ſenſui communi coniunctæ, quæ ſtatim agnoſcit ſub ratione contriſtantis: licet non poſſit tunc iudicare de illo ſenſibili lædente, atque inferente hanc læſionem in thorace.

Recipit igitur imaginatio obiectum ſenſus tactus, vt dolorificum, & qualitate excedens, ſed contingit in hoc caſu imaginationi, quod euenire ſolet in inſomnijs, in quibus natura virtute expultrice valida exiſtente fit peccantis alicuius humoris expulſio ab vna in alteram partem, quæ cum ſenſu prædita ſit, violenterque humor expellatur, inducitur aliquis dolor, quem phantaſia, vt quid dolorificum percipiēs, nec cauſam agnoſcens imaginatur id fieri à re externa, nempe à cultro, vel alio inſtrumento pungente, aut ſecante.

Non decipitur ergo tunc circa obiectum, ſed circa cauſam, quia cum à ſenſu non habuerit niſi phantaſma doloris, imaginatur talem eſſe dolorem, quemadmodum ſi à re aliqua pungente fieret: à ſomno verò excitati homines percipiunt illum dolorem, quem ipſa imaginatio per cultrum ſignificauerat.

Idem quoque obſeruamus in corporibus ſanis, in quibus nonnunquam expelluntur excrementa nocturno tempore in inſōnijs irritata natura à qualitate, aut à copia ipſorum, vt in vrina, quæ cum expellatur, tunc imaginatio percipit illam excretionem, eamque ſignificat per matulam, quam tunc mingentes in manibus habere exiſtimant, vel ſe in aliquo eſſe loco ad mingendū idoneo putantes, qui vbi à ſomno excitati ſunt, percipiunt ſe abſque matula minxiſſe.

En igitur quod imaginatio non decipitur circa obiectum à ſenſu tactus oblatum, ſed circa cauſam, & conditionem. Concludo ea propter, quod in incubo non decipitur imaginatio, quia recipit illud obiectum ſub ratione contriſtantis, ac ſupra thoracem, in quo eſt læſio ponderantis, ſed circa ipſius cauſam, quia tunc exiſtimat ſupra thoracem eſſe aliquid, quod ipſum comprimat, & ſpiritum anguſtet; nam phātaſma ab imaginatione fabrefactum, nōn poteſt eſſe author huius præfocationis, ſed cauſa, quæ neruos obſtruit, B vt ſuo loco dicam.

Nec puto huiuſmodi affectionem dici poſſe inſomniū prauum, vt vult Euſtachius Rudius ex mente Aetij, quia in primis incubus non eſt inſomniū, ergo non prauum inſomnium, quod non ſit inſomniū, apparet manifectè ex ijs, quæ ab Ariſtotele dicuntur lib. de ſomno, & vigilia cap. 3. vbi docet, quid ſit inſomnium dicens inſomnium eſſe C phantaſma à motu ſenſoriorum eueniens, cum fuerint in dormiēdo, quatenus dormiunt.

Neque ab hoc phantaſmate debet ſomnians excitari; nam vbi moleſtiam aliquam ſenſus recipit ab aliquo ſenſuum phantaſmate, ab eoque excitetur dormiens, non poterit appellari inſomnium.

Ita contingit in præſenti affectione, D à qua ægrotantes à ſomno ſunt excitati mediante phantaſmate illo dolorem, & ſuffocationem inducente; qui expergefacti ſtatim cognoſcunt læſionem. Eaq; prorſus ratione id illis accidit, vt ijs euenire ſolet, qui profundè dormientes vocati reſpondent, ſed confuſè, admodum nondum expergefacti, ſed propè vt à ſomno excitentur. Quo circa, qui incubum hunc patiuntur, percipiunt E læſionem, vt ſuffocari videantur, nec aliquo modo poſſunt ſe mouere, neque inclinare, neque reſpirare, qui tandem à ſomno excitati cognoſcunt læſionem ſe paſſos eſſe, dum adhuc in ſomno eſſent.

Ad hoc igitur, vt inſomnium ſit, oportet, vt dormiant homines: vnde

Ariſt-

Ariſt.dicebat, quod in ſanguineis ani malibus, quando ſanguis ſedatur, neq; eſt motu perturbatus, tunc motus ſenſoriorum conſeruatus ab vno quoque ſenſuum amata facit inſomnia, & apparere aliquid, & videri; hinc eſt, quod ea, quæ à viſu deferuntur, videntur, & quæ ab auditu, audiuntur, & ſic de reliquis ſenſori s aliorum ſenſuum.

Cum igitur non ſit imaginatio læſa, neque inſomnium prauum, ſitque aliquid præter naturam, illudque in genere ſymptomatum, pertineatque ad motum thoracis, & totius trunci, erit dicendum eſſe ſymptoma motricis thoracis, nempe reſpirationis deprauatæ, vel etiam abolitæ, ſed breui tempore; vnde alia ſymptomata ab Auic.pulchrè declarata ſuccedunt, nempe intercisa vox, & motus.

Ad vocem enim edendam requiritur materia, & efficiens: materia eſt exſufflatio, quæ fieri non poteſt,ſi thorax nõ moueatur, hauriatque aerem per inſpirationem. Facultas verò, quæ eſt cauſa efficiens, impeditur, quia nerui ferentes motum thoraci obſtruuntur, qui sũt inſtrumenta dilatationis.

Quod ad partem affectam ſpectat, omiſſis aliorũ opinionibus, dico cerebrũ læſum eſſe ſecundùm eius ventriculos primò, thoracem deinde. Morbus autem, quem tale ſymptoma ſequitur, nõ eſt niſi compoſitionis, & obſtructionis.

## DE CAVSIS EPHIALTES, *ſeu incubi.*

Cauſæ aliæ internæ, aliæ externæ ſunt: interna immediata, & proxima, quam coniunctam appellant, eſt vapor craſſus, qui in caput delatus, & aliquo modò condenſatus in cerebri ventriculis, inde ad ſextam neruorum coniugationem deſcendit, eamque obſtruit.

Cauſa antecedens eſt minera, à qua eleuatur vapor, quæ pluribus in locis

A eſſe poteſt,ſed potiſſimùm in ventriculo, quandoque in præcordijs (vt voluit Fernelius) nonnunquam in hypochondrijs, & venis meſeraicis, vt arbitratus eſt Platerus, ſed ſiue in hac, ſiue in illa parte fuerit, ab ea eleuatur vapor craſſus quidem,ſecundùm magis, & minus; pituita enim,vel melancholia eſſe poteſt, vel etiam copia ſanguinis.

B Externæ cauſæ aliæ ſunt particulares magis, vt illæ,à quibus incubus ortum ducit, vt eſt aer frigidus, crapula, ebrietas: aliæ verò ſunt, quæ prædictos humores generant, vt alimenta, potus, aliæque res non naturales.

## DE SIGNIS EPHIALTES, *ſeu incubi.*

C Signa incubum declarantia ab ipſo ægrotante habentur, qui dicat ſe in principio ſomni nocturno tempore percipere grauitatem quandam circa thoracis regionem, ita comprimentem, vt neque clamare poſſit,neq; ſe ab eo ſitu remouere, in quo reperitur: aliquando percipere aliquem ſe amplectentem, ac ſtringentem: aliquando etiã videre in inſomnio aliquas animaliũ

D effigies terribiles, nigras, vel alterius coloris.

Cauſæ verò cognoſcuntur ſuis proprijs indicijs, vt eſt pituita, aut melancholia, aut ſanguis, quæ partim à victus ratione, partim ab humorum proprietate, partim à iuuantibus, & nocentibus recognoſcuntur, de quibus ſæpe à nobis actum eſt.

## E DE FVTVRO EVENTV *ephialtes, ſeu incubi.*

Quod ad prædictiones attinet, incubus, vel recens eſt, vel antiquatus: ſi primo modo, paruipendendus, ſi acceſſiones ſunt leues; nam eſt veluti nocturna pollutio: at ſi antiquatus fuerit, quamuis ſcripſerit

Auic.

Auic. eſſe præludium ad epilepſiam, vel apoplexiam, vel maniam, ſi tamen non negligatur, victus ratione recte inſtituta euitari poterit.

## DE CVRATIONE EPHIALTES, ſeu incubi.

Via curationis eſt potius præcautio, quædam malorum iam dictorũ, quare omni ingenio curãdum eſt, ne de nuo reuertatur incubus.

Cum autem à vaporibus in cerebrũ delatis proueniat, cura habenda eſt, ne amplius ij eleuentur in caput: & qui iã delati ſunt, vt diſſipentur.

Primum ſanè conſequimur per abſtinentiam quandam à crapulis, à ſatietatibus, ab ebrietatibus, ab vſu quoque alimentorum, quæ craſſos, lentos, frigidos, terreos, ac melancholicos humores in corpore generare ſunt apta.

Cibus igitur debet eſſe tenuis, parcus, & qualitate incidendi, & attenuandi præditus, minimeque aptus generationi vaporum, & flatuum. Prandium debet eſſe admodum moderatum, ſed cœna longè moderatior.

Carnibus adhæc, quæ ſint boni ſucci, potius aſſatis, quàm elixis veſcantur, ac cum ijs vbi elixantur, ebulliant ſimplicia, quæ attenuandi, & incidendi facultate polleant, nec non & flatus discutiendi, quemadmodum ſunt.

Saluia,
Roſmarinum,
Bugloſſum,
Aniſi,
Borrago,

Poma quoque apia in hoc caſu valent.

Panis ſit benè coctus, fermentatus, ac aniſatus, vel fœniculatus.

Pro potu verò, quamuis aqua cinnamomi, aniſorum, coriandrorũ, & huiuſmodi melior eſſet, quàm vinum; nihilominus ſi nolit, aut nequeat æger à vino abſtinere, concedi poteſt tenue, A & in quo folia ſaluiæ per duas horas madefacta ſint; melãcholicis autem, vt ſuo loco audietis, vinum dulce optimum cenſetur; & potiſſimùm ſi aqua per elambicum è pomis extracta lymphatum fuerit.

Exercitium, ſomnuſque moderata eſſe debent, animi affectiones euitandæ.

Si beneficium alui à natura non habeatur, arte procurandum eſt, quod B clyſteribus ſæpe iteratis fieri poterit.

Sed dicet quiſpiam, cur concedis vinum in hoc affectu, quod tamen Raſis negat? Huic dicimus Raſim loqui de incubo, qui fit à ſanguine, quoniam ne fiat tanta ſanguinis generatio, non modo à vino, ſed etiam ab omni re, quæ multum generet ſanguinis abſtinẽdum.

Nos verò quandoque vinum concedimus ratione ſtomachi debilitati, vel C quia ægrotantes minimè aſſueti ſunt aquam bibere; in incubo deinde à melãcholia, atque pituita attenuandi cauſa vinum concedere inconueniens non eſt.

Circa chirurgiam Raſis iubet ſanguinem eſſe mittendum, quoties adſint notæ ſanguinis, facies nempe rubicunda, venæ latæ, ac plenæ: idem ſentit Aetius.

D De loco tamen, à quo ſanguis extrahendus, admodum diſcrepant; Raſis enim ex ſaphena, Aetius autem ex vena cubiti mitendum eſſe ſanguinẽ vult.

An dicendum ſit oportere primùm ſanguinem mitti ex brachio euacuandi cauſa, ſecundò verò ex ſaphena ad reuellendum? primò enim euacuamus totum corpus, deinde per reuulſionem caput euacuamus, ideo nulla videtur E contradictio.

Nam Aetius ſtatuit mittendum eſſe ſanguinem primùm à vena cubiti, tanquam à parte, quæ à toto euacuat; Raſis verò ex ſaphena iubet eum extrahendum eſſe reuulſionis cauſa, quem admodum etiam cucurbitas cruribus, & ipſorum parti carnoſæ eſſe adhibendas

das docet: nulla igitur eſt diſſenſio.

Sin autem vitioſus humor, craſſus nempe, atque lentus, ac melancholicus præparandus ſit, ac medicamentis expurgantibus educendus, de quibus ſuperioribus capitibus prolixè admodum diximus, expurgantia ſunt hiera ſimplex Galeni, hiera picra cum epithymo, atque ſena: pilulæ quoque de lapide lazuli conueniunt, eoque magis ſi humor melancholicus adfuerit.

Nec eſt, vt vnica purgatione contenti ſimus, cùm præcipuè timeamus, ne in aliquem ex prædictis morbis incidant ægrotantes.

Mihi magis probatur decoctum ex ligno ſancto, & ſalſa, quod per multos dies accipiatur, iterando ſyrupum bis in die, dummodò aliquid ponatur in ipſo decocto, quod aromaticum ſit, virtutemque habeat guaiaci facultatem in caput ferēdi, quemadmodum eſt ſasfras: iua quoque arthetica, aliaque huiuſcemodi non improbantur.

Facta hac per multos dies purgatione, ſeu diſſipatione materiæ, iam ad corroborationem partium præcipuè deueniendum eſt cum his, quæ id præſtare poſſunt, quemadmodum eſt

Aromaticum roſatum,
Diambra,
Diamuſcum,
Conſerua acori,
Et theriaca.

Auicennas proponit quiñdecim grana pœoniæ ſingulo mane accipienda cum aqua; Gētilis tamen vult hæc quindecim grana eſſe pluribus vicibus partienda, ita vt ſingulo mane duo trita in aqua pœoniæ deuorentur.

Poteſt parari conſerua aſſumenda ſingulo mane hoc modo

℞. ſpecierum diamarg.
Diarhodon. abbatis ana drach. j.
Coriandri præpar. drach. ij.
Seminis pœoniæ ſcrup. ij.
Corall. rubeorum drach. ß.
Macis,

A Cinnamomi ana ſcrup. j.
Cum conſerua roſarum fiat mixtura.

Propono vobis puluerem inſpergendum ſupra alimenta.

℞. ſpec. arom. roſ. drach. ij.
Cinnamomi drach. j.
Aniſorum vnc. iij.
Sacchari vnc. iiij.
Fiat puluis omnium ſubtiliſſ. miſce

Alius puluis.

B ℞. aniſorum vnc. ß.
Coriandr. vnc. j.
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi ana drach. ß.
Sacchari optimi vnc. iij. fiat omnium puluis.

In hoc caſu ad reuellendam materiā à capite, eamque deriuandam ad os, & fauces valent errhina, ſternutatoria,
C & maſticatoria à nobis alibi explicata.

Pro localibus medicamentis optimæ ſunt irrigationes maximè ex oleis

Anethi,
Caſtorei,
Irini,
Laurini,

Puluis quoque capitalis inſpergendus ad ſuturæ coronalis regionem, qui in hunc modum parari poteſt.

D ℞. corticis citrij exiccati,
Cyperi,
Caryophyll. ana drach. ij.
Cocci infectorij ſcrup. iiij.
Coriandri præparati drach. j. ß.
Sampſuci,
Bettonicæ ana drach. ß.
Stœchados,
Roſarum ana ſcrup. j. miſce.
Et omnium fiat puluis ſubtil.

E Ex eodē quoque puluere ſacculus parari poterit.

Pro corde autem corroborando cōficiendus eſt ſacculus hac ratione.

℞. corticis citrij exiccati,
Galangæ,
Cyperi,
Ocymi,

Sem.

Sem.citrij ana drach. ij.
Flor.anthos,
Stœchados,
Bugloſſi ana drach.j.
Pulueris diamarg.frig.vnc.ſſ.
Electuarij de gemmis

A drachmas iiij.

Fiat omnium puluis, quo fiat ſacculus ad formam ſcuti, atque aqua meliſſæ irroratus cordi applicetur.

Et hæc de curatione incubi hactenus dicta ſufficiant.

# DE PARALYSI.

## CAPVT VIGESIMVM.

Affectio, quam paralyſim vocant, adeo frequens eſt, adeoque homines, quibus contingit, imma niter exercet, vt merito ipſius naturam & diligenter, & accuratè perpendere ſit opus, voſque, Domini, omnes animi veſtri neruos ad ipſam addiſcendam intēdere debetis, vt cognitionem in primis, deinde curationem ſedulò amplecti valeatis.

Ad cognitionem iam pluries audiuiſtis ſpectare definitionem, differentias, cauſas, ſymptomata, quæ à medicis præſentia dicuntur, nec non euentum, qui ad cognitionē omninò eſt neceſſarius, tempuſque, & modus ipſius: de hac parte igitur primùm agemus, dicturi poſtea de ſecunda parte, nempe de curatione.

Quod pertinet ad definitionem, non poteſt rectè definiri, niſi primò nominis ratio habeatur. Græci plura nomina habent, quibus præſentem affectionem deſignant. Apud Hippocratem 4. acutor.27.& 1.epid.con.2.tex.59.habetis hæc tria nomina, videlicet paraplegiam, paraplexiam, & implexiam, vnam, & eandem rem ſignificare, nempe motus, & ſenſus reſolutionem, quæ ſequitur poſt apoplexiam.

Sed pareplegia accipitur pro vnius alicuius partis ſenſus, & motus reſolutione, quam vocem confundit cum hemiplegia: at paraplexia accipitur pro vniuerſali vnius totius corporis partis reſolutione.

Paralyſis verò, & pareſis pro vna, & eadē re ab Alexandro accipiuntur, nimirum pro totius corporis reſolutione, quæ ex Galeno ſignificat amiſſionem ſenſus, aut motus, vel vtriuſque, magis tamen de motus priuatione, quàm de ſenſu dicitur 3.de locis affectis c.10.

C Hanc Auicennas lib.3.fen.2.tract. 1. cap. 2. mollificationem abſolutam appellauit, diuiſitque in mollitiem abſolutam, & propriam; abſolutam eam eſſe voluit, in qua adeſt motus, & ſenſus priuatio, ſiue in toto fuerit, ſiue in parte; propria verò eſt, quæ vnum corporis latus, ſecundùm ſui longitudinem occupat, quæ adhuc eſt duobus modis;

D vel enim dimidiam capitis partem cum toto corpore ad pedem vſque detinet, vel infra caput à collo per totum latus ad pedem vſque extenditur: hæc de nomine.

Quod ad eſſentiam attinet, quamuis ab Auicenna dicatur morbus, accipit

E morbum lato vocabulo, quo ſignificatur affectio præter naturam lib.7.ſen, 2.tract.1. at ſi preſſius rem ipſam ſcrutemur, videbimus eſſe ſymptoma, quod nobis Galenus apertè oſtendit lib.1. de cauſis ſympt. cap. 5. ita vt paralyſis ſit ſymptoma ſenſus, & motus aboliti abſque hegemonicarum læſione; hæc eſt ratio formalis huius affectionis.

DE PARTE AFFECTA in paralyſi.

AD ſenſum faciendum requiritur cerebrum, neruus, & cutis; ad motum verò cerebrum, & neruus, ac muſculus etiam requiritur, qui eſt motus voluntarij inſtrumentum. Cerebrũ eſt inſtrumentum principale, à quo fit, & tranſmittitur facultas, tam mouendi, quàm ſentiendi. Neruus eſt inſtrumentum delatiuum facultatis, tam ſentientis, quàm mouentis: at cutis eſt inſtrumentum immediatum motus voluntarij.

Quod autem facultatis tam ſentientis, quàm motricis ſpinalis medulla, & neruus ſint inſtrumenta delatiua, quod fiat modò ſenſus, modò motus in partibus pro diuerſitate inſtrumentorum ad ſentiendum, & ad mouendum deſtinatorum, & quod aliud ſit inſtrumentum ſentiendi, aliud mouendi, vt dictũ eſt, & Ariſtotele docente, ſi oculus eſſet in pede, pes videret, quia in ipſo pede adeſt facultas videndi, eſt Galeni doctrina tritiſſima pluribus in locis, vt 4. de locis affectis cap. 2. 3. eiuſdem cap. 10. & 6. & 7. de placitis Hipp. & Platonis 3. cap. quod expreſſiſſimè declarat lib. 4. de locis affectis citato, vbi loquens de neruis ferentibus ſenſum ad linguam dicebat per vnum, & eundem neruum ferri, & guſtatoriam, & ſenſoriam facultatem ipſi linguæ, qua poſſit non modò ſenſiles qualitates diuidere, ſed etiam guſtabiles.

Cùm igitur amiſſus ſit ſenſus, & motus in paralyſi, vix delerminari poteſt, quæ nam pars affecta ſit; nam illud argumẽtum, quòd doctiſſimus Capiuaccius affert de actione læſa, vbi dicit actio mouendi eſt læſa, ergo ipſius inſtrumẽtum, nempe muſculus, eſt læſum, non placet; nam huiuſmodi arguẽdi modus non valet in actionibus animalibus, ſed in naturalibus tantùm, vt videre eſt apud Galenũ lib. 1. de locis affectis cap. 6. & 7.

A Quo in loco non modò deſumit argumentum ab actione læſa in partibus naturalibus, ſed à proprio ſymptomate partis, & ab alijs etiam, vt aliàs oſtẽdimus, & hanc facit de partibus diuiſionem. Partiũ noſtri corporis aliæ ſunt, quæ naturales, aliæ quæ animales actiones celebrant, priores ſine affluxu virtutis, aut materiæ à partibus præcipuis B aptæ natæ ſunt ſuas actiones obire, animales verò actiones celebrantes non poſſunt abſque affluxu à cerebro per neruos delato operari.

Quare cum ita res ſe habeat, poſſumus certum argumentum elicere de partibus naturalibus, vt quando vidémus actionem ventriculi læſam eſſe, cõcludimus demonſtratiuè ventriculum eſſe læſum, quod in partibus animali- C bus argumenti genus fallax eſt, quia et ſi muſculus non operetur in motu deperdito, qui eſt immediatum motus inſtrumentum, fieri id tamen poteſt abſque aliqua ipſius læſione, & ratio eſt, quia euenire poteſt, vt ad ipſum tranſmittatur quidem facultas, ſed non vehatur per neruos, qui ſunt (vt dictum eſt) delatores facultatis ſentientis, & mouen- D tis ad ſenſoria, & motoria inſtrumenta.

Ab actione igitur animali læſa non poſſumus concludere muſculum eſſe læſum, quia poteſt eſſe vt cerebrum, & neruus, & muſculus ſint læſi.

Hoc loci Ioannes Coſtæus ſupra annot. Auicennæ fen. 2. lib. 3. tract. 2. cap. 2. inquirit, an verum ſit, quod nerui patiantur omne genus morborum? Auicennas fatetur, quod etiam Galenus lib. 1. de cauſis ſymptomatum cap. 2. E ſcribit, cùm tamen idem Galenus lib. de differentijs morborum cap. 3. ſcripſerit eſſe partes ſimplices, quarum morbi proprij ſunt intemperies.

Soluens dubitationem inquit Coſtæus neruos ratione ſubſtantiæ eſſe ſimplices, ratione figuræ, quam habent rotundam, & longam eſſe partes compoſitas.

ſitas. Talem reſponſionem ab Ariſtote-
le accepiſſe ait, qui lib. 2. de partibus animal.cap.1.de corde loquens, dicebat eſſe, quo ad ſubſtantiam ſimplex, quo ad figuram compoſitum.

In paralyſi igitur pars affecta eſſe poteſt neruus, & muſculus, verùm cùm neruus, vt aliàs à me intellexiſtis, ex triplici conſtet ſubſtantia, ex ſubſtantia medullari, & ex duplici membrana, vna quarum immediatè tegit medullarem ſubſtantiam, alia verò amplectitur illam, quæ immediatè tegit neruum; ner uus non læditur ſecundùm totam ſubſtantiam, ſed tantùm ſecundùm medullam; nam ſiue excauatus, ſeu perforatus, ſiue non perforatus ſit, per medullam vehitur facultas, non per membranas.

Quando igitur facultas non permanat, id euenit ratione læſionis factæ in neruo, ſiue obſtruatur, vel comprimatur, vel refrigeretur, aut etiam ſecetur. In conuulſione verò intelligetis neruũ lædi ſecundùm ſuas membranas: fieri quoque poteſt, vt muſculus in paralyſi lædatur.

Sed inquiret veſtrum quiſpiam, qui fieri poteſt, vt neruus, quo ad medullarem canaliculum in paralyſi lædatur, non autem membranæ? Dico anatomen id demonſtrare facilè; nam cerebrum conſtat ex medullari ſubſtantia, & duabus prædictis membranis; tegitur enim à pia membrana immediatè; dura verò eſt poſita in medio inter piam, & os cranij.

Spinalis medulla, quæ Galeno autore immediatè prodit à cerebro, non ſecus atque arteria naſcitur à ſiniſtro cordis ventriculo, & magna vena à gibboſitate iecoris, eſt eiuſdem cum cerebro ſubſtantiæ, imò (vt dicebat Galenus) eſt cerebrum elongatum.

Cerebrum autem excauatum intus eſt, in cuius cauitate ſpiritus animales fabrefiunt, qui deinde recipiuntur à ſpinali medulla per ſuum canalem in ea inſculptum, idcirco cùm nerui ſint eiuſdem naturæ, & conformationis, ab eâ tamquam rami à trunco recipiunt per ſuos caniculos facultatem, eamque ferunt inſtrumentis motorijs, & ſenſorijs. Conſtat igitur caniculum eum eſſe, per quem fertur facultas, non per membranas, & eũ ſolum in amiſſione ſenſus, & motus lædi.

Pars igitur læſa reſpectu motus deperditi eſt tum neruus, tum muſculus; at reſpectu ſenſus amiſſi eſt neruus, & cutis; neruus quidem vt delatorium inſtrumentum, cutis vt eſt ſenſus tactus organum.

Sed cùm muſculus ſit inſtrumentum motus voluntarij, vtrùm quando is priuatur ſua actione, dicatur lædi per eiſſentiam, an per cõſenſum? Capiuaccius loco ſupra adducto reſpondet muſculum conſtare ex fibris tam ligamentalibus, quàm nerueis, quibus adnectuntur fibræ carneæ, omniſque fibrarum conſtitutio definit in tendinem, qui eſt finis muſculi.

Cum igitur muſculus ex tot fibris ſit conſtitutus, non patitur niſi ſecundùm fibras nerueas, aut, vt ille loquitur, ſecundùm partes neruoſas, at pars neruoſa duobus modis ab illo cõſideratur; primò, vt eſt in muſculo, deinde quatenus eſt extra muſculum, ſed ad ipſum tendens, & ſecundũ vtramque, inquit, partem poteſt lædi, & læditur muſculus.

Si contingat lædi ratione nerui, qui extra ipſum eſt, & ad ipſum tendit, dicitur lædi per conſenſum, at ſi pars neruoſa, quæ in illo eſt, tunc læditur per eſſentiam.

Sed huiuſmodi determinatio non eſt ad mentem Galeni lib. 4. de locis affectis cap. 4. vbi demonſtrat actiones partium naturalium non poſſe lædi per eſſentiam, niſi earum læſa ſubſtãtia, quod in partibus animalibus ſecus eſt, quandoquidem partes animalium nequeunt operari, niſi à ſuo principio affluxum

recipiant, ſiue ſit facultas, ſiue ſit materia aliqua, qua retenta, vel prohibita ferri ad ipſas partes, dicitur illa pars, ad quam non traſmittitur, læſa per eſſentiam.

Hoc Galenus exemplo deſumpto à voce clarum eſſe demonſtrat, larynx, inquit, eſt vocis inſtrumentum; & non poteſt vocem formare, niſi materia per expulſionem à pulmone tranſmittatur, quod in tractatu morborum thoracis fuſiùs oſtendam, vbi autem tales partes priuentur, vel facultate, vel ſua materia tranſmittenda, dicuntur per eſſentiam lædi.

Quamuis poſſit muſculus alio nomine, hoc eſt quando priuatur motu, lædi primariò, quod apertiſſimè loco præcitato à Galeno demonſtratur exemplo illius piſcatoris, cui ſphicteres ambo relaxati fuere, qui ſunt muſculi illi, qui ad recti inteſtini finem, & ad orificium veſicæ præfecti ſunt: & hæc de partibus affectis in paralyſi, quæ ſunt ſpinalis medulla, tanquam truncus, & nerui vt canales ab ea prodeuntes, facultatem motricem muſculis omnibus ferentes; cognita parte affecta determinandus eſt morbus, quē ſequitur huiuſmodi ſymptoma.

## DE MORBO, QVEM SEQVItur paralyſis.

ANtequam id declarem, opus eſt afferre primò omnes paralyſis differentias, quæ Galeno, & Auicenna authoribus deſumuntur à varia ſpinalis medullæ, neruorum, & muſculorum læſione. Reuocate ad memoriam dictū à me fuiſſe ſæpiùs ſpinalem medullam à cerebro ortum ducere, eamque diuiſam eſſe in duas partes.

Vna ex his intra caput remanet, alia deorſum per ſpinam recta fertur ad os vſque ſacrum, ab ipſaque omnes nerui, quotquot in corpore reperiuntur, prodeūt, & quando Galenus ſcribit ner- A uos à cerebro naſci, intelligendus eſt de ſpinalis medullæ ea parte, quæ adhuc in cerebro remanet, à qua ſeptem paria neruorum explantari dicimus.

Reliqua verò ſpinalis medullæ pars, quæ deorſum vſq; ad ſacrum os recta deſcendit, triginta duo paria neruorum ad omnes corporis partes diſtribuit; vel igitur tota ſpinalis medulla læditur tam interna, quàm externa, & tunc fit B prima differentia paralyſis, quia totius corporis ſenſus, & motus amittitur, & eſt paralyſis vniuerſalis; vel à capite vſque ad pedes amittitur ſenſus, & motus & tūc læditur ſpinalis medullæ pars, quę extra caput iam delata eſt.

Vel amittitur & ſenſus, & motus vnius lateris, qui duobus modis fieri poteſt, aut quia tota læditur medulla tam interna, quàm externa, vel quod C tantùm læditur infra caput, primò à frōte vſque ad pedem illius lateris amittitur ſenſus, & motus; ſecundò relicta facie, motus, & ſenſus amittitur à ceruice vſque ad pedem. Vel læditur quarta corporis pars, nempe vel brachium tantùm, vel crus tantùm.

Si læditur pars inferior, ita vt crus cum fœmore priuetur ſenſu, & motu, tunc ſpinalis medulla læditur ad D lumborum regionem, aut ſoli nerui adeuntes crus læduntur. Si quarta ſuperior pars læditur, brachium ſcilicet, & manus cum ſua ſcapula, tunc læſio eſt in neruis, non in ſpinali medulla, quia ſi medulla læderetur, eſſet rationi conſonum, vt pars inferior eiuſdem lateris læderetur, nempe fœmur cum toto crure, & pede.

E At qui ſi vna pars, aut plures ſeiunctæ paralyſi afficiantur, tunc neruus particularis erit læſus illius partis: aliquando etiam contingit, muſculum ſolùm læſum eſſe, ſi potiſſimùm ſit in ſuperficie, vt apparet in illo piſcatore apud Galenum: & iſtæ ſunt differentiæ paralyſis deſumptæ à partibus affectis. Sunt & aliæ differentiæ, quæ deſumi poſ-

poſ-

poſſunt à morbis, & à cauſis ipſorum morborum.

Symptoma ſequi morbum multoties intellexiſtis, veluti vmbra corpus, præſertim ſymptoma actionum læſarū, qualis paralyſis eſt: morbi verò ſunt intemperies, ſolutio continui, & mala compoſitio; qui omnes & coniunctim, & ſeiunctim poſſunt hoc ſymptoma producere. Primò poſſe eſſe intemperiem, habetis à Galeno 1. de cauſis ſymptomatum cap. 5. & Auicenna lib. 3. fen. 2. tr. 1. cap. 2. nempe intemperiem frigidā, & humidā, & vtrāque ſimul, quod Aetius & Trallianus confirmant.

Sed qua ratione ab intemperie frigida cauſetur huiuſmodi ſymptoma, non ſunt omnes authores vnius opinionis; nam alij volunt frigiditatem eſſe contrariam ſpiritibus animalibus, eoſque corrumpere. Vult etiam Auicennas à frigiditate adeo partem corrumpi, vt nequeat recipere à ſpiritibus impreſſionē.

Alij verò, vt Galenus, putant à nimia frigiditate incraſſari, & condenſari neruos, ita vt ſpiritus permeare nequeant, ſed quidquid ſit, ſat eſt, vt habeatis ab intemperie frigida fieri paralyſim,

An modò ab intemperie calida, aut ſicca paralyſis fieri poſſit, non deſunt authores affirmantes fieri poſſe, vt eſt Alexander Trallianus, qui ſcribit ſe curaſſe paralyticum quendam, qui medicamentis calidis magis, & magis moleſtabatur, vt fuerit coactus vti frigidis, à quibus fuit ſanitati reſtitutus.

Sed hæc ſunt, quæ rarò contingunt, quemadmodum à ſiccitate fieri pauciſſimi, aut nulli authores affirmant; ſed ſi vellem percurrere omnes ſcriptorum opiniones, non ſufficerent triginta lectiones pro vnoquoque morbo; ſatis enim eſt, vt habeatis ea, quæ ſunt neceſſaria pro cognitione rerum vt plurimū contingentium, vt eſt frigida intemperies, tam cum materia, quàm ſine materia; ſed de intemperie calida ſine materia non videtur poſſe affirmari, verùm de intemperie cum materia, vt paulò poſt dicam.

Deinde eſt mala compoſitio, quæ fit tam ab obſtructione neruorum, & ſpinalis medullæ, quàm ab aliquo tumore, vt eſt grauiſſimorum authorum opinio. Fit etiam mala compoſitio, quando cōprimuntur nerui ex vertebris luxatis, aut aliјs partibus, vt fęmore, quod à ſuo exeat loco: tandem adeſt ſolutio continui.

Sed huiuſmodi morbi rarò faciunt vniuerſalem totius corporis paralyſim; nam luxationes, & vulnera cauſant tantummodo particularem paralyſim, quæ etiam cum rarò cōtingant; ad illos morbos, quos vt plurimum paralyſis ſequitur, declarandos accedere eſt animus, eiuſque cauſas inquirere.

## DE CAVSIS PARALYSIS.

Aliæ ſunt cauſæ, quæ gignunt intemperies nudas; aliæ verò ſunt, quæ intemperies cum materia faciunt, à quibus obſtrui ſolent nerui, inde cauſari paralyſis. Eſſe autem faciliùs poteſt, vt ab intemperie frigida fiat paralyſis, quàm à calida, aut ſicca, quæ & ipſa rarò euenit, vt antea dicebam, niſi in regionibus frigidiſſimis, & ex contactu alicuius corporis frigidi, vt contigit piſcatori illo, qui in gelida aqua hyeme remanebat, vnde fuit correptus particulari paralyſi; nam illi ita refrigerati fuerunt muſculi, & ab humiditate relaxati, vt non potuerint recipere impreſſionem à ſpiritibus animalibus.

Paralyſis igitur vniuerſalis ab intemperie frigida non fit, niſi à vehementiſſimis cauſis, nempe ab aeris, aut aquæ ſumma frigiditate, quæ ſolum adeſt in regionibus, & anni temporibus frigidiſſimis, quæ ſi contingant, ſunt potiùs mortis imagines.

Fortè etiam à piſciculo illo effici poterit, qui in mare degit, quem torpedinem

nem omnes vocant, cuius Aetius meminit lib. 6 cap.28. vbi ſcribit, quod ſi piſciculus iſte à piſcatoris rete tangatur, ſtatim qualitas comunicatur, vt manus, & brachium torpore, & paralyſi affectum maneat, quamuis huiuſmodi læſio non poſſit dici fieri ab intemperie, cum ad faciendam intemperiem requiratur longius tempus.

Venio nunc ad illas cauſas, quæ obſtruendo inducunt paralyſim, quæ ſunt materiales, inter quas primas obtinet pituita, quia ab humore viſcoſo, & lento, vt plurimum producitur paralyſis. Galenus lib. 4. de locis affectis tum 2. tum 4. cap. ait, quod ea canaliculum, qui eſt via ſpirituum, adeo obſtruit, vt viam ſpiritibus demat.

A melancholia quoque fieri paralyſim multi arbitrati ſunt, eo quod ſua craſſitie poſſit obſtruere canaliculum illum, per quem feruntur ſpiritus, aut facultas ſentiendi, vel mouendi; nã quemadmodum cap. de apoplexia dictũ fuit, poſſe hanc à melãcholico ſucco fieri, quæ eſt obſtructio ventriculorum cerebri, multo magis poterit ea facere obſtructionem in neruorum canaliculis.

Neque eſt opus illa humectatione ad membranam laxandam, quia non laxaxatur, neque elongatur membrana paralytica, vt multi putant, ſed ſatis eſt, vt via obſtruatur, per quam ſpiritus, aut facultas meat, id quod poteſt probè facere melancholia, quod Auicennas, Trallianus, & Valleſius admittunt facilè.

De bilioſa materia longè maior eſt difficultas: multi ſiquidem tuentur partem affirmatiuam, alij prorſus negant. Ex parte affirmatiua eſt Raſis primo cõtinentis, Trallianus, Fernelius, Euſtachius Rudius; è contra verò Rondeletius, Mercurialis, Valleſius, & pleriq; alij.

Sed dici poteſt bilem facere paralyſim duplici modo, primò quia poteſt eſſe vehiculum humoris pituitoſi ad ſpi-

A nalem medullam, & ad neruos, qui modus probatur ab Euſtachio, ſed non video repugnantiam terminorum, quod paralyſis non poſſit fieri à ſubſtantia bilioſa eo modo, quo Fernelius dicebat, nempe ipſa iam incraſſata, & à natura extra venas propulſa.

Fieri etiam poteſt, vt feratur tam in medullarem ſubſtantiam, quàm in neruorum canaliculum, eoſque obſtruat, B quod etiam eadem ratione putandum eſt fieri poſſe à ſanguine, quidquid dixerint in hoc Rondeletius, & Mercurialis.

Huiuſmodi paralyſis generatio rariſſima licet ſit, nihil tamen obſtat quin fieri poſſit, cum canaliculus in neruis ſit valdè exiguus, à pauciſſimaque materia, & tenuiſſima, vt eſt bilis, atque ſanguis facilè obſtruatur: ſed ea quæ rarò con- C tingunt, non conſtituunt ſcientias, & artes, ſed quæ vel ſemper, vel vt plurimũ eueniunt, qualis eſt paralyſis à materia pituitoſa.

Et hæc de cauſa interna immediata, & proxima: antecedens verò eſt eiuſdẽ generis, ac in toto corpore, vt ad caput feratur, & à capite apta, vt in ſpinalem medullam, & neruos cadat.

Cauſæ exteriores producentes ma- D teriam pituitoſam, aut melancholicam in corpore, quæ in caput, & à capite in ſpinã, & neruos cadit, ſunt primò aer frigidus impẽsè, & humidus, alimẽta craſſa, & viſcoſa, crapulæ multæ, inordinatus, & intempeſtiuus, & multus aquæ potus. Etiam immoderatus vini potus id efficere poteſt. Tandem mala rerum omnium non naturalium tã neceſſariò, quàm non neceſſariò nobis occurrenti- E um valet tales humores in corpore producere, à quibus fiat paralyſis; hæc de cauſis.

Pro-

PROPONVNTVR DVO QVAE-ſita, & reſoluuntur.

NE ſigna proponam, duo me reuocant, vnum eſt, vnde fit, quod cum facultas tam motiua, quàm ſenſitiua per ſpinalem medullam feratur, aliquando amittitur ſenſus, integro remanente motu alicuius partis, vt de Pauſania Sophiſtico ſcribit Galenus, qui ſenſum digitorum manus amiſerat, remanẽte motu; & è contra, in aliquibus amittitur motus remanente ſenſu?

Secundum eſt in ſententia eorum, qui putant membra paralytica emaciari ſemper, cur ea continuò extenuentur?

Ad primum reſpondet Galenus 1. de locis affectis cap. 6. & cap. 3. eiuſdem, cap. 10. dicens id non ſpinalis medullæ, ſed neruorum deferentium facultatem vitio prouenire, qui inter ſe ſunt diuerſi; alij enim ad cutem tantùm, & alij ad muſculos perueniunt.

Si cõtingat lædi illos neruos, qui per cutem ſunt diſtributi, illæſis manentibus illis, qui in muſculis ſparguntur, læditur etiam ſenſus, quia cutis, quæ eſt inſtrumentum ſenſus, priuatur ſua facultate; hinc eſt, quod amittitur ſenſus, & remanet motus, vt Pauſaniæ cõtigit; at ſi lædantur illi nerui, qui ad muſculos apponuntur, amittitur motus, & remanet ſenſus, ſi nerui ad cutẽ delati minimè offendantur.

Si verò ad muſculum feratur tam facultas ſenſitiua, quàm motiua vno, & eodem neruo, nunquam poteſt amitti ſenſus, illæſo remanente motu, ſed bene fieri poteſt, vt amittatur motus integro remanente ſenſu. Huius rei affert rationem, quod ſentire eſt pati, mouere eſt agere, ſed maior ſpirituum copia requiritur ad agendum, quàm ad patiendum, ergo quando adeſt motus, neceſſariò adeſt ſenſus, quia pro motu ſpirituum copia maior eſt neceſſaria, ſi igitur neruus hic læditur, remanet ſenſus, at ruit motus,

A Hæc eſt Galeni vera determinatio, quæ à multis authoribus infringitur, vt à Veſſalio, & Argenterio, quia Gal. hoc fundamento facilè omnia, quæ ab illis adducuntur, ſolui poſſunt. Legite ſi placet diſputationem decimam nonam apud Garciam Carrerum, quo in loco videbitis opiniones authorum grauiſſimorum, & ſimul ſolutiones, quæ aliud tempus, & alium locum requirunt, &

B hæc ſint ſatis.

Ad ſecundum, nullum hactenus obſeruaui authorem, qui hanc materiam conſiderauerit, vno excepto iam dicto Carrero diſputatione eadem, vbi ſe iactat, quod primus hanc quæſtionem promouerit, quæ certè non in omnibus paralyticis vera eſt, quare nec propoſitio vniuerſalis facienda venit.

C At vbi fuerit membri macies, aut extennatio ex priuatione reſtaurationis illius, quod deperditur continuò, à mẽbro euenire certiſſimum eſſe nullus ambigit; nam ad hoc vt partes nutriantur, & conſeruentur, opus eſt, vt illud, quod ſenſim euaneſcit, etiam reficiatur, ac vbi id non fiat, aut diminutè fiat, ſequitur neceſſariò atrophia quędam, ſed qui paralyſi affecti ſunt, vt plurimùm malè habent, nec poſſunt admodum come-

D dere, hinc eſt etiam, quod eorum corpora, & partes extenuentur.

Magis tamen rationi conſonum eſt, quod vbi vehemens ſit paralyſis, etiam pars ad frigidum ſit intemperata, hinc facultates omnes tam attractrix, quàm concoctrix non poſſunt fungi ſuis muneribus, quare neceſſariò ſequitur, quod alimentum, nec probè coqui, neque etiam apponi poſſit, quod cùm contin-

E gat, pars merito extenuatur. Sed poteſtis prædictum authorem legere, qui multas affert ſubtilitates, quæ ad noſtrũ propoſitum minimè faciunt.

Sed quiſpiam veſtrum percontabitur à me, cum dixerim paralyſim euenire poſſe omni lateri, quæ nam peior, & ad curandum difficilior ſit, paralyſis dex-

teri,

teri, an ſiniſtri lateris.

Multi reſpondent ſiniſtri lateris peiorem eſſe paralyſim, ac curatu difficiliorem, quia minus reſiſtit cauſis morbificis propter caloris debilitatem.

Scriptum ab Ariſtotele eſt dexteram partem calidiorem eſſe, & per conſequens ad reſiſtendum validiorem;è cõtra ſiniſtram partem languidiorem eſſe, & minus robuſtam, minuſque aptam ad reſiſtendum, & ad expellendum morbum, & cauſam morbificam; quare paralyſis ſiniſtram partem occupans deterior eſt, & ad curandum difficilior.

Sed huiuſmodi fundamentum non videtur admodum valere; primò quia vtraque pars totidem venas, & arterias habet, eiuſdemque magnitudinis, per quas ſpiritus vitalis, & ſanguis pro nutritione diſtribuitur, quot habet alia pars, quo nomine æquè calida eſt ſiniſtra, atque dextera, eoſdemque neruos, ac muſculos habet hæc, ſicut & illa; quapropter ratione compoſitionis dici non poteſt magis vna, quàm altera pars calidior, & validior.

Verum tamen eſt, quod in plurimis partes dexteræ robuſtiores ſunt, ratione conſuetudinis, & vſus, atqui in illis, qui appellantur à noſtris mancini, ſunt longè robuſtiores in ſiniſtris, quàm in dexteris; quare non poteſt ſimpliciter determinari, quod ſiniſtræ partes minus robuſtæ ſint.

Proinde dicerem paralyſim ſiniſtri lateris, ſi magna, ac vehemens ea ſit, eſſe difficiliorẽ ad curandum, quàm paruã, quæ ſit dexteri lateris; deinde in homine debiliori magis, quàm in robuſto. Ita quoque valida dexteri lateris difficilior erit ad curandum in homine non robuſto, quàm parua in ſiniſtro latere hominis robuſti: ſed hæc ſunt pauci momenti.

A

### DE SIGNIS PARALYSIS.

SYmptomatum, quæ pro ſignis accipiuntur à medicis, alia ſunt, quę paralyſim præcedunt, quibus ea prædici poteſt, non tamen demonſtratiuè, ſed coniectura quadam; alia verò ſunt demonſtratiua, quæ illam præſentem eſſe confirmant.

B Inter priora eſt apoplexia leuis, & epilepſia, quæ præſens ſit; formicationes quædam perceptæ per omnes partes neruoſas, artuum potiſſimum tam inferiorum, quàm ſuperiorum; aliqua ſenſuum perturbatio; motus difficilis, ac ſenſus paulò obtuſior; præceſſit capitis dolor grauatiuus, necnon tumor vniuerſalis, aut particularis. Vniuerſalis vniuerſalem paralyſim, particularis particularem, ſi potiſſimùm adſit grauedo C quædam in illa parte, ſignificat.

Præſentem verò adeſſe demonſtrant ſenſus, & motus priuatio, cum integro diſcurſu, vel totius corporis, aut vnius lateris, vel quartæ partis, aut cuiuſuis, alterius, de repente eueniens, & iſtud ſignum pathognomonicum eſt; nam vbi videtis aliquem priuari motu, & ſenſu repentè, ſtatim habetis ipſum paralyſi affectum eſſe, aut totius, aut partiũ D ratione. Ad cuius certiorem cognitionem pars læſa poteſt pungi, vel acu, vel ſtylo, quæ nihil prorſus ſentit, frigidaque ad tactum redditur, temporiſque progreſſu emaciatur, & atrophica fit: hæc de ſignis.

### DE FVTVRO EVENTV paralyſis.

E NOn omnis paralyſis vnum, & eundem in euentum habere poteſt, ſed pro cauſarum varietate; quæ primũ recognoſcendæ ſunt; exteriores enim facilè cognoſcuntur, vt vulnus tranſuerſim muſculum ſecans, quem ſequatur paralyſis, aut oſſis alicuius luxatio, vt vertebrarum aliqua.

At

At internæ non tam facilè cognoſcũtur, quæ à corporis habitu, complexione, ætate, ante acta victus regula, à cõditionibus, ſeu qualitatibus humoris in corpore peccantis, ſapore, qualitate, & motu, à iuuantibus, & nocentibus, à morbo, qui præceſſit, & huiuſmodi.

Futurus igitur euentus tam bonus, quàm malus prædici poterit à robore viriũ, & magnitudine paralyſis, quę à cauſarum vehementia, à ſymptomatibus tam concomitantibus, quàm ſuperuenientibus cognoſcitur, à facili, aut difficili ægrotantis tolerantia, à iuuantibus, & nocentibus; nam ſi paralyſis à ſectione fiat ſpinalis medullæ, aut nerui, aut muſculi inſignis tranſuerſim, eſt inſanabilis 6.aph.29. & fortaſſe lethalis, ſi potiſſimùm ſuccedat inflammatio. Qui ob vertebrarum luxationem fiũt paralytici, non euadũnt, Auicennas 3. fen.2.tr.3.cap.2,

Rurſus ſi paralyſis ſit vniuerſalis, vel vnius lateris, procedatque à materia pituitoſa, aut melancholica, ſi potiſſimùm apoplexiam ſequatur, robore virium minimè conſtante, & medicamẽtis parùm, aut nihil iuuantibus, lethalis omninò eſt, & maximè ſi fuerit difficultas anhelitus, quod Auicennas ſupra, & Celſus lib.6.cap.13.ſcripſerunt.

At ſi à materia ſit bilioſa, & ex decubitu materiæ poſt febrem, vel ſequatur dolorem colicum, robore virium exiſtente, bene tolerante ægroto, recteque ad oblata ſe habente, medicamentis, quæ iuuare conſueuerunt, iuuantibus, nulloque ſuperueniẽte prauo ſymptomate, res in tuto erit; nam materia bilioſa facilè diſſipabitur, & quæ à capite in colum inteſtinum deſcendit, colicum dolorem faciẽs, ſe in ſpinalẽ medullam, aut in neruos inſinuans diſſipari omninò poterit,

Eodem modo paralyſis ab aere, aut torpedine facta viribus valentibus ſanari facilè poterit, ſi præſertim fuerit particularis.

Tempus ſanationis erit longum, & breue pro cauſarum varietate, robore virium, facili, aut difficili tolerantia, & medici diligentia.

Modus à natura eſſe poterit per aliquam criſim ad ſalutem; ad mortem per caloris ſuffocationem; ab arte verò inſtrumentis rectè, & vt decet à medico adminiſtratis.

## DE CVRATIONE PARALYSIS per victus rationem.

IN curatione paralyſis conſilium medici dirigi debet primò ad cauſarũ ablationem, ſed cùm multæ allatæ ſupra fuerint à nobis tam internæ, quàm externæ, & aliquæ ex his ad chirurgicas operationes pertineant, vt eſt vertebrarum, aut alicuius membri luxatio, nec non ſolutio cõntinui; non eſt, vt de illis aliud in præſenti dicamus, cum praxim profiteamur, quæ ſolas conſiderat cauſas internas.

Sunt huiuſmodi cauſæ multiplices, videlicet intemperies nudæ, & cum materia, vt eſt pituita, melancholia, ſanguis, & bilis, at nos omittimus melancholicam, bilioſam, & ſanguineam, tanquam rarò euenientes, & pituitoſã materiam tanquam cæteris omnibus frequentiùs euenientem amplectimur curandam.

Hæc verò eſt duplex antecedens, nec non coniuncta. Antecedens primò eſt auferenda, deinde coniuncta. Atque illa auferetur inhibendo eius generationem, & quod genitum eſt, extra corpus educendo. Prohibetur pituitæ generatio per rectam victus rationem, genita euacuatur per chirurgiam, & pharmaciam.

Coniuncta autem reuellitur, deriuatur, & inſenſibiliter, & per vias ſenſibiles euacuatur. Auſpicemur à prima indicatione, quæ oſtendit inhibendam eſſe pituitoſi humoris generationem, quæ inhibetur per rectam ſex rerum natura-

turalium adminiſtrationem, & inter has res cum primò occurrat aer, alterandus is eſt ad calidum, & ſiccum, qui ſi non fuerit ita natura, arte comparandus eſt, cum igne accenſo in lignis aridioribus, aut etiam odoratis, ſi habeantur.

Cubiculum, in quo æger degit, calefacere oportet, vel etiā ſuffumigijs quibuſdam ex ligno aloes, aut aromatis, népe caryophyllis, cinnamomo, nuce muſcata, coſto, cypero factis alterare. Pauimentum quoque ſimplicibus aliquibus irrorare expedit, vt ſunt.

Maiorana,
Serpyllum,
Satureia,
Pulegium,
Origanum,
Stœchas,
Roſmarinum,
Laueņdula, & huiuſmodi,
Suffumigia ex his parari poſſunt
Galbano,
Opopanace,
Styrace calamitæ,
Ladano,
Thure,
Myrrha,
Maſtiche,
Nuce muſcata,
Et id genus alijs.

Paulus Aegineta laudat mutationem ad maritimum aerem, nec ſine ratione, quia ab aqua maris eleuantur vapores calidi, & ſicci poros corporis ingredientes, & exiccantes: hinc eſt etiam, quod nautæ vt plurimum ſunt habitus ſicci; vapor enim ſiccus euacuat humiditates ſuperfluas.

Alimenta quo ad ſubſtantiam debent eſſe boni ſucci, & quantùm fieri poteſt, excrementorum expertia.

Quantitas pauca; nam victus eſt immutandus ad contrariam ſemper.

Qualitas debet eſſe calida, & ſicca.

Materia alimenti eſſe poteſt ſuccus ptiſanæ, in quo modicum piperis craſſo modo contuſi ponatur, vel panis offa in iure immerſa.

Panis quoque vtilis eſt bis coctus, in quo ſemina aliqua calida ſint poſita, & ſecundùm artem pollinis in modum cū farina ſubacta.

Carnes poſt principium concedun- tur, quæ aſſatæ ſint, rebuſque aromaticis conditæ, vt carnes volatilium, quæ præſertim in locis montuoſis degant, de quibus ſæpiùs actum eſt, vt ſunt turdi, turtures, attagenes, cuniculi quoque, atque lepores.

Conueniunt pulli columbarum, qui iam volare incipiunt.

Poteſt parari puluis ex cinnamomo, caryophyllis, pipere, fœniculo, & petroſelini ſemine factus, cui ſalis modicum addatur.

Auicennas extollit cerebrum leporis aſſum. Raſis probat magis carnes volatilium, ſed præſertim rapacium, vt accipitris, falconis, & huiuſmodi. Non deſunt, qui carnes hirundinum cæteris præponant, quia occultam facultatem aduerſus paralyſim habere putant.

Inter fructus amygdalæ tam dulces, quàm amaræ, piſtachia, auellanæ, nuclei pinei à multis probantur cum pane commeſti, cum tamen videantur eſſe craſſi ſucci, ſi Galeno credimus lib. de bon. & vitio ſuccorum cap. 4. quamuis non ferant malum alimentum. Paſſulæ quoque pro obſonijs valent.

De ouis nihil dico, quia quemadmodum dictum fuit ea eſſe boni alimenti, ac conuenire epilepticis, & caro affectis, ita prorſus conueniunt paralyticis.

Vitanda ſunt omnia, quæ craſſum ſuccum in corpore poſſunt gignere, vt ſunt carnes ſuillæ, bubulæ, piſces, caſeus, quæ ex paſta fiunt, legumina, omnia frigida olera: crapulæ, & compotationes omninò fugiendæ.

Pro potu vinum non conuenit, Auicenna docente, primò quia materias ad neruoſum genus deducit; deinde quia in corporibus huiuſmodi affectis in acetum conuertitur, quod neruoſis partibus

tibus aduerſatur, ſummeque nocet;ſed aqua conceditur libentius, non tamen actu frigida.

Sed diceetis Auicennam non inhibere vinum ſimpliciter, ſed tantùm in initio morbi, in fine verò, aut temporis progreſſu illud concedit, attenuata iam materia ad ventriculi corroborationem.

Aqua igitur, in qua ebullitum fuerit cinnamomum, aut aniſorum, aut fœniculi ſemen cum modico maioranæ, ac mellis confert.

Sed propono vobis aquam paralyticis maximè conuenientem, quæ ad hũc fit modum.

℞. aquæ pluuialis depuratiſſimæ lib. v.
Mellis optimi, & ſynceri lib. j.
Calamenthi,
Origani ana manip. j.
Saluiæ,
Maioranæ,
Bettonicæ,
Pulegij ana pug. ſſ.

Bulliant omnia ad conſumptionem mediectatis, coletur, & ſeruetur pro potu.

Alio modo

℞. aquæ fontis puriſſ. lib. ix.
Saluiæ,
Bettonicæ,
Stœchados ana pug. j.
Mellis ſynceri lib. j.

Bulliant, quouſque deſpumatum ſit mel, in fine adde
Galangæ,
Cinnamomi,
Zingiberis ana drach. ſſ.
Fiat potus.

In reliquis rebus non naturalibus moderatè agendum, quies tamen confert magis, quàm motus ab initio, declinãte morbo magis motus. Vigiliæ etiam proſunt.

Animi affectiones, quæ iraſcibilem facultatem mouent calorem naturalem excitando iuuant, immoderatè nocent.

Euacuationi ſtudendum eſt, repletioni nequaquam, vbi igitur aluus non fluat irritanda eſt tam clyſteribus acrioribus, quàm ſuppoſitorijs. Affero vobis clyſteris in hunc caſum conuenientis exemplar.

℞. foliorum mercurialis,
Parietariæ,
Bliti,
Maluarum ana manip. j.
Florum roſmarini,
Saluiæ,
Stæchados ana pug. j.
Sem. carthami drach. iij.
Aniſorum,
Cumini ana drach. j.
Agarici albiſſimi in petia inuoluti drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decocti lib. j.
Hieræ logadij,
Diaphœnici ana vnc. ſſ.
Pul. de hiera cum agarico drach. ij.
Fiat clyſter,

Addendo aliquando ſalis gemmæ drach. j.
Olei chamæmeli,
Rutæ ana vnc. j. ſſ.

Pro ſuppoſitorio.

℞. mellis deſpumati vnc. j.
Spec. hieræ,
Trochiſc. alhandal.
Salis gemmæ ana ſcrup. j.
Fiat ſuppoſitum.

Poteſtis per vos parare ſimiles clyſteres ad euacuanda inteſtina tam à fœcibus, quàm à pituitoſa materia in ipſis cõtenta: & hęc de dięta, qua primæ indicationi ſatisfactum eſt, nempe prohibitioni generationis humoris pituitoſi in corpore.

## *DE CVRATIONE PARALYSIS per chirurgiam.*

Altera iudicatio deſumpta à cauſa antecedente eſt humoris geniti euacuatio, quæ fit, vel chirurgia, vel pharmaceutico inſtrumento, & primò

per chirurgiam euacuamus humorem, in corpore genitum, quando adeſt ſanguinis mittendi indicatio cum permittente, licet raro eueniat, vt adſit vtrunque.

Sed dicetis, ſi contingat adeſſe indicans cum ſuis conditionibus, & paralyſis ſit vtriuſque partis corporis, ex quo loco debet mitti ſanguis? Dico rem eſſe difficilem: ſed vbi adeſt minor læſio, ex illa parte mittendus eſt ſanguis. At ſi vna tantũ pars fuerit læſa, mittatur ſanguis ex ſana, ſeruatis regulis à me multoties repetitis.

Cucurbitæ ſunt applicandæ ſemper ad partes ſanas, & oppoſitas reuellendi gratia; ſed re vera parum in hoc caſu valent. Hæc de chirurgico inſtrumento, venio ad pharmaceuticum.

## DE CVRATIONE PARALYSIS per pharmaciam.

NOn poteſt tam citò, neque tam facilè euacuari materia per hoc inſtrumentum, quemadmodum fit chirurgia; oportet enim primùm præparare pituitoſam materiam, ante quàm educatur, cuius præparatio in hoc caſu fiat hoc ſyrupo.

℞. ſyr. de iua,
De bettonica compoſ. ana vnc. j.
Aquarum ſaluiæ,
Bettonicæ ana vnc. ij.
Miſce.

Vel poteritis parare decoctum ad maiorem præparationem ſic.

℞. fol. chamæpytios,
Saluiæ,
Maioranæ ana manip. j.
Sem. fœniculi;
Apij ana drach. j.
Scœnanthos pug. j.
Rad. galangæ,
Irios ana drach. ij.
Fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decoctionis vnc. iiij.
Syr. de ſtœchade compoſ.

A Syr. de maiorana, ana vnc. j.
Fiat ſyrupus pro vno hauſtu: offeratur ſingulo mane, quouſque materia videatur ita præparata, vt educi poſſit, cuius eductio his pilulis tentanda.

℞. pil. de hiera cum agarico.
Fœtidarum ana drach. j.
Trochiſc. alhandal, ſcrup. ſſ.
Fiant pilulæ numero x. & aurentur.

Vel

B ℞. pil. ex euphorbio,
De ſagapeno,
Omnibus offerendæ ſunt ad drach. j.
Pil. de nitro drach. ſſ.
Cum aqua ſaluiæ fiant pilulæ numero x. & aurentur.

Vel purgetur æger hoc bolo.

℞. diaphœnici,
Elect. indi,
Eleſcoph. ana vnc. ſſ.

C Cum ſaccharo fiat bolus. In hac vrbe non purgantur homines niſi validis his doſibus.

In forma potus.

℞. decoctionis prædictæ vnc. iij. infundite,
Agarici trochiſc.
Rhabarb. ana drach. j. facta expreſſione, aut ſine expreſſione diſſolue
Mellis roſ. ſolut.

D Syr. de polypodio ſolut. Magiſtri Auguſtini ana vnc. iij.
Fiat potus breuis. Niſi morbus cedat prædictis purgationibus, repetenda eſt alia, & tandem accedas ad decoctũ ex ligno guaiaco factum, de quo aliàs.

Sub forma boli.

℞. Diacatholici,
Diaturbith.
Hierę diacolocynthidos ana drach. ſſ.

E Miſce cum ſaccharo.
Purgato corpore hiſce præſidijs, aut alijs eaſdem facultates habentibus, iam ſatisfactum eſt illis indicationibus, quæ ab antecedente cauſa deſumuntur.

Deueniendum modò eſt ad coniunctam, quæ in cerebro, ſpinali medullæ, ac neruis continetur, eaque tam internis,

ternis, quàm externis auxilijs euacuanda, ac deriuanda eſt, & ſi fieri poteſt reuellenda.

Ad euacuandos, diſſipandoſque humores in partibus prædictis exiſtentes, ſunt primò, quæ interius aſſumuntur; quorum præſtantiſſimum eſt iſtud,

℞. conſeruæ iuæ,
Saluiæ,
Bettonicæ ana vnc. ſſ.
Diacaſtorei drach. ij.

Et ſi non habeatur diacaſtoreum, accipite tantundem aureæ alexandrinæ, & adiectis quibuſdam guttulis aquæ vitæ, ſeu ardentis componite electuarium, cuius doſis ſit ad drach. j. ſſ. aſſumendas ſingulo veſperi per horam à cœna ſequenti vero die mane offeratis mithridatij veteris optimi ad drach. i. aquæ ſaluiæ vnc. iij. quas æger immediatè ſuperbibat.

Cófectio quoque anacardina in hoc caſu mirificè prodeſt.

Valet & huiuſmodi conditum.

℞. conſ. roſmarini,
Bettonicæ,
Saluiæ ana vnc. j.
Theriacæ opt. drach. j.
Pliris arcotici drach. ij.

Cum ſyrupo bettonicæ fiat electuarium.

Doſis eſto ad drach. j.

Vel fiat hæc tabella.

℞. pul. lumbricorum,
Spec. diagalangæ,
Aromatici roſati ana drach. j.
Sacchari diſſoluti in aqua ligni guaiaci vnc. iiij.

Fiat confectio in tabellis.

Deinde ea, quæ extra applicantur tam capiti, quàm partibus affectis, ſunt embrocæ, vnguenta, linimenta, emplaſtra, ſacculi, dropaces, & id genus mulcta: eſt & ſudatorium.

Embrocationes fiunt ex aquis thermalibus, quarum ſulphur ſit minera, quę ſi haberi non poſſunt, maritimæ valent, in quibus bulliant chamæmelum, anethum, pulegium, chamæpytis, origanum, calamenthum, bettonica, ſtœchas, iua, chamædrys, hyſſopum, hypericum, & id genus.

Alij ſunt, qui accipiunt vulpem integram, & cum prædictis rebus ebulliunt ad embrocationem faciendam. Embrocatione facta ad ſpinam, aut ad latus læſum, aut principium nerui, aut muſculi affecti tota pars inungẽda venit oleo vulpino calido, deinde totum membrũ pelle vulpina induite. Vel componite tale medicamentum.

℞. pul. lumbricorum terreſtrium aqua vitæ priùs lotorum, & exiccatorũ lib. j.
Pul. zingiberis,
Galangæ ana vnc. j.

Cum oleo vulpino, & cera quantum ſufficit, fiat vnguentum.

Sudatoria quoque in hunc vſum valent, ſiue in laconicis, ſiue domibus proprijs, imò in lecto præparatis.

Vnctiones omnes, ac alia localia debent applicari principijs neruorum, non ad digitos læſos, vt faciebant illi medici in Pauſania Sophiſta, qui ex curru ceciderat, & ex ceruicis, & ſcapulæ læſione manus digiti ſenſum amiſerant, & ij inepti medici inungebant digitos, quos admonuit Galenus ad ceruicem, vnde prodeunt nerui, applicanda eſſe medicamenta, ex quorum applicatione ſanitatem æger recuperauit.

Vinacea quoque proficere ſolent, ſi fuerint, vt decet, adminiſtrata.

Omentum caſtrati in oleo vulpino, aut coſtino, aut irino ad ignem calefactum ſolet multum prodeſſe huic affectioni.

Reuellunt autem poſt hæc materiam ad oppoſitas partes cucurbitæ abſque ſectionibus applicatæ, frictiones, ligaturæ, nodi doloroſi, clyſteres, de quibus antea.

Deriuant materiam à capite ad nares, ad palatum, ad os errhina, ſternutatoria, maſticatoria, & huiuſmodi, de quibus multoties hactenus egimus.

Cau-

Cauteria quoque applicata inter pri mam ; & ſecundam vertebram ceruicis; nec non ad brachia, & ad crura valde prodeſſe certum eſt. Non nunquam verò , vbi partes inferiores læſæ ſunt

A paralyſi, ſolent ea fieri ad regionem oſſis ſacri ſuperiorem, inſtrumento quodam ferreo ignito ab Albucaſi propoſito, quo fiunt tria cauteria ſimul, & eodem tempore: & hæc de paralyſi.

# DE STVPORE.

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Deo ſimilis eſt ſtupor paralyſi, vt ſcripſerit Ga .2.de cauſ.ſymp. cap. 2. ipſum eſſe præuiam ad paralyſim diſpoſitioné, & Auicennas dixit ſtuporem confirmatum eſſe paralyſim. Raſis verò lib. 9.ad Alm. poſt caput de paralyſi inſtituit caput de ſtupore, & tremore, ſed adeo conciſè, vt vix poſſit diſtingui vnum ab altero, ob igitur ſimilitudinem, quam habet ſtupor cum paralyſi, decreui poſt caput de paralyſi addere ſtuporém, eiuſque vobis declarare notionem, ac curationem.

A Græcis appellatur hic affectus narcoſis, nos ſtuporem, & torporem cum Latinis vocamus, cuius eſſentia, pars affecta, cauſæ, ſymptomata propria, quibus diſtingui poteſt ab alijs affectionibus, nec nō euentus ſunt in præſenti declarandā.

Quod ad primum ſpectat, eſt eiuſmodi affectio quid præter naturam, ergo, vel morbus, vel cauſa, vel ſymptoma; non morbus, quia eſſet, vel intemperies, vel ſolutio continui, vel mala cōpoſitio, neutrum horum eſt, igitur eſt ſymptoma, ſed non naturalis, aut vitalis facultatis, ergo animalis, non tamē pertinet ad ſenſitiuas internas; nam de ſtupore mentis ſatis ſuo locò diximus.

Relinquitur propterea, quod ſit ſymptoma ſentientis facultatis, aut motricis, vel vtriuſque ſimul; quæ ſit, aut ablata, aut vitioſa, aut diminuta; non primò, quia nullus adeſſet ſenſus, vel motus, quare eſſet paralyſis conſūmata: neque poteſt dici, quod ſit ſenſus, aut motus vitioſus; quia tunc pertineneret ad dolorem; quem diximus eſſe ſymptoma facultatis ſentientis deprauatæ; ambo enim, ideſt dolor, & ſtupor verſantur circa partem ſentientem.

C Sed modus vtriuſque eſt diuerſus; nam in dolore requiritur violenta mutatio à ſuo obiecto; obiectum verò ſtuporis non procedit violenter; ſed ſenſim ſenſim, vnde doloris ſoluendi vim habet; modicus enim torpor non aliter tollit ſenſum partis dolentis, quàm hebetando; Galenus etiam lib.6.epid. cō. 2.comment.5.huius ſententiæ Hippocratis mentionem habuit, cùm igitur

D ſtupor tollat dolorem, non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum dolore.

Sed dicetis Hippocratis ſententiam eſſe 2.aph.46.quod dolor maior extinguit, ſeu obturat ſenſum alterius doloris; nam ex duobus doloribus non vnā partem occupantibus, qui eſt vehemētior, alium minuit, ac aliquando ſoluit.

Dico, quod alia eſt ratio, qua dolor tollitur, & alia quatenus inducitur af-

E fectio quædam, qua natura cogitur non tranſmittere aliquid ad partem minus dolentem, ſed ad magis dolentem, & hoc modo ſoluitur dolor.

Stupor aufert dolorem, quia minor copia ſpirituum animalium ad locū ſtupidū concurrit, vnde ſenſus diminuitur, non ſecus atque contingit, vbi nar-

coti-

cotica medicamenta parti dolenti appli-cantur: ſtupor igitur non eſt reponen-dus in genere doloris, nec eſt ſenſatio triſtis, aut grauis; neque pertinet ad mo-tum deprauatum, quia eſſet, vel con-uulſio, vel tremor, oportet igitur, vt ſit ſymptoma actionis ſenſitiuę diminu-tæ.

Verùm cùm Galenus 1. de cauſis ſympt. 5. repoſuerit torporem in eodē genere cùm paralyſi, ac dixeri differre ſolùm magnitudinis morbi ratione, vel-lens paralyſim longè maius ſymptoma eſſe, quàm ſit ſtupor, & in paralyſi læ-di motum, & ſenſum, erit igitur dicē-dum ſtuporem eſſe ſymptoma & mo-tus, & ſenſus diminuti.

Præterea, vt dictum à nobis fuit capi-te de paralyſi, quemadmodum accidit aliquando ſenſum deperdi, integro ma-nente motu, eo quod nerui deferentes ſenſum lædantur; vt in Pauſania; ita quoque euenit in torpore, qui quando-que eſt cum ſola ſenſus diminutione, membrumque ita ſtupidum reddit, vt quidquid ab eo tangitur, obſcurè, & he-beti ſenſu percipiatur.

At quando omnes nerui læduntur, tunc ſenſus, & motus diminuitur, quo in caſu ſymptoma mixtum eſt ex mor-bo, & facultate; nam morbus vrget, facultas verò reluctatur, & vbi morbus virtutem ſuperat, tunc illa nec corpus, nec partem ſtupore affectam ſuſtinere poterit, at ſi virtus ſuperat, nulla in re laborabit.

Atque vt Galenus inquit, ſi pugna quædam inter morbum, & virtutem ſit, mouebitur quidem membrum ſtupidū, ſed admodum difficulter, & vbi mem-brum extenſum fuerit, illud ſuſtinere non poterit virtus, quia propter fa-cultatis imbecillitatem naturali ponde-re, ac grauitate membrum deorſum præcipitat, quare natura ſtuporis poſi-ta eſt in ſenſus tactus, aut motus, aut v-triuſque, ſed magis in ſenſus diminuti-one. Capite verò de tremore aperiam

vobis, in quo ſtupor differat à tremore, ita vt ſtupor ſit ſymptoma ſenſus, aut motus, vel vtriuſque deprauati.

Sed hoc loci ſtatim exoritur difficul-tas quædam. Galenus lib. 1. de cauſis ſympt. 5. viſus eſt poſuiſſe ſtuporem in-ter ſymptomata diminutæ actionis ſen-ſus, & motus. Ex altera verò parte lib. 2. eiuſdem cap. 2. ſcribit eum eſſe inter motus illos vitioſos, qui à natura, & morbo fiunt, & Auerroes 3. colligēt. 3. apertè ſcribit ſtuporem eſſe ſenſus ta-ctus actionem deprauatam.

Huiuſmodi difficultas nullius eſt mo-menti, quia tam Galenus, quàm Auer-roes nomine vitioſæ, aut deprauatè acti-onis intelligere voluerunt, vt cumque actionem læſam tam vitiosè, quàm di-minutè.

Duplex autem eſt ſtupor, vnus ſen-ſus, alter motus; primus eſt poſitus in diminutione ſenſus, & motus, alter ve-rò motus tantùm.

Itaque ex Galeno dicere poſſumus, ſtu-porem eſſe in triplici differentia, vnus eſt in ſenſu, alter in motu diminuto, & tertius in ſenſus, atque motus d minu-tione.

## DE PARTE AFFECTA in ſtupore.

Quamuis ſtupor ſit diminuta para-lyſis differens, vt dictum eſt, ab ea ſecundùm magis, & mi-nus, determinatumque ſit à nobis ner-uos ſecundùm ſuum canaliculum, ſpi-nalem medullam, atque muſculos mo-uentes, nec non, & cutem, quæ eſt ſu-biectum ſenſus tactus, eſſe partes læſas in paralyſi; non tamen poteſt res tam facilè in ſtupore determinari.

Nam Galeno docente lib. 3. de locis affectis cap. 2. aduerſus Archigenem de-mōſtrat alias partes eſſe in corpore, quę ſentiunt præter neruos, non igitur, vt Archigenes dicebat, ſoli nerui ſunt par-tes læſæ in ſtupore, quia adſunt arteriæ, ve-

venæ, membranæ, cutis, caro, in quibus omnibus poteſt reperiri ſtupor.

Et licet aliquando ſit neruorum paſſio, non tamen ſemper, quia poteſt eſſe aliarum partium omnium, quæ aptæ natæ ſunt recipere affluxum à cerebro per neruos, quamuis deinde cùm ſtupor conſideretur reſpectu ſenſus, non ſemper id contingat ratione nerui, ſed aliarum quoque partium pro diuerſitate cauſarum, à quibus inducitur ſtupor.

Verùm ſi contingat ſtupor ratione motus, ſemper eſt neruorum affectio, & muſculorum, quamuis videatur difficultas; nam in piſcatore ſtupor erat in ſphinctere abſque neruorum læſione: & hæc de parte affecta in ſtupore.

## DE MORBO, QVEM SEquitur ſtupor.

Stuporem eſſe ſymptoma actionum vitiatarum ſatis oſtenſum eſt: oportet modò inuenire morbum, quem ipſe ſequitur, qui non ſecus atque in paralyſi eſſe poteſt ſolutio continui, vel luxatio oſſis alicuius, vel intemperies, vel mala compoſitio.

Sed huiuſmodi morbi ſunt longè minores, quàm ſint in paralyſi; quæuis enim luxatio, vel vertebræ, aut alicuius oſſis à ſuo loco poteſt facere ſtuporem in parte, quemadmodum & tumor aliquis, ſiue inflammatio ſit, ſiue ſcirrhus, aut alterius ſpeciei, poteſt comprimendo ſtuporem facere.

Videmus ſæpè lapillum à renibus per vreteres deorſum deſcendentem inducere ſtuporem in crus, & pedem eiuſdē lateris, idque nulla alia ratione id facit, niſi comprimendo, non venas ſubiectas, ſed neruulos quoſdam, qui à ſpinali medulla per vertebras ſuperiores oſſis ſacri prodeunt, ac deorſum cum alijs ad fœmur, tibiam, & pedem diſtribuuntur, quos lapillus in vretere (qui hos neruos æquitat) comprimit, facitque, vt facultas ſentiendi impedita ſit, quo minus feratur in crus, & pedem.

Hic morbus eſt in numero adaucto, & ſitu partium mutato. Obſtructio, quæ eſt morbus in compoſitione in neruis facta, impedimento eſt, ne facultas ſenſitiua ad partes ſuas diſtribuatur. Tandē eſt intemperies frigida, quæ ſiue neruum condenſando, ſiue ſpiritum incraſſando lædit ipſam facultatem. Eadem quoque frigida intemperies cutem ipsā adeo infrigidat, vt inepta ad impreſſionem recipiendam reddatur.

Sed antequam cauſas prædictorum morborum attingamus, nonnulla ſunt de medio tollenda, quæ difficultatem poſſunt facere.

Primùm eſt, cur in ſtupore partes externæ primò, & magis afficiantur?

Secūdò, cur membra ſtupore affecta grauia ſint, & ponderoſiora?

Tertiò, qua ratione ſæpè ſtuporem, & paralyſim præcedit in partibus formicatio quædam?

Huiuſmodi inquiſitiones minoris momenti ſunt in eſſentia, quàm appareant; & primò partes extremæ tā pedes, quā manus longè abſunt à viſceribus, & à corde, quod eſt caloris principium, inde veluti à calore influente, & ſpiritibus deſtitutæ, nec non proprio, & innato, calore depauperatæ, facilè à cauſis externis læſionem recipiunt. Ad crura itaque, & ad pedes humores craſſi, & frigidi deſcendunt frigiditatem augentes.

Ad ſecundum reſpondetur, id euenire ob facultatis motricis languiditatem, quæ ſi valida eſſet, membra non grauia, ſed leuia viderentur, & ad motum expedita.

Ad poſtremum quæſitum aliqui reſpondent hoc euenire flatuum ratione, qui tempore ſtuporis ſpirituū loco ſuccedunt; vbi verò ſpiritus ad loca ſtupefacta redire tentant, fit inter flatus, & ſpiritus alteratio, & conflictus, à quo producitur huiuſmodi formicatio.

Sed non video, quomodo loco ſpirituum

rituum in ſtupore, aut paralyſi ſuccede-
re ſoleant flatus, qui deinde pugnent
cum ſpiritibus tentantibus ad ſuos ner-
uos redire, quia ſi hoc eſſet verum,for
micatio eueniret in ipſo ſtupore, nempe
medio eo tempore, quo facultas vi-
cta eſt à morbifica cauſa; nam ſpiritus
ad ſuum principium ſe ſe contrahunt,
quorū loco ſuccedere deberent flatus,
aut eius fine, eo tempore ſcilicet, quo
natura vincit,ſpirituſque quaſi uincen-
tes flatus protruderent, & ex hoc motu
fieret formicatio.

Sed huiuſmodi formicatio ſæpè per-
cipitur in cruribus, fœmoribus, atque
pedibus, ac ipſorum digitis, nec non in
manibus, ac earum digitis abſque ſtupo
re, aut alia neruorum affectione, quod
experientia obſeruatur in equitantibus
longo tempore, aut in ijs, qui diu in ali-
quo loco incommodè ſedent, qui
vbi ab equitatione, aut ſeſſione ceſſant,
per aliquod temporis ſpatium per-
cipiunt illam formicationem, & mole-
ſtam quidem.

Vnde venio in hanc ſententiam, vt
exiſtimem formicationem eſſe affectio-
nem quandam leuem partium neruo-
ſarum ortum ducentem à cauſa interna,
aut externa,magis tamen ab externa,vt
à compreſſione neruorum, & ſtricta de-
ligatura, vnde facultas motrix, aut ſen-
ſitiua impediatur, vbi verò ablata eſt il-
la cauſa, quæ impediebat affluxum ſpi-
rituum, ſpiritus animales ad ſua lo-
ca redeunt affatim, ac nerui non poten-
tes ferre ob facultatis languiditatem,
ſpirituum commotionem, tremendo
ſuam operationem repetunt, non ſecus
atque contingit in ventriculi ciborum
amplexu, qui cùm languidus ſit,tremē-
do ſe ad cibum amplexandum accingit.

Quare formicatio eſt neruorum affe-
ctio, ſed admodum mitis, ſi à cauſa ex-
terna proueniat; verùm ſi à cauſa inter-
na, eſt præuia diſpoſitio ad aliquam pra
uam affectionem, ſi præſertim diu du-
ret. Sed vnde digreſſus ſum, eò rediēs,
dico ſtuporem tot morbos ſequi, ac fa-
ciat paralyſis, ſed longè minores,& qui
à cauſis benignioribus proueniunt, de
quibus agendum proponimus.

## DE CAVSIS STVPORIS.

CVm dictum ſit morbos eoſdem eſ-
ſe, ad quos ſtupor ſequi ſolet, at-
que ſunt illi, qui paralyſim faciunt, eæ-
dem quoque ſunt cauſæ inter ſe ſecun-
dùm magis, & minus differentes, ſunt
tamen, & harum aliquæ internæ, ali-
quæ externæ.

Inter cauſas internas ſunt humores,
qui vel inducunt intemperiem tantùm
frigidam, vel in neruis obſtructionem,
vel tumorem aliquem, ſiue ſit inflam-
matio, aut ſcirrhus; ſi inducunt intem-
periem frigidam cum obſtructione, aut
abſque illa non poſſunt eſſe niſi humo-
res pituitoſi, qui cum vt plurimum ſtu-
porem faciant, de horum generatione
in corpore, & ſuis cauſis agendum tā
tummodò eſt.

Ex his aer tanquam vniuerſalior
occurrit, qui ſemper frigidus, & hu-
midus eſt, ſiue contingat ratione regi-
onis, aut conſtitutionis præſentis, aut
anni temporis; deinde alimenta, quæ
craſſa ſunt, & frigida; tum potus aquæ
intempeſtiuus multus, & inordinatus,
quamuis crapulæ frequētes,& conuiuia
colligant humores hoſce in corpore; ni-
mius, & profundior ſomnus, vita oti-
oſa, exercitium intermiſſum, animi im
moderatæ affectiones, & frequentes,
quæ calorem corporis extinguunt.

Excreta retenta concurrunt ad hos
humores generandos, naturalis corpo-
ris habitus, complexio quoque ad fri-
gidum, & humidum, ætas declinans:
& iſtæ ſunt cauſæ producentes humo-
res, à quibus fieri ſolet ſtupor, quæ ne-
ceſſariò nobis occurrunt.

Sunt, & aliæ ſtuporem facientes,quæ
non neceſſariò, ſed caſu, & fortuito in-
cidunt, quemadmodum ſunt contactus

corporis frigidi,ſiue ſit ſeſſio ſuper marmore aliquo frigido, ſiue ſuper glacie; autniue, aut etiam ambulatio, aut longa mora in eis, à quibus excitatur frigida, & humida intemperies. Ita enim Galenus ſtatuit ſtuporem fieri à frigida, & humida intemperie,lib.2. de locis affectis cap.2.

Auerroes verò 3.collig.cap. 31. nititur probare fieri à ſicca intemperie, ſenum exemplo, qui torpidi ſunt; illi enim tales ſunt propter ſiccitatem; ſed quamuis ſenes ſint ſicci,non tamen ratione ſiccitatis torpor contingit; longè enim ſunt frigidiores; eò quòd calor naturalis eorum extinctus ſit, hinc Plutarchus 1. ſympoſiac. cap.7.dicebat, ſenes ipſos adeo habetes habere ſenſus,vt non poſſint niſi qualitates excedentes iudicare.

Occurrunt præter dictas aliæ, quę comprimendo, & arctando procedunt, vt contactus corporis duri, & comprimentis: vincula quoque, & ligaturæ id faciunt: ſunt & caſus ab alto, aut percuſſiones luxationem facientes, à quibus fit neruorum compreſſio, & arctatio.

Sunt denique vulnera, ſeu ſolutiones continui, quibus ſectio neruorum ſuccedit, per quos non amplius fluunt ſpiritus in ſuas partes: & iſtæ ſunt cauſæ omnes tam internæ, quàm externæ ſtuporis: relinquo torpedinem, de qua capite de paralyſi.

## DE SIGNIS STVPORIS.

Signorum alia ſunt, quæ futurum ſtuporem indicant, alia præſenté eſſe demonſtrant, & alia ſunt,quæ cauſas, à quibus fit ſtupor, nobis inſinuant.

Priora ſunt, quæ partim præteriere, partim ſunt præſentia: præteriere victus ratio immoderata, quæ potuit & caput, ac neruoſum genus debilitare, ac refrigerare, dolor capitis grauatiuus, aurium tinnitus, catarrhus craſſus, &

A frigidus. Præſentia ſunt totius corporis, ad motum, & ſenſum ineptitudo quædam, ac tarditas, quibus ſignis poteritis præuidere periculum futuri ſtuporis.

Præſentem verò demonſtrant, in primis, quòd æger non ſentit exquiſita illa ſenſatione, qua anteà,vel vix, & cum difficultate,cũ priùs abſque aliqua defatigatione,imò cũ agilitate moueret mẽbrum aliquod; quod vbi elatum fuerit,

B non poteſt illud ſuſtinere, ſed deorſum ſubitò ruit,ſua grauitate tantùm ad inferiora ductum, his igitur medicus in cognitionem venit modò ſenſus, modò motus diminuti; quæ etiam ab ægrotante ipſo talia eſſe intelliget.

Signa verò cauſarum internarum, quæ diximus facere in neruis obſtructionem; periuntur à victus regimine ſeruato in ſex rebus naturalibus neceſſarijs,

C vt ab aeris frigiditate, & humiditate,in quo æger vixit; alimenta fuerunt craſſa, & frigida, vt piſces, carnes craſſæ, & alia id genus; multus aquæ potus.

Ad hæc præceſſerunt crapulæ, conuiuia, fuit longus ſomnus otium longũ, intermiſſumque exercitium, animi immoderatæ, & frequentes paſſiones; retenta fuerunt ea, quæ ſolebant expurgari quotidie tam per loca à natura,

D quàm ab arte facta, vt ſunt cauteria.

Inſuper habitus corporis pituitoſus eſt,complexio ad frigidum, & humidũ vergit, facies ad albedinem tendit; in ore ſapor inſipidus, quotidie exaſperatur ſtupor, magis in media nocte, quàm in alijs temporibus; iuuatur à calefacientibus medicamentis, & ab his, quæ deobſtruendi facultatem habent, nec

E non ab educentibus pituitam;à contrarijs nocentur; & hæc ſunt,quibus cauſæ internæ obſtruentes neruos cognoſcũtur.

Tumores verò comprimentes ſenſu ipſo dignoſcuntur,qui poſtea diſtinguẽdi veniunt ratione.

At cauſæ ortum ducentes à rebus nõ neceſſariò euenientibus, vt luxationes,

vul-

vulnera, & id genus ab ipſiuſmet ægrotantis relatione colligi facilè poſſunt.

### DE FVTVRO EVENTV ſtuporis.

AVdiuiſtis multoties in alijs ſupra declaratis affectionibus opus eſſe ſemper comparare robur virium, nẽpe naturalis, ac vitalis cum magnitudine læſionis in animalibus factis. Magnitudo autem affectionis deſumitur à ſymptomatum tam præſentium, quàm ſuperuenientium vehementia, ac multitudine, & à cauſis ipſis.

Robur verò virium deſumitur à facili tolerantia ægrotantis, à facilitate aſſumendi ea, quæ offeruntur pro ſuo alimento, à medicamentis iuuantibus, quæ multum iuuent, vbi ſoleant parum iuuare.

Nam ſi ſtupor in iuuene euenit, vitali, & naturali virtute benè ſe habente, animali non admodùm læſa à cauſa procatarctica, & leui, vt ex contactu rei alicuius frigidæ, nullùmque ſuccedat ſymptoma prauum, beneque affectionem toleret, rectè ad oblata ſe habens, medicamentiſque benè iuuãtibus, prædicendus eſt bonus euentus, nempe ſanitas.

At ſi ætatis declinantis viro, habitus pituitoſi, & frigidæ complexionis accidat ſtupor, à cauſa interna, nempe pituita, qui vſus fuerit mala victus ratione, vehementſque ſit ſtupor tam ſenſus, quã motus ratione, idque contingat cum virium robore, terminabitur ſtupor ad paralyſim, ſi potiſſimùm à medicamentis, quæ multum iuuare ſolent, non iuuetur: at ſi eueniat abſque virium robore, prædicendus eſt omninò prauus, hoc eſt mors.

Rurſus ſi euenerit ratione, vel vertebræ luxatæ, vel vulneris tranſuerſim nervos ſecantis, euentus non eſt malus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, niſi contingat vertebras plures à ſuo loco excidiſſe; tunc enim deplorata res eſt.

Tandem ſtupor aliquis ſi ratione ſcirrhi partem comprimentis euenerit, remanet incurabilis; at ſi contigerit ratione inflammationis, aut alterius tumoris, poterit curari.

### DE CVRATIONE STVPORIS

CVratio huius affectionis non multum euariat à paralyſis curatione; indicationes enim eædem prorſus ſunt, quæ à cauſa, & à morbo deſumũtur, licet ſymptoma non vrgeat.

Cauſa igitur conſideranda, quæ vel externa, aut interna eſt; ſi externa, vel ipſa facit ſtuporem, ita vt in corpore remanſerit, vel iam abierit, impreſſionem aliquam reliquens, vel ad humoris facientis ſtuporem concurrit; ſi igitur fuerit externa, vt luxatio vertebrarum, vel vulnus, opus eſt, vt luxationẽ, vel vulnus curemus. Itidem ſi tumor aliquis fuerit comprimens, auferendus venit ſuis auxilijs, de quibus in præſenti non agimus, ſed amplectimur illam, cauſam, quæ obſtruẽndo neruos produ cit ſtuporem, quam diximus eſſe pituitam.

Quæ vel habet rationem cauſæ antecedentis, vel coniunctæ; ſi primo modo auferenda eſt, ne augeatur ſtupor, qui non augebitur, ſi humoris, qui cõtinuò generatur, inhibeatur generatio, ille verò, qui iam genitus eſt, non feratur ad partem ſtupore affectam; ille qui iam in parte affecta reperitur, vel ad oppoſita reuellatur, aut per propinquiora euacuetur.

Primæ indicationi ſatisfaciemus per rectum vſum diætæ; ſecundæ indicationi ſatisfacere quoque poterimus, tam per inſtrumentum chirurgicum, quàm per pharmaceuticum; ſi ambo, vel vnum ex ipſis à cauſa indicabitur, & hoc modo cauſæ antecedenti occurrimus ea prorſus ratione, qua diximus curandam eſſe paralyſim.

Cauſa autem coniuncta ad oppoſitas retrahitur per frictiones, & cucurbitas; per cauteria ad partes propinquas deriuabitur ijſdem auxilijs localibus, de quibus ſatis dictum fuit cap. de paralyſi, & inter alia eſt oleum vulpinum, quo A calido totum membrum ſtupore affectum inungatur, cui aquæ vitæ modicũ ad penetrationem admixtum fuerit, deinde totum induatur membrum pelle vulpina, & calidum ſeruetur: & hæc de cognitione, & curatione ſtuporis.

# DE TREMORE.

## CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SVnt affectiones numero tres præter naturã, quæ apparenter ſimiles ad ſenſum eſſe videntur; & inter ſe conuenire; vt eſt rigor, palpitatio, & tremor; de quorum conuenientia, & differentia ſatis dilucidè egit Galenus tum 2. de cauſis ſymptomatum 2. tum lib. de rigore, tremore, & palpitatione cap. 2. & 4.

De rigore dum ſermo erit de febribus intermittentibus, præſertim cap. de tertiana, quantum res ipſa poſtulabit, tractabimus. De palpitatione verò ſermo erit nobis in tractatu de morbis thoracis. In preſenti ſuſcipimus tractatum de tremore, qui in primis eſt in duplici differentia.

Vnus eſt morboſus, qui morboſam aliquam cauſam ſequitur; alter verò minimè morboſus, qui procedit ex animi affectionibus, quod à Galeno habetur 1. in 3. epid. 2. & 4. præſertim à timore, & gaudio, & vt Auicennas fen. 2. lib. 3. tract. 3. cap. 11. eſt author à ſolicitudinibus, anguſtijs, & huiuſmodi alijs animi perturbationibus.

Fit etiam ex magno frigore, magno conatu in geſtatione rei magni ponderis, & huiuſmodi; hoc relicto, tremorem morboſum amplectimur declarandum.

Cuius diſceptationem diuidemus in duas partes, non ſecus atque in declaratione aliorum morborum hactenus fecimus, in prima ea examinabimus, quæ ad ipſius notionem faciunt, in ſecunda, quæ ad curationem ſpectant.

Quod ad cognitionem attinet, præſentia ante omnia nobis cognoſcenda ſunt, & inter ea primò idæa, & natura C tremoris, ad cuius inuentionem oportet præ cæteris notionalem eius rationem habere. A Græcis appellatur τρόμος: alij omnes tremorẽ vocant. Habito nomine ſequitur eſſentia, & natura indaganda, quæ vt inueniatur, paulò altiùs, & per notiora nobis progrediendum eſt.

Nam certiſſimum eſt tremorem, de quo agere inſtituimus, non eſſe D quid ſecundùm naturam, ergo ſequitur, quod ſit præter naturam; igitur erit, vel morbus, vel cauſa morbi, vel ſymptoma. Euidens eſt non eſſe morbum, nec cauſam, & licet Auicennas fen. 2. lib. 3. tract. cap. 11. definiens tremorem dicat eſſe morbum, accepit iſtud nomen latiſſimo quodam vocabulo, intelligens diſpoſitionem præter naturam, quæ diſpoſitio præternaturalis E à Galeno etiam appellatur ſymptoma in genere.

Quamuis idem Auicennas fen. 2. lib. primi, vbi tractat de accidentibus ſignificantibus morbum, inquit, quæ accidentia ſumuntur à motu, ſunt ſicut horripilatio, tremor, palpitatio, & ſternutatio, id quod dilucidiſſimè, & clariſſimè de-

declarat Galenus lib.2. de cauſ. ſympt. cap. 1. ita vt propriè loquendo tam ex Galeno, quàm ex Auicenna, tremor reponi debeat inter ſymptomata, non qualitatis, aut excrementi mutati, ſed actionis animalis, non hegemonicarum, ſed vel ſenſus, vel motus, vel vtriuſque.

Galenus paſſim tremorem eſſe ſymptoma facultatis motricis arbitrariæ deprauatę ſcriptum reliquit, quod tamen à Latinis, & recentioribus non videtur vndequaque probari, quia dicunt motum deorſum fieri à grauitate ſola, non igitur à facultate læſa, & hoc modo non eſt ſymptoma facultatis ad libitum mouentis.

Atqui ſi conſideretur motus facultatis attollentis, nullo modo poterit dici ſymptoma huius facultatis, eò quòd pro lege, & nutu ipſius mouet: ſymptoma eſſet dicendum, ſi vel imperante facultate nullo modo fieret, aut fieret quidem, ſed alio modo, quàm requiritur fieri, vt in conuulſione fiente.

Difficultas hæc proponitur à Iacchino lib.9. ad Alm. cap. 12. & à Rudio lib. 2. curand. morbor. capit. 18. qui addunt aliam difficultatem, quia dicunt virtutem motricem læſam eſſe quidē, ſed diminutè, quam Galenus exiſtimauit eſſe deprauatam. Moueri videntur ex eo, quod Auicennas, vbi de tremore loquutus eſt, dixit, quod tremor eſt nocumentum in virtute motiua, qualis eſt ſtupor in facultate ſenſitiua, quare inferatis vos, quod vt ſtupor eſt nocumentum in facultate ſenſitiua, ita eſt tremor in motiua, ſed in illo eſt diminuta actio, ergo in hoc erit diminuta actio facultatis mouentis.

Sed puto ſtatuendum eſſe ſymptoma tam in actione motiua diminuta, quàm in deprauata: in diminuta quidē ratione intenſionis, & extenſionis; intenſionis ratione, quia membrum tremore affectum non mouetur ea agilitate, & voluntate, & facilitate, vt antea, quando erat ſanum; deinde extenſiuè, quia

A vnica vice non poteſt tantum ſpatium permeare, vt in ſanitate. Eſt verò ſymptoma deprauatæ facultatis, quia illa non mouet continuatim, vt ſolebat, ſed cogitur vices repetere, quia à grauitate membri vincitur. Hac ſtante determinatione dico, quod vbi dicebatur grauitatem eſſe cauſam mouentem, aut inſtrumentum naturale, & proinde non pertinere ad facultatis læſionem, gra-

B uitas conſideratur duobus modis, vel vt eſt in corpore carente anima, vel in animali.

Primo modo grauitas dicitur deorsū mouere ſecundùm naturam, ſiue conſideretur, vt cauſa efficiens motus deorſum, ſiue vt inſtrumentum.

Si ſecundo modo conſideretur, quoties cogit membrum deorſum cadere, dicitur eſſe præter naturam, quia non

C regulatur à facultate motrice; ſub eius enim imperio debet ſemper manere, & vbi exit ab arbitrio facultatis mouentis, dicitur præter naturam, vt in motu tremulo.

Falſum autem eſt, quod facultas in tremore moueat arbitrio ſuo membrum graue, quia cum languida ſit, non poteſt id ſurſum trahere, ac propterea vim patitur à grauitate ipſius membri.

D Concludimus igitur motum à grauitate factum eſſe de natura ipſius tremoris intrinſecè, atque adeo eſſe ſymptoma actionis motricis voluntariæ tā deprauatæ, quàm diminutæ, vt intelligitis.

### DE PARTE AFFECTA in tremore.

E His de natura præſentis affectus cōſtitutis iam quænam pars primariò læſa ſit, à nobis inueniēda eſt, de qua apud Galenum videtur eſſe diuerſitas quædam; nam 2. de cauſis ſympt. 2. determinat non eſſe aliam præter eā, à qua motus celebratur, eſt autē, ipſo docente, vel neruus, vel muſculus, vel vterq;

Ex

Ex altera verò parte videtur velle
non eſſe opus parte læſa; nam cùm mo-
tus fiat à duplici principio, nempe à fa-
cultate, & inſtrumentis, fieri poteſt, vt
fiat tremulus motus ſola facultate læſa,
inſtrumentis illæſis, non igitur eſt ne-
ceſſe partem affectam deſignare.

Legatis Galenum lib. de tremore, &
& palpitatione cap. 5. vbi videbitis ipsũ
vti exemplo deſumpto à tibijs, & cytha-
ra, quarum ſonus abſque earum læſione
ceſſare poteſt, quare poteſt dari tre-
mor ſine inſtrumenti læſione.

Sed aliud eſt loqui de tremore non
morboſo, in quo nec muſculus, nec ner-
uus læditur, ſed tantùm facultas, quod
in valdè timentibus ſæpè conſpicitur:
& aliud de tremore morboſo, in quo
idem Galenus aſſignat partem læſam eſ-
ſe neruum, & muſculum, nec poſſibile
eſſe dari morbum particularem abſque
partis læſione, non autem arteriarum,
vt imaginabatur Praxagoras.

## QVIS SIT MORBVS, QVEM *ſequitur tremor.*

DEterminata forma, & idæa tre-
moris morboſi, eiuſque parte
affecta opus eſt nunc inuenire morbum,
quem tale ſymptoma ſequi ſit neceſſa-
rium, quod ſi attentius ſpeculemur, vi-
debimus eum non vnicum tantùm eſſe,
ſed quidquid facultatem lædere po-
teſt, videlicet animalem virtutem debi
lem reddere, inter quos reponitur à Ga
leno pluribus in locis animi affectus, vt
timor ex aſpectu rei terribilis, aut aliud
pathema.

Verùm cùm dictum ſit Gal. tam de
non morboſo, quàm de morboſo tremo
re loqui, vbi tamen diſtinctius tractat
de morboſo, vt 2. de cauſis ſymptoma-
tum 2. morbum determinat eſſe malam
compoſitionem, videlicet obſtructionẽ
in neruis, deinde & intemperiem frigi-
dam, & humidam.

Auicennas præter has cauſas addit
A ſiccitatem, quæ quamuis rarò contin-
gat producere tremorem, fieri tamen
id poteſt propter debilitatem, quam in-
ducit in membro ipſa ſiccitas, vnde ſub-
ſequitur tremor.

Sed vera cauſa eſt obſtructio, non
ſimpliciter, ſed talis, & tanta pro reti-
nendis ſpiritibus animalibus, ne ad par-
tes fluant, ad quas ire ſunt deſtinati.

Sed antequam cauſas adducamus, vi
B ſum eſt de medio tollere non ſpernendã
difficultatem, an tremor partibus eue-
nire poſſit, otiante facultate motrice;
an verò ad ipſum inducẽdum opus ſit,
vt pars mota voluntariè, primò moue-
atur, ex quo detegatur tremor? Tota
difficultas in eo poſita eſt, vt cognoſca-
mus, quomodo intelligendum ſit, quie-
ſcente, aut capite, aut manu, aut cru-
re, tremorem nihilominus fieri.

C Pro qua re determinanda ſcire ex-
pedit triplicem dari in partibus volun-
tariè mouentibus quietem, vel vt loqui-
tur Galenus immobilitatẽ; vna eſt, quæ
à ſolo morbo pendet, quaſi obligata,
aut ab eo ligata naturæ, ſeu animæ po-
tentiæ, vt in paralyſi, aut conuulſione
iam facta.

Altera verò quies fit à ſola facultate
animali, vt in tonica diſpoſitione; eſt
D autem diſpoſitio hæc tonica, quando
muſculi omnes oppoſiti operantur.

Tertia quies, aut immobilitas à neu-
tra harum cauſarum fit, vt quando quis
caput ſuum deponit ſupra ceruical, aut
brachium ponit ſupra menſam, vt quie-
ſcere poſſit, tunc huiuſmodi quies ne-
que à facultate, neque à morbo fit, ſed
à grauitate membri.

Cum tot ſint quietis differentiæ à Ga
E leno propoſitæ, quando ab eodem di-
citur quieſcente membro tremorem cõ
tingere, intelligendus ipſe eſt de
illa quiete tonica, in qua muſculi op-
poſiti agant, & ità poteſt euenire tre-
mor quieſcente membro; in duabus ve
rò illis nunquam poteſt contingere, non
in prima, quia à morbo ſuperata eſt fa-
cul-

cultas, vnde neque hoc,neque alio motu membrorum moueri poteſt.

Nec minus in tertia, quia tantum abeſt, vt poſſit fieri tremor, vt potiùs huiuſmodi quies ſit tremori remedium, in qua quiete datur tantùm actus mouendi priuatio. Vbi quiſpiam ad hunc modum reponit brachium, quando ipſum voluerit ſubleuare, & ad aliquod opus reducere, vel brachium robuſtũ, vel languidum eſt, ſi primò modo, tunc abſque tremore ipſum ſubleuabit: ſi ſecundò modo,cum tremore, quare tremor non eſt motus voluntarius, ſed nõ poteſt fieri niſi cum motu voluntario.

## DE CAVSIS TREMORIS.

Cauſæ tremoris ſunt in duplici differentia,aliæ quæ dicuntur internæ, aliæ externæ; internarum aliæ ſunt immediatæ, aliæ verò mediatæ.

Immediata, & proxima cauſa, vt ab ipſa exordiamur, nihil aliud eſſe poteſt, quàm humor craſſus, pituitoſus præſertim: fieri etiam poteſt, vt ſit melancholicus.

Mediata porrò cauſa interna eſt eadẽ pituita in corporis habitu,& in capite collecta: his cauſis addere poteſtis, & diſpoſitiones gignendi huius humoris, quæ ab habitu corporis pituitoſo,à complexione frigida, & humida, & ab ætate iam declinante deſumi conſueuerũt.

Externæ autẽ ſunt,quæcũque nobis ſubminiſtrat inſtrumentum diæteticum. Aer enim inter cauſas externas à diæta deſumptas primas partes facilè obtinet, qui in hoc caſu frigidus, & humidus eſt, ſiue ratione anni temporis, ſiue præſentis conſtitutionis, aut regionis.

Alimenta, quæ craſſarum, & frigidarum ſunt partium, longuſque ipſorum vſus humores pituitoſos gignunt; vel etiam alimenta boni ſucci, ſed largiùs aſſumpta,quàm natura ferre poſſit, aut ventriculus elaborare; tunc enim conuertuntur in excrementa, & prædictos

A faciunt humores.

Nimiæ quoque crapulæ, nimiæ compotationes, vini potiſſimùm generoſi; nimius, & frequens aquæ potus: hæc contraria quamuis ſint,faciunt eundem effectum, nempe tremorem; ſed vt aliàs dictum fuit, alia, & alia ratione.

Nimium otium, nimius ſomnus, immoderata quoque animi pathemata, excreta retenta, ſunt cauſæ externæ ne B ceſſariò nobis occurrentes,à quibus tremor excitari conſueuit.

Non naturales verò, non neceſſariò occurrentes faciunt & ipſæ tremorem, ſed non morboſum, vt eſt vehemens timor, aut aſpectus rei cuiuſdam terribilis, vel aliud huiuſmodi.

## DE SIGNIS TREMORIS.

C Signa alia tremorem demonſtrant præſentem; alia verò ipſius cauſas deſignant, & quamuis tremor omnibus pateat, eſt tamen tremor quidam diſſimulatus, atque fictus,vt apparet in quibuſdam cupientibus hac arte per eleemoſynam extorquere pecunias, quos videtis brachia mouere motu tremulo, qui non eſt verus.

D Vt autẽ poſſitis diſſimulatum tremorem à vero cognoſcere, ſcitote, quod qui verum tremorem patiuntur,neque-unt membrum ſuſtinere,niſi illud deponant ſuper aliquod ſolidum,ita vt quieſcat totum; at non verus tremor ad libitum quieſcere facilè poteſt.

Signa cauſarum facilè quoque habẽtur, & primò à rebus naturalibus, ab ætate declinante, habitu pituitoſo, intẽ-E perie frigida, & humida totius corporis.

A rebus quoque non naturalibus; nã præceſſit aer frigidus, & humidus, aut æger vitam ſuam tranſegit in regione frigida, & humida; cibis craſſioribus,& multis eſt vſus, ſæpè in compotationibus,aut in conuiuijs fuit,multam aquã, & frequenter potauit, otioſam vitam

ae-

degit; ſomnos longos, & profundos habuit.

Præceſſerunt immoderatæ animi affectiones, ac vehementes.

Excrementa, quæ ſolebant corpus ab humore pituitoſo purgaré, retenta ſunt; aluus adſtricta; aſſueta exercitia relicta, facies, & totum corpus ad albedinem mutatum eſt; ſapor in ore inſipidus ſentitur perpetuò; excretaque per ſeceſſum exeuntia pituitoſa ſunt, & alba.

Vrinæ tenues, albæ, & vt plurimùm ſpumoſæ; affectio magis exaſperatur media nocte, quàm reliquis diei, ac noctis partibus;

Iuuãtur ægrotantes à medicamentis calefacientibus, & educentibus pituitã, nocentur à contrarijs.

Tandem præceſſerunt aliquæ ægritudines, tam cerebrum, quàm neruos afficientes; hoc enim modo diſcurrentes circa res tam naturales, quàm non naturales, & præter naturam, colligere facilè poteritis cauſas tremorem facientes: hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV *Tremoris.*

Ad euentum futurum alicuius morbi rectè prædicendum, multa ſunt reſpicienda; nam in hoc caſu quamuis tremor ex ſe non ſit læthalis, poteſt tamen futuræ, & proximæ mortis eſſe prænuncius, vbi in aliquo ægro adfuerit ſumma virium languiditas cum magna neruoſarum partium affectione.

Opus igitur eſt tremoris vehementiã comparare cum virium robore; deinde cauſam explorare, à qua fuerit productus; tertiò ætatem perpendere illius, qui ipſum patitur; quartò tolerantiam facilem, aut difficilem; quintò iuuaméta à medicamentis prodeuntia explorare; tandem quo modo is ſe habeat ad omnia, quæ ſibi offeruntur.

Nam ſi vehemens ſit capitis, aut aliarum partium, vel totius corporis tremor, in ætate decrepita, aut ſenili, qui cũ difficultate maxima ipſum ferat, medicamentaque, quæ ſolent multum iuuare, parum, aut nihil iuuent, nec bené ſe habeat ad ea, quæ ſibi offeruntur, virtute admodum inualida exiſtente, nullus ſanę mentis poterit vnquam bonum euẽtũ prædicere, ſed vel ad mortem breui terminaturum, vel ſaltem inſanabilem reddi.

E contrà verò, ſi contigerit tremoré exiguum eſſe, recentem, à cauſa externa ortum ducere, in ætate mediocri exiſtente, qui non admodum ſentiat læſionem, hoc eſt facilè tremorem toleret, atque benè ſeſe ad oblata habeat, medicamentaque multum iuuent, procul dubio ſalus venit prædicenda.

Tempus autem ſemper longum eſt, niſi in extrema viriũ debilitate. Modus ſolutionis potiùs ad artem, quàm ad naturam ſpectare videtur, quæ ſuis auxilijs ordinata fuerit, de quibus in ſequenti.

## DE CVRATIONE TREMORIS *in comuni.*

Indicationes deſumi debent à morbo, & à ſuis cauſis, morbus itaque auferendus eſt, quo ablato corroborandum eſt neruoſum genus, ſed neque morbũ auferre poſſumus, niſi priùs ablata fuerit cauſa, quemadmodum nec debent corroborari partes affectæ, niſi ablatus fuerit morbus. Cauſa erat antecedens, & coniuncta, quæ auferri debẽt hoc ordine.

Pimò antecedens eſt euacuanda; deinde coniuncta reuellenda, deriuandaque ad propinquiores partes, & tandé localibus euacuanda. His indicationibus non poſſumus ſatisfacere, niſi inſtrumentis medicis, nempe vel diæta, vel pharmacia, aut chirurgia, vel omnibus ſimul, & primò quidem de auxilijs à diæta acceptis eſt tractandum, quæ

que potiſſimùm humorem peccantem, euacuant,inhibent eius generationem.

Interea, quæ inhibent, eſt aer calidus, atque ſiccus, qui confert etiam, ad humoris fluxi, & imbibiti in parte reſolutionem, nec non opem fert, ne generetur talis humor, aut ſaltem non tam copiosè.

Sed quia in reliquis auxilijs, quæ à diæta deſumi debent, eadem proriſus eſt natura, & qualitas medicamentoſa, qualis conueni epilepſiæ, atque ſtupori, dicam tantummodò, quæ euitanda ſunt in hoc caſu, quæ ſunt crapulæ, frequentes compotationes, vſuſque aquæ frigidæ, necnó alimenta, quę craſſa ſunt, vt carnes ſuillę, bouinæ, & volatilium in aqua degentium; piſcium vſus fugiẽdus, omnia acetoſa euitanda, quod cerebrum, ac neruoſum genus offendant.

In reliquis fit eadem viuendi ratio, quàm in epilepſia conuenire diximus; hacque ratione inhibebitur generatio pituitoſi humoris.

Genitus humor, qui eſt in corpore, extra corpus educendus, ne in partem tremore affectam feratur, & primò chirurgia, ſi à ſanguine fiat tremor, aut ſi humor pituitoſus non recedat multùm à natura ſanguinis. Ac mittendus eſt ſanguis pro maiori, & minori copia, vt dictum fuit capite de epilepſia à ſtupore: hæc de chirurgia.

## DE CVRATIONE STVPORIS
*per pharmaciam, & localia.*

QVod ad pharmaciã ſpectat, indicatio purgandi deſumitur à copia humoris pituitoſi, qui antequam euacuetur, præparari debet ſyrupis quibuſdam ad id aptis, de quibus multoties actum eſt.

Deinde educendus erit humor, vel pilulis de hiera cum agarico, vel cochijs, vel fœtidis, & huiuſmodi; vel medicamento aliquo ſub forma potus, ſiue cum infuſione, & expreſſione, ſiue abſque ijs; vel ſub forma boli, de quibus omnibus ſatis, ſuperque fuit ſupra dictum; vbi egimus de alijs affectionibus tum cerebri, tum neruorum, ortum ducentibus à pituitoſa materia, & hæc de cauſa antecedenti.

Venio ad cauſam coniunctam, quæ vel eſt in capite vel in alia parte tremente, quæ deriuari poteſt ad propinquiores partes, & etiam reuelli ad longinquas, vt ſupra ſæpiùs fuit repetitum; ſi enim in capite, ad nares, ad palatum deriuari poteſt errhinis, ſternutatorijs, maſticatorijs, gargariſmatis, & cauterio inter primam, & ſecundam vertebram ceruicis inflicto.

Si verò materia fuerit in alia parte, poteſt, & cauterio aliquo tum reuelli, tum deriuari, ſed meliùs euacuatur per inſenſibilem euaporationem multis auxilijs, inter quæ primò laudo balneũ, quod fit ex vulpe integra cocta in aqua ad perfectam coctionem; ad finem coctionis addendo.

Salis pug.j.
Anethi vnc.j.

Infundantur in hoc balneo ſpongiæ, & ita calidæ applicentur, & foueatur locus à tremore affectus, deinde inungatur hoc oleo, quod eſt in hoc caſu mirabilis operationis.

℞. olei nucis muſcatæ,
Caſtorei,
Spicæ ana drach. j.

Infunde per viginti quatuor horas, deinde vtere.

Aliud oleum, quod æquiualet balſamo proponitur ab Arnaldo Villanouenſi lib. 1. cap. 24. ad appendicem, fitq; ad hunc modum.

℞. galbani lib. ſſ.
Gummi hederæ vnc. iiij.

Terantur, & miſceantur ſimul, & elambicentur, & id quod exit, admiſceatur cum vnc. j. olei laurini, & lib. ſſ. terebinthinæ claræ, deinde denuò deſtilletur, exibitque oleum, & aqua, quæ ab inuicem ſeparanda ſunt, oleumque

ſeruandum; quo ſæpè calido inungatur membrum affectum, deinde pelle vulpina contegatur totum.

Pro cerebri, & partium neruoſarum corroboratione mithridatiū ad drach. j. ſummo mane acceptum, cui modicū caſtorei addatur ad ſcrup. ſſ. prodeſt, deinde ſuperbibat æger vnc. v. aquæ mulſæ. Ius galli idem præſtat: & hæc dixiſſe ſit ſatis de ſtupore.

# DE CONVVLSIONE.

## CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

INter alias cerebri, neruorum, & muſculorū affectiones præter naturam cognitu, & curatione difficiles, vna eſt omniū difficillimá, quæ in hodiernam cadit diſceptionem, & maximam ex parte noſtra diligentiam in dicendo, ac docendo requirit, & ex parte veſtra non minorem attentionem, cùm ſit affectus ſæpè eueniens, & vt plurimum ob ſæuitiem homines, quos apprehendit, maniacos, & ad actiones animales obeundas ineptos reddit.

In examine ipſius ita procedemus; primò enim conſiderabimus, quæ ad ſui cognitionem requiruntur, deinde quæ ad curationē faciunt, in medium adducemus. Præſentia, præterita, & futura ducūt nos in exactam cognitionē definitionis, differentiarum, cauſarum, atque ſymptomatum.

Præterita verò cùm faciātad cauſas prætergreſſas, atque externas in cauſarum enumeratione habebimus, at futura, nempe euentus, tempus, & modus præſupponunt perfectam ideæ morbi, & ſuarum cauſarum cognitionem; nam vt apud Hippocratem habetis 1. prognoſticorum tex. 1. qui benè prædicit, benè curat, & qui benè curat, rectè cognoſcit, ergo à primo ad vltimum, qui rectè prædicit, rectè cognoſcit, & curat.

Apud Græcos, & potiſſimùm in Galeni doctrina diuulgatiſſimum eſt hanc affectionem ſpaſmum dictam fuiſſe. Eam Celſus lib. 2. cap. 1. appellauit neruorum diſtenſionem; Latini alij omnes vocarunt cōuulſionem, Arabes quoquè ſpaſmum dixerunt: hæc de nomine.

Natura, & eſſentia modò inuenienda, quæ, vt breuis ſim, ad ſymptomatum genus refertur; nempe ad actionem animalem læſam, quæ circa motum voluntarium verſatur deprauatum, atque abolitum, ad cuius naturam rectè percipiendam opus eſt vobis ſcire motus voluntarij inſtrumentum eſſe illam corporis partem, quam muſculum appellamus, ad motum autem voluntariū faciendum requiruntur plura.

In primis cerebrum requiritur, deinde ſpinalis medulla, tertiò neruus, quartò muſculus, qui (vt aliàs vobis dixi) componitur ex fibris carneis, quibus fibræ à neruo, & ligamento ortum ducentes adnectuntur, omneſque ſimul componunt muſculum ex tribus partibus conſtantem, nempe ex capite, quod ſemper ligamentale eſt, aut vt plurimū, ab oſſe aliquo enaſcens; à corpore; & à fine, qui cauda quibuſdā appellatur, ſimilitudine deſumpta à mure, ſeu muſculo paruo, qui capite, & cauda præditus eſt.

Finis autem muſculi eſt diuerſus à capite, cùm conſter ex fibris ligamentalibus, & nerueis; nam conſtituens natura corpus muſculi ligamentum, & neruū in tenuiſſimas fibras diuiſit, vt carnoſis fibris adhęrere valeant, conſtitutoque

corpore ad finem,ſeu caudam conſtitu- cendam; rurſus fibras neruueas, atque ligamentales, carneis relictis, quemadmodum ſi fruſtra diuiſiſſet, ad inuicem coniungit, & tendinem vocatum facit.

Ita vt huiuſmodi muſculi tres habeãt partes, caput, corpus, & caudam; caput ex ligamento conſtat, corpus ex fibris carneis, ligamentalibus, & neruelis; finis verò ex tendine. Hac fabrica ita conſtituta vtitur natura ad mouenda membra motu voluntario; nam muſculus ratione capitis ab oſſe ſolido enaſcitur, per ſuum tendinem verò inſeritur in os illius membri, quod motu voluntario mouere debet.

Modus autem eſt huiuſmodi; nam actio muſculi eſt, vt contrahatur ad ſuũ principium, quod facere non poteſt, niſi per defluxum ſpirituum animalium à cerebro; cerebrum igitur generat ſpiritus animales, eoſque ad ſpinalem medullã, hæc autem ad neruos, neruiad muſculum; ita vt cerebrum ſit inſtrumentum, tum fabricans, tum tranſmittens ſpiritus animales; ſpinalis medullæ ſunt canales, per quos fertur ſpiritus, & facultas mouendi ad muſculum ipſum, qui ſuum motum facit.

An verò cùm efficiat eum per fibras carneas, an per tendinem operetur, alia eſt diſputatio; ſatis enim eſt nunc intelligere ad hunc præſtandum motum, tot requiri inſtrumenta; cerebrum enim eſt præcipuum vt quo, neruus vt delatiuũ, muſculus, vt immediatum, & proximũ inſtrumentum.

Hanc muſculorum motionẽ pulchrè declarat Theophilus lib. 1. de humana fabrica exemplo deſumpto ab auriga ducente currum equis medijs, aſſimilat enim aurigam cerebro, habenas equorum neruis, muſculos verò freno, membrum, cui inſeritur muſculus, proportione correſpondet capiti equi; ſicut enim auriga trahente habenas equorum ſuccedit frænum, ad quod ſequitur caput equi; ita imperante voluntate, quæ reſidet in cerebro, facultas motrix tranſmittitur per neruos, iſti ferunt in muſculum, muſculus ſe mouẽs ſecum ducit membrum, in cuius os inſeritur, & hic eſt motus voluntarius.

Ita vt motus voluntarius ſit contractio muſculi ad proprium caput, & ad originem mediante facultate cognoſcitiua, ac voluntaria; ex hac motus voluntarij deſcriptione nõ erit difficilè vobis aperire naturam conuulſionis; nam in conuulſione muſculus ea ratione mouetur, atque faciat in motu voluntario; contrahitur enim vtrobique ad ſuum principium, ſeu originem.

Verùm quidem in voluntario mouetur ad libitum facultatis imperantis, nõ ſecus atque capita equorum mouentur ad aurigæ voluntatem, at in conuulſione coactè mouentur, & præter voluntatem, non ſecus atque ſi quis traheret habenas equorum præter aurigæ voluntatem, & violenter.

Sed cùm duobus modis contingere id poſſit; vno modo, vt fiat tanta contractio ipſius muſculi, vt membrum, quod ab eo tractum eſt, remaneat in illo ſitu immobile, non ſecus atque ſi quis præter aurigæ voluntatem traheret ita habenas, vt caput equi eſſet coactum ſequi hanc attractionem, neque poſſet ab hoc ſitu dimoueri, vel fieret quidem contractio per vices, deinde relaxatio, ita vt membrum modò ad tractum ſequi ſit coactum, modò ad quietem ſe recipere,

Ac ſi auriga traheret habenas, eaſque relaxaret, caput modò ſequeretur motum illum attractionis, modò ad quietem rediret; primus modus appellatur conuulſio; ſecundus motus conuulſiuus.

Sed rurſus ad faciliorem cõuulſionis intellectionem, quæ quo ad ſenſum videtur æmulari motum muſculorum voluntarium, ſcire eſt opus, docente id Galeno 1. de motu muſculorum cap. 7. vnũ quodque membrum, quod mouetur mo-

motibus contrarijs, ſiue ſurſum, ſiue deorſum, ſiue ad latera, habere ſemper muſculos contrario ſitu oppoſitos; & quando vnus agit, hoc eſt contrahitur circa ſuum caput, alter verò oppoſitus relaxatur; contractio dicitur muſculi actio, relaxatio alterius dicitur paſſio.

Vt quando dirigo digitum, externus muſculus agit, internus è contra patitur; & ſic viciſſim quando flecto digitū, internus muſculus agit, externus patitur; id quod de digito dico, intelligatis de brachijs, de cruribus, & de toto corporis trunco, ac capite; nam omnes iſtæ partes contrarijs motibus mouentur, videtis brachium modò flecti, modò dirigi ad imperium voluntatis noſtræ.

Rurſus fieri poteſt, vt ſæpè contingit, quod vnum membrum, vt pote brachium ſuſpenſum teneatur, in quo ſitu directum quidem eſt, vt extenſum, ſed in hac actione omnes muſculi operantur, & interni, & externi, quam membri diſpoſitionem Galenus præcitato loco appellauit tonicam affectionem, quæ fit omnibus muſculis oppoſitis agentibus.

Cum autem conuulſio æmuletur motum muſculorum voluntarium, ſuccedere quoque poteſt, vt fiat omnium muſculorum oppoſitorum talis violenta attractio, vt oriatur tonica hæc, vel totius corporis, vel alicuius partis conuulſio, quam tetanon appellant, vt capite de differentijs intelligetis.

Stāte pręterea ſimilitudine de equis, & auriga accidere poteſt, vt aliquis præter mentem aurigæ vnius equi habenas trahat, & caput ipſius violenter in ſitu medio retineat; quemadmodum ſi vnā habenam relaxet, aliam trahat, ad latus illud equi caput declinabit.

Sed iam definitionem conuulſionis à Galeno accipiamus pluribus in locis 2. de cauſis ſympt. 2. lib. de tremore cap. 6.6.aph.39.quæ nulla alia eſſe poteſt, quàm hæc. Cōuulſio eſt contractio muſculi ad propriam originem præter

A voluntatem.

In nullo alio differt conuulſio à motu voluntario, quàm à cauſa efficiente, quæ eſt voluntas in motu voluntario; in conuulſione verò eſt quid præter naturam, nempe morbus, vt paulò infrà dicemus.

Et quamuis Auicennas lib. 3. fen. 2. tract. 1. cap. 5. videatur afferre aliam definitionem, conſiderauit ipſam, vt eſt ag-

B gregatum ex morbo, & ſua cauſa; ſcripſit enim de conuulſione ad hunc modū.

Spaſmus eſt ægritudo neruoſa, qua mouentur lacerti ad ſua principia.

Conuulſio enim in ſua natura eſt ſymptoma in actione animali, nempe motrice tam deprauata, quàm abolita.

Vnde Galenus 4. acut. 1. con. 6. dicebat Hippocratem nomine conuulſionis intelligere etiam motum conuulſi-

C uum, quare conuulſio duobus modis cōſideratur, & vt eſt in via, & vt eſt in termino ad quem. In via eſt motus conuulſiuus; in termino ad quem eſt conuulſio conſummata.

Ita vt concludendum à nobis veniat conuulſionem eſſe ſymptoma actionis voluntariæ, tam deprauatæ, quàm abolitæ. Deprauatæ quidem, quando eſt in

D via, abolitæ quando eſt in termino ad quem; vnde Galenus 2. de cauſis ſymp. cap. 2. ſcripſit motiuarium actionum eſſe duo prima ſymptomata; nempe immobilitatem, & vitioſum motum.

Hæc ſunt ad mentem Galeni: vnde non poſſum ſatis admirari Eraſtum virū valdè doctum, qui referente Ioanne Schenchio lib. 1. de epilep. obſ. 243. lib. theorematum 105. & 138. ſcripſerit cō-

E uulſionem eſſe morboſam ſpirituum animalium, & cerebri diſpoſitionem, à qua imaginatio appetitui iuncta ſic vitiatur, vt muſculis violentam illam contractionem, per quam membra inuitis nobis torquentur, imperet.

Sed cum huiuſmodi poſitio aduerſetur tam Galeno, quàm rerum euidētiæ, non eſt admittenda. Aduerſatur Gale-

no,

no, quia is in locis ſupra citatis deter- A minauit conuulſionē eſſe motum à mor bifica cauſa factum præter voluntatem; nec quidquam de læſa imaginatione ſcripſit.

Euidentiæ refragatur, quia in cōuul ſione nulla ex facultatibus animalibus, præſertim hegemonicis læditur, vna ex- cepta motrice, quare imaginatio mini- mè læſa eſt, ſed ſi concedatur eam læſā B eſſe, vel eſt diminuta, aut deprauata, aut abolita, at neutro horum modorum poteſt facere conuulſionem.

Nam primò ſi eſſet deficiens, aut di- minuta, vt in lethargo, non poſſent fie ri illi motus tam magni, ac frequentes, & veloces, quos obſeruamus fieri in conuulſionibus, cùm imaginatio defi- ciens præſupponat facultatem animalē omnem languidam.

Si verò dicatur imaginatiōnem ap- C petitui iunctam eſſe deprauatam tunc non ſolùm fierent motus conuulſiui, aut conuulſiones, ſed fierent motus phre- niticorum omnes, & eſſet phrenitis; quare imaginatio nec deficiens, nec deprauata eſt conuulſionis cauſa.

Nec minus abolita imaginatio poteſt facere hos motus, vt clarum eſt, quia ſi non adeſt, non poteſt mouere; quare D concludimus non poſſe imaginationē læſam dici conuulſionem, nec forma- liter, nec cauſaliter. Hæc de conuulſio- nis definitione.

## DE DIFFERENTIIS *conuulſionis*.

Differentiæ conuulſionis, aut à ſu- biecto, aut à cauſis efficientibus, E aut à morbis deſumuntur. A ſubiecto de ſumptæ ſunt in duplici differentia; aliæ vniuerſales; aliæ particulares.

Rurſus vniuerſales tripliciter di- ſtinguuntur pro vt corpus, & caput ad diuerſos ſitus, & poſitiones trahuntur; nam vel trahitur ad anteriora, & dici- tur à Græcis ἐμπροσθότονος, vel ad poſteriora, & vocatur ὀπισθότονος, vel & truncus, & ceruix, & caput ita erecta manent, vt in neutram poſitionem declinare poſſint, & appellatur τέτανος.

Hæc eſt illa conuulſionis ſpecies, quā ſupra diximus imitari tonicum motum; quamuis negandum non ſit fieri poſ- ſe alias differentias, nempe trahentes caput, ceruicem, & truncum ad latera, ſed à nullo authore referuntur huiuſ- modi differentiæ, quia facilè ad prædi- ctas reducuntur.

Particulares verò ſunt illæ, quæ etiā proprijs nominibus donantur, quòd e- ueniant particularibus muſculis partiū corporis; nam vbi euenit muſculis ocu- los obliquè mouentibus, appellatur græcè στραβισμος, ſi mandibularum muſcu lis euenerit τρισμός, atqui ſi contingat partibus, aut muſculis faciei os ad la- tera mouentibus σπασμὸς κυνικος.

Vbi verò pudēdi muſculos attigerit, illudque perpetuò rigidum faciat, toni- cum motum, aut potius tetanum repræ ſentans, σατυρίασις vocatur.

Iſtæ ſunt differentiæ, quæ à ſubiecto habentur omnibus notæ, non tollitur tamen quin etiam poſſit conuulſio eue- nire aliis particularibus muſculis, vt a- ni, veſicæ, linguæ, & alijs, licet non habeant propria nomina.

Differentiæ à cauſis duobus modis ſtatuuntur: vna eſt, quæ dicitur pro- portionata materiæ; alia quæ minimè proportionata eſt materiæ. Rurſus, quæ proportionata eſt materiæ, adhuc diui- ditur in duas differentias, quarum, vna fit à repletione, ab inanitione altera, de quibus fuſius ſuis locis.

Aliæ verò ſunt differentiæ à morbis facientibus conuulſionem, vt paulò infra dicetur, vbi ſermo fuerit de mor- bi determinatione, quem huiuſmodi ſymptoma ſequitur; alia eſt conuulſio à ſolutione continui, alia ab intempe- rie, & alia à mala compoſitione.

DE

### DE PARTE AFFECTA *in conuulſione.*

QVod ad partem affectam attinet, ſcire oportet conuulſionem bifariam diuidi. Vna enim vera, & propria eſt, de qua nunc agimus; alia non vera, & per ſimilitudinē, quæ poteſt fieri in alijs partibus, quàm in animalibus, in qua acceptione Galenus tum 3. de cauſis ſympt. 2. & lib. de differentijs ſymptomatum cap. 4. ſumpſit conuulſionem, quando dixit, ſingultum eſſe conuulſionem, & vbi lib. 6. de loc. aff. cap. vltimo ſcripſit in hiſtericis mulieribus vaſa vteri conuelli.

In conuulſione autem vera, & propriè dicta partes affectæ ſunt muſculi, & nerui; vnde idem Galenus 3. de cauſis ſympt. cap. iam citato dicebat conuulſionem pertinere ad muſculos, & 1. de cauſis ſympt. ad neruoſum genus, quāuis putem & ad muſculos, & ad neruos ſpectare.

Verùm cum nerui, vt ſuprà ſatis cap. de tremore, & de paralyſi oſtendi, ex ex duplici conſtent ſubſtantia, medullari nempe, atque membranea, in medullari ſubſtantia inſculptus eſt canaliculus, per quem, vel ſpiritus, vel facultas ad inſtrumenta motoria vadit, huncque canalem obſtructum eſſe in paralyſi, ſtupore, & tremore ſecundùm magis, & minus demonſtraui, quare neruus in illis affectionibus læditur ſecūdùm canaliculum; nam ad has partes non traſmittitur ſpiritus, & in paralyſi omninò eſt obſtructus, in ſtupore, & tremore non omninò.

Ioannes Schenchius loco ſuprà citato negat neruum, aut muſculum eſſe partem læſā; lib. 1. ca. de epilep. obſeruat 143. ſcribit neruos non poſſe eſſe ſubiectum conuulſionis, primùm quia deferunt imperium; deinde quia non poſſunt contrahere muſculum; tertiò quia muſculorum nullus eſt, qui ſit author conuulſionis, ea excepta, quæ fit

A à flatu repente irruente.

Cum igitur hæc tria membra ad motum requirantur neruus, muſculus, & cerebrum, nec poſſit eſſe neruus, nec muſculus conuulſionis ſubiectum, ergo ſequitur, quod ſit cerebrum, & ratio eſt, quia in ſe continet principium motus arbitrarij, quod eſt imaginatio iuncta appetitui ſenſitiuo.

Tandem inquit: conuulſio eſt morbus eius partis cerebri, qua appetitus, vt proprio inſtrumento primò muſculos mouet. (B) In conuulſione verò pars nerui medullaris minime læſa eſt, ſed læditur neruus ſecundùm membraneam ſubſtātiam, nec non & muſculus totus, ſed maximè quo ad caput ipſius; nam illo læſo, totum corpus muſculi, & tendo ipſius motum contractionis ſubſequitur, hinc & neceſſariò membrum, cui (C) tendō muſculi affecti inſeritur, motum hunc contractionis ſequitur.

Quamobrem ſum huius opinionis, vt exiſtimem alias partes in conuulſione eſſe, quæ patiuntur per ſe, & primò, alias ſecundariò, & per accidens. Quæ primò patiuntur, ſunt aliquando nerui, vt dictum eſt, quod à Galeno lib. 7. cap. 13. clarè ſcribitur; nonnunquam verò (D) & muſculi ipſi, ita vt & nerui per ſe, & muſculi lædi poſſint coniunctim, & diuiſim.

Quare Galenus non ſibi contradicit, vbi ait neruos per ſe ſolos in conuulſione affici, aut muſculos ſolos, quod Garcias Carrerus innuere videtur diſputatione 20. de conuulſione cap. 6. cū fieri poſſit, vt muſculi per ſe illæſi contrahantur, à neruis malè affectis: partes verò læſæ per accidens ſunt membra, (E) quæ ſequuntur motum ipſius muſculi contrahentis; hæc de parte affecta; inquiramus modò, qualis ſit morbus qui hanc contractionem faciat.

DE

### DE MORBO, QVEM SEQVI- *tur conuulſio.*

A

VNum ſymptoma à varijs morbis prodire non eſt inconueniens; quorũ cùm alter ſit in ſolutione, alter in compoſitione, & tertius in intemperie, dico conuulſionem à ſolutione cõtinui fieri, vt pluribus in locis ſcribit Galenus 3.meth.med.cap.1.lib.de differentijs morborum cap.11.& lib.de cauſis morb.cap.11.

Poteſt etiam fieri à mala compoſitione ratione magnitudinis primùm adauctæ, alioquin Galeni exemplum nihil valeret, quo vtitur de chordis, quæ vbi repletæ ſunt, contrahuntur, ita vt aliquando rumpantur, vbi igitur nerui, & fibræ per muſculum ſparſæ; ſimul que & caput ipſius fuerint repleta, tunc augentur; eorum enim longitudo minuitur latitudine, & profunditate adaucta.

Fiunt quoque ab intemperie ſicca, quando inſtar chordarum ita exiccantur, vt diſrumpantur, & hoc modo fieri dicuntur illę cõuulſionis ſpecies, quæ proportionatæ ſunt ad materiam; vna ex repletione, altera ex inanitione; ſed huiuſmodi inanitio ab aliquibus appellatur intemperies, vt à Valleſio lib. cõtrouerſ.17.

Alij verò appellant hanc inanitionẽ morbum in compoſitione, nempe in magnitudine diminuta, & ratio videtur eſſe, quia ambæ iſtæ differentiæ referũtur ad materiæ proportionem; nam illa, quæ à repletione fit à magnitudine eſt adaucta, ergo contraria, quæ fit ab inanitione, eſt à magnitudine diminuta, cui ſententiæ fauet Garcias Carrerus quæſtione citata cap 3.

Verùm in huiuſmodi cõuulſione duo conſiderantur. Vnum eſt humidi euaporatio, aliud eſt ſiccitas; humidi euaporatio non facit conuulſionem, ſed ſiccitas, quæ eſt immediata cauſa conuulſionis; nam conſumptio humidi, quæ ad magnitudinem diminutam referri poteſt, eſt tantùm euaporationis humidi; euaporatio autem humidi non facit cõuulſionem, ſed ſiccitas inducta per ſe conuulſionem facit.

Verùm ſiccitas duplex eſſe poteſt intenſa, & non intenſa. Intenſa illa eſt, quæ facit conuulſionem, at huiuſmodi eſt intemperies ſicca, non magnitudo diminuta, ergo intemperies ſicca eſt
B morbus, quem ſequitur conuulſio; hæc autem tam in neruorum, quàm in muſculorum ſubſtantia induci poteſt, ergo &c.

Sed fortaſſe quiſpiam veſtrum percontabitur à me, cur ſiccitas intenſa, cum ſit in hecticis, & maraſmo conſumptis, non faciat in ijs conuulſionẽ?

Reſpondeo ſiccitatem intenſam conſiderari duobus modis, vno vt fit breui
C tempore, altero verò longiori; primo modo facit conuulſionẽ: ſecundo autẽ minimè, quia eſt in habitu totius corporis; & hi ſunt morbi, quos conuulſio materiæ proportionata ſequi ſolet, quæ dicitur per eſſentiam.

Alia eſt vt cap. de differentijs diximus quæ improportionata materiæ dicitur, atque per conſenſum vocatur, & ab ijſdem morbis fieri facilè poteſt: iam
D agamus de cauſis.

### DE CAVSIS CONVVLSIONIS.

CAuſæ diuerſæ ſunt, pro vt morbi, à quibus conuulſio prodit, diſtinguuntur. Quæ ſolutionem continui inducunt, ſunt & internæ, & externæ, ſed ſæpiùs ſolutio prouenit à telis ſcin-
E dentibus, & pũgentibus, cuiuſmodi ſunt vulnera, punctiones, & id genus alia, quæ ad chirurgiam potiùs ſpectant, quã ad præſens noſtrum inſtitutum.

Venio ad cauſas alias morbos producentes, quarum aliæ repletionem inuehunt, aliæ ſiccitatem, ſeu, vt alij dicunt, inanitionem. Si Galenum ſequamur, videbimus nullam aliam cauſam nobis attuliſſe

tuliſſe niſi à repletione, quam exemplo à fidibus deſumpto comprobat, quæ humiditate replete contrahuntur, vt ſupra dictũ eſt. At qui humor imbibitus in ſubſtantia nerui, aut muſculi inducit cõuulſionem? Legite Gal. lib. de rigore, tremore, & palpitatione cap. 8. 3. de locis affectis cap. 6. 2. de cauſis ſympt. 2. vbi quinam is humor ſit, apertè declarat, nempe quod humor pituitoſus non modò faciat conuulſionem, ſed epilepſiam, paralyſim, ſtuporem, & huiuſmodi affectiones.

Verùm cùm à materia pituitoſa procedat conuulſio, & paralyſis, vnde eſt, quod in conuulſione membrum retractum permaneat, ſi conuulſio eſt in termino; ſi verò in via, fiant tam validæ cõtractiones, & in paralyſi membrum abſque motu, & ſenſu remaneat, quaſi ſit vita priuatum, vnde Arabes, & qui eorum doctrinam ſequuntur, dicunt laxatum membrum eſſe?

Multi ad huius quæſiti reſolutionem multa dicunt. Nicolaus Florentinus ſermone 7. ſúmma 2. tract. 4. cap. 2. reddẽs rationem, cur in vulneribus capitis pars vulnerata paralyſim incurrit, oppoſita verò conuellitur, reſpondet id euenire ratione materiæ tenuitatis, & craſſitiei; in paralyſi enim materia eſt tenuior, quare facilius intimas partes neruorum penetrat, viamque ſpirituum obſtruit, hinc partem ſenſu, & motu priuat, in conuulſione verò craſſior eſt, vnde intus penetrare non valens conuulſionẽ facit.

Gentilis verò ſuper hunc Auicennæ locum alio modo reſpondet cauſam referens in copiam materiæ; dicit enim maiorem copiam requiri ad paralyſim, quàm ad conuulſionem faciendam, debereque eſſe tenuiorem, vt penetrare facilius poſſit.

Hanc ſententiam Rondeletius, & ſuus diſcipulus Ioubertus lib. de conuulſione amplexi ſunt dicẽtes ad paralyſim faciendam requiri maiorem copiam ma-

A teriæ pituitoſæ, & tenuium partium, vt facilius, & intimius penetrare poſſit ad membrum laxandum, & ad priuandum illud ſenſu, & motu. In conuulſione verò in minori copia, & craſſior eſt materia, hinc eſt, quod intus non penetrat, neque priuat membrum ſenſu, ſed tantum priuatum remanet, dum eſt conuulſum, motu.

B Verùm capite de paralyſi dictum fuit à nobis partem nerui eam læſam eſſe tantùm, quæ à medullari ſubſtantia enaſcitur, in qua canaliculus exculptus eſt ferens motricem, & ſenſitiuam facultatem proprijs inſtrumentis, ad hoc igitur vt fiat paralyſis, ſatis eſt, ſi canaliculus occludatur, per quem ſpiritus facultatem ferentes permeant.

C Dum rem hanc aliàs multoties animaduertiſſem, eamque rationi conſonam ex anatome iudicaſſem, tãdem incidi in Marcellum Donatum lib. de mirabili hiſtoria cap. 5. qui meam opinionem confirmat, quam eandem ab Augenio lib. 3. conſult. & epiſt. medicarum comprobatam habui. Is enim reſpondẽs ad problemata quædam Apicellæ dicebat diuerſitatem inter epilepſiam, & conuulſionem eſſe, quia in epilepſia nerui, quo ad canalem læduntur, in con-

D uulſione verò muſculi.

Quamuis non modò læduntur muſculi in conuulſione, ſed etiam nerui, vt ſupra ex Galeno oſtendi; ſatis tamen nunc eſt ex authorum horum ſententia oſtendere in epilepſia neruos lædi quo ad canales, & in conuulſione quo ad ſuas membranas, & totum corpus muſculorum, etiamſi coniunctim, &

E ſeiunctim lædi poſſint.

Ratio eſt, quia membranæ imbibi poſſunt humore, non ſecus atque Gal. ſcripſit chordas, atque lora impleri poſſe humiditate, ac repleta contractionem poſſe ſuſtinere ſicuti fides, quam medullaris nerui ſubſtantia pati minimè poteſt, cum ſit mollis vt medulla, hæc igitur non patitur in conuulſione,

quo

ad ſui canalem, quia ſeruatur ſenſus in conuulſione, qui per canaliculum liberè fertur, licet etiam feratur virtus mouendi ad muſculum, qui impeditur ab hac violentia contrahente.

Stante igitur hac partium diuerſitate dico ad faciendam paralyſim, materiam eſſe debere craſſiorem ad foramen nerui obſtruendum, tenuiorem in conuulſione, vt nerui membranas penetrare poſſit, & in eas imbibi; membranæ enim ſunt eiuſdem naturæ cum fidibus, quarum exemplo vtitur Galenus ad demonſtrandum conuulſionem fieri ex imbibitione materiæ in muſculis, & neruorum membranis.

Hæc concluſio eſt contra Nicolaum, deinde aduerſus Gẽtilem, Rondeletiũ, & Iubertũ dicẽtes longè maiorẽ copiã materiæ requiri ad cõuulſionẽ, quã ad paralyſim; nã in paralyſi ſatis eſt fieri obſtructionem in canaliculo, quo obſtructo pars ſtatim ſenſu, & motu priuatur.

Nugæ etiam ſunt eorum, qui dicunt laxari membra in paralyſi; nam ſi imbiberetur copia in membris paralyſi affectis magis rationi conſonum eſſet, vt contraherentur, quàm vt laxarentur, ſi verum eſt exemplum, quod adducit Galenus de fidibus, quæ humiditate repletæ contrahuntur.

Ad faciendam autem conuulſionem, ſiue ſit in fieri, ſiue in facto eſſe, opus eſt vehementiori, & potentiori cauſa, quæ non niſi ex copia haberi poteſt; nam motus hic fit per contractionem, nempe delata multa copia materiæ, atque in membranis imbibita, vel muſculis; ſequitur igitur in maiori copia eſſe materiam facientem conuulſionem, quàm paralyſim.

Huic rationi additur etiam locus, in quo materia faciens epilepſiam reperitur, quæ eſt in ventriculis cerebri, & ad canalem ſpinalis medullæ, & ſuorum neruorum deſcendens obſtruit canaliculum: illa verò materia, quæ facit conuulſionem, reperitur inter membranas,

A & deorſum depulſa cadit in membranas, in ipſiſque imbibitur.

Huius opinionis eſt Valleſius lib. 5. contr. queſt. 17. dicens; quia ad hoc vt fiat conuulſio, oportet, vt caua fibrarum internarum nerui ingrediatur, quare debet eſſe tenuium partium alioquin nõ poſſet penetrare caua fibrarum materia, quod non contingeret in paralyſi, vt loquitur Valleſius. Deinde niſi

B materia faciens conuulſionem eſſet tenuis ad penetrandas membranas, exemplum de fidibus à Galeno allatum nihil concluderet.

Sed eò rediens, vnde profectus ſum, dico cauſam conuulſionis ex repletione eſſe materiam pituitoſam, ſed tenuiorẽ, quàm ſit in paralyſi imbibitam in membranis ſpinalis medullæ, & ſuorum neruorum, nec non in muſculis ipſis; cau-

C ſa verò antecedens eſt eadem parata tam in corporis habitu, quàm in capite, vt in prædictas partes feratur.

Hec verò ſuas cauſas habet à rebus nõ naturalibus acceptas, ab aere frigido, & humido, ab alimentis craſſioribus, & etiam à crapulis, à compotationibus, à nimio otio, nimio ſomno, animi immoderatis affectibus, à retentis excrementis, ſiue id contingat ratione intermiſſi

D exercitij, aut compreſſæ alicuius purgationis, tam à natura, quàm ab arte: iſtæ ſunt cauſæ à rebus non naturalibus neceſſariò non alterantibus, quæ contingenter, & non neceſſariò nobis occurrunt: poſſunt etiam conuulſionem facere ebrietas, & nimius coitus.

Accidit quoque ſi neruoſum genus, & muſculi paſſi ſint aliquam affectionẽ præter naturam, vt eſt, vel intemperies,

E vel ſolutio continui, aut aliquis tremor, à quibus fuerint debilitati.

Res inſuper naturales diſponunt corpus ad humorem pituitoſum generandum, vt habitus corporis pituitoſus, complexio frigida, & humida, ætas declinans.

An verò conuulſio fieri poſſit ab a-

lijs humoribus? Non repugnat naturæ conuulſionis; nam ſatis eſt, vt materia poſſit ingredi poros ſubſtantiæ membranoſæ neruorum, vnde Gal.& Hippocrates, qui 6.aph.39.& 56.ſcribunt conuulſionem fieri à melancholia.

Poſſumus etiam dicere conuulſionē fieri à ſanguine, vt habetur ex Galeno, qui loquens lib.5. aph. 5. in comment. de curatione tetani, quæ fit ex iniectione aquæ gelidæ per totum corpus, dicebat huiuſmodi remedium non eſſe tentandum, niſi in habitu carnoſo, in ætate florente, & media æſtate: at in ſimili habitu fit ſanguinis collectio copioſa, igitur dicendum eſt tetanum, qui eſt ſpecies conuulſionis, fieri poſſe à ſanguine.

Sed huiuſmodi conuulſiones rarò eueniunt, vt plurimùm autem fiunt ex pituitoſa materia, quare non eſt, vt loquamur de his, quæ rarò contingunt, ex quibus ars noſtra minimè conſtituta eſt, cùm conſtet ex ijs, quæ vel ſemper, vel vt plurimùm eueniunt, vt conuulſio ex repletione à materia pituitoſa eueniens. Hæc de cauſis conuulſionis ex repletione.

## DE CAVSIS CONVVLSIONIS *ex inanitione.*

Cauſæ internæ ſunt in primis euaporati, humidæ materiæ, quæ continetur in membranis neruorum, qua euaporata ſubſequitur ſiccitas; membranæ enim ſuaptè natura ſunt ſiccæ, ſicciorefque redduntur à cauſis abſumētibus humiditatem naturalem, quæ poſſunt eſſe plures.

Et primò eſt intemperies calida, vt Auerroes 3.coll.cap.3.ſcriptū reliquit; deinde alimenti defectus, nimius coitus, vigiliæ immoderatæ, animi affectus immoderati, nimius labor, copioſæ euacuationes, quæcumque illæ fuerint, febris vehemens, & ardens. Ab his, alijſque id generis fit conuulſio ex inanitione.

A

## DE CAVSIS CONVVLSIONIS *non proportionatæ.*

Qvam conuulſionem Auicennas non proportionatam ad materiam vocauit, alij conuulſionē per conſenſum, alij non veram conuulſionem, ſed potius motum conuulſiuū nominarunt. Nec defuerunt, qui eam fieri à repletione, vt alij ex inanitione, opinati ſint. At ego huius ſententiæ

B ſum, vt putem eam non eſſe veram cōuulſionem, ſed potiùs motum conuulſiuum, fierique per conſenſum duobus modis.

Vno modo tranſmittendo in neruoſum genus euaporationes, quæ ſunt duplices; hoc eſt, vna vaporoſa, quæ repletiua; alia verò acris, & mordax, quæ pungit, & irritat; nam vt fiat conuulſio

C oportet, vt partes neruoſæ primùm offendantur; deinde cerebro communicetur affectio, id quod non euenit in paralyſi; nam à capite ad neruos materia obſtruens canalem tranſmittitur.

Secundò modo fit per conſenſum ratione ſympathiæ ipſarum partium neruoſarum, quibus læſis trahitur cerebrū in conſortium familiaritate generis, idque ſæpè obſeruatur in punctūris ner-

D uorum, quæ inducunt ſtatim conuulſionem, & huiuſmodi conuulſio fit à cauſis internis, & externis.

Cauſæ internæ ſunt flatus, & vapores, nec non humores acres, & mordaces, qui ſæpè in ventriculo colliguntur conuulſionem facientes. Fiunt etiam à cauſis externis, vt à morſu animalis venenati, & à punctūris ſcorpionum, & etiam telorum, quæ ſuapte natura pun-

E gunt, vt ſtyli, & pugiones.

Et iſtæ ſunt cauſæ tam internę, quàm externæ conuulſionis per conſenſum, quam ad materiam non proportionatā dicunt, quibus ſic declaratis, iam ſigna afferenda ſunt.

DE SIGNIS CONVVLSIONIS.

A Lia ſunt ſigna, quæ futuram conuulſionem prænunciare poſſunt; alia quæ præſentem, tam vniuerſalem, quàm particularem demonſtrant; & alia quæ cauſas præſcribunt.

Quod ad prima ſigna ſpectat, opus eſt animaduertere, an morbus aliquis præſens ſit, vt febris, aut vulnus; an nullus. Si febris adſit, ex ſymptomatibus in capite exiſtentibus poterit præcognoſci, vt eſt dolor, phrenitis, lethargus, coma, aut caros, quorum vnumquodque, ſi febri ſuperueniat, appareréq; incipiant motus quidam tremuli aut leues contractiones in brachijs, pulſuſque ſit inequalis, & durus, periculum eſt, ne ſuccedat conuulſio.

Si verò ſit aliquod vulnus partium neruoſarum, vt brachiorum, vel crurum, & potiſſimùm capitis, vel muſculorum temporalium cum inflamatione, prænunciat conuulſionem. In muſculorum ſubſtantia inductum vulnus paralyſim, & conuulſionem portendit; paralyſim quidem lateris vulnerati, conuulſionem verò oppoſiti.

Atqui ſi vulnus illatum fuerit in brachium, manus, digitos, vel pedes, opus eſt animaduertere locutionem vulnerati, in diebus potiſſimum periculoſis, non ſecus atque admonet Hippocrates 5. epid. in illo cui pollex ex nauis violentia fuit amputatus, qui primùm conqueri cœpit de quodam leui linguæ impedimento, deinde traulus factus eſt, quia non poterat proferre literam R. aut T. pſellus quoque factus, quod literas omittebat in loquendo, ac tandem in conuulſionem incidit.

Scio me quendam in digito ſiniſtræ manus vulneratum obſeruaſſe, qui cum putaret nullius momenti eſſe vulnus, ſpernebat medicorum præcepta, at cœpit ſeptima die conqueri de difficultate leui deglutiendi, deinde quod lingua illi videretur breuior, poſtea non potuit proferre literas R. & T. tandem ante decimamquartam in tetanum incidit.

Puncturæ quoque ex telis ſæpè conuulſionem minantur. Legatis 3. lib. medicamentorum per genera in illo iuuene, qui ſtylo in interna brachij regione vulneratus conuulſus interit.

Legatis & Cardanum lib. 6. aph. 32. vbi ſcribit multos ſe animaduertiſſe, qui ex ſola punctura conuulſi ſunt facti.

Hac ratione, volentes futuram conuulſionem in morbis præcognoſcere, opus eſt, vt incedatis. At ſi nullus adeſt præſens morbus, poteſtis diſcurrere circa res naturales, & tandem non naturales, hoc eſt, quam victus rationē ſeruauerit æger.

Si enim præceſſit dolor capitis grauatiuus, tinnitus aurium, dorſi, & lumborum grauitas, & ad mouendum tarditas, ac difficultas, ſit verò in præſentiarum aliquis tremor in brachijs, victus ratio inordinata, in aere frigido ſtatio, aut vigiliæ præceſſerint validæ, ac continuæ, conſiderato totius corporis habitu complexione, & ætate, poteritis prædicere periculum de conuulſione.

Circà verò præſentem conuulſionem non eſt neceſſaria tanta diligentia præſertim in tetano cognoſcendo, quia totum corpus rigidum remanet non magis in hanc, quàm in illam partem declinans, quemadmodum opiſthotonos cognoſcitur, quia caput, vt vniuerſus truncus ad poſteriora conuerſum eſt in emproſthotono totā oppoſitum obſeruabitis, nempe caput ad anteriora flexum eſſe.

Ad cognitionem verò particularis conuulſionis non eſt opus tanta ſpeculatione, cùm ſenſus ipſius ſit iudex; nā ſi brachium, aut crus retractum ſit, vt nulla ratione poſſit extendi, aut extenſum non poſſit amplius flecti, iam adeſt conuulſio in facto eſſe, aut conſūmata, vt nonnulli aiunt.

Motus autem conuulſiui cogno-

ſcuntur, quia membra retrahantur, & ſtatim diſtenduntur, neque in hoc, aut in illo ſtatu quieſcere poſſunt, pro vt morbifica cauſa valida eſt, aut debilis.

Hoc idem de alijs partibus dicendū eſt; quod ſæpè animaduertitur in muſculis faciei labrum ad latera trahentibus, qui aliquando labrum ad latus ſurſum reuellunt, vt dentes caninos illius lateris detegāt, hinc ſpaſmus caninus vocatur, id quod cogitare oportet de alijs partibus iam dictis; & hæc ſunt ſigna demonſtrantia conuulſionē, illiuſque ſunt ſigna pathognomonica.

## DE SIGNIS CAVSARVM conuulſionis.

Modò ad ſigna cauſarum, & ſpecierum ab ipſis cauſis ortum ducentium deueniendum eſt, quæ ad materiam proportionatę ſunt, vt audiuiſtis, & non proportionatæ. Proportionatæ ad materiam duæ ſunt; vna ex repletione, altera ex inanitione, quam à ſiccitate euenire diximus.

Sed in primis inueſtigemus ſuis ſignis illam, quæ fit à plenitudine, quæ docente Galeno 3. de locis affectis cap. 6. dēſumi poteſt à communibus, nempe ab ante acta victus ratione, vt ſi quis habitus pituitoſi fuerit, complexionis humidæ, & in regione frigida, & aere frigido vitam egerit, corpus non multū exercens, crapulis vtens ſæpè, & conuiuijs, aut alimentis alitus ſit craſſioribus.

Vinum prætereà copioſius, & ſæpius quàm conueniat, ingurgitauerit, vel biberit aquam intempeſtiuè, & nimis frigidam, dormierit longiori tempore, paſſus ſit animi immoderatas affectiones, vel retenta ſint ea, quæ purgari conſueuerunt, color faciei albus appareat, in ore inſipiditas inſit, excrementa pituitam redoleant, vrinæ ſint crudæ, conuulſio magis exaſperatur in media nocte, iuueturque ab his, quæ pituitam

A euacuant, lædatur à contrarijs, iam cōuulſionem habebitis factam eſſe à repletione potiſſimùm humoris pituitoſi.

Si alia ſigna addideritis, quæ tum à Galeno lib. 2. aph. 26. tum ab Auicenna traduntur, quorum vnum eſt, vt conuulſio ſubito fiat; alterum ſi ſupra conuulſam partem oleum infundatis, & nō non imbibatur à parte conuulſa, magis manifeſtum fiet.

B Conuulſio ab inanitione contrarijs ſignis dignoſcitur. Primò fit longiori tempore, ſique ſpargatur oleum ſupra partem affectam, ſtatim imbibitur, præceſſit aliqua euacuatio immoderata, ſiue ab arte, ſiue à natura facta, vt à medicamento valido nimium purgante, aut à ſecta vena, vel ab aliqua naturæ expulſione alicuius humoris per quā cunque partem fuerit, ſiue criticè, ſiue

C ſymptomaticè, vel præceſſerit longa inedia, vel nimius coitus.

Signa verò conuulſionis non proportionatæ ad materiam, quàm diximus appellari à nonnullis per conſenſum, ſi prouenit à cauſa interna, vt à ventriculo, quemadmodum de Diodoro Grammatico teſtatus eſt Galenus, cui ex nimia cogitatione, aut ſtudio eueniebat,

D & ſtatim ventriculi læſio percipiebatur, habebimus diſcurrentes circa partes affectas, & earum læſiones, à quibus percipitur ſtatim conſenſus, ſiue vterus affectus ſit, aut alia pars. Dixi vobis alias partes affectas digno ſcendas eſſe ex actione læſa, ſitu, proprioque ſymptomate, & proprio morbo.

At ſi prouenit à cauſis externis, vt à puncturis, aut vulneribus, ſtatim di-

E gnoſcitur, nec opus eſt alia diligētia: hæc de cauſarum ſignis, expedit modò, vt qualem euentum habitura ſit cōuulſio oſtēdamus.

## DE FVTVRO EVENTV conuulſionis.

COnuulſionis futurus euentus,quã-uis malus vt plurimum cẽſeatur, nõ poteſt tamen tam liberè prædici,ſed opus eſt reſpicere ad virium corporis ro bur, ad conuulſionis vehementiam vni uerſalem, & particularem, ad cauſas, à quibus proficiſcitur, ad ætatem ægro-tantis, ad ſuperuenientia ſymptomata, ad medicamentorum actionem bonam, aut malam, ac tandem an conuulſio ſit per eſſentiam, an per conſenſum, qui-bus rectè, & vt decet conſideratis, po teritis iudicium ferre de futuro euentu.

Robur virium magnam exhibet co-gnitionem; nam ponitur in facultate naturali, & vitali,quæ vbi valeãt, bonũ indicium eſt ad futurum preſagiendum. Si igitur valeat virtus, conuulſioque ſit alicuius membri particularis,ortumque ducat à plenitudine, neque admodum valida ſit, nullumque prauum aliud ſubſequatur ſymptoma, medica-mentaque iuuantia multùm iuuent, ſit-que in habitu valido, complexione ca-lida, & humida, in ætate florenti, præ-dicendus eſt bonus euentus, ſi potiſſi-mum fiat per conſenſum à ventriculo.

Contingit aliquando conuulſionem vniuerſalem, nempe tetanum, à pleni-tudine pituitoſi humoris prouenientem ſanari ſuperueniente febre, 4. aph. 57. ſpaſmo, aut tetano febris ſi euenerit, morbum ſoluit; vnde idem Hippocra-tes ſcriptum reliquit 2. part.aph.26.me lius eſſe febrem ſuperuenire conuulſio-ni, quàm conuulſionem febri, quare conuulſiõ ex repletione, cui non ſuperueniant alia ſymptomata, bonum euentum habere ſolet.

E contra conuulſio ex inanitione,ſeu ſiccitate rarò, aut nunquam ſanabilis; vnde habetis 5.aph.1.conuulſionem ex elleboro lethalem eſſe, quia prouenit ex nimia euacuatione, idem 3.aph.eiuſ dem libri; vbi ſcriptum eſt à ſanguinis

A fluxu ſingultum, & conuulſionem le-thalem eſſe. Quatuor ſunt aphoriſmi in hoc quinto lib. aphor. qui eandem ha-bent ſententiam, nempe cõnuulſionẽ ex inanitionẽ eſſe lethalem,aut malam.

Eſt tamen ſententia Auicennæ cõ-ſideranda, in qua oſtendit non ſem-per lethalem eſſe hanc conuulſionem; nam lib.3.fen.2.tract.1.cap.5.dicit non ſolũ non eſſe lethalem,ſed in pueris eſſe

B citæ, & facilis curationis, & quamuis multi multa cõmenti ſint ſuper hunc A-uicennæ locum; dico tamen hanc ſuam propoſitionem veram eſſe ob rationes, quas ipſe adducit ſumptas à corde faci-lè calorem ad vniuerſum corpus diſtri-buente, à iecore ſanguinem tranſmit-tente, à partium complexione ad humi-dum tendente, & à victus ratione hu-

C mida, qua vtuntur pueri.

Conuulſio ex vulnere tandem letha-lis eſt, 5. aph.iam citato, & Galenus in comm. dicit,quãmuis ex ſanguinis flu xu ſit etiam lethalis. Aliæ conuulſiones ex vulnere lethales ſunt, ſi ex punꝺuris proueniant, vt ſupra retulimus ex Ga-leno 3 de comp.med.1. & plura habetis exempla à Gardano lib.6. aph. 37. eorũ qui ex vulnere abſque inflammatione

D conuulſi interierunt, quorum aliqui ſpa tio trium, aut quatuor dierum mortem oppetierunt.

Huiuſmodi autem conuulſio ea eſt, quæ materiæ minimè proportionatur, & ratione compaſſionis, & ſympathiæ partium ſimilium euenit,nempe neruo-ſarum, quare non poſſumus abſque di-ſtinctionibus allatis rectè euentum con-uulſionis præſagire.

E Tempus ſalutis, aut mortis pro cau-ſarum diuerſitate eſſe poteſt longum, & breue. Modus ſanationis aliquando à natura, ſæpè ab arte eſt, de qua nunc agendum ſe offert.

DE

## DE CVRATIONE CONVVLSIonis per chirurgiam.

PRimò tractandum eſt de conuulſione, quæ à repletione fit, tum quia ſæpiùs euenit, tum quia ſimilem requirit curationem, qualem in paralyſi, & epilepſia conuenire diximus.

Indicationes deſumuntur à morbo, à cauſa, & à ſymptomate. Morbus eſſet primò auferendus, ad cuius ablationem tollitur ſymptoma, ſed is tolli nō poteſt, niſi per cauſæ ablationem. Cauſa eſt pituita in neruis, & muſculis imbita, quæ aufertur per reuulſionem, deriuationem, & euacuationem, tam ſenſibilem, quàm inſenſibilem.

Verùm cùm ipſa dependeat ab illa pituita, quæ eſt in habitu corporis totius, ac neruorum, ea primùm eſt tollēda, aufertur autem omni medicinæ inſtrumento; & primò cogitandum eſt, an auferri debeat chirùrgico inſtrumento, deinde vbi inuentum fuerit à nobis conuenire tale inſtrumentum, de ipſius recta adminiſtratione deliberabimus.

De ratione mittendi ſanguinis è corpore in huiuſmodi affectionibus, tam ſæpè à nobis repetitum eſt, vt ad memoriam vos habere putém eius ſcopum, nihilominus repetam adhuc hoc loci indicationem eſſe deſumendam ab indicante, nempe à vitio ſanguinis, quod duplex eſſe poteſt, copia videlicet, & motus.

Vbi igitur habetis adeſſe copiam ſanguinis, à qua proueniat conuulſio, ſanguis mittendus eſt, quemadmodum vbi humores pituitoſi non multùm recedant à ſanguinis natura, etiam mitti debet.

Circa rectum vſum, ita procedendū eſt: maior copia in primo caſu, minor in ſecundo eſt extrahenda. Locus erit, ſi reuellendum eſt per oppoſita, ſi euacuandum per venas cubiti, vt aliàs docui, & ſic de quando, & de modo eſt diſcurrendum circa affectionis vehementiam, robur virium, & cauſæ magnitudinem, à quibus ſanguinis mittendi regula accipitur, vt in præcedentibus fuſiùs ſignificaui.

## DE CVRATIONE CONVVLſionis per pharmaciam.

CIrca pharmaciam itidem videndū eſt, an conueniat, deinde quis ſit rectus ipſius vſus, tam medicamentorū, quæ intus aſſumi debent, quàm eorum, quæ extra admouentur.

Materia pituitoſa, quæ facit præſentem morbum extra corpus educenda eſt, idque citò, pro vt affectio vehemēs ſit, aut vniuerſalis, aut particularis. In vniuerſali igitur conuulſione poſt ſanguinis miſſionem, vbi vehemens ſit cōtractio, nulla expectata humorum præparatione ad medicamentum purgans deueniendum, quia longè maior eſt vtilitas, quæ purgatione habetur, quàm ſit ex humorum cruditate incommodū; huiuſmodi enim materia faciens conuulſionem peior eſt, ac ſi turgida eſſet, cū ſpacio duorum, aut trium dierum hominem de vita tollat, & huiuſmodi curatio appellatur coacta.

At vbi caſus non eſt adeo vrgens, & dantur induciæ, tunc cogitandum eſt de præparantibus, vt ſunt ſyrupi iam dicti capite de paralyſi, & in hoc caſu peculiariter placet iſte.

℞. ſyr. de ſtœchade,
Oxymel. ſquill. ana vnc. j.
Decoct. herbæ paralyſis,
Bettonicæ,
Saluiæ,
Stœchados ana manip. ſſ.
Florum ſaluiæ,
Stœchados,
Roſmarini ana pug. ſſ.
Agarici albi,
Sem. carthami ana drach. j.

Contundantur, & inuoluantur in panno lineo, & fiat decoctio ſecundùm artē: huius decoctionis doſis ſit ad vnc.

iij.

ʒij. quæ admiſcenda eſt vna cum prædi-A ćto ſyrupo.

Deinde expurgetur corpus his pilulis.

℞. pil. de hermodactylis,

De ſagapeno,

Cochiarum ana ſcrup.ij.

Trochiſc. alhandal ſcrup.ſſ.

Fiant cum cathar.roſ. pilulæ num.ix. aurentur.

Vel hoc bolo.

℞. diaturbith Montagnanæ,

Diaphœnici ana drach.iij.

Diacatholici drach.ij.

Cum ſaccharo fiat bolus.

Hiera quoque Archigenis, & hiera Logadij ad vnc.j. conueniunt in hoc eodem caſu.

Sub forma potus.

℞. prædictæ decoctionis vnc.iij. infunde ſecundum artem

Rhabarbari,

Agarici trochiſc.ana drach. j. & expreſſione facta diſſolue.

Mellis roſ.ſolut.

Syr. Magiſtri Auguſtini ana vnc.iij.

Electuindi maioris drach.ij.

Fiat potus breuis.

Vbi facta fuerit huiuſmodi purgatio, qua ſola vix credibile eſt poſſe ægrotantem reduci ad ſanitatem, oportet denuò corpus expurgare, at non eradicatiuè ex præcepto Auicennæ, ſed epicraticè, quæ à vobis fieri poteſt ſupra ſcriptis pilulis, eaſque adminiſtrare per horas duas, aut tres poſt cœnam in hac doſim.

℞. pil. cochiarum,

De ſagapeno ana drach.ſſ.

Trochiſc. alhandal.ſcrup.ſſ.

Cum cathar.roſ.fiant pilulæ num. iij. aurentur, quæ bis in ſeptimana concedantur ægro.

Placet etiam huiuſmodi aqua.

℞. aquæ vitæ lib.ij.

Cinnamomi,

Nucis muſcatæ,

Caryophyllorum ana drach.j.ſſ.

Rad.coſti,

Zingiberis ana drach.ſſ.

Infunde per viginti quatuor horas, cola, & ſerua.

Doſis ſit ab vnc.j.ad vnc.ij. mane ieiuno ventriculo.

Præparanda quoque decoctio ex ligno ſancto, ſarſa parilla, atque modico ſasfras: doſis huius decocti ſint vnc. vj. per quatuor horas ante prandium B aſſumpta cum ſudoris prouocatione.

Sed antequam bibat hanc potionē, curate, vt deuoret huiuſmodi bolum.

℞. mithridatij,

Theriacæ diateſſeron ana ſcrup.j.

Pul.caſtorei ſcrup.ſſ.

Cum ſaccharo fiat bolus. Sunt qui aſſam fœtidam commendant, inter quos eſt Auicennas, ſed adeo peſſimè C olet, vt vix deglutiri abſque nauſea poſſit, tamen in hoc caſu eſt præſtantiſſimum præſidium, quemadmodum & caſtoreum, quod interius, & exterius adminiſtratum ab omnibus valdè commendatur.

Commendatur etiam & confectio anacardina, & aurea alexandrina ad drach.j.cui ſuperbibatur aquæ roſmarini ad vnc.ij.

D Prodeſt huiuſmodi conditum.

℞. diapliris ſarcotici,

Diamuſci amari ana drach.j.

Vngulæ alcis,

Viſci quercini ana drach. ſſ.

Conſeruæ iuæ,

Bettonicæ ana vnc.ſſ.

Saluiæ,

Cum ſyrupo de ſtœchade fiat opiata, addendo auri folia numero iiij.

E Vel fiant huiuſmodi tabellæ.

℞. ſpec. pliris ſarcotici,

Arom.roſ.ana drach.j.

Sacchari diſſoluti in aqua ſaluię vnc. ij. fiat confectio in tabellis: doſis ad drach.ij. Tempeſtiuum eſt, vt aliquid dicamus de curatione per medicamenta localia.

DE

*DE CVRATIONE CONVVL-ſionis per medicamenta localia.*

MEdicamenta interna iam dicta, partim materiam educunt, partim interna membra calefaciunt, & roborant, magis cauſæ antecedenti proſpiciendo: at localia verſantur circa cauſam coniunctam, partim reuellendo, partim deriuando, partim à parte læſa euacuando, & vt ſcribit Celſus lib. 4. cap. 3. talia medicamenta debent habere facultatem emolliendi, quorum aliqua ad chirurgicum inſtrumentum, non nulla ad pharmaceuticum ſpectant.

Reuellentia primò ſunt chirurgica, inter quæ ſunt cucurbitæ ad lõginquas, & contrarias partes applicite, quæ etiã vt deriuantia partibus propinquis affiguntur, & aliquando partibus læſis, ſi præſertim pauca adfuerit materia, & abſque ſectione.

Ligaturæ quoque ad cõtrarias partes factæ, nodi dolorofi, frictiones, clyſteres, & ſuppoſitoria, de quibus paulo poſt, ſunt reuulſoria medicamenta. In hoc igitur caſu vt contraria ad partes ſanas, & oppoſitas affigenda ſunt.

Deriuantia à capite ſunt cauteria in ceruice inter primam, & ſecundam vertebram, errhina, ſternutatoria, gargariſmata, & maſticatoria, de quibus multoties actum eſt.

Sunt modò localia ad pharmaciam magis ſpectantia, quamuis ad chirurgiam, hoc eſt manus operationem faciãt ratione applicationis, ſed ratione ordinationis, & compoſitionis ad pharmaciam attinent, quæ actu, & facultate calida eſſe oportet, & tenuium partiũ, quæ ab Auicenna lib. 3. fen. 2. tra. 1. cap. 7. proponuntur, ſed ab Aetio longè plura adducuntur lib. 3. cap. 39.

Cornelius Celſus addit opus eſſe, vt talia medicamenta habeant nonnihil emolliendi facultatẽ, quorum quædam ſub forma humida proponuntur, in quibus eſt decoctum hoc modo paratũ.

A ℞. ſem. meliloti,
Fœnu græci,
Lini,
Flor. chamæmeli ana manip. j.

Ebulliãt in x. lib. aquæ, & vini albi additis olei lib. ij. quo irrorate mẽbrum hac decoctione calida, deinde totum inungite oleo vulpino, ipſumquè ita calidum induite pelle vulpina, & calidum ſeruate, cauentes ſemper, ne ab B aere frigido offendatur.

Aqua thermarum, cuius minera ſit ſulphur, in hoc caſu commendatur quã maximè: fiat deinde vnctio ex oleo laurino, de caſtoreo, coſtino, & huiuſmodi.

Laudant ſummoperè Raſis, & Auicennas támquam admirabile medicamentum fruſtum veruecis cònuulſæ parti applicatum, quod ab ipſa nunquam C remoueatur, quouſque ſponte cadat; differunt tamen, quia Raſis magis probat caudam cum ſua pinguedine; Auicennas verò cum tota pinguedine aliam partem; ſed vtrumque probatur.

Lana etiam ipſius veruecis oleo coſtino, & vulpino imbuta optima eſt.

Valet etiam hoc balneum.

℞. rad. narciſi lib. j. coquatur in lib. 30 aquæ fontis puriſſimæ, cui adde duos ca D tulos, qui bulliant ad perfectam coctionem, additis olei communis lib. 10. in funde membrum intus cõuulſum, quod durum ſit. Deinde inunge vno horum

Olei vulpini,
Coſtini,
Laurini,
Cyperini,
Terebinthinę,
E Ex croco,
Ex caſtoreo,
Ex lateribus, vel
Ex cera.

Hæc omnia pro membris conuulſis conueniunt. Profunt etiam cerata ex thapſia, ex bettonica, & ex euphorbio, & ſimilibus.

Eſt tamen Hippocratis ſententia dicentis

dicentis aquam frigidam ſupra corpus A inſperſum curare tetanum, quam ſententiam confirmat non modò Galenus, ſed Auic.lib.3.fen.& cap.citato, ſunt & aliqui authores ſcribētes ſe aliquos hoc modo curaſſe, & à tetano liberaſſe, vt Franciſcus Velaſca lib. 1. ſui philonij cap.21.

Ex altera verò parte Paulus Aegineta lib.3.cap.20. tale remedium, vt temerarium reprehendit, quod ante ipsū B Aurelianus reprobauerat lib.3. de mor. acutis cap. 8.

Sed talis cõuulſio, cùm fiat à materia calida in tempore calido, in regione calida, in corpore bene temperato, rara eſt, proinde medicamentum huiuſmodi rarò fieri debet, idque non conuenit conuulſioni ortum ducenti à materia piruitoſa, de qua in præſenti eſt ſermo, ſed Hippocrates loquitur de pri C ma, non de ſecunda conuulſione: & hæc ſatis ſint de curatione cõuulſionis à repletione per chirurgiam, & pharmaciam.

## DE CVRATIONE CONVVLSIONIS per diætam.

A Er in primis calidus, & ſiccus eligendus eſt, qui ſi non habeatur D natura, arte parandus eſt, vt aliàs vobis oſtendi.

Sint alimenta boni ſucci quidem, ſed quæ adiunctam habeant qualitatem medicamentoſam. Quantitas à principio diminuēda eſt, vt facilius humores craſſi euinci poſſint. Materia alimentorum diuerſa eſt. In primis ſe offert panis, qui eſſe debet ex optima farina, benè coct⁹, & fermentatus, ac aniſo, vel coriandro præparatus, abſtinendum primis diebus à carnibus, ſed pane iam dicto, amygdalis, paſſulis, caricis pinguioribus, ouis recentibus ſorbilibus, ac tremulis veſci neceſſarium eſt, quouſque morbus remittat.

Si virtus non valeret, aut febrem adiunctàm haberet, alio modo incedendum eſſet in viuendi regimine; nam ad carnium gallinarum iuſcula oporteret deuenire, & varia fercula, pro vt ex vſu videbitur, parare; non ſecus atque in alijs ſimilibus affectibus dictum fuit.

Carnes aſſatæ conueniunt, vt iam aliàs, & capite de paralyſi diximus.

Sed pro potu laudarem aquam, in qua modicum ligni ſancti ebulliret, in reliquis alijs rebus non naturalibus moderatè eſt agendum, & inter alia cauēdum, ne adſtricta ſit aluus, quæ ſi compreſſa fuerit, irritatur hoc modo.

℞.mel deſp.vnc.j.
Trochiſc. alhandal.
Specierum hieræ,
Salis gemmæ ana ſcrup.j.
Fiat ſuppoſitorium,

Clyſter ad hunc modum fiat.

℞. verbenæ,
Centaurij minor.ana manip. j.
Siclæ manip.ij.
Sumit. anethi,
Florum chamæmeli,
Maioranæ,
Synapi,
Meliloti ana manip.j.
Sem.carthami,
lini,
Fœnugræci cõtritorū ana drach. ij.
Sulphuris,
Pulpæ colocynthidos ana drach. ß.
Inuoluantur in petia,
Caricarum num.xx.

Arnaldus facit ebullire, colaturæ
℞. quantum ſufficit, cui adde
Olei veteris vnc.iij.
Mel. deſp. vnc.j. fiat clyſter. Hoc modo curatur per diætam. E

Reſtat conuulſio ex inanitione, quæ curanda eſt pro varia cauſa, ſed in omni ſemper opus eſt vires reſpicerē, & habitum corporis exiccatum, qui reſtaurratione magis eget: hæc de conuulſione.

# DE CATARRHO.

## CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Actenus egimus de morbis particularibus cerebri, vt eſt organū omnium actionum animaliū, modò Raſis ſequētes ordinem affectionē quandam ipſius cerebri, & capitis proponimus, vt eſt membrum naturale, à quo tanquam à fonte in alias, & ſubiectas partes deriuat affectio à Græcis καταῤῥοος, à Latinis deſcenſus, ſeu fluxio appellata, in qua nonnunquam cerebro id contingit, quod ventriculo in diarrhæa, vel hepati in ſanguinis fluxu, vel vaſis ſeminalibus in gonorrhœa.

Iam verò cerebrum, vt membrum eſt naturale, ſua generat excrementa, quæ duplicis ſunt generis, craſſum nēpe, atque tenue; hoc vt plurimùm per inſenſibilem viam euaporat, illud verò ſua loca habet conſtituta, per quæ expurgatur, & ſpatium, per quod tranſfertur, quod etiam varium eſt, vt ſunt arteriæ, venæ, nerui, muſculi, nec non ſpatia inter has eaſdem partes interiecta.

Sed quoniam fluxus, cum ſit motus quidam localis, fieri non poteſt, niſi adſit mobile, terminus à quo, & terminus ad quem. Mobile eſt excrementum: cerebrum eſt terminus à quo: reliquæ verò partes, quæ fluens excrementum recipiunt, ſunt terminus ad quē. Hinc variarum partium reſpectu varia quoque nomina fluxus ſortitur. Nam deſcendens

| | | |
|---|---|---|
| ad nares | κόρυζα, αὐξα, | grauedo |
| ad fauces | βράγχος, | raucedo |
| ad aſperam arteriam | βήχη, | tuſſis |
| ad vueam, | σταφυλή. | vuea |

| | | |
|---|---|---|
| ad pariſthmias | ἀντιάδες, παρίσθμια, | amygdalæ |
| ad ſpinam | κύφωσις, γίβωσις, σκολίωσις, | |
| B ad manus | χειράγρα, | |
| ad os coxendicum | ἰσχιάδα, | |
| ad genua | γονάγρα, | |
| ad pedes | ποδάγρα | |

At varias reperio definitiones huius affectus, quandoquidem alij dicunt eſſe excrementum craſſum affligens corpus propter fruſtrationem alteratricis
C cerebri, vt Capiuaccius.

Alij dicunt eſſe fluxum humoris excrementij à capite ad ſubiectas partes propter vitiatam capitis coctionem, vt Euſtachius Rudius, quàm definitionem ad verbum ex Gordonio aſſumpſit de paſſ. aurium par. 3. cap. 16.

Putant nonnulli eſſe ſymptoma in genere immodicè excretorum, inter quos eſt Nicolaus Piſo.

D Aliqui opinati ſunt eſſe ſymptoma quidem in excretis cerebri de naturali ſtatu deturbatis, vt Vidius Iunior.

Altimarus inquit eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè, quam deſumpſit ex Gal. 3. de cauſ. ſym. cap. 4.

Ad hanc quidem rem conſequendā opus eſt, vt catarrhus, ſiue deſtillatio cō paretur ad plura, ſeu pluribus modis accipiatur, vel enim reſpectu mobi-
E lis, id eſt materiæ conſideratur, & tunc poteſt dici excrementum craſſum; quia in cerebro generantur duo excrementa, craſſum, atque tenue, quorum primum deorſum ad ſuos meatus defertur, aliud verò ad ſuturas euolat.

Vel conſideratur quatenus ſua copia peccat, & tunc dicitur ſymptoma in gene

genere excretorum immodicè: vel re-ſpectu motus, & tunc dicitur fluxus, ſi verò conſideretur cerebri, & capitis oc-caſione, poteſt etiam rationem habere cauſæ morbi, quia ſua qualitate primũ intemperiem in cerebro inducit, quo no-mine debilitatum cerebrum manet.

Præterea ex parte retentricis, aut ex-pultricis conſideratum eſt ſymptoma in excrementis derturbatis à naturali ſta-tu; nam vel intempeſtiuè exit, quod nõ retineatur, vel non alteretur, vel quia nimis validè expellatur.

Quod ſi ex parte alteratricis non cõ-coquentis contingat, erit quidem e-xiens mutatum in ſubſtantia, quia non alteratur, quantum ſatis eſt.

Si verò eueniat expultricis vitio, tũc perturbata à ſuo curſu naturali extra e-xire coguntur.

At ſi reſpectu partis recipientis con-ſideretis iſtud excrementum, tunc ha-bet morbi, cauſæ, & ſymptomatis ra-tionem: cauſæ quidem morbi, quia vel ſolutionem continui, vel intemperiem, vel aliquem tumorem facit: ſymptoma-tis verò in genere contentorum præter naturam, quia in parte aliquid retine-tur, quod non deberet: ex quo quidẽ conſiderandi modo referri poteſt ad morbum, ad ſymptoma, & ad cauſam morbi.

Stante igitur hac ex natura rei conſi-deratione ſcire debetis, quod fluxus in corpore alij dicuntur eſſe à toto genere præternaturam, alij præternaturam qui-dem, ſed non toto genere, niſi ratione qualitatis, vel quantitatis, vel ſpatij, & loci, per quem exeunt, & feruntur. Sã-guis enim è venis exiens, vel ſemen à vaſis ſpermaticis, & teſtibus, quamuis à natura factum ſit, vt exeat, vbi tamẽ inuoluntariè, & immodicè profluat, di-citur à toto genere.

Alij verò fluxus dicuntur præterna-turam, ſed non à toto genere (loquor potiſſimùm de excrementis) vt diarrhea dicitur quantitatis, & ſuæ qualitatis ra-
A tione immodicus fluxus; quando vel ni-mia quantitate per ſeceſſum, vel mala qualitate affecta exeunt excrementa, neque retinentur, quantum ſatis eſt.

Dicuntur etiam exire præter naturã, ſi per alium locum exeant, quàm debe-rent, vt ſi ſtercus per vrinam, vel vrina per ſeceſſum exierit. Vbi verò ſecundũ debitam quantitatem, qualitatem, lo-cum, & tempus exierint, non dicuntur
B fluere præter naturam.

Sciendum inſuper eſt ex Galeno 8. de vſ.par. cap. 6. & 7. craſſo capitis ex-cremento deſtinatas eſſe vias, quæ ſunt cerebri cauitates, quas ventriculos ap-pellamus. In horum parte inferiori po-ſita eſt particula quædam ex dura cere-bri membrana conſtructa infundibili fi-guram repræſentans, cuius baſis lata
C reſpicit capacitatem ventriculorum, vt facilius recipere poſſit iſtud excremen tum craſſum, conus verò deſinit angu-ſtus in glandulam quamdam, quæ coana Græcè dicitur, noſtri glandulam pitui-tariam vocant: infundibulum verò illud appellatur πύελος à Græcis.

Coana verò poſita eſt in proceſſu oſſis ſphœnoidis ſellæ in modum factum, vnde ἐφιππίον à Grecis nomen obtinuit; ad
D latera ipſius ſellæ in oſſe ſphœnoidis fo-ramina inſculpta ſunt, quæ ad os, & pa-latum deſinunt, per hanc igitur meatuũ fabricam expurgatur excrementum ca-pitis craſſum.

Cæterum adeſt os illud ad ſupremã naſi regionem, propè cerebri baſim ſi-tuatum ethmoidis, ſeu cribroſum dictũ totum perforatum, cuius foramina in internam narium capacitatem deſinũt,
E quòd expurgationi excrementorum in-ſeruire conſueuit, ſed alia, & alia ratio-ne; nam glandula prædicta cum ſuo in-fundibulo expurgat ferè excrementa, fo ramina verò non niſi cerebro malè affe-cto, vt ex Gal. ſupra citato habetur.

Modus quoque diuerſus; nam per na-res non niſi per expirationem excremẽ-ta exeunt; ſpiritus enim exiens multa,

quæ ex ſe exire non poſſent, extra egredi cogit: hinc eſt, quod dicebat Gal. naturam longum feciſſe naſum, ne deorsũ per totam faciem exire conſpicerentur mucores.

Quamobrem catarrhus ad os, & ad palatum non dicitur præternaturam niſi quantitatis, vel qualitatis ratione: at vbi ad nares fluit, dicitur præter naturam ſaltem ratione ſigni, quoniam, eſt indicium cerebri malè affecti. Ad reliquas verò partes ſi à capite protrudatur materia, poteſt dici abſolutè præter naturam, oculis, & auribus exceptis, ad quas aliqua excrementi particula ſecundum naturam deponitur.

Sicut enim excrementum iſtud craſſum, copioſum, retentum in ventriculis, & ſubſtantia cerebri varios effectus præter naturam (vt audiuiſtis) generat, apoplexiam nempe, epilepſiam, & id genus: ita quoque à cerebro expulſum, & in varias receptum partes, varias præternaturam affectiones parit, quæ pro diuerſitate ipſius excrementi, & partium, ad quas illabitur, varias efficit morborum differentias.

Si enim ad ſpinam, & ad neruos copia huius fertur, modò ſoporem, aliquãdo paralyſim, ſæpe conuulſionem, & id generis morbos efficit: ad oculos autem vbi cadat, varios facit tum dolores, tum tumores, ophthalmias, & cæcitates, de quibus in ſequentibus.

At qui vbi ad os feratur immodicè, non modò dentes, palatum, ſed & ipſam laryngem, muſculoſque afficit, ita vt plures generentur anginæ ſpecies, vt 6. de tuenda valet cap. 9. Gal. ſcripſit.

Deinde pulmones, & pectus adit, & vbi acris, & mordax materia fuerit, aut ſalſa, vel mala qualitate affecta, vaſa corrodit, ſanguiniſque ſputum, & tabem, inducit, vt 3. epid. com. 3. tex. 13. & 6. aph. com. 1. At vbi craſſa fuerit, atque in aſperæ arteriæ diſtributiones irrepſerit, anhelitus difficultatem, ſuſpiriumque affert. Si ad linguam labitur, ſæpè ip-

A ſius hæſitationem inuehit, ſi Gal. credimus 6. aph. 32.

Cùm verò ad ventriculum vadit, imperfectam reddit coctionem, alui quoque profluuium, ſi tam ventriculum, quàm inteſtina laxet, 3, aph. com. 12. ſi verò contingat eamdem acrem eſſe, aut ſalſam, irruatque in inteſtina, tormina, ac dyſenteriam progignit.

Sed non modò vbi per prædictas vias

B feratur, morbos efficit iam dictos, ſed per venas, arteriaſque ferri quandoq; conſueuit, verum deſcendens materia aliquando tenuis, non nunquam craſſa eſt; tenuis per venas latas primùm, deinde ab his ad tenues fertur, tandẽ per corpus vniuerſum diſtribuitur: at vbi craſſa ſit, in magnis detinetur venis, cũ ad paruas, & exiguas ferri nequeat, &

C vt inquit Gal. 4. acut. 30. facta obſtructione in his, prohibitoque caloris perſpiratu interdum febres accenduntur diariæ, mox putridæ excitantur.

Conſueuit etiam per arterias deſcendere, & præſertim ad oculos, hinc eſt, quod diutina, & acri fluxione tẽtantur oculi, à qua, vt inquit Gal. 13. meth. 22. vix ſanari poſſunt, niſi ad tempora arteriæ ſecentur.

D Ex hac igitur, quam vobis attuli inductione, ſatis comprobatum eſſe poterit catarrhum propoſitum vix ſub vna poſſe præternaturam affectione comprehendi; nam quamuis dicatur eſſe ſymptoma non modò ad excrementum, ſed ad læſam actionem, nempe vel ad alteratricem, vel ad retentricem læſam referri poterit, quæ vel non alterat, quantum oportet, vel non retinet, quantum

E requiritur.

Mihi tamen magis Gal. opinio placet dicentis eſſe ſymptoma in genere mutati excrementi, quia cum excrementũ (vt dictum eſt) perpetuò in capite generetur, & expellatur per ſua loca, vbi ad alia fertur loca neceſſe eſt, vt mutatum ſit in quantitate, quæ tanta ſit, vt expurgari nequeat per loca conſue-

ta,

ta; & per ea, quæ imſubſidium data ſunt, vel adeo craſſum ſit, vt per ea exire nō poſſit, hinc cadat ad varias partes: quo nomine excrementum eſt mutatū, quare dicitur ſymptoma in genere excrementis mutati.

Sed forte dicet aliquis, eſſe poteſt, vt non ſit copioſum, nec mala qualitate affectum, ſed vitium ſit in canalibus, per quos expurgari conſueuit, inde cogitur alia loca petere. Exiſtimarem dicendū eſſe excrementum adhuc mutatum eſſe ratione loci, quia impeditur, quo minus per loca à natura deſtinata expurgari poſſit.

Concludimus igitur hanc affectionē poſſe in hunc modum definiri ex Gal. 3. de cauſ. ſymp. 4. Catarrhus eſt ſymptoma in genere excrementi cerebri craſſioris mutati, vel loci, vel quantitatis, vel qualitatis ratione à cerebri intemperie, aut eiuſdem mala compoſitione eueniens.

Accipimus ſymptoma tanquam genus, vt diſtinguamus ipſum à morbo, aut cauſa morbi, quia vbi habet rationē cauſæ, nondum aliquid fluit, vbi verò rationem morbi iam aliquid fluxum eſt, & in parte aliena receptum, quemadmodum ex prædictis intelligere potuiſtis.

Quamobrem Capiuaccius audiēdus non eſt, dum ait catarrhum eſſe excrementum lædens, quia quando lædit, nō lædit vt excrementum, ſed vt mala qualitate, aut quantitate affectum, vel motu ſuo, aut quia continetur præternaturam in aliqua parte, cum quieſcit, vbi non deberet. Non igitur poteſt dici excrementum lædens.

Nec minus admittenda eſt eorum opinio, qui dicunt catarrhum eſſe fluxū à capite in alias ſibi ſubiectas partes; quia in aliquibus partibus à capite materia tranſmittitur ſecundùm naturam, vt audiuiſtis, & tamen nō eſt catarrhus. Rectè igitur ſtatuunt, qui catharrum ad ſymptoma reducunt.

A Nos igitur dicimus eſſe ſymptoma, & addentes primam differentiam determinamus, in quo nam genere ſymptomatum reponatur, nempe in excremento mutato, non tamen omni, proinde addimus tertiam differentiam, quæ determinat, cuius nam partis excrementū ſit, capitis videlicet, vel cerebri, ſed quoniam, vt dictum eſt, duplex in cerebro eſt excrementum, craſſum, & tenue, ad tenuis differentiam addimus

B craſſioris, quia eſt craſſum excrementū mutatum, non autem tenue.

Sed dicet quiſpiam, tenue excremētum, ſi copioſum fuerit, aut qualitate affectum, ita vt euaporari nequeat, condenſatur, & vbi condenſatum fuerit, cadit in cerebrum, & tandem ab eo in aliquam partem præcipitat, quare videtur dicendum à tenūi excremento fieri catarrhum.

C Reſpondeo, quod tenue excrementum duobus modis conſideratur, vel vt eſt tenue, ac ſuapte natura euaporabile, vel quatenus condenſatum eſt, primo modo ſumptum non poteſt facere catarrhum, ideo vt craſſum ab eo diſtinguamus, adiunximus prædictam differentiam. Secundo modo, quia iam eſt

D craſſum, & receſſit ob condenſationem à tenui, habet craſſi rationem, & ab illo fieri poteſt catarrhus.

Poſtremam differentiam appoſuimus, nempe mutatum, vt oſtendamus excrementum ſua quantitate debita, & qualitate naturali affectum, quod per propria loca expurgatur, non eſt præter naturam, ſed illud quod ab huiuſmodi cōditionibus mutatur.

E Poſtremo loco attulimus cauſam efficientem, vt definitionem ex forma, & efficiente conſtitueremus, de quibus qui-[illegible] dem cauſis iam a-[illegible] gendum [illegible] eſt.

DE

## DE CAVSIS CATARRHI.

Vt verò cauſas perſpicuè, & vt decet, inueſtigemus, ſcire licet ex Gal. loco citato ſymptoma iſtud ſequi morbum cerebri, prout eſt membrum ſimilare, & vt membrum organicum, vt ſimilare eſt, ab intemperie frigida, & humida; vel calida, & humida; vel à frigida ſimplici, aut calida afficitur: vt verò membrum eſt organicum, à materia obſtruente tam omnes ipſius venas, quã ventriculos.

Intemperies cerebri frigida cauſa eſt, vt colligatur materia in cerebro; nam cum cerebrum ſit inſignis molis, multã requirit alimenti copiam, quod ad ipſũ delatum non poteſt ob loci frigiditatẽ conuerti in ſubſtantiam nutriti, hinc neceſſariò colligitur: collectum autem, & in tanta copia, vt nequeat id calor dominari, vt deorſum cadat, neceſſe eſt: vnde mirum non erit, ſi ſenes, quibus cerebrum refrigeratum eſt, ſæpe catarrho tententur, cum eorum capita pituitoſis humoribus ſint repleta, quia humor ille ex frigiditate cerebri generari ſæpiſſimè conſueuit.

Calida verò intemperies alia ratione deſtillationis dicitur cauſa, quia rarefaciendi, atque ad ſe trahendi facultatẽ habet, quibus nominibus cerebrum calefactum tũ recipit à partibus internis, tum ab iiſdem trahit, eoque magis ſi cerebrum humidum fuerit; vnde Gal. 3. in 3. epid. tex. com. 22. æſtate calida, & humida impletur cerebrum, inde influit humor in ſubiectas partes, quando illud adeo repletum fuerit, vt materiã ad ſe tranſmiſſam, & attractam diſcutere non poſſit.

Vbi autem cũ frigiditate humiditas coniuncta fuerit, tunc copioſius vapores recipiuntur, qui condenſati in materiam deſtillationi aptam degenerant. Vnde Auic. fen. v. 3. tr. 1. cap. 12. de cerebro frigido, & humido loquens, dicebat, quod ſuperfluitates nutrimenti, A & vapores conuertantur in materiam deſtillationi aptam, ſicut in elãbico, eſt quod deſcendit ad recipiẽs è cucurbita, quare in ipſo aſſidui ſunt fluxus.

Humiditas igitur cauſa eſt, vt facilius cerebrum ab alijs partibus recipiat, ſiue coniungatur cum frigiditate, ſiue cum caliditate. At vbi refrigeratum fuerit cerebrum, dicitur eſſe cauſa per ſe catarrhi, vbi verò calidum fuerit, fiet B cauſa deſtillationis per conſenſum.

Antecedens igitur cauſa deſtillationis eſt materia in corpore cerebri, vel membranis, vel ventriculis contenta, continuò ad partes debiliores fluendũ parata. Proxima, & immediata illa eſt, quæ in partes deſtillationem patientes iam illapſa eſt, quæ diuerſificatur, pro vt varia eſt cerebri intemperies; nam ſi frigida fuerit materia, pituita aliquando acida, ſæpe inſipida, & dulcis pro C frigiditatis intenſione oritur, minus frigida eſt dulcis, quàm inſipida, omnium frigidiſſima eſt acida pituita.

Atqui ſi intemperies cerebri calida fuerit, ſæpe ſalſa pituita, aliquando & bilis, quamuis etiam contingat ipſam materiam variari pro diuerſitate vaporum à corporis partibus in caput delatorum, deinde congelatorum.

D Intemperies modò cerebri tam calida, quàm frigida ſuas cauſas habet, nempe primitiuas, atque etiam internas, quæ ſunt mala totius capitis conformatio, vel in magnitudine, aut paruitate, vel figura in meatibus, aut in vijs; nam caput magnum eſt cauſa maioris receptionis, ſi potiſſimùm fiat à copia materiæ, caput verò paruum debile eſt, indeque calore non admodum valido præditum.

E Primitiuæ, & exteriores cauſæ à rebus nõ naturalibus tam neceſſariò, quã non neceſſariò occurrentibus petuntur, ab aere ſcilicet nimium frigido, & humido, à cibis, qui humores frigidos generare ſunt apti. Intemperies frigida non modò in capite inducitur, & cere-

bro,

bro, ſed ſi quid in ipſo humoris ſuper-fluì repererit, totum deorſum exprimit: è contra vero calida ab aeris caliditate, à ſolis radijs, à victus ratione calefacię-te inducitur, à qua fit humorum in capite exiſtentium colliquatio: quemadmodum etiam ex medicamentis poteſtate calidis capiti, & naribus applicitis fit colliquatio.

Quæret aliquis, quænam harum intemperierum magis apta eſt ad catarrhos generandos calida, an frigida? Dicendum eſt vtramque, ſed alia, & alia ratione; nam calida à cauſis externis, frigida à cauſis internis magis apta; cum enim caliditatis ſit rarefacere, hinc huiuſmodi capita rara exiſtentia faciliùs violentiam cauſarum externarum recipiunt: frigiditas verò cum non poſſit, vt audiuiſtis, mutare alimentum in propriam ſubſtantiam, neque vaporem diſcutere, hinc facilius à cauſis internis in catarrhum incidunt illi, qui tali capite ſunt præditi. Et hæc de cauſis.

## DE SIGNIS CATARRHI.

DE ſignis modò agendum eſt, quæ ex præſentibus petenda ſunt: primò quidem à qualitatibus mutatis, & actionibus læſis: ſigna verò cauſarum, & ab his, ab exeuntibus, à qualitate ipſorum, & præſertim à tenuitate, & craſſitie, caliditate, & frigiditate, à maiori, minorique ipſius humoris fluentis copia; tandem à ſapore illius materiæ, quæ in os cadit; poſtremò à iuuantibus, & nocentibus deſumi poſſunt.

Sed cum dictum ſit à nobis plures partes defluxionem à capite ſuſcipere, in præſenti non de omnibus, ſed tantummodo de illa fluxione dicere eſt animus, quæ oris, & narium limites non tranſcendit, ſed in vniuerſum: in particulari verò videbimus de tuſſi, de dentium dolore, de gargarione, & alijs particularibus, ad quas quidem dignoſcendas particularia recenſenda ſunt.

A Nunc dico, quod qualitates corporis mutantur, hoc eſt illius partis, quæ patitur catarrhum, eorumq; actiones viciantur, vt quando catarrhus calidus ad fauces illabitur, tunc videtis fauces rubicundas cum difficultate in deglutiendo: vbi ad nares cadat, rubicundus is redditur, & tota facies, quæ etiam dolet. Si autem catarrhus fluat, & per aliquas partes illabatur extra, vt per os,

B nares, oculos, aures, ſenſui facilè ſubijcitur, & vnuſquiſque vel imperitus iudicare poterit.

Vt verò cauſæ recognoſcantur, ad capitis ſymptomata præſentia recurrendũ eſt, ad habitum corporis, ad vitam ante actam, ad anni tempus, & huiuſmodi. Quando in exemplo in ore percipitur ſalſedo, amaritudo, copiaque materiæ adſit, caputque doleat, æger ſit capi-

C tis calidi, in regione calida, cœlo calido, flante auſtro, aſſuetuſq; ſit vitam ducere laborioſam, calefaciente victu veſci, concludendum eſt materiam calidam eſſe, nempe prouenire, vel à ſalſa pituita, vel à bile, quod ab exeunte ab ore etiam confirmari poterit, ſi ſputum in ad citrinum, aut rubicundum fuerit mutatum.

D Frigidum verò demonſtrant contrariæ cauſæ, habitus pituitoſus, dolor capitis grauatiuus, ſomnus profundus, vita otioſa ſedentaria, caput frigidum, præſens temporis conſtitutio frigida, regio, victus ratio, quæ potuit tales humores in corpore generare.

Ad hæc eſt dulcedo in ore, vel inſipiditas, craſſitudo, ac viſcoſitas. Auic. inquit, quod mucus è naribus prodiẽs,

E qui aliquam commotionem faciat replendo cauitates ipſius, tenſio frontis, & naſi, nec non & locutio per naſum, quam naniſitatem appellat, ſunt frigidi catarrhi indicia, atq; ſigna euidentia.

Sed hoc loci notandum eſt, quod fluxio calida, etſi arguat intemperiem calidam, non ſemper tamen prouenit à cauſa calida; nam poteſt eſſe, quod ab

ambientis frigiditate nimia humor calidus violenter exprimatur, ac deorſum cadat, quod cognoſcitur ex deambulatione facta ad aerem frigidum, & ab alijs externis cauſis. Idem dico de catarrho frigido; nam etſi vt plurimum à cauſa frigida proficiſcatur, poteſt tamen eſſe, vt materia ab ambientis caliditate liquetur, & liquata ad aliquam partem deorſum præcipitet.

## DE FVTVRO EVENTV *Catarrhi.*

PRognoſticum non ita facilè pronunciari poteſt, cum nonnunquam homini ſanari, interdum mori cõtingat, non rarò autem inſanabilem reddi, quēadmodum raucedo, atq; grauedo in valde ſenibus, quæ ex Hipp. & Gal. 2. aph. 40. nunquam expugnantur.

Vt verò rectum fiat iudicium, quantũ humanis permittitur, recurrendum eſt in primis ad naturæ robur, & morbi vehemẽtiã: hęc deſumi poterit à ſpecie materiæ deſcendentis, & à parte, ad quam illabitur.

Deſtillatio ad fauces recens, ſiue frigida ſit, ſiue calida, in iuuenili corpore, & benè habituato, facilè curabitur; difficilius ſi in tracheam, ſeu aſperam arteriam illabatur; eoq; difficilius ſi in pulmones irrepſerit. Vnde Celſus lib. 4. c. 2. dicebat, deſtillatio in nares leuis eſt, in fauces mala, peior in aſperā arteriam, peſſima in pulmones.

Si materia ſit pauca, neq; maligna minimè fauces, aut laryngen excoriãs, ſanabilis facile eſt. Vt tandem vnô concludam verbo deſtillationes breues, ſi vt decet, curatæ non fuerint, longę fiũt, & difficilis admodum curationis.

Deſtillatio per eſſentiam à capite prodiens, vel nunquam, vel rarò curatur. Scripſit Hipp. 7. aph. 38. deſtillationes in ventrem medium ſuppurari intra viginti dies; quę ſententia intelligenda eſt, quoties materia benigna eſt, virtuſq; benè valeat.

A Si verò contingat languidas vires eſſe, materiamq; acrem, & mordacem, vel mala qualitate affectam, inſanabilis fiet affectio, vel ad mortem terminabitur, & eo facilius, & citius, vbi ad partes ſpirituales illabantur materiæ illæ, de quibus loquitur Gal. 3. epid. quæ tenues ſunt, & facultate erodentes; nam non conuenit, vt illæ maneant in pulmonibus, quouſq; concoctæ fuerint, vt B illæ, quæ ſunt ſine acrimonia: neq; etiam vt continuò excernantur, quia vbi intus manſerint, non facilè coquuntur, viſcuſq; exulcerare videntur, cum verò excernuntur, tuſſes excitant contentas, vehementeſq; ob quas caput repletur, repletumq; rurſus ad pulmones demittit deſtillationem, ita vt periculum ſit, ne ob eam, quæ per tuſſim eſt, contentionem vas aliquod rumpatur.

C Inquiſitione dignum eſt, cur ſit, quod Hipp. 6. epid. 2. tex. 41. ſcribat, quod illi, qui catarrho laborant, minimè ſplenitici fiunt? An dicendum, vt Rufus, & Sabinus reſpondent, hanc ſententiam intelligendam eſſe de coriza, ideoque ſanguinem illum, qui ad nares fluit, per eaſq; expurgatur, non poſſe ad lienem pertinere?

An verò dicendum eſt cum Gal. ſen- D tentiam vniuerſalem eſſe faciendam, vt ſenſus ſit omnes illi, qui patiuntur catarrhum, ſunt à tumore lienis liberi, eo quod rariſſimum ſit in corpore duas partes imbecillas reperiri? nam ut plurimum contingit vnum membrum tale eſſe, ad quod vbi plenitudo, aut cacochymia in corpore fuerit, omnia ſuperuacua ad ea tranſmittuntur. Cum igitur pars illa, ad quam fluxio à capite ir- E ruit, debilis ſit, omnia ſuperflua in eam transferuntur, hinc eſt, quod lien immunis à tumore ſeruetur.

Sed huiuſmodi reſponſio non ſerenat intellectum, quia idem de alijs partibus erit dicendum, quando vna patitur non poſſe aliam pati, quod tamen quotidiana experientia contrarium oſtẽdit.

Exiſtimo cum eodem Gal. & Auic. fen. 5. 3. tract. 1. cap. 12. eſſe dicendum contingere eos, qui catarrhum patiuntur humoribus tenuibus, ac fluxibilibus, pituitoſis, & aquoſis eſſe repletos, ad faciendum verò tumorem in liene requiri materiam craſſam, ac proinde illos, qui à catarrho moleſtantur, non pati tumores lienoſos.

## DE CVRATIONE CATARRHI, per victus rationem.

AD curandum catarrhum Meſues lib. 2. cap. 8. ſcriptum reliquit duplici regimine vti oportere, communi nempe, atque proprio. Commune regimen ſex curatiuis intentionibus compleri admonet, quarum prior reſpicit conuenientem victus rationem; ſecunda materiam alterat eam adequando, & coquendo; tertia eandem abſcindit, vel ſaltem diminuit euacuando; quarta diuertit à parte læſa in alteram; quinta fluxum abſcindit; ſexta, & vltima remouet accidentia.

Quæ ſex intentiones ad methodum noſtram facillimo negotio rediguntur; nam prima intentio mediante diæta perficitur; ſecunda ad eam pharmaciæ partem ſpectat, quæ alterat; tertia, cum euacuando procedat, tum ad pharmaciam, tum ad chirugiam refertur, ſed alia, & alia ratione; per pharmaciam enim illi ſatisfacimus medicamento purgante, quando materia ſua quantitate, & qualitate citra ſanguinis admixtionem peccat, per chirugiam verò quando ſanguis peccat, vel vt cauſa præcipua, vel vt adiuuans, vel vt cauſa ſine qua non: licet in præſenti caſu ſanguis non poſſit peccare vt cauſa principalis.

Quarta intentio modò per eam chirurgiæ partem, quæ localia adminiſtrat, modò per ſectionem venæ: quinta verò per ſola localia perficitur.

Sexta, & vltima per omnia inſtrumenta medicinæ tollitur, quia cum medicus

A cus in cura regulari, & ordinaria debeat cauſas reſpicere, primò verſatur circa antedentis ablationem, deinde ad coniunctam ſe conuertit.

Pars illa medicinæ, quæ vtriq; ſatisfacit indicationi, non eſt vna, & eadem; nam quæ verſatur circa antecedentem, continetur ſub illa medicina, quæ præuidet, & inhibet auctionem morbi: hæc

B verò omni vtitur medico inſtrumento: primò quidem diæta, quæ prohibet generationem cauſæ antecedentis.

Secundò vtitur pharmacia, quæ illud cauſæ antecedentis, quod in corpore reperitur paratum, vt morbum augeat, prohibet; ne ad partem, quæ morbum facit, feratur. Id autem fit euacuando à corpore, vel à parte affecta in aliam retrahendo, vel deriuando, vel

C reuellendo, vt alios dictum eſt.

Ille igitur, qui norit cauſam antecedentem, quæ eſt indicans præſeruatorium, habebit omnes prædictas intentiones, poteritq; illi ſatisfacere; nam vbi amputata fuerit cauſa, ſiue per prohibitam ipſius generationem, ſiue per extraductionem è corpore, aut aliunde retractionem, vtique omnibus hiſce intentionibus ſatisfactum fuerit; potiſſimùm ſecundæ, tertiæ, quartæ, & ſex-

D tæ; quintæ verò intentioni per localia medicamenta ſatisfacimus.

Qui docet ſatisfacere intentionibus prædictis, docet quidem curare morbũ, ſed non procedit per indicationes apertè cognitas, nec medendi methodum ſcholaribus aperit. Cum verò catarrhi à nobis inquiratur medendi methodus, opus eſt, vt eam vobis ex natura

E rei acceptam demonſtrem.

Catarrhus eſt fluxus excrementi craſſioris capitis immodicus, vel cum humoribus ad ſubiectam aliquam partem, omni propterea ingenio curandum eſt vt compeſcatur, quod vt fiat, cauſam perquirere illicò conuenit, quæ vel eſt in capite, & cerebro, vel in excremento, aut in parte recipiente, vel in dua-

bus, vel in omnibus ſimul, nempe in capite, & excremento, vel etiam in parte recipiente.

Sum equidem huius opinionis, quod ſi fluxus hic ex capite malè affecto contigerit, ſtatim explorandam eſſe læſionis ſpeciem, quæ duobus modis efficitur; nam vel ita cerebrum affectum eſt, vt congerat excrementum; vel aliunde humorem accipit, qui inde deorſum deſtillat: quare ſtatim vna ex iſtis indicationibus inſurgit, quæ oſtendit nobis ita operandum eſſe, vt non amplius cerebrum congerat; ſed illud ita eſſe tractandum, vt perfectè alimentum concoquere valeat.

Altera verò eſt, vt curemus, ne amplius ab alijs partibus recipere poſſit. Si verò eueniat catarrhus ratione excrementi quantite peccantis, tunc quantitas amputanda eſt: ſi qualitate, quæ calida ſit, acris, & mordax, peccet, vt ne queat contineri à cerebro, tunc ſtudendum eſt, vt qualitati ſuccurratur.

At ſi partis ratione eueniat, quæ vel doleat, vel nimium calida ſit; huic parti medicis operibus eſt ſatisfaciendum; nempe mitigando dolorem, aut refrigerando: quæ methodus medendi ex ſe clara eſt, quoniam exorditur à cauſarum ablatione.

Verùm ſi omnes iſtæ cauſæ concurrant, dicet iūnior, qua methodo medendi debeo curationem inſtituere?

Pro intelligentia ſcire oportet, quod Gal. 4. meth. med. docuit in complicatis morbis opus eſſe intueri, an aliquid ſit, quod vrgentis rationem habeat, vel non: ſi primo modo ei, quod vrget, primò reſpiciendum eſt, alijs non neglectis, vel quandoque neglectis, quemadmodum vobis exēplum afferebam ex Gal. vbi oſtendebam punctionem in muſculi capite factam, & cauſantem cōuulſionē.

Ibi enim adeſt conuulſio, & punctura: punctura eſt vlcus quoddam, quod de ſe nō poteſt mortem inferre, ſed conuulſio poteſt. Ad tollendam conuulſionem

A oportet medicum maximè, & primò intentum eſſe, non modò vlcere ſpretos ſed etiam damno, quod ex muſculo ſecto euenire poſſet, quod eſt priuatio actionis illius muſculi, ſcilicet motus membri, quod muſculus mouebat.

In catarrho igitur curando ad id, quod magis vrget, reſpicere oportet, & illud primò curandum: atqui ſi nullum adſit vrgens, primò ad id reſpiciemus,
B quod habet rationem cauſæ efficientis, & præcipuæ, ſine qua non alij affectus curari nequeunt: quemadmodum nobis hanc morborum complicationem exemplo ab vlcere deſumpto illuſtrat Gal. vbi enim vlcus adſit cauum, inflammatum, ſordidum, curatio ſumenda eſt ab eo, quod cauſæ ſine qua non rationem habet; illud autem eſt inflammatio,
C quia vlcus abſtergi non poteſt, niſi intemperies tollatur, nec repleri carne, niſi abſterſum ſit, nec tandem conſolidari, niſi carne repleatur.

Quare ordo curationis ab intemperie deſumendus eſt alijs indicationibus non neglectis: ac in catarrho ea agendum eſt ratione, vt primum cauſam tollamus præcipuam, deinde eam ſine quā non; quæ eſt cerebri intemperies, &
D partis recipientis dolor, & calor, necnō qualitas excremēti, eiuſdemq; quātitas.

Primùm tractandum eſt de cauſis ſimplicibus, ex quarum recta curatione facilè innoteſcere vobis poterit complicatarum curatio.

Dictum fuit cerebrum colligere excrementa, & ab alijs partibus recipere quod duobus, aut tribus modis illi contingit, quemadmodum & omnibus alijs
E partibus euenire conſueuit; vel quia alimentum idoneum non concoquit ob debilitatem virtutis concoctricis, vel quia excrementa colligit, vel quia meatus illi, per quos ordinaria excrementa expurgari conſueuerunt, ſunt obſtructi.

In primis igitur opus eſt curare, vt in bonum ſanguinem alimentum conuertatur: hinc victus ratio inſtituenda eſt, quæ

quæ apta ſit cerebrum perfectè, & decenter nutrire. Sed ea, quæ huic affectioni debetur victus ratio, ſatisfacit frigidæ intemperiei; necnon obſtructioni meatuum; nam debet eſſe attenuans, & exiccandi facultate prædita, qua non modo cerebrum nutriri perfectè poterit; ſed etiam tollitur intemperies frigida; atq; opem fert ad tollendam obſtructionem.

Dicamus igitur in cerebro malè affecto ob ciborum craſſorum qualitatem, & copiam, frigidamq; ipſius intemperiem eandem victus conuenire rationem, quam cap. de dolore capitis à materia frigida, cap. de apoplexia, & alibi ſtatuimus.

Primò igitur aer nubiloſus, frigidus, borealis, & auſtralis, quantum fieri poteſt, euitandus eſt, vnde Celſus dicebat lib. 1. cap. 5. poſſe euitari grauedines, & deſtillationes, ſi quam minimè fiat aeris, locorum, & aquarum mutatio, ſi caput rectè ab aeris iniuria tuteris, ea ſcilicet ratione, vt ne à nubilo aere in repentinum frigus incidat ille, qui catarrhis diſpoſitus eſt.

Auicenna circa cibum,& potum duo imperat obſeruanda, vnum eſt, ne ægrotantes nimio cibo impleantur, ne vapores caput in tanta copia tentare poſſint: & ſubiungens ait eos, qui catarrho affecti ſunt, debere famem tolerare.

Vnde affectus homo bis in die comedere melius eſt,& parciori vti cœna, vt calor minimè à cibo occupatus poſſit materiam catarrhi diſcutere.

Admonet ſecundò Auicenna, vt circa potum aquæ gelidæ ſit æger temperatus, quia ſic frigefacta non modò partes neruoſas lædit, verùm materias craſſas, à quibus catarrhus proficiſcitur, veluti congelat, atq; condenſat.

Admonet Celſus à cibo aſſumpto nõ eſſe legendum, nec ſcribendum (intelligite ſtatim) quemadmodum etiam Auicenna inhibet ſomnum meridianũ, vt ſummè nociuum, quia in ſomno ma-

A teriæ crudæ in caput euaporant, quæ ibi condenſantur, & augent materiam catarrhi, longis tamen diebus, & æſtiuo tempore meridianus ſomnus quandoque prodeſt, potiſſimùm aſſuetis, at modicè admodum, quoniam calor tam breui tempore retrahi intus non poterit, ita vt magna vaporum copia eleuetur, quod facilè contingeret, ſi diu dormiret.

B Hinc eſt, quod Auic. dicebat cœnam parciorem prandio eſſe debere, & per tres, vel quatuor horas poſt cœnam cubandum eſſe; quia tunc materia pauca eſt, à qua poſſint eleuari vapores; nam vt aliàs vobis ſignificaui, caput frigidum impotens eſt ad eos diſcutiendos, qui condenſantur, & catarrhum augent.

C Hinc igitur eſt, quod modicè admodum à prandio dormiendum ſit; & parcè cœnandum. Non diſputo nunc, an melius ſit vberiùs cœnare, quàm prandere, vel è contra, cùm huiuſmodi quæſitum non poſſit ita liberè determinari ob variam indiuiduorum naturam, conſuetudinem, atq; ſpeciem morbi.

In primis enim ex communi omnium practicantium reſolutione illi, qui pa-
D tiuntur catarrhum, vel capitis affectionem, parciùs cœnare debent, lautiùs prandere: vnde Auicenna cap. de epilepſia ſcripſit, quod ille, cuius conſuetudo non tolerat, vt ſemel reficiatur, diuidat cibum ſuum, qui eſt minor refectione ſua in tres partes, & ſumat duas in prandio,& tertiam in cœna poſt exercitium leue.

Ex quibus habemus cibum in epilep-
E ticis debere eſſe minorem, quàm in ſanis, vbi inquit, eſt minor refectione ſua, vel quod ſit minor refectione ſua, ideſt, non ſit tantus, vt ab eo refici poſſit æger. Deinde dicit in tres partes diuidendum eſſe, cuius duæ in prandio, & vna in cœna aſſumatur, quaſi quod inferre velit melius eſſe, vt ſemel iſti cibum capiant in dies, & mane, ne in ſom-

no vapores ad caput ferri,& eleuari poſ ſint materia ipſorum deficiente.

Deinde conſuetudo, cum ſit altera natura, aliquid in cibandis, tum ægris, tum ſanis facit, quamuis mala conſuetudo poſſit mutari in meliorem paulatim; nihilominus maximam vim habet in nutriendis ægris,& ſanis, vnde Hipp. 1. acut. reſpicere oportet (dicebat) ægrotantes, an conſueti ſint ſemel, aut bis in die cibum aſſumere,& ſecundum eorum conſuetudinem eos cibare debemus, itaut illis, qui aſſueti ſint ſemel in die cibum capere, melius eſt ſemel cibum offerre eo tempore, quo aſſueti ſunt.

Quod modò ad naturam ſpectat, ſunt, qui abſolutè exiſtiment longè plus cœnandum eſſe, quàm prandendum: alij verò non ita ſimpliciter reſpondent, ſed ad temperamentum refugientes dicunt pituitoſos indigere maiori prandio, ne multitudine pituitæ,& cibi calor per ſomnum ſuffocetur;bilioſi verò è contra.

Verùm exiſtimo non eſſe rem ita indiſtinctè definiendam, ſed ex natura rei eliciendam; nam cum ad nutritionem faciendam duo ex neceſſitate requirantur, concoctio videlicet,& diſtributio, ac concoctio fiat per facultatem; diſtributio verò mediantibus vijs, per quas alimentum concoctum ferri debet, aliquis poterit habere vtramque prærogatiuam,concoctionem nempe fortem,& facilem diſtributionem,hoc eſt,vias amplas: vel cum fortitudine coctionis in vaſis aderit mediocritas, vel anguſtia: vel concoctio mediocris erit cum amplitudine, vel anguſtia vaſorum: vel eadē concoctio debilis eſſe poteſt cum amplitudine, mediocritate, vel anguſtia vaſorum.

Hoc poſito ſciendum quoq; eſt,quod ad concoctionem faciendam quies requiritur, ad diſtributionem magis motus. Vbi igitur robuſta eſt facultas, propter;caloris naturalis vehementiá cum

A bono temperamento,viæq;latæ fuerint, magis cœnandum eſt, quàm prandendum, quia vtraq; actio facilè celebrari poterit. Vbi verò concoctio fortis fuerit cum anguſtia, aut mediocritate, magis prandendum eſt, quàm cœnandum, quod diſtributioni potius attendendum ſit, quàm concoctioni: vbi mediocris, aut debilis ſit cum anguſtia, aut mediocritate, magis ſtudendum eſt diſtribu-
B tioni: vbi deniq; debilis ſit concoctio, ei eſt ſuccurrendum, hinc eſt quod modò prandendum plus eſt, minuſq; cœnandum, modò è contra magis cœnandū, minus prandendum.

De ſitu autem dormientium, communis medicorum ſchola reprobat cubitum ſupinum,laudat magis lateralem, quia in ſupino decubitu catarrhus magis deſcendit: in latere, verò vbi quis de-
C cumbat, ſiue in ſiniſtro, ſiue in dextro non ita affligit.

Huius rei inquirens rationem Capiuaccius ſcribit in ſupino ſitu incaleſcere renes, & venam cauam, à quibus eleuantur vapores, & feruntur in caput.

At eſto, quod incaleſcant renes, & vena caua, non tamen tam facilè eſt videre, quo modo ſtatim incaleſcant, ita vt illicò,qui ſupinus decumbit, à deſtil-
D latione moleſtetur?tam breui enim tempore non poſſunt calefieri renes: deinde dato, quod calefiant, ad hoc vt vapores condenſentur, atq; in aquam coeant, vel in materiam pituitoſam, requiritur longum tempus.

Quare huius ſymptomatis cauſa non videtur in vapores reijcienda, ſed alia eſt excogitanda ratio, quam puto non aliunde deſumendam eſſe, quàm
E ex ipſa anatome; ratio eſt quia, vt inducatur, aut tuſſis, vel præuia quædam via ad ſuffocationem,quę ſunt ſymptomata catarrhoſis euenientia, neceſſariò requiritur,vt materia aliqua à capite ad fauces præcipitet, & ad aſperam arteriam.

Illa ſiquidem, vt in aliquo loco iam

iam

iam facta ſit oportet, & collecta, quæ deinde ſitus huius ratione deorſum delabatur, quia ſi deberet generari, non tam ſubitò, qui decumbunt ſupini, moleſtiam perciperent: ergo ſequitur, quod illicò etiam materia deſcendat, quod non contingeret; ſi nulla adeſſet materia, ſed ex vaporibus ſurſum delatis generari oporteret: quare ſequitur materiam iam factam eſſe, & in aliqua parte collectam.

An dicendum ſit partim materiam contineri in ventriculis anterioribus cerebri, aut (vt melius loquar) in maxima illa cerebri cauitate, quæ anterius ad oculos vſq; expanſa eſt, & à lateribus ad aurium vſq; regionem; partim in ſubſtantia cerebri, quæ generata eſt ex vaporibus condenſatis, & ex alimenti copia?

Hæc etſi in duobus iſtis locis contineatur, alia tamen ratione eà, quæ eſt in corpore cerebri, ad cauitatem illam inſignem deſcendit, quia paulatim illabitur: iſta verò, quæ in cauitate iam collecta eſt, ſubitò deorſum illabitur, & ad fauces præcipitat, quia dum homo rectus incedit, materia hęc nihil dimouetur, aut ſaltem deorſum per meatus ſibi deſtinatos ſenſim deponitur, neq; violentiam facit ad fauces, niſi ſit admodũ copioſa, vel qualitate quadam malè affecta.

Vbi verò ad latus decumbat quis, in illam capacitatem tota colligitur, nec deorſum deſcendere poteſt: at ſi quis ſupinus ita reuoluatur, vt capitis pars illa quæ occiput appellatur, iteratum attingat, tunc pars cerebri anterior eleuatur, & materia, quæ intus reperitur, deorſum cadere neceſſarium eſt, & tota, & affatim, quæ ad coanam, & pyelũ, & ad partes circumuicinas delata, ad fauces, & tracheam præcipitat, proq; ipſius maiori, & minori copia modò tuſſim, modò periculum ſuffocationis inducit. Et hæc eſt eſt ratio ſupini decubitus, & materiæ ad fauces lapſus.

A An modò catarrhoſi debeant decumbere capite eleuato, aut prono, adhuc quæſtio eſt. Alij enim dicunt melius eſſe nihil capiti ſubijcere, ſed totum corpus cum capite in eodem ſitu reponere, vt caput totum ſit ab inſultu vaporum. Alij è contra exiſtimant ſemper puluinar capiti eſſe ſubijciendum, ne tanta copia materiæ ſenſim colligatur, quæ deinde expergefactis ægris, & à lecto re- B ſurgentibus tota, & repente deorſum ad fauces, & aſperam arteriam præcipitet.

Horum omnium ratio eſt fortè vera; nam orthopnoici nequeunt dormire niſi erecta ceruice, vnde vt eorum corpus requiem ex ſomno habere poſſet, certè non improbarem, vt in latus decumbentes nihil ſub capite haberent, quia inhiberetur, ne præceps materia cade- C ret, & dormire aliquo tempore poſſent, & forſan in ſomno fieret aliqua vaporum diſcuſſio.

Alijs verò, in quibus non tanta eſt dormiendi, aut quieſcendi neceſſitas, ne fieret tanta humorum in cerebro collectio, exiſtimarem non eſſe ab re ſub eorum capite aliquid ſubijcere, vt reliquo corpore eminentius eſſet; adhoc vt materia, quæ ſenſim generatur, ſen- D ſim quoq; deſcendere poſſet, & per prædictos meatus expurgari.

Sed quamuis de ſitu in ſomno ſeruando dictum ſit, nihilominus expedientius eſt vigilare. Et hæc de victus ratione peculiari ſeruanda, in reliquis ita, vt diximus capite de epilepſia, agendum eſt; aer enim talis eſſe debet, qui euitet omnem in caliditate, & frigiditate exceſſum, magis tamen ad ſiccum, quã E ad humidum declinet à ventis omnibus remotus.

Circa cibum ſi materia ſit calida, is refrigeràs eſto, vt eſt ptiſana hordeacea tam integra, quàm ipſius cremor, carnes pullorum eſſe debent, in quibus ebulliant ſimplicia refrigerantia, de quibus alibi ſatis. Si verò materia ſit craſſa, non-

nonnihil ex attenuantibus eſt addendū ſicuti diximus alibi. De potu idem quoque atque alibi.

Animi affectiones euitandæ: quies à principio ſeruanda, frictiones tamen in vſu ſint, nodi doloroſi quoq; ad brachia, ad crura, cucurbitæ cruribus, & natibus applicitæ. Tandem clyſteribus ad reuellendam materiam vtendum eſt: v. g. in materia frigida parari poteſt ad hunc modum.

℞. fol. parietariæ,
Betæ, ana manip. j.
Centaurij mino.
Calamenthi,
Saluiæ, ana manip. ſſ.
Pulpæ colocynthid. vnc. ſſ.
Fiat decoctio ſecundùm artem.
℞. huius decocti lib. i.
Pil. cochiarum drach. iij.
Hiera picræ
Benedictæ, ana vnc. ſſ.
Olei rutacei.
Mel. roſ. col. ana vnc. ij.
Fiat clyſter. addendo ſalis gemmę drach. j.

Pro materia verò calida reuellenda à capite.

℞. maluarum,
Violarum, ana manip. ij.
Sem. melon.
Scariol. ana drach. ij.
Rad. oxolidis, vnc. j.
Althææ.
Hordei, ana vnc. j. ſſ.
Furfuris parum fiat decoctio.
℞. decoct. huius lib. j.
Diacaſſiæ vnc. j. ſſ.
Olei, & mellis viol. ana vnc. ij.
Butyri vnc. j.
Salis drach. j.
Fiat clyſter.

Et hæc ſatis pro victus ratione in materia tam calida, quàm frigida. Accedo ad pharmaciam, & primò afferam ea omnia, quæ faciunt pro curatione catarrhi frigidi, dicturus poſtea de ijs, quę ſpectant ad curationem catarrhi calidi.

A

## DE CVRA CATARRHI FRIGIDI per pharmaciam.

Quo ad pharmaciam attinet, vna pars eſt, quæ alterat humorem frigidum, altera quæ eundem euacuat, ac diſſipat, tertia tandem, quæ partes malè affectas corroborat tàm pręſidijs intus aſſumptis, quàm extra admotis.

B Pars alteratiua debet habere facultatem calefaciendi, & attenuandi, ad quod facit.

Syrupus de praſſio,
Iuiubis,
Adiantho,
Hyſſopo,
Bettonica,
Corticibus citri,
Scordio,
C Calamintha,
Cum aquis ſaluiæ,
Roſmarini
Hyſſopi,
Sampſuci,
Bettonicæ,
Et ſimilibus. vt
℞. ſyr. de bettonica comp.
Hyſſopo,
D Cort. citri,
Praſſio ana vnc. ſſ.
Pro vno hauſtu.

Præparata materia extra corpus ducatur medicamento, ſiue ſub forma potus, ſiue boli, ſiue pilularum: tamen ſub forma pilularum magis arridet: ideo probo,

Cochias;
De agarico cum hiera Rufi.
E Alephanginas,
Arabicas,
Aſſaiaret,

Sine quibus. Gal. cōmendet pilulas colocynthidos, quarum omnium doſis elicitur penes varias vires, ætates, habitus corporis, &c.

Si verò ęgrotantes malint potionem.
℞. fol. maior.

Saluiæ,
Bettonicæ, ana pug. j.
Cort.myrobal.chebul.
Bellir.ana.vnc.ſſ.
Turbith. ſcrup. ij.
℞. huius decocti vnc.iij.Infunde
Agarici trochiſc.
Rhabarb.ana drach.j.
Miſce, & infunde per totam noctem,
& facta forti expreſſione diſſolue
Mel. roſ. ſol.vnc.iiij.
Diaphœnici,
Diaturbith.ana drach.j.
Fiat potus breuis.
Sub forma boli.
℞. Diaphœnici,
Diacarthami.
Hieræ picræ, ana vnc. ſſ.
Cum ſaccharo,fiat bolus.
Pilulæ.
℞.pil.cochiarum,
Alephangin.ana drach.j.
Trochiſc. alhandal. drach. j.
Fiant pilulę num. ix. aurentur,

Materia autem coniuncta, quæ eſt in capite euacuanda venit media aliqua deriuatione, ad nares verbi gratia,ad palatum,&c.pro vt diuersè fluxerit;nam ſi ad nares fluat,ad palatū reuellēda eſt; ſi verò ad fauces,ad naresderiuāda venit.

Conſiderandum tamen eſt,an materia exiſtat in excauata parte cerebri, vel adhuc eſt in ſubſtantia, id eſt in corpore ipſius. Si eſt in cauitate, & fluat ad fauces, quoniam per eundem locum deſcendit,per quem ad aſperam arteriam, & palatum ferri conſueuit, ideo non video, quomodo ipſa deriuanda ſit; nam ſi illac traheremus, augeretur potius affectio, eſſetq; cum periculo faucium, tracheæ,atq; pulmonum, quare per eandem partem non licet nobis deriuare.

Verùm ſi ad cerebri corpus eſſet, eoque deſcenderet per inſenſibiles vias,& poros ipſius cerebri, perueniretq; ad oſſa ethmoidea, ſupra ſcilicet narium regionem, poſſet quidem deriuari à corpore in ventriculos cerebri, & ab ijs ad

A coanam, & denique ad os. Poſſet etiā reuelli, & ſimul deriuari per viam ſenſibilem, per cauterium nempe inter primam, & ſecundam ceruicis vertebram ferro candente factum.

Cæterum quoniam à corpore ad vētriculos cadit, poſſemus vtique ad nares, antequam in ventriculos deueniret, ducere per ſternutatoria, Eadem ſanè materia diſſipatur, atque exic-
B catur quibuſdam medicamentis naribus applicatis. Sternutatoria fiunt ex rebus actu humidis, vel ex ſiccis.

Liquores ad id facientes,
Succus fol. perſici,
Betæ,
Maioranæ,
Mercurialis,
Vel
C ℞. Pulegij,
Calamenthi,
Origani ana manip. j.
Florum ſtæchados.
Anthos ana pug. j.
Rad. pyrethri
Ireos,
Agarici ana drach. ij.

Ebulliant in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumpt. tertiæ partis; dein-
D de coletur;addendo parum mellis anthoſati, vel ſcyllitici; curetur, vt per nares attrahatur.

Naribus quoq; applicanda ſunt odorabilia cum ſtyrace,
Olibano
Xyloaloe,
Moſco,
Vernice.
Ladano,
E Fiat pomum.
Vel
℞. Ladani,
Vernicis, ana vnc.ſſ.
Xyloaloes, drach. j.ſſ.
Ambræ, drach. j.
Trochiſ. galliæ muſcat.drach.iij cum glutine,
Gummi arab.

Et

Et tragacanthi,
Fiat pomum.
Sunt quoq; ſuffumigia, quæ his rebus parari poſſunt, nempe
Styrace,
Olibano.
Xyloaloe,
Nigella,
Coſto,
Sandaraca Arabum.
Deriuatur materia ad palatum per apophlegmatiſmos, & maſticatoria, quorum quædam ſimplicia ſunt; quædam verò compoſita.
Simplicia fiunt ex
Pyrethro,
Lepidio,
Naſturtio,
Pulegio,
Aſphodelo,
Pipere,
Coriandro,
Maſtiche,
Et ſimilibus.
Compoſita, vt
℞. Maſtiches,
Piperis albi,
Zingiberis,
Pyrethri,
Redigantur omnia in ſubtiliſſimum pul. & cum medulla vuarum, quantum ſufficit, excipe, & fiant paſtilli.
Validum maſticatorium compoſitum eſt id.
℞. corticis capparum,
Foliorum lepidij, ideſt iberidis,
Piperis nigri,
Pyrethri
Rad. aſphodeli,
Zingiberis.
Caryophyll.
Cardamomi ana drach. ij.
Maſtiches vnc. 1.
Fiant omnium puluis, & cum cera ſecundùm artem fiant paſtilli.
Hic ſcribit Meſues ſpicam in ore detentam per noctem ſolam ſedare catarrhum.

A Sed præter maſticatoria, & apophlegmatiſmos in materia frigida à me ſæpius repetitos, gargariſmata magis probatur: & in hoc caſu illud, quod Meſues proponit, maximè laudo, quod ex vino, in quo myrrha, vel olibanum, id eſt thus, & ſandaraca ebullierit.

Sed notate, ne decipiamini, in ſandaraca accipienda, quia alia eſt Græcorum, alia Arabum: apud Græcos nihil B aliud eſt, quàm auripigmentum, aut arſenicum, quod intér corrodentia, & exitialia medicamenta connumeratur: ſandaraca verò Arabum eſt iuniperi gummi, quod prorſus aſſimilatur maſtichę, & vernix appellatur, quæ fere eadem calefaciendi, atque exiccandi facultate pollet.

Ne igitur iuniores in legendis authoribus decipiantur, volui hanc ſandaraC cæ differentiam innuere: vnde in pręſenti caſu notum eſt, quod recurrere debemus ad illam Arabum, quæ vernix vulgò dicitur: Græca autem tanquam perincioſa cuitanda.

Sed quoniam non modò curandum eſt, vt per has partes materia deriuetur; ſed etiam quando præcipitat ad fauces admodum craſſa, vt foras violenter extrahatur, ideo vt perfectiùs excreari poſD ſit, attenuanda eſt cum oxymellite ſimplici, ſquillitico, vel diatracagantho calido, loch de pino, loch ſano, quod ſub lingua poſitum mirificè prodeſt.

Cum verò vt plurimùm hic catarrhus raucedinem faciat, propono vobis ſequens elambitiuum valens in hoc caſu.
℞. theriacæ, drach. j.
Diatrag. drach. ij.
Miſce, & cum vino, in quo mel, vel E paſſulæ ebullierint, fiat lambitiuum.

Antequam deueniam ad externa pręſidia habeatis tanquam efficax præſidiū pro hac materia frigida exiccanda decoctum guaiaci, ſalſæ parillæ, radicis chinæ, ſaſfras cum ſimplicibus quibuſdam præparatum, quæ non modò materiam reſpiciant, ſed partem affectam, nempe

pe caput, eiuſque partes internas.

Eidem indicationi alia quoq; ſatisfaciunt medicamenta alterantia, ſed alia ratione; nam partes corroborant; quæ corroboratæ materiam extraneam expellunt, aut conſumunt, quemadmodum ſunt conſeruę, electuaria, quæ exhiberi poſſunt ſingulo mane cum prędicto decocto, vt

Conſerua Bettonicæ,
Saluiæ,
Stœchados,
Roſmarini,
Florum lauendulæ,
Electuarium Diambra,
Mithridatium,
Theriaca
Diacaſtorium,
Diacorum,
Confectio anacardina,
Alexandrina,
Aromaticum roſatum.

Venio modò ad ea, quæ exterius applicata materiam diſcutiunt, atq; exiccant, necnon & partem corroborant, quæ ſub forma embrocationum, emplaſtrorum, inunctionum, ſacculorum, ceratorum, & cucupharum parti capitis exteriori adminiſtrari poſſunt.

Ex embrocis aliæ ſunt naturales ex aquis thermalibus, nempè vel ex Cęſena, vel Lucenſi agro Diui Philippi, ex agro Senenſi, aut Diuæ Mariæ in Flaminia, vel Porectæ in agro Bononienſi, vel tandem Saccæ oppidi Siciliæ.

Arte fiunt ex aqua, vel lixiuio facto ex vitium ſarmentis, in quo ebullierint huiuſmodi ſimplicia.

Flores chamæmeli,
Roſmarini,
Stœchados,
Bettonica,
Iua,
Saluia,
Maiorana,
Origanum,
Melanthium,

Quod decoctum curabitis, vt ex alto A cadat ad ſuturæ coronalis, & ſagittalis regionem: poſt ipſam irrigationem inungi poterit caput ex Gal. cum cerato facto ex tapſia, aut illo, quod ex fimo columbino proponit,

Mihi ſummopere arridet ceratum illud, quod Montagnanæ adſcribitur, quod conſtat ex his.

℞. ladani,
Gummi helenij, ideſt enulæ campanę
B Styracis calamitæ,
Liquidæ,
Vernicis ſolidæ,
Thuris,
Myrrhę ana drach. ij.
Fiat ceratum ſecundum artem.

Vel inſpergi poteſt caput puluere Montagnanæ.

℞. Pulegij,
Calamenthi,
C Corticum citri.
Maioranæ,
Sthœcados,
Bettonicæ,
Caryophyll.
Gummi arabici,
Sandaracæ Arabum.
Fiat omnium puluis.

Sacculus, aut cucupha ad idem valens poterit parari ex ſequentibus, exempli D gratia.

℞. Bettonicæ,
Saluiæ,
Meliſſæ,
Iuæ,
Florum ſtœchad.
Maioranæ,
Lauendulæ,
Origana. manip. j.
Roſarum, manip. j. ſſ.
E Macis,
Thuris,
Cocci infectorij, ana drach. ij.
Caryophyll.
Nucis muſc. ana ſcrup. ij.
Gummi iuniperi,
Baccarum lauri, ana ſcrup. iiij.
Fiat omnium puluis ſubtil. quibus fiat

cucupha, vel ſacculus ex ſerico pro capite.

Qui ſacculus, vel cucupha ſemper capite geſtetur. Reliquum modò eſt, vt eandem curationem per pharmaciam inſtituamus pro calido catarrho.

### DE CVRA CATARRHI CALIDI per pharmaciam.

Sequens pharmaciæ inſtrumentum pro calido catarrho humorem euacuare, parteſq; corroborare debet.

Primò antecedens materia eſt pituita admixta bili, vel eſt pituita per adustionem ſalſa, quæ quamuis nonnunquam craſſa ſit, eſt vt plurimum tenuis, poteſt tamen alterari, incraſſari nempe, vel refrigerari.

Sed quoniam, vt alibi diximus, humores tenues poſſunt à principio educi, quando copia, vel motu peccant, ideo in hoc caſu pro loci, ad quem catarrhus fluit, diuerſitate varijs catharticis vti poſſumus partes reſpicientibus: cum verò non de omni deſtillatione ſermonem habeamus, ſed de ea, quæ ad fauces, & nares fluit, ideo dicimus, quod vbi pituita ſit admixta bili, tali poſſumus medicamento vti.

℞. agarici albi opt. vnc.ſſ.
Aquæ lib.j.
Fiat decoctio.

℞. huius decocti, vnc.iiij. infunde
Rhabarb. maturi, drach.ij.
Facta forti expreſſione diſſolue.
Syr. roſ. ſol. vnc. vj.
Vel mannæ, vnc. vj.
Vel
℞. Agarici trochiſc.
Rhabarb. matur. drach. j.
Cathart. roſ. quantum ſufficit
Fiant pilul. num. v.

Si vultis validiora, recurrere poteſtis ad pilulas.
Cochias,
De agarico,
Sarcacolla,

A Affairet,
Sine quibus, &c.
vt
℞. Pil. ſine quibus.
Affairet, ana drach. j.
Cum cathart. roſ.
Fiant pil. num. vij. aurentur.

Si materia mixta ſit, & ad craſſitiem tendat, præparetur cum his, & ſimilibus ſyrupis, vt eſt,

B Syr. capill. ven.
Acet. ſimpl.
Borrag.
Roſis ſiccis, &c.

Præparata materia educenda cum aliquo medicamento ad id apto, de quo alibi ſatis dixi.

Si materia prorſus ſit tenuis, incraſſanda venit,

C Syr. viol.
Liquir.
Papaueris,
Portulacæ.
Plantaginis, &c.

Si non vultis vti ſurupis, paráte iuſcula galliculorum, in quibus ebullierint ſimplicia eandem intentionem habentia, & hoc modo poteſtis materiam incraſſare, eiuſq; remittere acredinem.

D Sed quia materia hæc tenuis, ſemper acris, & mordax eſt, quæ, vbi in fauces, laryngem, & pulmones cadit, eos excoriare conſueuit, peritiores practicantes ſoliti ſunt aliqua medicamenta ſtomachica parare, quibus huic ſatiſfaciunt intentioni, nempe refrigerandi, & incraſſandi.

Inter quæ eſt diatragacanthum frigidum, cum quo miſcent mucilaginem ex pſyllio, hoc eſt ex cortice ipſius extra-

E ctam: ſunt ſemina cotoniorum, ſyrupus de iuiubis, de liquiritia, cum quibus etiam parantur eclegmata quædam quæ in ore detinentur, atque deorſum lambitiui in modum deſcendere permittimus, vt

℞. ſyr. de iuiubis
Liquiritia, ana vnc. j.

Diatragacanthi frigidi,
Mucilaginis pſyllij, ana drach.j.
Si vero contingat aliquando adſtringendum eſſe, quod à principio ſæpè fieri oportet; nullum præſtantius eſt gargariſmate ex aqua, & parum aceti, & ſacchari.

Vel

℞. ſebeſt. num. vij.
Iuiubarum num.xv.
Cotoniorum. num. ij.
Roſarum rub. manip.j
Bull.in ſufficienti quantitate aquę ſecundum artem, & adde,
Syr. de papau.
De iuiubis, ana vnc. ℥j.
Miſce.

Diapenidion ſinę ſpeciebus eſt optimum, ſi cupiunt in ore detinere medicamentum ſub forma ſolida.

vel

℞. diapenid. vnc. ſſ.
Thuris,
Maſtiches, ana drach.j.
Opij, ſcrup. ſſ.
Cum ſyr. de iuiubis fiant trochiſci, qui in ore detineantur.

Theriaca recens ad idem valet ob ſucci ex papauere robur.

Suffumigia quoq; in hoc affectu ex camphora puluerizata, & ſuper prunas inſperſa, vel in vaſe vitreo ad ignem expoſita materiam incraſſant, & caput refrigerant.

Idem facit vapor aceti inſperſi ſuper lapidem calefactum, vel idem acetum cum camphora, & furfure, & hordeo: quemadmodum quoque laudatur vernix, quæ eſt ſandaraca Arabum in aceto infuſa, & ex ipſa factum ſuffumigium.

Meſues pilulas quaſdam conficere ex Zachariæ opinione docet, quæ in ore detentæ ſiſtunt catarrhum,

vt

℞. Amyli,
Diatragacanthi,
Fabarum excortic.
Papaueris albi,
Corticum eiuſdem.
Gummi arabici,
Boli armeniæ,
ana partes æquales,
Cum mucilagine pſyllij fiant lupini,

Idem præſtant res odorabiles refrigerantes ad nares poſitæ: vnde Meſues proponit ſequens pomum manibus geſtandum.

℞. ſantal. rubeorum,
Alborum,
Citrin.ana drach. ij
Roſarum, ana drach. vj,
Camphoræ, drach.j.
Boli armeniæ, vnc. ij.

Omnia terantur præter camphoram, & agitentur conterendo cum aqua roſ. per hebdomadam integram, deinde cũ his admiſceatur camphora, & cum glutine, gummi arab. & aqua roſ. fiat pomum.

Conferunt quoq; & confectiones illæ hypoglottides appellatæ, quæ ſub lingua detinentur: pilulæ quoq; quas appellant bechicas, idem faciunt.

Hæc ſunt medicamenta ſtomachica, atq; errhina, quæ in hoc caſu ſunt in communi vſu.

Sunt modò localia, quæ refrigerandi facultatem habere debent, vt aduerſus cauſam primitiuam particularem, nempe intemperiem calidam capitis pungent, materiamq; ſiſtere poſſint.

Auic. pro embrocatione aquam dulcem tepidam proponit, vel in qua hordeum, nymphæa, lactuca ebullierint. Succi quoq; ſemperuiui, & prędictorũ ſimplicium cum modico aceti capiti perfuſi, vel linteis intus madidis appliciti maximè proficiunt. Oleum quoque roſatum, nenupharinum, violatum, florum ſalicis, de cucurbita, vel vnguentum quoq; roſatum proficuum eſt, ſi capiti applicentur,

Tandem ſi his intemperies calida nõ tollatur, ad lactis perfuſionem deueniętis, & denique in vehementiſſimo dolo-

re ad opiata, vt in cap. de dolore capitis à materia calida nobis dictum eſt.

Et hoc modò ſperare licet, vt prohibeatur, ne caput ab alijs partibus attrahere, vel recipere poſſit.

Hoc in loco Galenum admiror, qui lib. 6. de ſan. tuen. cap. 9. ſcribit eos maximè decipi, qui in quacunq; capitis deſtillatione abraſo capite medicamenta calida adhibeant, quæ catarrhum augent liquando humores in capite exiſtentes, necnon calefactum ab alijs partibus trahunt humorem; cum ipſe lib. 5. meth. cap. 14. in illa Romana Matrona patiente catarrhum calidum deſtillantem ad pectus, ſtatim capiti appoſuit ceratum, ſeu emplaſtrum ex fimo columbino, quod medicamentum, inſignem habet facultatem calefaciendi, non ſecus ac illud, quod ex tapſia conficitur: vnde ab Alexandro reprehenditur lib. 7. cap. 1.

Hanc difficultatem Capiuaccius conatus eſt de medio tollere hac facta diuiſione; aliud enim eſt materiam à capite ad pulmones, & partes inferiores illabentem conſiderare; & aliud eſt contemplari intemperiem capitis calidam. Hinc quando Gal. prohibet applicationem calidorum medicamentorum, tunc reſpicit cauſam; quando verò medetur mulieri prædictæ, reſpicit materiam fluentem, inde eſt, quod vt eam ſiſtat, apponit medicamentum calidum, & exiccans, vt eam conſumendo firmaret; quare inquit Capiuaccius, quando Alexand. Gal. redarguit, reſpicit ad calidam capitis intemperiem, quæ frigidis, non calidis eſt curanda; quod etiam ante illum voluit Gal. cum dixerit in lib. de ſan. tuen. eos perperã facere, qui calidæ capitis intemperiei medicamenta applicant calida.

Sed mihi videtur hæc reſponſio magis ingenioſa, quàm vera. Quia medicamentum iſtud calidum, opus eſt, vt habeat diſcurſum, quo iubeat ſuæ facultati calidæ, & ſiccæ non calefacere caput, ſed tantùm conſumere materiam, quod ridiculum eſt; quare ego exiſtimo falſum eſſe intemperiem fuiſſe calidam, quia ſi ab intemperie capitis calida eueniſſet catarrhus, tantum abeſt, vt Gal. eo medicamento potuiſſet ſiſtere catarrhũ, vt potius eum auxiſſet.

Dicere poſſumus pro Gal. fuiſſe intemperiem illam capitis frigidam ab aliqua exteriori cauſa; vniuerſum verò corpus, atq; caput humoribus acribus; atque ſalſis repletum ex mala victus ratione: hinc per expreſſionem à capite hoſce humores à frigido expreſſos in pulmones decidiſſe, vnde Galen. vt tolleret eam intemperiem frigidam, ſimulq; poſſet abſumere aliquam portionem materiæ defluentis, tunc appoſuiſſe id genus medicamenti, alioquin ſi ab intemperie calida caput affectum fuiſſet, qua materia funderetur, ac deorſum fuſa præcipitaret, non video, quo modo materiam ſiſtere potuiſſet aucta cauſa efficiente à medicamento, quod calefacere aptum eſt.

Si quiſpiam attentè legat curationem, quam nobili huic Matronæ fecit Gal. vtiq; videre poterit materiam tenuem fuiſſe, & à frigiditate ambientis deorſum expulſam, quia poſtquàm calefactum fuit caput, ceſſauit fluxus materiæ duorum dierum ſpatio, quibus per tres horas medicamentũ applicitũ fuit.

Nec ſatis probare queo nonnullorum ſententiam dicentium applicitum fuiſſe hoc medicamentum, vt ad caput retraheretur materia; nam vbi attracta fuiſſet, tota ſimul, & repente in pulmones cecidiſſet: at ceſſauit fluxus, quia Galeno tantum temporis conceſſum fuit, quoad expurgari potuiſſet materia in pulmonem illapſa, quod efficere minimè potuiſſet materia adhuc deſcendente à capite.

Dicamus igitur materiam calidam fuiſſe quidem, ſed à frigiditate expreſſam, qua ablata ceſſauit effectus; ſi enim intemperies calida fuiſſet, vtiq; effectus adau-

adductus fuiſſet. Non igitur poſſumus, vt dicit Capiuaccius, ſatisfacere Gal. & Alexandro, quia Alexandri argumentum eſt idem prorſus, ac illud Galeni, qui noluit calidæ capitis intemperiei calida medicamenta applicanda eſſe.

Hæc ſatis dicta ſint de catarrhi frigidi, & calidi curatione in duobus inſtrumentis: propero ad curationem, quæ per chirurgiam illi debetur.

## DE CVRA CATARRHI per chirurgiam.

De ſanguinis miſſione, etſi multi multa dicant, eadem tamen ratione procedendum, ac in alijs capitis affectibus dictum à nobis eſt; indicatione ſcilicet ſanguinis vrgente ſtatim ad ipſius miſſionem deueniendum eſſe.

Indicatio autem ſanguinis mittendi ex eius vitio deſumitur, vt millies indicatum eſt. Vitium autem ſanguinis, vel eſt in copia, vel in motu. Si eſt in copia, vel exigua eſt, vel multa: primo modo diximus ex Gal. ſententia non eſſe deueniendum ad ſanguinis miſſionem, quia huic indicato ſatisfacere poſſumus per inediam, exercitium, cucurbitas, & huiuſmodi. At vbi copia inſigniter peccat, ita vt vehementis indicantis rationem habeat, ex quo magnus morbus præſens ſit, vel imminens, virtute benè valente, ad ſanguinis miſſionem eſt deueniendum.

Sanguis autem in hoc caſu, vel habet rationem cauſæ primariæ, ita vt ſua multitudine catarrhum faciat, vel eſt veluti cauſa quædam concomitans, & ſecundaria, ita vt ſimul cum vno, vel altero ex prædictis humoribus magis auctus ſit, quàm natura requirat, & tunc temporis deuenies ad ſanguinis miſſionem euacuationis gratia.

Si verò motu peccet, ita vt in vnam, vel alteram partem illabatur, ſiue ad oculos, pulmones, nares, &c. vt reuellatur, & deriuari queat, ſanguinis extractio à vena facienda eſt, primò ex brachijs euacuandi cauſa; ſecundò reuellendi gratia ex ſaphenis, vel vnius cruris, vel vtriuſque.

Deriuandi verò cauſa ſanguis emittitur è venis capitis, vel frontis, vel poſt aures, vel è naribus, vel ab alijs quibuſdam partibus, vbi opus fuerit, & prudens medicus in operibus medicis exercitatus iudicabit.

Et hæc eſt vniuerſalis regula, qua ſanguis è corpore eſt extrahendus. Quamuis Meſues lib. 2. cap. 8 ſcribat ſolummodo tres eſſe caſus, in quibus ſanguis mitti debet, primus, quando catarrhus eſt calidus, in corpore calido, abundante ſanguine, cum oculorum rubedine, & venarum plenitudine. Secundus eſt, ſi catarrhus ſit calidus ad oculos valde declinans, vel qualiſcunque ſit, terminetur in faucibus, vel pulmone, coſtis, diaphragmate, & figatur in eis ad collectionem. Tertius caſus eſt, ſi catarrhus accidat cum febre.

Hi tres caſus reducuntur ad regulas illas vniuerſales dictas; nam in primo ſanguis habet rationem cauſæ præcipuæ, quia tunc venæ (vt ait Meſues) ſunt repletæ: qua dictione ſignificatur plenitudinem adeſſe in corpore, cuius ratione euacuandi cauſa ſanguis mitti debet, quia adeſt vitium ſanguinis in copia.

In ſecundo caſu habemus ſanguinem eſſe mittendum reuulſionis gratia, quod peccatum ſanguinis adſit in motu. Vt igitur retrahatur, atq; inhibeatur ferri in prædictas partes, iubet Meſues, ea ratione extrahendum eſſe. Vbi verò adeſt febris, tum vt reuellatur, tum vt euacuetur, dicit eſſe mittendum ſanguinem. Cuius quidem ſanguinis extractionem ſtatim ſequitur refrigeratio, quæ eſt vtilitas quædam ſanguinis mittendi per accidens.

Videtis igitur, quomodo tres prædicti caſus reducuntur ad Galenicas regulas: quare in plenitudine cum catarrho eſt

eſt mittendus ſanguis: vbi verò adeſt, vel pituita, vel bilis, vel pituita ſalſa, abſque ſanguinis vitio, non eſt, vt de ſanguinis miſſione excogitemus.

Reuellendi gratia cucurbitæ applicantur cruribus, natibus, dorſo; deri- A uandi verò ad ceruicem, & ad caput affiguntur.

Tandem iiſdem intentionibus ſatisfaciunt frictiones, nodi doloroſi, & huiuſmodi, de quibus ſatis à nobis eſt actum in aliis affectibus capitis.

# DE MORBIS PARTICVLARIBVS FACIEI.

## DE OPHTHALMIA.

### CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

EXternis, interniſq; capitis morbis iam traditis, faciei vitia prodeunt, vt examini ſubijciantur. Nos faciei nomine hoc loco eius præcipuas partes accipimus, oculos nimirum, aures, nares, atq; os, quorum præternaturales affectus nunc explicare aggredimur facto initio ab oculis, tanquam à parte reliquis ſuperiori, & primò ab ophthalmia, quæ ipſos ægerrimè afficit.

Huius nomen Græcum, eſt deductum ab ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, vt ſi noſtra lingua diceremus morbum ocularium, aut affectionem ocularIam; translatum tamen ad inflammationem illam, quę membranæ adnatæ contingit, vt auctor eſt Gal. 4. de comp. med. per loca cap. 13. quæ quidem cæteris affectibus familiarior eſt, ac frequentiſſimè eueniens. Gal. & alij authores ante alios oculorũ morbos de ipſa tractant, de qua & nos ſermonem inſtituimus, notantes, quod ea à Cornelio Celſo lib. 1. cap. 3. lippido vocatur.

Huius autem duplex eſt ſpecies; nam Græci vnam appellant ξυροφθαλμίαν; alteram ὀφθαλμίαν. Prior dicitur à Latinis lippitudo ſicca, de qua quidem nihil dicemus, ophthalmiam tantùm amplectentes, quæ & ipſa duplex eſt, vna vera, altera non vera; non vera eſt taraxis.

Auicenna eam conturbationem, ſeu
C vacillationem appellat, nec veram vult eſſe ophthalmiam, quod fiat à cauſa aliqua exteriori; deinde quia inflammatio exigua admodum eſt, & vix membrana tumida.

At ophthalmia fit ab interna cauſa, vt ſuo loco, & paulò infra videbimus, quæ adhuc verſatur in duplici differentia; vna enim verè ophthalmia dicitur, cuius tumor non excedit limites adna-
D tæ membranæ; altera verò chymoſis appellatur quemadmodum videre apud Aetium poteſtis lib. 7. cap. 34. & 5. qui tria capita curationis, ophthalmiæ nempe, taraxis, & chymoſis inſtituit. Idem apud Auicennam comperietis, vbi ait, quod chymoſis ab ophthalmia magnitudine tumoris, & cauſa efficiente differt, & vt plurimum eſt morbus puerorum.

E Ophthalmiæ indaganda eſt definitio, in qua tradenda mihi videtur inter Galenum, & Auicennam diuerſitas; nam hic ſcribit fen. 3. 3. tract. 1. cap. 9. eſſe apoſtema in pupilla ſequens coniunctiuam; ille verò 4. de comp. med. per loca cap. 3. ait eſſe inflammationem tunicæ os capitis, & caluariam ambientis, igi-

igitur differunt tam in genere tradendo, quàm in parte affecta; in genere quidem, quia Auicenna accipit apoſtema, Galenus autem inflammationem.

Sed nulla eſt contrarietas, quia illius intentio eſt oſtendere oportere fieri hanc affectionem ab aliqua materia cũ in tumorem membranæ oculi attollatur; Galenus autem magis ſpecialiter determinat eſſe inflammationem.

Sed quoniam inflammatio eſt duplex; alia legitima, quæ ab humore fit ſanguineo; alia verò, quæ fit ab alijs humoribus cum ſanguine prædominante, poteſt intelligi Galeni dictum, quod effici poſſit vtroque modo, & ſic nulla erit diuerſitas in genere tradendo.

Deinde diſcrepare videntur in ſtatuenda parte læſa, quia Auicennas vult eſſe pupillæ apoſtema, ſed quod ſequitur coniunctiuam, quæ ſanè dictio nõ modò diuerſa eſt à Galeni doctrina, ſed videtur prorſus aliena ab omni ratione; nam cũ pupilla ſit foramen membranę vueę, non video, quomodo illud poſſit eſſe ſubiectum apoſtematis.

Ad hęc ophthalmia eſſet paſſio vueę non coniunctiuæ, quod tamen eſt contra omnes Authores dicentes ophthalmiam eſſe propriam affectionem coniũctiuæ tunicæ; & Galenus ſcripſit eſſe inflamationem tunicæ os, atq; caluam ambientis; ſed huiuſmodi tunica eſt pericranium, ergo non eſt inflammatio adiacentis membranæ oculorum.

Pro ſolutione dicendum nullum eſſe diſcrimen inter hoſce medicinæ proceres, ſed ſi, vt decet rectè eorum ſcripta ponderentur, vnum, & idem dicunt, nempe ophthalmiam eſſe tunicæ adiacentis inflammationem, ſed Auicennæ ſermo eſt intelligendus de vera ophthalmia, quæ cum primò inuadat adiacentem, ſeu coniunctiuam membranam, partibus ſibi adnexis quandoq; communicat ſuam læſionem.

Idque pulchrè declarauit Galenus, quando dixit nonnunquam contingere vt palpebra, necnon & genas, quæ eſt ad oculum inflammatum, tumida reddatur, vbi igitur tunica coniunctiua tumefacta fuerit, vt in chymoſi euenire ſæpè conſueuit, extenditur ipſius tumor ad corneam, quæ eſt ante pupillam.

Et quamuis in vera ophthalmia palpebræ, & circumuicinæ partes non intumeſcant, ipſa tamen cõiunctiua adeo nonnumquam tumet, vt corneam amplectatur, pupilla læſa remanente, & ſic eſt, vt Auicennas dicit, apoſtema pupillæ ſequens coniunctiuam, quia ratione coniunctiuæ nimium extenſæ contingit lædi pupillam, quo nomine læditur & viſio: erit igitur apoſtema primò tunicæ coniunctiuæ, vt etiam voluit Galenus.

Sed quoniam coniunctiua ortum ducit à pericranio continuitate quadã ad oculos à capite deſcendente, ideo conſiderans Galenus hanc continuitatem, & (vt ita loquar) identitatem ſubſtantiæ ipſius coniunctiuæ cùm pericranio, dixit ophthalmiam eſſe ipſius inflammationem, quia coniunctiua ita appellatur, quod oculum coniungat, & adnata, quod illi veluti exterius adnaſcatur, quamuis ipſius ſermo ſit intelligendus de quacumque inflammatione in genere.

Auicennæ verò ſermo videtur magis contractus ad veram ophthalmiam. Dicamus igitur ophthalmiam eſſe inflammationem membranæ capitis, quia vna eſt eius ſubſtantia cum adnata. Dicamus rurſus eſſe apoſtema pupillæ, quod tumida eſt coniunctiua, & ad corneam extenditur, ità vt in pupilla læſionem faciat.

Si vultis videre omnes differentias ophthalmiæ legatis Nicolaum Florentinum ſerm. 3. tract. 4. cap. 6. vbi authorum omnium dicta recolligens, concludit triplicem dari ophthalmiam; vna eſt veluti ad alias diſpoſitio quædam, quæ à cauſa exteriori excitatur, nempe à fumo, puluere, & id genus, quæ ſi cor-

pus purum repererit, ſtatim ſanabitur; ſi verò impurum, tunc ad alios efficitur diſpoſitio præuia. Secunda eſt coniunctiuæ inflammatio. Tertia inflammatio peſſima coniunctiuæ, quę propter mixtam inflationem ſupereminet ſuper corneam.

Ex hac doctiſſimi huius authoris diuiſione pulchrè colligere poteſtis Auicennæ dictum eſſe intelligendum de ſecunda, & tertia ophthalmiæ differentia; Galeni verò eſſe vniuerſale de omni ſpecie. Cum igitur pateat ſatis ὀφθαλμίαν eſſe inflammationem adnatæ oculorum membranæ, iam opus eſt, vt ipſius cauſas inquiramus.

## DE CAVSIS OPHTHALMIAE.

INflammatio, vt ſupra diximus, alia eſt vera, & legitima; alia non vera. Prior authore Galeno 13. meth. med. cap. 3. lib. de tumorib. cap. 2. eſt tumor factus à ſanguine ſimpliciter, & abſoluta ratione. Impropria verò inflammatio communitér accipitur duobus modis, vel pro intemperie calida alicuius partis, quam Græci θερμὴν appellant ſine aliquo materiæ affluxu, vel pro quocunque tumore calido.

In preſente per inflammationem opus eſt intelligere inflammationem propriè dictam, & impropriè pro quauis intemperie calida cum materia tumorem faciente, quemadmodum videre apud Auicennam poteſtis fen. 3. tract. 1. cap. 6. quæ fiat ex ſanguinis ſolius fluxu, ſiue illi admixta ſit bilis, ſeu pituita, vel melancholia.

Et hoc eſt, quod idem Auicennas dicebat: atqui cùm omnis inflammatio ſit fluxus quidam, & omnis fluxus ſit motus; motus verò fiat ex mobili, mouente, termino à quo, termino ad quem mediante ſpatio, mobile ſane erit ſanguis ſolus, aut ſanguis pituitoſus, vel biliofus, aut melancholicus. At quoniam ſanguis huiuſmodi ad partes corporis nutriendas in venis contineatur, nunquam à ſuo ordinario fluxu mouetur, niſi vel expellatur, vel ut inquit Galenus 3. meth. med. cap. præcipitato attrahatur; expellitur verò, quia quantitate, aut qualitate grauat, recipitur autem in parte, vel à nimia calid tate, aut à dolore tractus, partes igitur illæ, quæ in hoc caſu ſunt grauatæ à nimia ſanguinis copia, aut ab ipſius mala qualitate, ſunt illæ, quæ ad oculos expellunt.

Inter partes, quæ habent rationem termini à quo, ab Auicenna connumeratur cerebrum, quia inquit, vbi cerebrum aggrauatum fuerit, vix oculus; niſi admodum robuſtus ſit, poteſt euadere ipſius læſionem, ſunt etiam, & aliæ partes circumuicinæ, & potiſſimùm arteriæ, quæ ad ipſum fundunt ſuas ſuperfluitates, & venæ, quæ ad eundem terminantur, ſiue internæ ſint, ſiue externæ.

Quare vna cauſa fluxionis erit mala qualitas, aut quantitas materiæ prædictæ, quæ partes grauat: oculus quoq; huius fluxionis erit cauſa, quando non modò calefactus eſt, atq; dolens, ſed mala complexione, vt ait Auicennas, affectus.

Sed alia ratione calor, & alia ratione dolor trahit; caliditas enim attrahēdi facultate pollet, & prætérea humores fluxiles reddit, parteſq; ad ſuſcipiendum delaſſando aptiores reddit. Dolor verò vt 13. meth. habetur, per accidens fluxus eſt cauſa, quia dolenti corporis parti natura ſemper opitulari tentat, ac ſpiritus ad illam transfundit, quò cum ſpiritibus humores affluunt, & vbi primo conatu nihil profecerit, maiori impetu conatur auxilium ferre per ſpirituū delegationem, & quia cum illis humores fluunt, maior efficitur dolor, ita vt tentans parti auxilium afferre inflammationem, vbi non eſt, accerſit, & vbi iam adfuerit, eam auget, hocq; modo dolor dicitur cauſa fluxus.

Spatia autē, per quæ fluxio irruit, ſunt venæ, & arteriæ, quæ, & ipſæ vel ni-

mium dilatatæ ab alij partibus recipiunt; aut ab humoribus grauatæ in partem affectam eas prorudunt.

Partes igitur demandantes ſunt totum corpus, & hepar, quod ad caput tranſmittitit, & hoc mediantibus venis, & arterijs,ad oculos, quamuis etiam venæ,& arteriæ habeant rationem demandantium, oculi verò attrahunt ratione humorũ mordentium,aut corrodẽtium tunicas, aut propter craſſum vaporem, aut plurimam humoris copiam diſtendentem; quandoq; ſine attractione recipiunt ob eorum debilitatem;tum quia humidiores, aut rariores ſunt hoc eſt, quia poros habent nimium apertos.

Cùm igitur humores, à quibus efficitur ophthalmia ſemper habeant ſanguinem admixtum, qui ſuapte natura fluxibilis eſt; dicendum eſſet ſemper ex de fluxu fieri ophthalmiam; Auicennas tamen videtur voluiſſe fieri per congeſtionem,dum inquit,& quandoq;eſt humor apoſtematis,qui generatur in ipſo. Vnde ſi generatur materia in oculo, quæ faciat ophthalmiam, afferendum erit eam ex congeſtione fieri.

Sed exiſtimo aliud eſſe dicere ophthalmiam fieri per congeſtionem; & aliud dicere, à materia congeſta excitari inflammationem. Si primo modo rem conſideremus, procul dubio non poteſt fieri ophthalmia, quia congeſtio, & fluxio humoralis, quæ ſunt cauſæ tumorum præcipuæ efficientes, ad inuicem ſunt contrariæ, quia natura fluxionis eſt motus, natura congeſtionis eſt veluti quies quædam.

Secundò materiæ, quæ fluunt ſunt ſemper calidæ, & vt plurimùm tenues, & fuſæ; materiæ verò, quæ congeruntur, ſunt craſſæ, quæ ab expultrice nequeunt expelli, aut ab alteratrice euinci, ſunt etiam frigidæ; quare quantum ſpectat ad ophthalmiæ primariam rationem,non poteſt fieri à congeſtione.

Si verò per congeſtionem intelligamus ſecundo modo, vtique fatendum

A erit ophthalmiam fieri à congeſtione. Modus pulchrè, ſi rectè Auicennam intelligere potui, nobis ex ſuo textu declaratur, quando inquit, ſi accidat tunicis oculi corruptio complexionis propter humorem retentum in eis; tunc enim illa excrementa, aut cibi reliquiæ, quæ non potuerunt expelli,aut diſſipari retenta præter naturam corrumpuntur, & complexio etiam membranarum,quæ
B vel dolent nimis, quo nomine contingit accerſiri inflammationem, & per cõſequens ophthalmiam:quæ fortè peſſima eſt, quia huic malæ complexioni ſuperueniens omne id,quod retẽtum eſt, corrumpit: hoc itaque modo poteſt per congeſtionem fieri ophthalmia.

Ex quibus habetis cauſam immediatam ophthalmiæ eſſe ſanguinem ſolum,
C aut humoribus alijs admixtum è defluxu excitatum: cauſa verò antecedens eſt idem humor in venis totius corporis ad fluendum paratus; à quibus cauſis deſumuntur quatuor ophthalmiæ differentiæ, quemadmodum Nicolaus Florentinus in præallegato loco demoſtrauit; nam vna eſt purè ſanguinea; ſecunda biliosa; tertia melancholica; quarta pituitoſa; & quamuis contingat frequẽ-
D tius ſanguinea, ac biliosa, fit tamen melancholica, & pituitoſa, licet rarius.

Ex quibus Auicennas concludit aliquas ophthalmias eſſe periodicas, aliquas minimè; pro varietate, atque diſpoſitione humoris fluentis, aut pro parte, in qua humor generatur; nam periodica illa dicitur, quæ mouetur de tertio in tertium, & ſingulo die exacerbatur; non periodica verò illa eſt, quæ eo-
E dem modo manens ſuis continetur temporibus, principio, augmento ſtatu, ac declinatione; omnis enim periodica ophthalmia vehementius moleſtat patientem omni die illis horis, in quibus mouetur humor, à qua efficitur.

Poſſem etiam aliquas afferre differentias ex benignitate, ac prauitate humoris; nam alia eſt maligna, alia minimè, ſed

ſed omnes ab ipſis humoribus originem A ducunt, qui tamen vt ophthalmiam faciant, à tribus cauſis primitiuis diſponuntur, nempe à regione, ab aeris conſtitutione, & à balneo; quamuis victus ratio non infimam afferat occaſionem.

A regione quidem; nam vel eſt calida, & auſtralis, ſeu meridionalis; vel aquilonia, prior cauſa eſt ophthalmiæ duplici ratione, tum quia caput repletur multis vaporibus, tum quia calidi- B ditate funduntur humores, qui fuſi ad oculos feruntur. In frigida verò humores exprimuntur in oculos, facilius tamen fiunt ophthalmiæ in auſtrali regione, & calida conſtitutione, ac facilius curantur, quia pori ſunt rarefacti, à quibus facilè recipitur, ac facilè etiã diſſipatur materia. Contra verò in frigida regione, & conſtitutione temporis, quia pori adſtricti ſunt, ac materiæ C inhærent, difficilius curantur.

Idem de balneo eſt dicendum, quod proportionem habet cum auſtrina, ſeu meridionali conſtitutione; caput enim replet, & humores fundit: hæc de cauſis, venio ad ſigna.

## DE SIGNIS OPHTHALMIAE.

Raſis in principio capitis in hunc D modum ſigna ophthalmię deſcribit: cum ea, quæ in oculis alba ſunt, in rubedinem mutata fuerint, fluxerintq; lacrymæ, & in angulis lacrymantibus lippitudo collecta fuerit, dicemus tunc ægrotantem pati ophthalmiam: ex quo quidem loco colligimus tria ſigna. Primum eſt rubedo tunicæ adiacentis. Secundum lacrymæ. Tertium lippitudines in angulis lacrymantibus; ſed huiuſmodi ſigna ſunt nimis vniuerſalia, quia cum tradiderimus tres eſſe ſpecies ſeu differentias ipſius ophthalmiæ, opus eſt, vt vniuſcuiuſq; notitiam tradamus, prædictiones, & curationem.

Signa igitur, quæ taraxim, ideſt perturbationem eſſe demonſtrant, ſunt leuis rubedo, leuior dolor, tumoris exiguitas, facileq; à iuuantibus ſanatur.

Ophthalmiæ verò ſigna ſunt illa, quæ à Meſue ſupra ſunt tradita, ſed ſimul cum illis adeſt ingens dolor, ac coniunctiuæ tumor. At ophthalmia chymeſis recognoſcitur à maiori tumore non modò tunicam adnatam occupante, ſed etiam palpebras, quinimo aliquando genæ tument, & inuerſio in palpebris tanquam ſignum pathognomonicum ſimul cum earundem craſſitie, difficiliq; ſuperioris motu habetur, ſæpè etiam membrana tumet, vt ad corneam extenſa ſit, non rarò veluti cornea quædam portio adaucta cernitur lumen prorſus offendens.

Signa verò oſtendentia cauſas, aut ſunt, quæ ſanguinis prędominium demõſtrant, hoc eſt, ophthalmiam à ſanguine fieri, quemadmodum ſunt dolor, ſed non mordicatiuus, grauis tamen cum quadam pulſatione, quæ eſt phlegmonis ſignum eſſentiale, & vt aiunt, pathognomonicum: tumor etiam vrgens, ac ſatis notabilis; poſtremò lippitudo circa angulos, & palpebras, vt ab ipſa palpebræ clauſæ in ſomno maneant, & vix aperiri poſt ſomnum queant.

Quæ verò oſtendunt ophthalmiam ex bile excitatam, ſunt dolor acutus, & vt ſcribit Auicennas mordicatiuus, qui ſignificat corruptionem qualitatis materiæ, & vbi creſcit, euadit corroſiuus; lippitudo pauca; color rubicundus ad citrinitatem vergens. Inſunt etiam & reliqua ſigna, quæ in corpore eſſe dominium bilis ſignificant.

Signa ophthalmiam demonſtrantia à melancholia ſunt dolor obtuſus; color fuſcus, grauitas quædam, ſed non ten- E ſiua, demum adſunt ſigna ea, quæ melancholiæ dominium in toto corpore patefaciunt.

Sunt quoque & notæ, quibus comprehenditur à pituita fieri, quemadmodum eſt tumor veluti laxus, non admodum rubicundus, ſed in albedine quoquo pacto rubens, dolor exiguus,

& alia ſigna pituitam in corpore indigitantia.

Hoc loco plures authores conantur oſtendere huiuſmodi membranam ratione ſuæ denſitatis non poſſe admittere craſſos humores, vt ſunt pituita, atq; melancholia, ideoq; fieri non poſſe ſtatuunt, vt ophthalmia ab vno ex prædictis humoribus oriatur, quod exemplo à pleura circundante coſtas demonſtrant quæ ob ſui denſitatē non admittit hoſce humores, inde eſt, quod pleuriticus morbus non procedat niſi à ſanguine, & bile.

Sed ne multum vos detineam, dico, quod ophthalmia fit ab vno ex prædictis humoribus, ſed opus eſt, vt ſemper habeant ſanguinem admixtum, quod ſit veluti vehiculum; nam aliud eſt dicere ophthalmiam progigni ex ſanguinem pituitoſo, aut melancholico, & aliud dicere naſci ex melancholico, aut pituitoſo humore: primo modo frequēter fit, non ſecus atq; fiat pleuritis, at ſecundo modo poteſt quidem fieri, ſed raró, & cum multo temporis interuallo, neq; tamen vnquam dici poterit inflammatio, vbi ſanguinē adiunctū non habeat; ecce igitur, quomodo dicitur ophthalmia produci à pituita, & à melācolia.

Addit Auicennas ophthalmiam fieri ex flatu, aut ex craſſis vaporibus ſigna afferens, quibus dignoſcitur, quæ ſunt tenſio cum modica grauitate, ſed quoniam vapores ab humoribus eleuantur tanquam à minera, ideo & ipſi ad humores prædictos referuntur; flatus veró copia à materia, necnon à debili calore excitatur.

Verùm quoniam dictum eſt humorū fluxum prouenire à quibuſdam partibus, tanquam à termino à quo, ideo opus eſt, vt cognoſcatis ſuis ſignis, vnde fluxio deriuet. Sed quoniam caput, à quo potiſſimùm procedit, plures habet venas, & arterias, quarum aliquæ interne ſunt; aliquæ veró externæ, & ab omnibus fluxus excitari poteſt, dicunt aliqui, quod quando fluxus ad

A oculos peruenit mediantibus venis, & arterijs internis, cum ſternutatione contingit; alij addunt pruritum ad nares, & palatum.

Quæ quidem indicia, ſi vt decet, conſiderentur, nihil aliud nobis denotant, niſi materiæ alicuius copiam, cuius vna portio ad palatum, alia ad nares feratur, vnde his ſignis ſolis non poſſumus comprehendere, an inflammatio facta in adnata, quæ eſt omnium vltima reſpe-
B ctu partium internarum, à venis interioribus cerebri euenire poſſit, cùm præſertim venæ illæ, quæ ad adnatam ſunt, ab eodem venarum, & arteriarum trunco prodeant, à quo venæ, & arteriæ ſparſæ per pericranium exoriuntur.

Rationabilius enim videtur, quod ſchlirotis, ſeu dura membrana oculo-
C rum, cuius vna pars ſub adiacente eſt, cùm procedat à dura cerebri membrana pluribus venis, & arterijs prædita; venos vel à dura, vel à pia, vel à cerebro, aut alia parte deſumat, vnde ipſa quoque adnata ſuas recipit venas, ideo cum à capite per venas internas fluxus fieri debeat, vel à venis proficitur, & arterijs, quæ à dura, vel à pia aut cerebro emergunt, vel ab aliqua a-
D lia interiori ipſius cerebri parte.

Si à dura dicatur, hoc eſt à venis duræ membranæ rationabilius eſt, vt hæ fluxum humorùm ferant ad eas partes, ad quas diſtribuuntur, & deſinunt, quàm ad alias, ſed venæ duræ membranæ ad ſchlirotidem terminantur, ergo fluxum euomere potiùs deberent in ſchlirotidem, atq; in corneam, quę illi continua eſt, quàm in adnatam membranam, quæ exterior eſt, & à parte ca-
E pitis exteriori, nempe à pericranio ortum ducit.

Multó minus à venis piæ membranæ aut cerebri fluxum euenire dicemus, cum venæ in alas partes terminentur, videlicet ad iridem oculi, & ad membranam; venæ deinde illæ, quæ à cerebro exeunt, in amphibliſtroidem ter-

terminantur.

Cum igitur nulla vena, aut arteria, ex ijs, quæ interius ſunt ad caput, diſpergantur in adnatam tunicam, vix videre poſſumus, quomodo ſigna prædicta oſtendant fluxum prouenire à venis, aut arterijs internis; ita enim à natura comparatum eſt, vt venæ in omnes partes æquè diſtribuantur; nam ad caput potiſſimum à venis iugularibus internis, & arterijs ſoporarijs rami tranſmittun- tur pro internarum partium capitis nutritione, inter quas enumero omnes oculi partes exceptis palpebris, tunicaq; adnata.

Itidem æquali prouidentia pro exterioribus partibus enutriendis ab exterioribus iugularibus ramos diſpergit natura pro earum ſufficiente nutritione, ac vita, inter quas eſt cutis tota, & pericranium, à qua adnata membrana continuitate, vt audiuiſtis, originem ſuam ducit.

Videtur igitur magis rationabile; vt membrana adnata fluxum ſanguinis recipiat à ſuis venis, quàm ab alijs; quare credendum eſt, quod ſymptomata præ dicta ſolummodo capitis plenitúdinem oſtendant, quod cum interius eſt reple tum reſpectu venarum, & arteriarum, erit etiam & exterius, cum omnis vena, & arteria ab vna vena, & arteria tamquam rami ab vno trunco ortum ſuum habeant.

Addo, quod eadem proponuntur medicamenta ſiue ab internis, ſiue ab externis ophthalmia euenerit.

Cæterùm dicunt, quod quando fluxus per venas exteriores fit, tunc adeſt grauitas capitis, dolor, ac etiam concuſſio, quod ſignum commune eſt repletioni venarum internarũ, & externarum. Hoc animaduertere volui non altercan di cauſa, ſed vt oſtenderem vobis nullum ſignum adeſſe, quo poſſumus concludere magis ab internis, quàm ab externis venis prouenire fluxum.

Sed quoniam venæ, quæ per adnatam ſparſæ conſpiciuntur, ab externis venis prodeunt, iure ſuſpicari licet ſem per ab huiuſmodi venis fieri, & concitari fluxionem. An dicendum ſit ab internis venis excitari fluxum quidem, ſed cognoſci, quia etiam ſchlirotis aliquo modo patitur, & in tumorem elapſa extra oculum prominet, ſiue maior apparet tumor? Hiſce igitur comprehendatis, quando fluxus à capite immediatè venit.

Cum verò ſanguis à iecore per venam cauam in externas, & internas capitis partes diſtribuatur, fieri etiam poteſt, vt fluxio, capite nihil patiente, per venas, vt audiuiſtis, exteriores concitetur; quod cognoſcitur ex plenitudine corporis, & hepatis varia affectione; nã quemadmodum ſcriptores dicunt cognoſci fluxionem prodire à ventriculo ex nauſea, ex conturbatione ventriculi, & alijs denotantibus adeſſe in eo humorum copiam, ita & quando adſunt ſigna oſtendentia humorum copiam in iecore, dicendum eſt eam excitatam eſſe à iecinore, & multò magis quia venæ ab ipſo oriuntur.

Sed nullus conſenſus eſt ventriculi cum oculis, & potiſſimùm ratione venarum; venæ enim ventriculi prodeũt, à vena porta, quæ verò ſunt in oculis, à vena caua.

Relinquuntur ſigna temporum ophthalmiæ, quæ Medicis nota ſunt; nam vbi rubedo, dolor, lippitudo, lacrymæ incipiunt, eſt principium, quando augentur, eſt augmentum, quando conſiſtunt eodem modo, ac per aliquot dies perſeuerant, eſt ſtatus; quando vero iã declinare incipiunt, atque declinant, eſt declinatio. Hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV Ophthalmiæ.

Prædictiones deſumuntur à cauſa efficiente, quandoquidem ophthalmia ex ſui natura eſt morbus curabilis

bilis, facilitas autem, & difficultas ſumitur ab humoribus, à quibus natura irritatur, necnon à venis, per quas humor fertur.

Si tamen curabilis eſt, nullo pacto negligenda venit, cum, vt inquit Gordonius particula 3. de paſſionibus oculorum capite 2. ſi malè curetur, malas reliquias relinquit, quemadmodum eſt macula, pannus, tela, & huiuſmodi.

Cum autem tota difficultas curandi ab humoribus peccantibus deſumatur, hinc eſt, quod Auicennas ſcribit ophthalmiam facilem curatu eſſe in regione, & conſtitutione calida, quod humores calidi, ac tenues ſint facilè diſſipabiles, pori verò partium, & oculorum potiſſimùm rariores, per quas materia euaporare facilius poteſt; quare licet facilius homines ea corripiantur, facilius quoque liberantur.

E contra autem ophthalmia, quæ tempore hyemali, in frigida regione, cælique conſtitutione frigida, quemadmodum difficilius euenit, ita quoque longè difficiliori negotio curatur, tum quia humores ſunt craſſi, frigidi, ad motum pigri, partium verò corporis pori adſtricti, vnde nec diſcuti, nec euaporare poſſunt.

A qualitate quoque humorum, & ab ipſorum copia poteſt prognoſticum deſumi; nam vbi tumor magnus eſt, adeſtque copia ingens, difficilius curatur, quàm vbi pauca copia adfuerit, quia ſæpè contingit ad ſuppurationem peruenire: vnde dicebat Auicennas lippitudinem eſſe ſignificationem quandam maturationis, vel craſſitudinis materiæ, vbi igitur craſſa materia ſuppuratur, longiori tempore ſanatur, quàm vbi tenuior fuerit, etiamſi ſuppurationi idonea fiat.

Cæterùm, & qualitas humoris peccantis poteſt eſſe indicium futuri euentus; nam vbi non ſit maligna, citiùs curabitur morbus, ſi verò maligna fuerit corrodens membranam, longiori tempore, difficilius, raroque curatur, quin relinquat in oculo aliquod ſuæ malignitatis ſignum.

A venis etiam, per quas fertur materia, ſignum futuræ ſalutis elicere poſſumus; nam Galenus lib. 15. meth. medendi ſcribit per internas venas fluxum eſſe longæ, & difficillimæ curationis; per externas verò non eſſe tantæ difficultatis.

Demum à ſymptomatis deſumi poteſt prognoſticum; nam ſi mitiora fuerint ſymptomata, nempe dolor, & tumor: paucæ lippitudines, atque lacrymæ, neque mordaces, ſignum eſt curationem facilem, & breuem futuram.

Atque ſi vehemens dolor, tumor magnus, lippitudines multæ, lacrymæ calidæ, acres, & mordaces inerunt, curatio difficilis, & longa erit: 6. aph. 17. lippitudinem alui pro fluuio corripi, bonum; nam ſignum eſt materiam reuelli: propero ad curationem.

## DE CVRATIONE OPHTHALMIAE *factæ à cauſa externa.*

CONſiderare oportet, an huiuſmodi ſpecies ophthalmiæ, quæ à cauſa externa, nempe fumo, puluere, calido, percuſſione, & huiuſmodi ortum ducit, cauſam habeat adiunctam, & in actu adhuc lædentem. Rurſus ſi cauſa lædens præſens ſit adhuc, vt fumus, vel puluis, videre eſt opus, an corpus ſit humoribus vacuum, id eſt, plethoricum, vel refertum prauis humoribus, quod cacochymum appellant.

Quocumq; modo corpus fuerit, ſemper auferenda eſt cauſa lædens, quæuis illa ſit, fumus itaq; auferendus, vel puluis abſtergendus, & huiuſmodi. Atqui ſi nulla adſit cauſa, ſed iam præterijt, tunc ſi corpus purum eſt, & excrementis omninò vacuum, alia ratione curatio eſt inſtituenda, nempe per ſolam victus rationem, & per localia.

Ac victus ratio ſit tenuis, & optimi

ſuc-

ſucci ſuis horis in die diſtributa, nempe manè, & ſero, ita tamen, vt cœna longè ſit parcior, quàm prandium, vt pulchrè Meſues lib. 2. cap. 3. admonet.

Aer eligendus eſt temperatus in primis qualitatibus, in ſecundis verò magis ad obſcurum tendat, quàm ad lucidum; nam lucidus diſgregandi facultate pollet, obſcurus verò congregandi; hinc eſt, quod vuea intus nigra eſt, qua cryſtallinum reſpicit.

Pro potu ſit aqua, vel cum ſaccharo, aut ſimplex. Quieſcat, in conclaui à fumo, ventiſq; quàm maximè alieno.

Somnus eſt optimus, ſed conciliandus minimè venit poſt repletionem ex Meſuei conſilio: huius rei iam reddidi rationem; Auicénas quoq; in hac ſpecie ophthalmiæ ſomnũ maximè cõmendat.

Animi quoq; affectiones vehementes ſunt euitandæ: aluum lubricam eſſe oportet, quæ niſi natura talis fuerit, leuibus quibuſdam clyſteribus emolliencenda venit, de quibus ſatis actum eſt.

Localia verò medicamenta, vel oculi naturam conſeruant; vel adſtringendo calorem, ſpiritus extra fluere minimè permittunt; vel affectum, nempe inflammationem, curant, quæ in duplici adhuc verſantur differentia; nã alia humorem fluentem reprimunt, alia iam fluxũ tum diſcutiunt, tum concoquunt.

In præſenti affectione ſumitur indicatio à pura fluxione humoris, nempe ab inflammatiõne, quæ conſideranda eſt reſpectu diuerſorum temporum, nam in principio maior eſt copia fluentis, quàm fluxi humoris, in augmento ferè æqualis copia vtriuſq; in ſtatu autẽ maior fluentis, quàm fluxi, in declinatione verò materia tota eſt fluxa.

Natura oculorum conſtat ex humoribus, atq; membranis, humores ſunt humidi, at membranæ ſunt frigidæ, & ſiccæ, verùm, ob multam ſpiritus copiam raræ; proinde medicamenta, quæ oculis inflammatis, ac dolentibus competunt, non poſſunt eſſe ſimplicia, hinc

A eſt, quod à Medicis collyria vocata pro oculorum morbis inuenta ſunt, actu humida, potentia verò nonnihil adſtrictionis habentia, quæ pro vario tempore inflammationis opem ferre queant.

In primo cenſu ſunt,

Aqua fœniculi,

Roſarum,

Euſragiæ,

Abumen oui,

B Fœnigræcum, quod ab oui albumine ſola facultate diſcutiendi differt.

Meſues lac aſininum, Galenus lac iuuenculæ, & boni habitus laudat: at leuiter quidem confert lac muliebre, aut aliorum quorundam animalium.

In ſecunda claſſe habentur, quæ adſtringendi facultate pollent, eaq; ſecundùm magis, atque minus differunt: primò ſunt roſarum folia, flores, atque ſuccus. Hic notandum quod Galenus 4.

C de comp. med. ſec. loca cap. 1. ſcribit ſuccum roſarum habere adſtringendi facultatem, cùm tamen ſit ſolutiuus, ſed ſolutiuus eſt intus acceptus, extrà verò applicitus, adſtringit.

Folium malabathri, atque lycium, necnon hypociſtis magis adſtringunt. Acaciæ ſuccus, prunellorum, ac ſuccus

D omphacij, balauſtiorum, & cytini, & gallæ omphacitides, hoc eſt immaturæ, etiam adſtringunt.

Concoquunt verò myrrha, crocus, caſtoreum, thus. Sunt adhuc quædam ocularia medicamenta, quæ aduerſus te nues, atque acres fluxiones faciunt, quod ſine aliqua mordacitate leniunt, vt eſt pompholyx lota, plumbum vſtum amylum, quę nonnihil adſtrictionis habent, virtutemq; exiccandi moderatam.

E In taraxi igitur, in qua ſupponitur ex citatum eſſe fluxum à cauſa exteriori, materia pauca eſt, & magis fluens, quã fluxa, vnde à principio opus eſt vti collyrijs quibuſdam mitioribus, quæ ſolum modo materiam fluentem reprimant, fluxam verò concoquant, & diſſipent; nam hic adeſt præſeruatorium indicans,

quod

quod eſt fluens materia, & curatorium, quod eſt materia fluxa.

Cæterùm indicans vitale, ſeu naturale præſeruandum venit, ideo in hoc caſu ſæpè obſeruatum eſt huiuſmodi affectionem ſola aquæ roſarum cum albumine oui admixtione, & ſupra oculos impoſitione curatam fuiſſe. Sed Aetius ſcribit poſcam optimum eſſe remedium, vel collyrium ex aqua roſarum, & croco compoſitum, cuius doſis eſt huiuſmodi.

℞. aqua roſarum vnc. iij.
Croci ſcrup. ſſ. Miſce.

Et ſæpè oculus abluatur: vbi verò maiori reſolutione opus ſit, poteſtis collyrium hunc in modum conficere.

℞. aquæ roſarum vnc. iij.
Croci, ſcrup. ſſ.
Thuris,
Thutiæ prep. ana drach. ſſ. miſce.

Si hiſce medicamentis affectio non cedat, ad ophthalmiam declinat, ideo ad validiora properandum remedia, in quibus adminiſtrandis opus eſt diæta, deinde, pharmacia, atque chirurgia, de quibus mox.

## *DE CVRATIONE OPHTHALMIAE per victus rationem.*

Quod igitur ad diætam ſpectat, in primis aer eligendus eſt moderatus in actiuis, ac paſſiuis qualitatibus, & in ſecundis, vt dictum eſt ſuperius, magis obſcurus, quàm lucidus ſit ob rationem dictam.

Somnum videtur Auicennas 3. 3. tract. 1. cap. 9. laudare, atque vituperare; ita vt ſit diuerſitas in eius dictis, ſed ſi attentè legantur ipſius verba, facilè vnicuique apparere poterit, ſibi maximè conſtare, quia in principio concedit ſomnum, in fine autem vigiliam, à principio materia ruit in oculum, quę concoctione eget, hæc autem per ſomnum concoquitur.

Præterea à principio materia eſt in fluxu, quæ magis ex oculorum motu excitari poſſet, at in ſomno oculi quieſcunt, quo nomine nec trahi ad ipſos materia poteſt: his igitur de cauſis à principio ſomnus conceditur; at in morbi declinatione materia iam eſt concocta, atque expulſione indigens, quæ expulſio melius per motum efficitur, quàm per quietẽ, ideo vigilia longè huic intentioni ſatisfaciẽdæ ipſo ſomno eſt aptior.

Quare ſomnum in fine moderatiorẽ eſſe oportet, & hoc modo dicitur ſomnus vtilis ophthalmiæ, atque inutilis, ex qua quidem ratione facilè intelligere poteſtis ophthalmię bilioſæ ſomnum magis conferre, quàm melancholicæ, & magis huic quàm pituitoſæ, & pituitoſa quàm ſanguineę; quamuis tamen per accidens oppoſitum nonnunquam contingere poſſit.

Circa motum, ac quietem eadem ferè ſtatuenda ſunt, quæ docet Gal. de comp. med. per loca cap. 2. Exercitium fieri non debet, niſi poſt mitigationem doloris, vnde Auicenna inhibet omnia; quæ motum in oculis excitant, diſgregantia nempe, alba, & lucida, & iubet ſuſpendi pannum nigrum immediatè ante oculos infirmos, viridem verò in diſpoſitione ſana.

Animaduertendum tamen eſt, ne infirmus ſupra oculum affectum decumbat, puluinariaq; capiti ſubiecta ex plumis minimè facta eſſe debent, ſed ex lana, aut altera materia, à qua non poſſit excitari inflammatio. Cucurbitæ ad ſcapulas, crura, clunes, frictiones, nodi, & huiuſmodi omnia ſunt peragẽda, quæ reuellere à capite, & oculis humores poſſint.

Aluus lubrica eſſe debet, cùm ab Hippocrate in ophthalmia ſummè laudetur alui profluuium, ideo quandoq; acribus irritanda eſt clyſteribus.

Cibus eſto boni ſucci, facilis coctionis, euitanduſq; ille, qui ad caput vapores mittere poteſt, ideo carnes quadrupedum ferè omnes ſunt euitandæ, fugienda quoq; ſunt omnia acria, ſalſa, aci-

A aceтoſa, & quæ à proprietate quadam, aut modo ſubſtantiæ oculis nocent, vt eſt lactuca, braſſica, & lac.

Cibi poſſunt quandoq; condiri cum ijs potiſſimùm, quę cum oculis aliquam affinitatem habent, vt ſunt fœniculum, euphragia, nux muſcata. Cæterùm quoniam alimenta attenuandi facultate pollere debent, hinc etiam ea quibuſdam attenuantibus admiſceri cō-
B uenit. In ſecunda menſa æger debet aſſumere ea, quæ vapores comprimere poſſunt, quemadmodum ſunt cotonia, pyra, & huiuſmodi præſertim in materia pituitoſa, in calida verò congelata ex cucurbitis, necnon & modicum coriandri.

Id tamen obſeruandum eſt ex communi Medicorum practicantium ſchola oportere alimentum valdè ſubſtrahere
C quinimo, ſi Celſum conſulamus, videbimus eum ſcribentem prima die auferendum omninò cibum, nec permittendum eſſe, vt aquam guſtent ægrotantes, aut ſaltem quàm minimum cibi concedendum eſſe iubet; adeo in hoc affectu inanitioni ſtudere oportet.

Pro potu Raſis ſolam cōcedit aquam vinum prorſus interdicens, quod Hip-
D pocrati aduerſari videtur, cum lib. 6. aph. 31. ſcripſerit inter cætera vini potionem conferre, quinimo ſoluere dolorem oculorum; & Galenus in commentario, vinum concedit, & cum eo Auicennas in ophthalmia, quare ſequitur contradictio inter Raſim, & prædictos Authores.

Hic Gentilis notat etiam contradictionem inter Galenum, & Auicennam; quia dicit in modo exhibendi nōn con-
E uenire, cum Galenus iuſſerit iuuenem illum ophthalmicum, vt vinum aqua lympharet; Auicennas verò commendat vinum purum; quod Hippocratis opinioni magis fauere videtur, cum in aphoriſmo ſcripſerit meri potio.

Sed certè non poſſum ſatis admirari Gentilem alioquin oculatiſſimum, virum, qui dixerit Galenum lib. 6. aph. com. 31. iuſſiſſe iuuenem illum, qui ruri plures dies ophthalmia laborauerat, vinum bibere aqua lymphatum, cum tamen in textu ſcriptum ſit, iuſſiſſe eum vti vino meraciore.

At veniamus ad ſolutionem, eamq; ex Meſue eliciamus lib 2. cap. 4. quam ipſe ex Galeni doctrina præallegata deſumpſit dicens, quod ophthalmia conſideratur, vel reſpectu temporis, vel cauſæ, à qua proficiſcitur, ſi fuerit in principio, materia adhuc fluente calida, atque acri, vinum bibendum non eſſe, ſolamque aquam ait concedendam; quemadmodum vbi corpus plethoricum ſit, quamuis materia fuerit craſſa. Atqui ſi ophthalmia fiat ex craſſa materia corpore expurgato, & in ſtatu, aut declinatione, poſſumus, & debemus concedere vinum, vt fecit Galenus, & Auicennas docet eſſe faciendum, quia materia contenta in oculo expellitur euacuando.

Hinc Aetius lib. 3. cap. 7. ſcribit vinum debere eſſe colore fuluum, ſubſtantia tenue, & non vetus, neque vehementer adſtringens; id enim attenuat, & craſſos humores tranſmutat, ijs maximè concedendum, qui ipſum bibere aſſueti ſunt: & hoc modo Hippocratis ſententia eſt intelligenda.

Raſis verò dicit aquam eſſe exhibendam in principio ophthalmiæ ab humore calido facta, & quando corpus nondum totum eſt expurgatum; & Meſues explicitè dicit in principio vinum eſſe euitandum, quapropter nulla videtur contradictio.

## DE CVRATIONE OPHTHALMIAE per chirurgiam.

Hippocrates eandem tulit ſententiam de balneo, vini potu, ſanguinis miſſione, & euacuatione hoc modo ſcribens, oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut

phlebotomia, aut purgatio ſoluit quæ omnia conueniunt affectioni præſenti, ſed alia, & alia ratione.

Nam balneum, vt paulò poſt videbimus, competit omnibus ophthalmijs, corpore, & capite expurgato, atque euacuato; vini potio, vt audiuiſtis; ſanguinis miſſio, aut cum vno, vel omnibus alijs humoribus; pharmacia denique, ſeu purgatio competit ipſis humoribus, bili nempe, pituitæ, aut melancholiæ.

Nunc ad ſanguinis miſſionem deuenientes, dicimus reſpiciendum ſemper eſſe ad id, quod magis iuuare poteſt, intueriq; oportet quodnam. ſanguinis maius ſit vitium, copia ipſius, an motus, quia vbi hiſce duobus modis ipſe peccat, indicatur nobis eſſe mittendum ſanguinem, vbi igitur vtroque modo peccat, ex vena communi brachij dextri mittere ſanguinem eſt opus.

Vnde Aetius loco præcitato cap. 13. dicebat humerariam venam eſſe ſecandam, foramenque magnum faciendum, vt craſſus exire ſanguis poſſit, & quod magis eſt ad animi vſque deliquium. At ſi magis ratione motus peccet, quàm copia, cephalica eſt tundenda, quemadmodum iubet Auicennas ſen. 3 lib. 3. tract. 1. cap. 9.

Sed dicet quis, ex quonam loco debet mitti ſanguis ex brachio eiuſdem lateris affecti, an ex oppoſito? Meſues determinare videtur hanc rem lib. 2. cap. 3. dicens à principio eſſe ex oppoſito latere ſanguinem mittendum; deinde, ſi noua opus ſit miſſione ſanguinis, ex eadem parte affecta.

Ratio huius rei eſt, quia inquit à principio copia ſanguinis exigua fluxa eſt, multa verò eſt in fluxu, vnde vt reuulſionem faciamus, ex oppoſito latere ſanguinem mittere oportet; at vbi ſatis notabilis copia in partibus propinquis eſt fluxa, debemus mittere ſanguinem, ex eadem parte, non quidem ratione ſanguinis imbibiti in oculorum tunicis, ſed illius, qui adhuc in venis oculi, &

A partibus circumuicinis eſt, & paratus, vt extra venas feratur.

Hoc igitur modo de chirurgia vniuerſali ſtatuendum eſt, reuulſionis, euacuationiſq; gratia.

Sed quia ſanguinis calidioris, atque tenuioris copia ſæpè per arterias, & venas exteriores ad oculos fluit, qui ſiſti nequit, niſi per ablationem viarum, per quas fertur, ideo Galenus conſiderat
B lib. 13. meth. med. cap. vltimo, an per internas arterias, vel venas fluat, an per externas.

Ac primo modo iudicat rem poſitam eſſe in difficili: ſin per arterias exteriores fluat, ad arteriarum ſectionem, quæ poſt aures, ad tempora, in poſteriore capitis parte, & in fronte ſunt, deuenirè eſt opus hac ratione eas ſcindendo, nempe oportet cutem ſecundùm arte-
C riæ longitudinem cultro acutiſſimo diuidere, labijſq; ipſius ſectionis hamulo eleuatis à ſubiecta arteria ſeparare, deinde acu filo traiecta vtrimque arteriam deligare expedit, quod verò in medio relinquitur totum amputare, denique vulnus agglutinare: hic eſt modus arteriotomiæ à Galeno, & omnibus auctoribus ſeruatus.

Sed dicit rurſus quiſpiam, quomodo
D cognoſcam arteriam eſſe ſecandam? Duo ſunt, quæ eam demonſtrant, caliditas ad tactum, & ipſius motus maior quàm ſit in alijs arterijs circumuicinis: huiuſmodi operatio licet raro fiat, eſt tamen vera, & certa: ſed non modò arteriæ, verum & venæ, quando requiritur, hac eadem ratione ſunt diſſecandæ, de quare alibi.

Verùm non deſunt, qui ſcrupuloſius
E quàm par ſit, dicant cauendum eſſe, ne arteriæ poſt aures diſſecentur potiſſimùm in iuuenibus, ſiquidem periculum eſſet, ne inhabiles ob earum ſectionem ad generationem redderentur, quando quidem Hippocratis documentum eſt lib. de aere, aquis, & locis, arterias eſſe poſt aures, quæ vbi ſecantur, ſterili-

ta-

tem, ſeu infœcunditatem faciunt.

Qui attentè hunc Hippocratis locum legerit, videbit id non prouenire ſimpliciter ob ſectionem harum arteriarum, ſed immoderati fluxus ſanguinis ratione. Hanc affectionem Scythis euenire demonſtrat eo loci Hippocrates, quod frequentiſſimis equitationibus incidebant in coxendicos dolores, & aliorum articulorum cruciatus.

Hac de cauſa mittebant ſibi ſanguinem ex vtroque latere à venis, & arterijs poſt aures, atque dum exibat ſanguis, ſomno correpti decidebant, quorum aliqui ſanabantur; alij verò præ copia ſanguinis effluentis minimè ſanabantur, & iſti reddebantur ſteriles. Vnde ſubiungit Hippocrates hoſce homines ſe ipſos ex hac forma medendi perdere conſueuiſſe.

Quare non ratione ſectionis arteriarum ſterilitas euenit; ſed ex copia ſanguinis arterioſi nimium effluentis, quia non eſt maior ratio harum arteriarum, atque aliarum: deinde nullum commercium reperitur inter arterias poſt aures, & arterias ſeminales. Quamquam autem ſterilitas ſuccedebat, erat, quia viſcera præcipua, & potiſſimùm cor, refrigerabantur, vnde ſpiritus minimè viuidi poterant produci, & apti ad ſpermatis generationem.

Vbi igitur neceſſitas vrget abſque periculo poſſumus arterias poſt aures ſecare. Cæterùm & venæ, vbi opus eſt, ſecandæ veniunt; vnde Auicennas ſecat venas in angulo interno, & in fronte, hac quidem intentione; vt deriuetur materia: & hæc eſt curatio per chirurgiam.

## DE CVRATIONE OPHTHALMIAE per pharmaciam.

AD pharmaciam modò deuenientes dicimus oportere cognoſcere vitium humoris cum ſanguine fluentis, quandoquidem omnis humor alte-

A ratus eſt, & vbi alteratus fuerit è corpore educendus, quare ſi ſit biloſus, bilis eſt alteranda, ac inde educenda medicamentis cholagogis, quæ agitationem minimè faciant in humoribus, vt eſt rhabarbarum, caſſia, manna, infuſio ex roſis, vel violis.

In materia autem pituitoſa conueniunt, quæ pituitam tùm alterare, tùm alteratam educere valent; vt
B ſunt pilulæ cochiæ, agaricum infuſum; aut in ſubſtantia, hiera ſimplex, hiera logadij, & huiuſmodi, de quibus vide in ſuperioribus capite de apoplexia, & epilepſia.

In materia melancholica id agendum, quod cap. de melancholia dictum eſt, ſi deinde aliquæ partes ſint, à quibus huiuſmodi affectio proueniat, eſt opus primum eas curare. Quod ſi neceſſum
C ſit partes corroborare, ad corroborantia recurrendum eſt, de quibus ſatis ſupra egimus.

Iam tempeſtiuum eſt, vt ad localia deueniamus, inter quæ vnum eſt præſtantiſſimum, nempe balneum, de quo obiter ſupra loquuti ſumus; ſed nunc fuſiùs de eo tractandum eſt; nam vt audiuiſtis, Hippocrates ſcripſit ipſum curare oculorum dolorem, & vix intelligi
D poteſt, quid balnei nomine ibi intellexerit, an ſcilicet de balneo oculi, quod fit per fomentum, an verò de vniuerſali totius corporis eo loco loquutus fuerit.

Sed ego exiſtimo poſſe nos vti vtroque, & particulari, & vniuerſali totius corporis, his conditionibus ſeruatis, vt corpus mundum ſit, & purgatum ab omnibus excrementis; materia pau
E ca, & digeſta, parataq; vt vel euaporare, aut expelli poſſit, poſtremò; vt pauca materia in capite reperiatur.

Præter has conditiones oportet; vt materia non ſit acris, ac tenuis; quia vbi talis fuerit, non eſt ad balneum particulare accedendum, quia non tollitur dolor, & affectio, quemadmodum vi-

dere eſt apud Galenum aph. 31. 6. particulæ in curatione illius iuuenis, cui cũ præcipiſſet, vt aqua tepida oculos foueret, vbi audiuit id per totum diem factũ fuiſſe, doloremq; ex parte remiſiſſe, ſed denuò reuertiſſe, tunc balneo omiſſo particulari ad balneum vniuerſale recurrit, quo factum eſt, vt tenuis illa, atq; acris materia tum deorſum reuelleretur, tum etiam balnei frigiditate temperaretur.

Quare cum materia calida eſt, ac tenuis, quamuis expurgatum ſit vniuerſum corpus, adſit tamen in capite aliqua portio ad oculos fluens, cauendum eſt à balneo particulari; balneum verò vniuerſale prodeſſe poterit, quemadmodum in iuuene prædicto, at vbi materia pauca ſit, ſed non acris, & iam parata, vt euaporet, balneum vniuerſale, & particulare fieri poterit, & hoc eſt, quod dixit Hippocrates aphoriſmo præcitato.

Inter medicamenta localia ſunt, quæ collyria vulgò dicuntur, ab Arabibus verò ſief. Quamuis autem ſief ſit confectio quædam ad modum nuclei, quæ attrita ſuper cote cũ liquore quodã euadit collyrium reprimendi, ac concoquendi facultate præditum, ſecundùm magis, & minus pro diuerſitate affectionis, nihilominus aliqua eſt, quæ præter qualitates prædictas abſtergendi etiam nonnunquam virtutem habet.

Horum quædam applicamus in materia biliosa. Matthiolus ſuper primum librum Dioſcorid. cap. de thure, ſcribit nullum reperiri præſtantius remedium pro inflammatione, & rubore oculi eo, quod ex thure ad hunc modum componitur.

Accipitur grumus thuris, & ſtylo acuto fixus cereæ candelæ accenditur, mox extinguitur in vncijs quatuor aquæ roſaceæ. Repetendæ ſunt accenſiones, & extinctiones trigeſies, deinde linteo candidiſſimo percolata aqua oculorum angulis cum penna veſperi illinitur, dũ

A ægri cubitum eunt: ſi rubor, & dolor vehemens ſit, additur modicum lactis mulieris: ſpatio vnius noctis oculum ſanat.

Meſues proponit collyrium ex iis, quæ à Græcis appellãtur monohemera, quę vt docet Galenus, ſpatio vnius diei ita dolorem ſubleuant, vt veſpertino tempore æger ad balneum duci poſſit: eſt autem huiuſmodi.

B ℞. ſucci ſolani,
Fol. hyoſcyami,
Lycij,
Croci
Sacchari,
Camphoræ, ana partes æquales.

Cum albumine oui quantum ſufficit, fiat collyrium. Tantæ eſt potentiæ, ac virtutis huiuſmodi medicamentum, vt ſcribat Meſues ſpatio vnius horæ dolo-
C rem auferre.

Eſt & collyrium Galen. 4. de comp. med. cap. 7. quod triferon, ideſt, delicatum appellant, cum opio, & ſine opio.

Aliud collyrium à Meſue habetur, quod eſt in communi vſu.

℞. cadmiæ vſtæ in lacte muliebri extinctæ, & lotæ vnc. j.
Ceruſſæ lotę, vnc. ij.
D Croci, vnc. v.
Opij, drach. j.
Tragacanthi, drach. ij.

Cum aqua pluuiali, quantum ſufficit, vtere cum albumine oui.

Ad dolorem auferendum quandoq; narcoticis, quamuis raro, vtendum eſt, quæ cautè admodum ſunt adminiſtranda. Meſues proponit albumen oui agitatum cum aqua pauaueris, vel ap-
E plicetur mucilago pſyllij cum eadem aqua papaueris, aut cum ſucco pomorum mandragoræ, aut ſolatri, aut lactucę: ſimiliter mucilago ſeminum cotoneorum aut fœnugręci cum aqua meliloti.

Præterea hæc medicamenta, vbi dolor vrget, applicanda veniunt.

℞. ſucci ſolani,
Lactucæ, ana vnc. ſſ.

Agre-

ſucci agreſtæ, vnc. j.
Aquæ roſarum, vnc. iij.
Sief albi cum opio, drach. j. Miſce, & fiat collyrium.
Puluis citrinus eiuſdem Raſis.
℞. ſarcocollæ, drach. x.
Aloes,
Croci, ana drach. ij.
Myrrhæ, drach. j.
Lycij, drach. ij.
Miſce, & fiat puluis ſubtiliſſimus.
Puluis albus.
℞. ſcarcocollam albam, & infundit in lacte mulieris iuuenculæ, boni habitur, atque in vmbra exiccatam, deinde conteratur, & fiat puluis. Cuius doſis ſit drach. x. ſuf memynthæ drach. ij. terantur, & reponantur pro vſu.
Vel
℞. decoct. fœnugræci, vnc. iiij.
Lentium, vnc. ij.
Cadmiæ, drach. ij.
Camphoræ, drach. j.
Amyli,
Tragacanthi, ana drach. ij.
Miſce pro collyrio,
Aliud Raſis medicamentum.
℞. Ceruſſæ lotæ, drach. x.
Sarcocollæ craſſæ, drach. iij.
Tragacanthi, drach. j.
Fiant paſtilli cum aqua roſarum, qui ſint lentibus ſimiles, vbi verò dolor eſt intenſiſſimus addit Raſis.
Opij, drach. ß.
Diſſoluitur cum aqua roſarum, vel muliebri lacte, & albumine oui.
Multa alia collyria reperiuntur apud Meſuem ad materiam calidam auferendam. In materia verò frigida, & inueteratis ophthalmijs, atque chymefibus plura quoque deſcribuntur à medicis, inter quæ adeſt illud collyrium Galeni 4. de comp. med. ca. 7. quo communiter vtuntur practicantes, quod duobus modis paratur, videlicet cum opio, & ſine opio, vt
℞. cadmiæ lotæ, drach. xvj.
Ceruſſæ, drach. viij.

A Amyli,
Gummi tragacanthi, ana drach. iiij.
Excipiantur aqua pluuiali. Miſce.
Si opus eſt addere opium, vt nonnunquam euenit, quando dolor eſt intenſiſſimus, additur ad drach. ij. cum albumine oui.
Eſt etiam collyrium Raſis rubrum, vide 9. ad Almanſorem, necnon illud quod:
B ℞. ammoniaci,
Sarcocollæ, ana drach. v.
Thuris, drach. x.
Croci, drach. ij.
Cum mucilagine fœnugræci reformetur collyrium.
Ad idem eſt hoc Meſues, quod ſief de ſpica appellatur.
℞. ſarcocollæ, drach. v.
C Spicæ, drach. ij.
Foliorum roſarum, drach. iiij.
Croci, drach. ij.
Opij,
Aloes, ana drach. j.
Confice cum aqua pluuiali.
Poteſt etiam parari cum ſucco cappa rum. Efformetur quoque & ſuf hoc modo.
℞. ſarcocollæ, drach. x.
D Spumæ maris, drach. j.
Sacchari, drach. iiij. terantur.
Adeſt, & puluis citrinus eiuſdem, qui in hoc caſu prodeſt.
Plura alia poſſem vobis afferre, quæ copiosè admodum apud Meſuem ſcriptareperiuntur, & ab vnoquoq; facilè videri poſſunt.
Vnum in collyrijs adminiſtrandis ex Galeno lib. 4. de comp. med. s. l. cap. 4.
E admonere hoc loci volo, quod ſcilicet tres liquores commendat, nempe albumen oui, lac, & fœnugræci decoctum. Cæterùm in defectu horum liquorum gummi tragacanthi infuſum, & in multa aqua diſſolutum ab eodem Galeno proponitur.
Quibus liquoribus omnia prædicta, in puluerem redacta, necnon omnium

collyriorum materiæ poſſunt excipi, quæ ſanè inter ſe ſunt diuerſa; nam alia adſtringendi, cum quadam mordacitate facultatem habent, quæ vbi opus eſt, imponuntur collyrijs; quorum quidem operationes mitigantur, atque perficiuntur à prædictis liquoribus: & hæc ſunt medicamenta, quæ oculis conueniunt.

Sunt modò, & alia, quæ ad inhibendum materiæ fluxum faciunt, intercipientia vocata, quæ partibus circumuicinis applicantur, quemadmodum, eſt in primis illud, quod à Raſi in præſenti proponitur.

℞. autem ſief memiſſæ,

Roſarum,
Aloes,
Lycij,
Sandali rubei,
Faufel,
Croci orientalis ;ana drach.j

Ex his omnibus fiant pilulæ, quarum accipiatur vna, & diſſoluatur cum aqua roſarum, aut ſucco endiuiæ, vel ſucco coriandri, appliceturq; partibus vicinis.

Galenus 4.de comp. med. per loca, cap.8. proponit.

Succum myrti
Lentiſci,
Rubi,

Vitis folia viridia fronti, ac temporibus applicata, & plura alia, quæ per vos ipſos videre poteſtis.

Super oculos verò ad diſſipandam materiam luteum oui aſſum proponit, lanam puram in oui candido madefactam, & melilotum in paſſo coctum.

Et hæc ſunt, quæ pro curatione ophthalmiæ dicenda mihi viſa ſunt. Venio ad aliud caput, quod à Raſi inſcribitur de vlceribus oculorum, quæ ad tria capita referuntur, nempe ad veſicam, ſeu puſtulam corneæ, ad vlcera, & ad rupturas, quæ vnico capite, & breui quidem, vt eius moris eſt, comprehenduntur.

De quibus nunc diſtinctè loquemur, auſpicati à veſica corneæ; nam ordo à nobis propoſitus requirit, vt poſt tractationem de morbis adnatæ membranæ de corneę affectibus præter naturam ſermonem inſtituamus.

# DE OCVLORVM VLCERIBVS.

## CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

ANtequam, quid Raſis noſter nomine vlceris velit (9. ad Almanſorem cap. 16. quod immediatè poſt caput de ophthalmia ſcribit) declaretur à me, eiuſq; mens aperiatur, vobis ſignificabo, quos ſim ſecuturus authores in dilucidanda hac de morbis, qui ad faciem ſpectant, materia.

In primis igitur inter Græcos Gal. ſequar lib. 4. de comp. med. cap. 7. lib. 13. meth. med. & 5. de ſimpl. med. facult. Aetium lib. 7. Paulum, tum 3. tum 6. lib. non negligam, Trallianum lib. 2. inter Arabes magnifaciam Auicennæ dicta tertia fen. 3, tract. 2. Halyabbatem 5. & 9. ſuæ practicæ, Serapionem tract. 2. maximiq; ſemper æſtimabo Meſuei oracula, tandem non omittam Raſim in ſuo magno opere continentis ſecundo. Poteritis igitur vnum ex his, vel alterum legere.

Ceterùm ſunt multi alij authores recentiores, qui de hac materia pulchrè tractarunt, inter quos certè non verebor primum locum, primaſq; partes tribuere Altomari Neapolitano; adeſt & Hieronymus Capiuaccius, Nicolaus Piſo, Domenicus Leo, Vidius Iunior, &

quam-

quamplures alij,quos breuitatis gratia. ſilentio inuoluo: à quibus tanquam à veris huius materiæ fontibus doctrinam veram accipere poteſtis.

Sed videamus iam,quid dicat Raſis noſter cap. 16. vbi, cum in oculo (ait) fortis dolor, & punctio nociua, ac pulſus ſentiuntur,& lacrymarum fluit multitudo, cum palpebræ eleuantur,& oculi aperiuntur, & quæ ſequuntur.

Vult ſatis prolixo ſermone in principio huius capitis nobis declarare, quid nomine vlceris intelligat, tum affectum ipſum, atque partem affectam deſcribendo. Affectus quidem declaratur qua tuor hiſce ſymptomatis, nempe dolore, punctione, pulſu, & lacrymarum multitudine ab oculis defluente. Quando igitur adeſt in oculo dolor cum punctione, pulſu, & lacrymis, opus eſt intueri album ipſius oculi affecti,necnon & eiuſdem nigrum,& rurſus conſiderare oportet, an album oculi ſe habeat quo ad conſuetam albedinem ſecundùm naturam, an verò præter naturali quadam rubedine ſit affectum.

Si primo modo, videndum eſt, an locum habeat rubedine affectum, ſi ſecundo,an aliqua particula cæteris ſit rubicundior, hęc cõſideratio circa album oculi ex Raſis mente eſt facienda. Deinde nigrum eſt animaduertendum, hoc eſt, vtrum in ipſo aliqua particula conſpiciatur, quæ alba ſit, quæ ſi ita reperiatur vtraque,vel vna ex prædictis partibus affecta, concludendum eſt adeſſe vlcus, aut puſtula in oculo.

Ex quo Raſis loco ſubito habemus, & corneam, & coniunctiuam, vel adnatam læſam eſſe, ita vt vlcus ſit paſſio communis, tam corneæ, quàm adnatæ, & re verá cum vlcus nihil aliud ſit, quã continui ſolutio, proculdubio poteſt euenire omnibus oculi partibus, quare non verè ſtatuunt illi, qui dicunt vlcus eſſe proprium ceratodis tunicæ morbũ, ſeu propriam affectionem.

Quãuis hic Raſis videatur vlcera tan quam morbos corneæ recenſere, non eſt tamen,quod velit eſſe tam propria,vt illi ſoli contingant, ſed quia vt plurimùm illa ab his lædatur, deinde quia magis vlcera læſionem patefaciunt ſuã in cornea, quàm in adnata, quod ſæpè totalem oculi actionem, nempe viſionẽ lædant, at in adnata, etſi vlcera fiant, non inde ſemper ſequitur, quod in actione oculi, id eſt, in viſione ſequatur læſio, vt in cornea.

Sed vt rẽ ipſam diſtinctam magis habeatis, ſcire debetis ex Pauli Æginetæ doctrina lib. 3. cap. de vlceribus oculorum, vlcus eſſe genus quoddam, quod ſub ſe varias habet differentias,nomine inter ſe diſtinctas, quas Aetius lib. 7. cap. 25. ad duo capita reuocare mihi videtur, nempe ad interiora, & exteriora oculi vlcera, quorum quædam magis ad corneam quædam verò ad adnatam attinere videntur.

Vlcera corneam lædentia tria ab Aetio enumerantur, primum eſt caligo, ſecundum nebula, tertium epicauma, quo nomine noſtrates appellant. Iſthæc tria vlcera dicuntur ſuperficiaria, & pertinere ad corneam.

Aliud eſt vlcus ſuperficiale, quod ad adnatam attinet, licet commune ſit corneæ, & adnatæ affectio;vocatur autem encauma etiam à Latinis, quod careant vocibus hoſce affectus declarantibus. Sed quamuis vlcera hęc dicantur ſuperficialia,ſunt inter ſe ratione ſuperficiei,& profunditatis, quam occupant, diuerſa.

Cæterùm adeſt argenum, foſſula, nec non puſtula, quæ ad vlcera attinent quidem, ſed videntur magis profunda, quamuis tamen non excedant ſubſtantiæ corneæ, aut adnatæ limites, & iſta ſunt nomina vlcerum oculis euenientium, quæ apud Græcos reperiuntur, ex quorum definitione facillimè vobis innoteſcere poterunt; nam quamuis eandem omnia vlcera in oculis curationem expetant, ad futuri tamen præſagitionem

nem,& ad ſecuriorem curationem opus eſt, vt ipſorum naturam intelligatis, quam non aliunde niſi ex ipſorum vniuſcuiuſque definitione haurire poteritis, primò igitur auſpicemur à caligine, tanquam à primo propoſitorum.

Eſt igitur caligo ex Aetio præcitato loco vlcus ſuperficiale in nigro oculi factum conſimile caliginoſo aëri, colore cæruleo, quod multum locum nigri occupat.

Ex hac definitione ſanè apertiſſimè denotatur nobis caliginem oculi eueni-re in cornea, hoc eſt in illo circulo magno oculi, qui intuentibus nobis apparet, ita vt pars affecta ſit cornea, affectio verò eſt, vt appareat macula conſimilis aeri nebuloſo, colore cæruleo quodammodo circumſcripta; nam cum ſit continui ſolutio ipſius, fieri non potuit, quin ſimul cum materia illa ſimili aeri nebuloſo collecta nonnihil ſanguinis, aut ſaniei affluxerit, quo nomine ſit cęruleus ille color.

Vna igitur conditio ipſius eſt. vt nebula aeris nebuloſi inſtar appareat; altera eſt, vt colore cæruleo ſit affecta, & iſtæ ſunt ex parte affectionis; ex parte verò loci affecti non ſatis eſt, vt cornea lædatur, ſed oportet, vt multa ipſius quantitas ſit læſa, quæ vel pupillam attingit, vel minimè: ſi primo modo parum, aut nihil offenditur viſio, ſi ſecundo modo, impeditur ita, vt vix, & cum multa difficultate ægrotantes videant, quemadmodum pulchrè Aetius admonet, quamobrem hæc affectio morbus eſt in genere ſolutę continuitatis, & potest eſſe cauſa morbi, cùm ſit impedimento ipſi viſioni; ſatis igitur patet natura ipſius caliginis, venio ad nebulam.

Nebula, vel nubecula eſt vlcus quidem in cornea, ſed profundius, ac minus quantitate caliginis, verum colore albius.

Conueniunt nebula, & caligo in genere affectionis, & propter eandem partem, quam occupant; nam ſunt vlcera

A corneæ, hoc eſt, ſunt vlcera, quæ nigro oculi eueniunt, differunt ratione dimenſionum, quas in nigro occupant; ac ratione coloris; nam caligo eſt ſuperficialis, ſed multum diſtenditur per corneam, ita vt ſæpè pupillam occupet, nebula verò in profundo magis apparet, & latitudine eſt minor; deinde caligo cærulei eſt coloris, nebula verò ſemper præſefert colorem album.

B Veniamus ad alia vlcera: epicauma eſt cum nigrum oculi in ſuperficie exaſperatum, inuſtum fuerit, & colorem cinereum præ ſe tulerit. Encauma verò eſt vlcus cum cruſta impura tam in nigro, quàm in albo oculi.

In priori vlcere adeſt etiam cruſta, quemadmodum explicitè Paulus ſcribit dicens eſſe vlcus ſordidum cum cruſta, Aetius verò ait eſſe nigrum oculi in ſu-

C perficie exaſperatum, atque aduſtum, quare tam ex Paulo, quàm ex Aetio dicere nobis licet epicauma eſſe etiam vlcus cruſtoſum, & ſordidum; cum enim aduritur ſuperficies perfectè, efficitur cruſta coloris cinericei, ita vt in nigro oculi, quãdo cruſta apparet coloris prædicti, dicatis vlcus eſſe epicauma, & huius modi vlcus eſt propria corneæ affectio.

D Encauma verò ab Aetio ſolummodo deſcribitur, quod eſt, quando cruſta impura tam in nigro, quàm in albo apparet, itaq; conuenit cum epicaumate cruſtæ ratione, quæ inducta eſt in oculi ſuperficie: differt verò, quia epicauma ſolum in nigro, encauma tam in nigro quàm in albo oculi contingere poteſt.

Cæterùm Aetius addit, vt plurimum encauma eſſe cum febre, & quod magis eſt, iſtud vlcus tantæ malignitatis eſ-

E ſe ait, vt in profundo oculi nonnunquam eueniens tantam faciat in membranis corroſionẽ, vt non modò humores ab oculis, ſed ipſimet oculi ex toto etiam effundantur.

At quidem encauma videtur ſub epicaumate contineri poſſe; nam licet illud ſit ſordidum vlcus, poteſt eſſe, quod

talis

A talis ſordities tantæ ſit acredinis, vt membranas, quas attingit corrodat, adeo vt humores effluere poſſint, & tandem oculus vniuerſus.

Quare etſi à Paulo non fuerit encauma deſcriptum, non eſt tamen, quin poſſit ſub epicaumate comprehendi; ſed certè diligentius, mea opinione, Aëtius rem ipſam perſcrutatus eſt; ex his igi B tur poteritis habere prædictorum vlcerum notionem, & quam nobis Græci in medium afferunt doctrinam ad vnguem declaratam.

Propero ad alia, & primò ad argemum, de quo Paulus lib. 3. cap. 22. & Aëtius lib. 7, cap. 26.

Ex Aëtio argemum eſt vlcuſculum circa iridis circulum factum, partem albi, & partem nigri occupans, & al- C bum apparens. Paulus Aegineta in hunc modum vlcus hoc deſcribit. Argemum in pupillę circulo naſcens ambientia comprehendit, vt etiam in exteriore pupillæ parte rubicundum, in interiore candidum appareat.

In huiuſmodi definiendo vlcuſculo apparet diuerſitas inter Aëtium, vt Paulum; nam in primis Aëtius ſcribit ipſum euenire circulo iride appellato, Paulus D verò circulo ipſius pupillę, quam rē vt habeatis, ſciendum vobis eſt iridem ex Gal. ſententia eſſe coniunctionem ſeptem circulorum in oculo exiſtentium, & in vnum locum terminantium; qui omnes circuli fiunt à tunicis, & humoribus oculum conſtituentibus, omneſq; definunt ad extremos terminos ipſius corneæ, nempe circuli illius maioris, qui in oculo cernitur.

E Primus fit ab adnata tunica, ſecundus à cornea, tertius ab vuea, quartus ab aracnoide, quintus ab humore cryſtallino, ſextus ab humore vitreo, ſeptimus amphibliſtroide. In hoc igitur circulorum coitu, quem iridem appellant vult Aëtius fieri argemum; at Paulus velle videtur vlcuſculum iſtud fieri in circulo ipſius pupillæ, circulus autem pupillæ nihil aliud eſt, quàm paruū illud foramen, quod reſpicientibus nobis apparet in medio illo magno circulo, ſed cum iſtud foramen non ſit in cornea, ſed in vuea, eius verò mens ſit, vt argemum ſit paſſio corneæ, non eſt credibile voluiſſe inferre vlcus iſtud fieri in hoc paruo circulo.

Sed quoniam iſtud vlcus in cornea, ita dilatatur, vt attingat regionem parui circuli, ideò dixit fieri in paruo pupillæ circulo, & quod viſionem impedit, quæ per hunc circulum efficitur, non tamen negauit; quin ortum ſuum habeat in circulo iride appellato, ſed ſupponens ibi ipſum generari, deinde dilatari vtrinque tā ad nigrum, quàm ad album oculi, propterea quod ſuo ambitu magis viſionē lædit, quę fit per circulum vueę, ideo fortè dixit eſſe primò vlcus in circulo pupillæ.

Dicere etiam poſſumus per circulum pupillæ intellexiſſe circulum illum magnum in oculo apparentem, in cuius medio pupilla cernitur, cuiuſq; terminus externus ſimul cum alijs circulis iridem efficit, cumque contingat vlcus iſtud, poteſt dici tum pupillæ circuli, tum iridis affectio, & eo magis, quia huiuſmodi vlcus contingens circulo iridi vtrinq; expanditur tam ad album oculi, quàm ad nigrum, ſed diuerſimode partes ipſas afficit, quia nigrum oculi album, album autem rubicundum efficit.

Vnde notate Aëtium ſcripſiſſe huiuſmodi vlcus album apparere, quod dictum intelligi debet de nigro oculi, quia licet nigrum attingat, nō remanet niger locus, ſed albus, conſpicitur, ille nempe, quē vlcus afficit, quare hoc certi habetis argemum in nigro oculi album apparere, in albo verò rubicundum, quod non modo de argemo intelligendum eſſe voluit Raſis, ſed de omnibus vlceribus membranis oculorum euenientibus, quia iubet nos, vt album intueamur, an rubicundum, & nigrum an album fuerit, quia quodcumq; con-

tingat, vlcus quidem ſemper adeſt.

Concluſum igitur ſit nobis argemũ eſſe vlcus tum corneæ, tum adiacentis, & quod album appareat in nigro, rubeum verò quoties adnatæ contingit, & hæc de argemo, videamus modò, quid nomine botryos intelligendum ſit.

Nihil aliud intelligunt Paulus, aut Aetius per botryon, niſi vlcus cauum in prædicta cornea, ſed huiuſmodi caua, vlcera, quæ eodem Aetio foſſulæ dicuntur, vel ſunt anguſta, & caua [illegible]q; pura, vel altiora, & minus profunda, : ſi primo modo tale vlcus botryos appellatur, ſi ſecundo modo à Paulo dicitur cœloma, vt tandem ex his authoribus liceat concludere botryon eſſe vlcus corneæ cauum, anguſtumq; ſed purum, cœloma verò eſſe vlcus eiuſdem latum, & profundum.

At dicamus modò, quid per phlictenē ſignificetur, vt vlcerum oculorum, ſaltem craſſa, quadam minerua, notitiam integram habeamus, quia huiuſmodi tractio videtur ad Chirurgũ potius, quàm ad Phyſicũ pertinere, vnde ſatis nobis erit pro præſenti cõſideratione attuliſſe nominũ notionem. Per phlictenes igitur intelligere oportet puſtulas, quæ nõ modò membranis eueniunt, ſed ex Aetio lib. 7. c. 29. palpebris. Cæterum nec ſunt paſſiones propriæ, & peculiares corneæ, ſed etiam circa ipſam corneam, contingunt, nempe in albo oculi eodem Aetio docente.

Sed quamuis albo oculi nonnunquã eueniant puſtulæ, ſunt tamen maioris conſiderationis, quando eueniunt membranæ corneæ, quòd viſionem impediant: ſed cornea propter ſimilitudinem, quam cũ cornu habet, ita appellatur, cũ verò cornu ſiccitatem habeat, craſſitiemq; atque in ſuas quaſdam laminas, veluti ſquammas diuiſibile ſit, cornea, tamen non in omnibus correſpondet; nam eſt tenuis ſubſtantiæ; deinde longè magis dilucida, quàm cornu, quandoquidem per eam ſpecies tanquam per cryſtallum luc idiſſimam permeant.

A Sed magnam ea habet cum cornu ſimilitudinem, propterea quod in mẽbranulas quaſdã tenuiſſimas eſt diuiſibilis, quæ veluti ſquammæ ſunt, merito quarum puſtulæ dicuntur modò ſuperficiales, modò profũdiores, pro vt ſunt vel in vna, aut in alia mẽbranula, aut ſquãma.

Quare non poſſum ſatis admirari Alexandrum Benedictum alioquin doctiſſimum virum, ac in rebus anatomicis

B diligentem, qui lib. 2. ſuæ medicinæ cap. 13. ſcribat aduerſus Auicennam, membranam hanc eſſe tenuiſſimam, proindeque in has membranulas diuiſibilem; nam anatome ipſa demonſtrat in clariſſima luce eum, cæcutiuiſſe, meritò igitur Aetius præcitato loco admonet puſtulas aliquas eſſe ſuperficiales, aliquas verò profundiores, quæ in prima fiunt ſquammula, ſunt ſuperficiales, quæ

C in quarta, atque vltima, ſunt profundiſſimæ omnium, quæ verò in ſecunda, & tertia eueniunt, medio ſe habẽt modo.

Sed dicet quis, benè audiuimus puſtulas eſſe affectiones membranarũ, & aliarum oculi partium, ſed nondum intelleximus, quid illę ſint. Phlictenæ dicuntur etiam philictides à Græcis, noſtrates veſiculas appellant, ſunt itaque puſtulæ veluti veſiculæ quædam, aut

D ampullæ in cornea enaſcentes magnitudine varis ſimiles, authore Celſo, vario colore refertæ, ſed in oculis, albæ, vel nigræ vt plurimum apparent, quamuis ſint coloris cinericei interdum, ſubeſtq; ijs humor, & vbi ruptæ ſunt, infra quaſi exulcerata caro apparet.

Ex hac deſcriptione habetis ad puſtulam faciendam eſſe opus, vt pars affecta ad modum veſicæ eleuetur, quod fie-

E ri non poteſt, niſi præter naturam materia quæpiam acris affluat, quę membranam à ſubiecta alia membrana continuũ ſoluendo deducit, & ſeparat; nam rupta veſicula materia cadit, atque interiorem oculi partem ſordidam reddit, & vlcus in membrana remanet, quare iure merito huiuſmodi puſtulæ inter exiguo tumores primùm, deinde inter vlcera

ra reponuntur: & iſtæ ſunt omnes vlce- rum ſpecies, & differentiæ, quę ex Græ corum ſententia oculorum membranis exterioribus, & tandem omnibus ipſo- rum partibus eueniunt, quas breuibus Raſis noſter vnico capite eſt compre- henſus.

Nec tamen putetis, eo quod Aui- cenna fen.3. lib.3.cap.2.tract.tertij pro poſuerit ſeptem ſpecies vlcerum oculo- rum, velle aliã à prædicta afferre doctri- nam, quia etſi aliјs vtatur verbis, nihi- lominus, quod ad eſſentialia attinet, mi- hi omninò cum Aetio, & Paulo in re ipſa conuenire videtur. Nolo nunc conterere tempus in demonſtranda hac veritate: legatis ipſum præcitato loco, & cognoſcetis verum id eſſe.

Sed circa prædicta duæ inſurgunt dif ficultates, vna eſt, quia dicit Raſis in nigro oculi apparere ex læſione albe- dinem; quod videtur à ratione alie- num; nam cum vlcus ſit ſolutio conti- nui nullam aliam inferens qualitatem, non video, cur poſſit in nigro albedi- nem inducere.

Deinde inquirendum eſt, an phlicte- nes in oculo factæ, vbi albæ appareant, ſint ſuperficiales magis, aut è contra? quia ex vna parte videtur læſio in pro- fundo albior eſſe; in ſuperficie verò ni- grior, quamuis alij exiſtiment totum op poſitum eſſe, nimirum, quod quando tales læſiones ſunt albæ, tunc ſunt ſuperficiales magis, & è contra, quan- do nigræ apparent profundiores, idque breuibus inquirendum proponitur.

Ad primum multæ ſunt reſponſio- nis. Ariſt. 9. proble, 2. & 7. vide tur reſpondere vno ſuppoſito, nempe quod vlcera ſint præter naturam affe- ctiones, id verò, quod eſt præter natu- ram, ſtatim contrariatur conſtitutioni ſe cundùm naturam, quo ſtante inquit vl- cera in reliquis corporis partibus eſſe nigra, in oculo verò eſſe alba, quod conſtitutio corporis totius ſit alba, ocu li verò ſit nigra, hinc eſt, quòd per con- trariorum rationem, in oculo ſunt alba, in alio verò corpore ſunt nigra.

Sed huiuſmodi ſuppoſitum non vide tur eſſe verum, quia in corpore æthiopis cicatrix eſſet alba, quod tamen falſum eſt; deinde oculi conſtitutio præcipuè membranæ corneæ non eſt nigra, ſed lu cida, quare hæc reſponſio ſubſiſtere mi nimè poteſt.

At equidem exiſtimo dicendum eſſe, vlcera prouenire à cauſa interna, & ex- terna; & primo modo fieri poteſt, vt cornea ea ratione afficiatur, qua affectus eſt humor, à quo procedit vlcus, pro- inde non poteſt ſemper eſſe vnius colo- ris; nam humor bilioſus eſt flaui coloris: & ſic de ſingulis eſt arbitrandum, atqui ſiã cauſa exteriore vlcus proueniat in membrana cornea, quia illa eſt coloris lucidi, per condenſationem factam in parte ab vlcere læſa, redditur alba, quemadmodum omnia lucida, vbi ma- gis condenſantur.

Hinc eſt, quod vlcera à cauſa exte- riori facta in cornea ſunt alba; fiunt ve- rò rubicunda in adnata, quia multæ ſunt in ea venæ, quæ ſanguinem effun- dunt in partem ab vlcere læſam, vnde à principio vlcera ſunt rubicunda, non tamen ſemper.

Ad ſecundam dubitationem non eſt tã facilis reſponſio, Aetius tamen, & cũ eo Auicennas lib.3.fen.3.tract.2.c. 3. ſcri- bunt, quod quando magis nigra eſt pu- ſtula, ſignificat, quod ſit magis ſuperficia lis, quia ex ſui natura eſt nigra; quare v- bi magis ad corneæ ſuperficiẽ poſita fue rit, magis apparebit, qualis eſt ſua natura quemadmodum quando remotius, & in profundo fuerit, magis à ſua natura re- cedet, quo ad viſionem, quia tunicæ al- bedo, atque luciditas occultabit puſtu- læ nigredinem.

Si tamen rectius ſpeculemur, res vi- debitur ſecus ſe habere, ſi non ſimpli- citer, ſaltem in aliquibus puſtulis, aut vl ceribus, quia non omnia ſunt nigri co- loris, quemadmodum vidimus in

nebula, quæ ſuapte natura eſt albi co-
loris, quamuis caligo magis ad aerẽ tur
bulentum ſit comparata, de qua Aui
cennas dicebat eſſe vlcus ſimile fumo,
aliud verò appellabat puſtulam lano-
ſam, quod ita apparebat, quemadmo-
dum ſi ſuper pupilla adeſſet lana pauca,
& carpinata, ex quo habetur non eſſe
verum vlcera oculorum, ſeu puſtulas eſ-
ſe nigri coloris.

Mihi quidem videtur, quod quandò
puſtula eſt alba in ſuperficie, talis appa-
ret, quia cum cornea lucidiſſima fit,
non impedit, quin oculus per tunicam
illam tenuiſſimam, tanquam per vitrum
lucidiſſimum non intueatur puſtulam,
qualis ipſa ſuapte natura eſt; nam ſi al-
ba erit, aut alterius coloris, poterit faci-
lè diſcerni ab oculo noſtro.

Sed certè, quando in profundo eſt, vi
detur poſſe oculus ab ea facile decipi,
quia per diaphaneitatem profundam
membranę corneæ ſubſtantiæ viſio non
perfectè penetrabit, vt quid ſubtus ſit,
diſcerni perfectè poſſit. Idq; continge-
re eſt veriſimile, quod euenit, quando
per plura vitra ſibi ad inuicem ſuppoſita
intuemur; nam quod in profundo eſt, ve
luti nigrum apparet.

Exemplo ſit illud, quod in pupilla o-
culi intueamur nigrum, & tamen ſub
pupilla adeſt humor vitreus, deinde
cryſtallinus, qui lucidiſſima ſunt cor-
pora, nec alia de cauſa, niſi ob ſui pro
funditatem nigra nobis intuentibus ap-
parent; quare puſtula alba in profundo
corneæ exiſtens, apparebit ad nigredi-
nem magis, quàm ad albedinem vergere
quia membranæ corneæ ſquammæ ſunt
lucidæ, in quibus neq; terminatur viſio
noſtra, ſed benè poteſt terminari ab opa
citate materiæ collectæ in ipſa, quæ
quamuis ſit alba, non poterit perfectè
ſuam albedinem demonſtrare.

Quapropter concludendum videtur
non eſſe ſemper verum, quod puſtulæ in
profundo exiſtentes ſint albæ, in ſuper-
ficie verò nigræ, ſed in ſuperficie quales
A ſunt natura, tales videntur eo, quod nihil
ſit, quod nos impediat: at quãdo in pro
fundo ſunt, apparent ſemper ad nigre-
dinem vergere, ſecundùm magis, &
minus: & hæc de eſſentia vlcerum ocu-
lorum, & de locis, quibus accidunt, hoc
eſt de partibus oculi affectis: modò bre
uibus ad cauſas, ſigna, prædictiones, &
curationem properandum eſt.

B
## DE CAVSIS VLCERVM *Oculorum.*

Cauſæ horum vlcerum ſunt vel in-
ternæ, aut externæ: interna cau
ſa eſt humor acris, & mordax in parte
receptus, qui excorians membranam
facit vlcus; aliquando etiam colligitur,
efficitq; puſtulas, & acredinẽ acquirẽs ſu
C biectas excoriat membranas, quare im-
mediata, & proxima cauſa vlceris eſt hu
mor acris, ſiue affluens, & receptus in
membranis prædictis, ſiue in iiſdem
ſenſim collectus, & putrefactus, qui a-
crimoniam acquiſiuerit.

Cauſa verò exterior eſt quodcumq;
habet contundendi, rumpendi, atq; in-
cidendi facultatem.

Auicennas lib. 3. tract. 2. cap. 2. in-
D ter cauſas exteriores enumerat ophthal
miam, & bothor, ideſt tumorem pręter
naturam.

## DE SIGNIS VLCERVM *Oculorum.*

Signa alia ſunt, quæ vlcus demon-
ſtrant, alia quæ membranas affectas
diſtinguunt: priora afferuntur à Raſi,
E & ab omnibus medicis in hunc vſq; diẽ
recipiuntur; quæ ſanè ſunt tria, nem-
pe dolor fortis, hoc eſt acutus, quia à
mordicatione fit humoris; vnde ſecun-
dùm ſignum eſt mordicatio; tertium
lacrymæ ab oculo læſo effluentes. Ad-
datis aliud, quod palpebris apertis ocu-
li globulus rubicundus cernitur.

Sed quoniam huiuſmodi ſigna conue

niunt etiam alijs oculorum morbis, & præter hoc non poſſunt contingere niſi membranis ipſorum; ideo cùm non vni ca ſit membrana oculis noſtris ſubiecta, quia vt diximus, vlcera tam corneæ, quàm adnata eueniunt, quædam particularia ſunt ſigna, quę demonſtrant, quando vlcus eſt in cornea, & quando eſt in adnata.

In cornea vlcus adeſſe ſignificat nobis albedo quædam, vt iam ſatis ſupra dictum eſt, rubedo verò, quando adeſt in adnata, quia quemadmodum albedo illa oſtendit eſſe vlcus in illa parte corneæ, in qua eſt albedo, ita rubedo in albo oculi exiſtens, vlcus ibi adeſſe oſtendit.

Sed dicet quis, ſi totum album oculi eſſet rubicundum, quemadmodum in ophthalmia contingit, quomodo poterit cognoſci vlcus ibi exiſtens?

Huic Raſis occurrit dubitationi dicens in albo oculi rubicundo, vlcere exiſtente, maior aderit rubedo, quàm in alijs partibus. Addatis aliud ſignum, quod vlcus corneæ ab vlcere adnatæ diſtinguit, & eſt, quod quando in cornea vlcus fuerit, ægrotantes lumen tolerare nequeunt, deinde quia viſio læditur, ſi præcipuè vlcus fuerit antè pupillam, quod clarum adeo eſt, vt nulla egeat probatione.

## DE FVTVRO EVENTV VLCERVM Oculorum.

Quod ad præſagia ſpectat, longè periculoſius eſt vlcus, quod corneæ contingit, quàm vbi adnatam obſideat, maximè verò omnium perniciofiſſimum eſt, ſi è regione pupillæ euenerit, quoniam poteſt efficere cęcitatem.

Sed quoniam vlcera non ſunt vnius naturæ, aut moris, quia quædam dicuntur maligna, alia etiam canceroſa, ideo ſciendum ex Aetio eſt, quod maligna vlcera in oculis maxima cum difficultate curantur, canceroſa verò nunquam, ſemperq; viſionem, tollunt: omne tandem vlcus internum eſt longè difficilioris curationis, quàm externum.

## DE CVRATIONE VLCERVM Oculorum per victus rationem.

De curatione loquens Raſis dicebat oportere eum, qui curaturus eſt oculos, maximè exercitatum, atq; circa medicinę inſtrumenta apprimè inſtructum eſſe; cum verò inſtrumenta medicinæ ſint tria, diæta, pharmacia, atque chirurgia, ijs omnibus vti debemus in oculorum curatione. At quoniam ſum multa dicturus circa inſtrumenta medica in morbis thoracis, breuibus hic agam, remq; per capita tantummodo declarabo.

Primò igitur veniens ad diætam, ſub qua continentur ſex res non naturales, circa quas tanquam proprium obiectũ verſatur; ſtatuo in primis aerem eſſe obſeruandum, quia vt aliàs audiuiſtis, nonnunquam is habet rationem cauſæ, hoc eſt concurrit cum cauſis efficientibus; aliquando verò præbet materiam auxilij. Quando à materia calida, acri, & mordaci vlcus euenit, tunc aer calidus concurrit tanquam cauſa fouens, proinde debet eſſe in qualitatibus actiuis temperatus, in paſſiuis verò moderatè ſiccus, ita etiam ſi vlcus à cauſa prouenit exteriori. Vt igitur vno complectar verbo, aer debet eſſe temperatus in actiuis, & paſſiuis ad ſiccum magis, quàm ad humidum vergens.

In reliquis alijs rebus non naturalibus moderatè ſe gerere debet ægrotus, tam in ſomno, quàm in vigilia, nihilominus magis illi eſt dormiendum, quàm vigilandum, quia tunc temporis in ſomno coquuntur humores, ideo vbi adeſt ingens dolor, omninò inuigilare debet medicus, vt dormire æger poſſit. Auicennas cap. 5. lib. & fen. præcit. ſcribit, quod ſi vlcus fuerit in dex-

dextero oculo, quod tunc infirmus dormiat ſuper ſiniſtrum latus, & è contra.

Quieſcendum eſt, quantum fieri poteſt, quandoquidem in motu attenuari conſueuerunt humores, atq; acriores reddi; tam ex motu corporis, quàm ex immoderatis animi affectionibus, quam obrem cauere æger debet à capitis motibus, à vociferatione, à ſternutamentis, & huiuſmodi, ex Auicenna, omniaq; euitanda veniunt, quæ ad iram, ac validam animi commotionem deducere poſſunt.

Omnis repletio immodica eſt fugienda; quare vbi aluus non obediat, neq; ex conſueto fluat, arte curandum eſt, vt inteſtina non modò à fœcibus, ſed & ab humoribus euacuentur; clyſteribus qui buſdam aliquando lenientibus, nonnunquam verò acribus.

Omni genere diuerſionum, & reuulſionum agendum eſt, vt humor ad oculum affectum fluens retrahatur, vt pote frictionibus; cucurbitis, & huiuſmodi auxilijs, de quibus particularius loquemur, quando ſermo erit de morbis oculorum grauioribus, vt etiam egimus capite de ophthalmijs.

Victus ratio in alimentis ſit boni ſucci, & facilis coctionis, & à principio debet eſſe tenuis, in progreſſu, & fine talis, ne æger debilitetur, & vt ait Auicennas, vt vlcus conſolidetur: abſtineat à vino ſaltem primis diebus, deinde caueat à conuiuijs, compotationibus, & ebrietatibus, ac crapulis per omne tempus morbi.

## DE CVRATIONE VLCERVM
*Oculorum per pharmaciam.*

QVæ ad pharmaciam ſpectant, ſunt ſyrupi alterantes humorem biliofum, de quibus egimus, & prolixiùs agemus infra, deinde & bilem educentia tam ſub forma potus, quàm pilularum, vt ſunt.

A Syrup. roſ. ſol.
Rhabarb.
Electuarium ex ſucco roſarum.
Et huiuſmodi valentia educere bilioſos, acres, & mordaces humores.
Pilulæ quoque commendantur, vt ſunt.
Pil. cochiæ.
Arabicæ.
Aggregatiuæ.
B De luce.

Et quamplura alia reperiuntur ad humores ab oculis educendos, ſicut etiam audiuiſtis ſupra cap. de ophthalmia, & audietis in alijs oculorum affectibus.

## DE CVRATIONE VLCERVM
*oculorum per chirurgiam.*

C SEd quidem vlcera oculorum, etſi ad ſui curationem omne medicinę inſtrumentum requirant, nihilominus magis chirurgicum expetunt, quia opus eſt exterius applicare remedia, quæ applicatio certe videtur ad manuum operatione ſpectare, quamuis medicamenta ipſa ad pharmaciam redigantur.

D De his nunc agendum proponitur, ſi prius admonuerimus vtendum eſſe aliquando ſanguinis miſſione, facta vel euacuationis, vel auulſionis cauſa; indicatio enim ſanguinis mittendi, vt ſępè eſt à nobis repetitum, vel à multitudine ipſius, vel à motu eſt accipienda, quando igitur corpus eſt plethoricum, debemus mittere ſanguinem, vt totum corpus euacuetur, vel per venam communem, aut per iecorariam ex cubito; quan E do autem peccat ſolummodo motu, debet educi ſanguis, vt reuellatur; at ſi vtroque peccet modo, mittendus eſt, tum vt euacuetur, tum vt retrahatur, quod in hoc caſu fieri poteſt per ſectionem venę cephalicæ ad cubitum; atque ſi deriuandus eſt ſanguis, tunc id efficitur per partem propinquiorem, quemadmodum ſi ſecaretur vena poſt aures, vel in

fron

fronte, aut etiam in temporibus.

Cæterùm deriuatur per cucurbitas applicitas ſcapulis, ceruici, atque ca-piti; reuellitur autem ijſdem admotis ad lumbos, magis ad fœmora, magiſque ad crura: ſed fuſius loquemur de ſanguinis mittendi regulis vniuerſalibus, vbi ſermo erit de morbis thoracis.

## DE CVRATIONE VLCERVM *oculorum per localia.*

Atque tempeſtiuum eſt, vt videamus medicamenta, quæ in hoc caſu magis vrgent, vt ſunt localia à duabus indicationibus propoſita; nam hic adeſt morbus, & pars affecta, morbus indicat ſui ablationem, oculus verò ſui conſeruationem, quare opus eſt, vt reperiatis medicamenta, quæ talia ſint, vt vtriq; indicationi ſatisfacere poſſint.

Vlcus indicat ſui vnionem, tanquam curationem per contrarium, vnio autem non poteſt haberi niſi mediantibus medicamentis exiccantibus,& abſtergẽtibus;nam in quouis vlcere duo ſemper generantur excrementa, videlicet tenue, quod ichor vocatur, & craſſum, quod ſordes dicitur, ratione tenuioris excrementi indicantur exiccantia, ratione verò craſſioris abſtergentia.

Quare opus eſt ad vnionẽ inducendam vti medicamentis exiccantibus, atque abſtergentibus, & pro diuerſitate prædominij excrementi modò exiccantia, modò abſtergentia debent in mixtione exuperare, nonnunquam verò eſſe oportet inter ſe æqualia.

Subſtantia porrò oculi conſtat ex humoribus, & membranis: humores ſunt humidi, membranæ autem ſiccæ, quapropter qui vult rectè, & vt artis eſt curare oculorum affectiones, debet ſibi parare medicamenta, quæ oculorum partes conſeruent, vlcuſq; ad ſanitatem perducant, talia autem medicamenta oculorum morbis idonea vocantur à medi-

A cis accommodato nomine collyria.

Verùm quidem eſt, quod apud Græcos authores iſtud nomen collyrij in duplici differentia accipitur. Apud Oribaſium enim lib. 10. collect. apud Paulum lib. 7. cap. 17. Celſum lib. 6. cap. 6. nonnunquam eſt genus medicamenti compoſitum ex ſuccis, liquoribus, ſeminibus, fructibus in forma ſolida, ad longitudinem quatuor digitorum, eſt-

B queveluti ſuppoſitorium quoddam, quo antiqui vtebantur ad varios vſus, ſæpè ad aluum excitandam, & glans appellabatur, videturq; deductum ἀπὸ τοῦ κολλυρίου, quod rotundum ſignificat.

Sed in hac ſignificatione in præſentiarum minimè eſt accipiendum; cum hoc loco nomine collyrij intelligamus ſpeciem, ſeu genus medicamenti localis,

C quo ad curandos oculos quotidie vtimur, quod ab Arabibus ſief appellatur, & in duplici eſt differentia; nam aliud eſt fluidum, quod vt exiſtimo, Galenus appellauit collyrium monohemerum, ideſt vnius diei lib. 4. de comp. med. per loca cap. 2.

Aliud eſt ſiccum, de quo ipſemet loquitur Gal. præcitato lib. cap. 5. quæ ſanè medicamenta prædictas habent fa-

D cultates, conſeruandi videlicet oculos, atq; morbum propulſandi, nec vno modo conſeruant oculos, ſed omnibus modis, ſicut Meſues docet lib. 2. cap. de oculorum affectibus.

Sed licet collyria alia ſint fluida, vt illa, quæ monohemera appellantur, alia verò ſicca, nihilominus quæ oculis applicantur, præcipuè in vlceribus corneæ, & adnatæ, de quibus agi-

E tur, ſemper debent eſſe actu fluida, & humida, quod quidem Gal. pulchrè determinaſſe viſus eſt lib. præcitato cap. 4. vbi loquens de ocularijs medicamentis diuidit in duo genera, dicens alia vacare mordacitate, alia verò non eſſe mordacitatis expertia, omnia tamen vbi trita fuerint moderatè tribus liquoribus madefacta excipiuntur.

Di-

Dixerat autem hos liquores, ſeu pharmaca eſſe tria maximè oculorum morbis conuenientia, nempe fœnugræci decoctum, lac, & tenuis ouorum liquor, quæ niſi in promptu affuerint, loco ipſorum vult parum gummi, aut tragacanthi eſſe accipiendum, & in aquę pluuialis copia eſſe immergendum, ac macerandum; indeq; vt ipſa aqua vtamur. Quando autem adſunt vlcera, fieri non poteſt, quin ſeroſi adſint humores, qui ſanè abluendi ſunt, quod probe fiet cum prædictis rebus.

Sed ne multum immoremur, apud pharmacopæos adſunt ſemper in promptu ſief appellata, hoc eſt collyria, quibus ad libitum vti poſſumus, inter quæ illud eſt, quod ſief album appellatur à Raſi noſtro, quod communiſſimum eſt medicamentum, eoq; vult eſſe vtendum cum lacte, quia ibi ſupponit adeſſe dolorem, & pulſationem.

Pro cuius ablatione ad remedia magis exiccantia, & abſtergentia procedit iuxta Galenicam methodum, ſecundum quam iubet oculis vnum ex prædictis liquoribus à principio eſſe applicandum, ſimul cum tragacantho, atque gummi componendũ collyrium, quod citra mordacitatẽ abſtergere, & exiccare valeat: deinde ad alia, quæ maiorem abſtergendi facultatem habent, atq; adſtringendi nonnihil virtute pollent, accedemus.

Inſuper poteſt parari medicamentum, quod ex roſis, ac thure confectum ſit; nam thus modicam vim abſtergendi habet, roſæ nonnihil adſtrictionis, præter hæc thus vi moderata calefaciendi pollet, vndeq concoctorium eſt, doloreque ſedare poteſt, vt ex Galeno loco præcitato habetur.

Eo pertinere videtur crocus, atque myrrha, quia eandem concoquendi cũ thure facultatem habent, atq; diſcutiendi. Differunt tamen ad inuicem crocus, & myrrha; nam crocus moderatè adſtringit, myrrha verò cum adſtrictione non minimum diſcutit, & reſiccat

A humiditates, quamuis hæc ambo ſint validiora ipſo thure, quod maiorem diſcutiendi virtutem habent, carent tamen extergendi facultate.

Hinc eſt, quod ad vlcerum curationem thure admodum inferiora exiſtunt. Sarcocolla etiam, atq; galbanum, & concoquendi, atq; diſcutiendi vires obtinent, ſed prædictis maiorem; meliloti decoctum habet diſcutiendi vim

B ſed nonnihil adſtrictionis continet.

Hæc omnia medicamenta faciunt ad oculorum vlcera, quæ ita ad inuicem ſunt componenda, vt ſimul & ſemel ſatisfiat indicationibus præſentibus, vbi igitur adſtringendum ſit, exiccandum, atq; abſtergendum, non deſunt collyria ex arte parata, quæ etiam ex prædictis parare per vos poteritis.

Adeſt ſief album, quod duplex eſt, a-

C liud cum opio, aliud abſq; opio, vbi dolor ſedãdus eſt, accipite cum opio, vbi abſtergendũ, & exiccandum, ſine opio vbi denique magis exiccandum, & abſtergendũ, habetur ſief de plumbo paratum; & ambo hæc collyria deſcribuntur à Raſi, in communiq; ſunt vſu.

Cæterùm eſt ſief, quod Arabes appellant ex memithe ab eodem Raſi com

D poſitum, & in officinis ſeruatum, quo vti poteſtis: ſief de thure idem præſtat. Cum deinde vlcera abſterſa fuerint, nihilq; aliud ſit agendum, quàm cicatricem inducere, poteritis cum aqua roſata, thure, plumbo vſto, thutia præparata, ac modico croci collyrium parare, vt.

℞. aquæ roſarum vnc. iij.
Plumbi vſti,
Thuris, ana drach. j.

E Thutiæ præparatæ, drach. ſſ.
Croci ſcrup. ſſ. M. pro collyrio iniiciatur guttatim in oculum.

Auicennas ad vlcera oculorum abſtergenda cap. 6. proponit collyrium, cum aqua mellis, vel aqua fœnugræci, aut cum ſeminum lini mucilaginibus præparatum, nempe aliquo ex prędictis.

Mul-

Multa tandem ab Aetio, Paulo, & Auicenna proponuntur collyria, quæ ſanè optima ſunt; nullum tamen eorum ad vlcera canceroſa valet. Quod ſi quis vlcus canceroſum habet, ne deploratus relinquatur, blandioribus col- A lyrijs agendum eſt. Galenus præter collyria proponit fotum cum rebus diſcutientibus, exiccantibus, abſtergentibuſque ſpongia oculis applicitis: & hæc de curatione vlcerum corneæ, adnatęque, nunc albugines examinamus.

# DE ALBVGINIBVS OCVLORVM.

## CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

NOn putetis me velle capita Raſis ad verbum interpretari; quia nimiùs eſſem, nec quæ vobis ſum pollicitus, hoc anno abſoluere poſſem, ſed attingam tantùm, quæ vtiliora magis ſunt, quare relicto capite, de ijs, quę in oculos cadunt, cum omnibus pateat ijs ablatis nihil agendum ſupereſſe, propero ad ſequens caput, quod ab eo inſcriptum eſt de albuginibus oculorum, quórum cognitionem, & curationem in medium affero.

Sed circa præſens hoc caput paulum nobis immorandum eſt, afferendaque eſt affectus in primis per quidditatem, hoc eſt per definitionem; cognitio; primò enim albugo ea eſt, quàm Gręci λεύκωμα appellarunt, vt à Paulo lib. 3. cap. 21. & ab Aetio lib. 7. cap. 37. ſcriptum eſt. Verum huiuſmodi affectiones duobus modis conſiderarunt, primùm, vt ſunt in oculi ſuperficie, & huiuſmodi ſuo idiomate ἀχλύς, aut νεφέλια nominarunt: deinde vt profundiores; atque altiores, & λευκώματα dixere, Latini verò albugines, & aliqui ex ijs craſſas vocarunt albugines.

Vnde Auicennas cap. 17. tract. 2. fen. 3. lib. 3. primis verbis, inquit ſcias, quod albugo in oculo alia eſt ſubtilis proueniens in ſuperficie apparente, & nominatur nebula, & alia eſt craſſa, & nominatur albugo abſolutè.

B Quod ad rem ſpectat, huiuſmodi affectiones ſiue in ſuperficie oculi ſint, ſiue in profundo magis, nihil aliud ſunt, quàm maculæ quædam ſecundùm magis; & minus profundę in membrana cornea albæ apparentes, proinde C λευκώματα dicuntur, ſeu albugines, quia in nigro oculi albæ apparent; nam denſata tunica cornea ſuapte natura dilucida partes læſæ albæ apparent.

Idq; contingit etiam in glacie, quæ lucida eſt, vbi fracta fuerit, & denuò congeletur, fractio illa alba oculis noſtris apparet, quod idem in cornea accidit, vbi vlcere fuerit lęſa, deinde cicatrice conſtricta, & veluti conferruminata, vnde D Aetius dicebat, quod poſtquam conſolidatum erit vlcus, non amplius ſubtus apparet humor aqueus, quia in ipſa cicatrice reddita membrana opaca terminatur viſus.

Eſt igitur albugo nihil aliud, quàm macula alba in cornea apparens, quæ quidem dici poteſt morbus in numero, aut in via, quia impedit actionem viſus inhibens ne intus penetrare poſ- E ſint ſpecies viſibiles, aut extra ſpiritus ferri.

### DE CAVSIS, ET SIGNIS *Albuginum Oculorum.*

CVm autem omnis morbus ſuas habeat cauſas huiuſmodi albuginis ſuas quoque habebunt: hę autem

ſunt cicatrices, quarum aliæ ſunt profundiores, aliæ verò magis in ſuperficie. Signa autem cicatricum petuntur ab vlceribus præcedentibus, ſed maximè ab albedine in cornea apparente, cuius ſignum aliud eſt, quod eam demonſtrat eſſe magis in profundo, ſi non admodũ locus albus ſit, ſed cinericio colore præditus, aut ad nigredinem paulũ vergens; nam vbi magis pateat albedo, tunc ſignum eſt ipſam in ſuperficie magis eſſe.

## DE FVTVRO EVENTV
### *Albuginum Oculorum.*

Quod ad prognoſtica attinet, huiuſmodi affectio ſiue in profundo ſit, ſiue magis eleuata, ſemper eſt difficilis curationis.

Rurſus quoniam cicatrix alia eſt durior, & calloſa; alia verò mollior, pro diuerſitate huius ſymptomatis contingit etiam curationem variari, vnde Aetius dicebat nõ eſſe opus cicatricẽ calloſam curare, quia non cedit medicamentis.

Raſis in præſenti capite ſcriptum reliquit albuginem eſſe leuiorem in pueris ad curandum, quàm in ſenibus, ſubdens, cùm ſit in ſenibus, fortè ad ſanandũ eſt impoſſibilis, niſi ſubtiliſſima fuerit.

Non eſt tamen, vt exiſtimetis in pueris ideo curabilem reddi albuginem, quòd, vt nonnulli aiunt, cornea ſit mollis, quia hæc eſt pars ſpermatica, quæ ablata nequit denuò regenerari, ſed quia cum incurabilis, aut difficilis ad curandum ſit propter duritiem, & calloſitatem, quam contraxit, in pueris non tantùm exiccatur, neq; tam impensè calloſa fit, vnde aliqua ſuæ curationis ſpes medicis relinquitur.

Quod in ſenibus minimè ſperare licet, ſi præſertim inueterata fuerit, & vt vno concludam verbo, vbi craſſa, & dura fuerit, nullam recipit curationem, ſin tenuis, mollis, & in ſuperficie, poteſt quidem, ſed vix, longo tempore, & maxima cum difficultate curari.

A Redditur quoque incurabilis, vbi adiunctos habeat aliquos affectus præter naturam, quemadmodum eſt ſuffuſio, aut glaucedo, de quibus paulò infra.

## DE CVRATIONE ALBVGINVM
### *Oculorum.*

Non minus huiuſmodi albugines
B requirunt medicinæ omnia inſtrumenta, ac faciant vlcera, quandoquidem opus eſt totius corporis prouidentiam habere, intueriq; an plethoricum ſit, an cacochymum, an vtrumque vitium adſit, & pro diuerſitate affectionis corporis, curationem oportet auſpicari.

Nam ſi corpus repletum ſit, inchoatur curatio à ſanguinis miſſione; ſi ca-
C cochymum ab humoris peccantis eductione; ſi verò cum cacochymia adſit ſanguinis abundantia, vtrumq; remediũ eſt adhibendum, & pro diuerſitate dominij vnius, vel alterius, modò ad ſanguinis miſſionẽ, modò ad purgationem primò accedimus, quemadmodum ſupra admonuimus, & fuſius tractabimus paulò inferius.

De victus autem ratione nihil dicen-
D dum nobis eſt vltra ea, quæ capite præcedenti audiuiſtis, quia hic opus eſt cibis, qui boni ſint ſucci, faciliſq; coctionis. Pro potu aliquando aqua ſimplex, nonnunquam mixta, aliquando verò & vinum modicè concedendum eſt, ſed aqua probè lymphatum.

## DE CVRATIONE ALBVGINVM
### *Oculorum per localia.*

E Accedo modò ad localia, quæ maiorem partem habent in hac curatione, & dupliciter diſtinguuntur; nam quædam ad partem curatiuam attinent, quædam (vt Aetius ait) ad coſmoticen, ſiue exornatoriam ſpectant, quandoquidem inuenta ſunt à medicis quædam medicamenta albuginum de-
len-

ſentia albedinem, & loco ipſius nigredinem inducentia.

Priora rurſus ſunt in duplici diſcrimine; nam aliqua ſunt emollientia, alia verò reſoluentia, alia excoriantia, atq; exulcerantia, quæ ex Aetij mente debent euitari, ſed non modò videtur idem Aetius prædicta inhibere, verum etiam illa, quæ ad coſmoticen ſpectare diximus, capite 40. apertè vituperat, eorumq; mentionem ſolum facit, prout ſatis eſt ad habendam cognitionem; cum illa à medico cognoſci debeant, vt ad vſum reducantur, hæc verò, vt euitentur.

Iam verò ad cicatricem curandam opus eſt, vt indicationes à natura rei deſumamus; nam ea vel craſſa, vel dura eſt. Si dura, quod durum eſt, indicat ſui emollitionem, quod craſſum, ſui attenuationem: exordiamur igitur ab emollientibus.

Raſis duo medicamenta ad intentionem hanc idonea proponit; vnum eſt balneum aquæ calidæ, aliud verò eſt fomentum eiuſdem aquæ calidæ, vultque faciem tandiu ſuper vaporem eſſe tenendam, quouſque ea rubicunda euaſerit, cum hac tamen animaduerſione, ne venæ oculorum tumeant, aut dolor excitetur, quia tunc ab huiuſmodi præſidijs per aliquod tempus eſt deſiſtendum; nam ex illorum nimio vſu excitaretur inflammatio.

Cæterùm ad emolliendam induratam cicatricem, mihi ſuffumigium probatur, quod ab huiuſmodi herbarũ decoctione eleuatur.

℞. foliorum maluæ,
Radicum althææ, ana p. j.
Seminis fenugræci, vnc. ſſ.
Aquæ, lib. ij.

Fiat decoctio, cui, dum euaporat, oculus ſuperponendus eſt, ea ratione, vt is vaporem accipiat: ex quo medicamento ſperare licet fore, vt cicatrix emolliatur, quæ emollita poterit inde facilius attenuari, atque deleri, quod

A medicamentis attenuantibus fiet.

Inter alia propono vobis collyrium iſtud.

℞. thuris igniti, & ſtatim in decocto fœnugręci extincti, drach. j.
Croci, ſcrup. j.
Mucilaginis fęnugræci, drach. iij.
Miſce.

Vel poteſtis accipere medicamentum, quod ab Auicenna deſcribitur ad hunc B modum.

℞. alcionij loti.
Sarcocollæ lotæ ana drach. ſſ.
Sacchari candidi, drach. ij.
Fiat puluis, qui excipiatur ex decocto fœnugræci.

Valet ad idem, & fortè præſtantius eſt, quod conficitur ex ſuccis fœniculi
Rutæ,
Anagallidis,
C Chelidonij maris, ana drach. ſſ.
Thutiæ,
Squammæ,
Aloes, ana ſcrup. ſſ.
Mellis roſati,
Mucilaginis fœnugræci, ana vnc. j.

In hoc caſu medicamentum egregiũ eſt, quod ab aliquibus pro ſecreto habetur, ſi accipiatur internodium fœniculi, atque perforetur ad nodum vnum; D deinde repleatur ſaccharo albo, & ſale minerali ad æquas portiones, cera obturetur, atque ita per totam noctem detineatur, & mane liquor extrahatur, cuius immittes in oculum guttam vnam, nempe ſupra cicatricem.

Si validius cupitis medicamentum, curate, vt internodium ſit ex ebulo.

Atſi cicatrix ſit mediocris, poteſtis E addere nonnihil pulueris euphragiæ; ſi verò ſit craſſa, addatis modicum colocynthidos.

Sunt, qui panem conficiũt, in quo mabathrum, atque colocynthidem imponunt, & ex eo aquam extrahunt, appellantque aquam panis, habentque pro vnico remedio, huic affectioni.

Capiuaccius proponit pulcherrimum

præſidium, quod ad hunc modum componit.

℞. frumenti viridis, libr. j.
Seminis fœniculi, lib. ſſ.
Salis mineralis, drach. iij.
Foliorum rutæ,
Euphragiæ,
Fœniculi,
Chelidonij,
Saluiæ,
Marrubij
Cucumeris agreſtis,
Salicis, ana manip. ſſ.
Fœnugræci,
Rutæ, ana drach. iij.
Cinnamomi,
Caryophyllorum, ana drach. j. ſſ.
Croci, ſcrup. ij.
Colocynthidos, drach. ij.

Incidantur herbæ, contundantur ſemina, & infundantur in vino aromatico ea quantitate, vt ſuperfluat, & immittantur omnia in vas æneum foramine occluſo, quod exponatur ſoli per triginta dies, & frequenter agitetur, deinde fiat diſtillatio, & ſeruetur ad vſum.

Sed inter cætera medicamenta Raſis illud proponit, quod eſt omnium præſtantiſſimum ad citò erodendam, & eradicandam omnem albuginem. Idem atteſtatur ſe non vidiſſe efficacius hoc, quinimo nullum obſeruauit, quod poſſit illi æquiparari.

Recipit primo maſacumiæ, quæ eſt (vt Dominicus Leo interpretatur) compoſitio quędam ex plumbo, ſilice, & vitro, qua figuli vaſa terrea oblinunt, atque incruſtant, quæ expoſitio magis quadrat, quàm eorum, qui dicunt eſſe aquam nitri, quia ex aqua nitri non poteſt fieri puluis, ſicut Raſis ex maſacumia, & reliquis vult fieri: id autem ita deſcribit.

℞. maſacumię,
Spumæ maris,
Stercoris lacerti magni,
Nitri,

A Sacchari, ana partes æquales.
Fiat puluis ex omnibus.
Deinde
℞. acori, vel calami aromatici
Chelidonij, ana vnc. j.

Coquantur omnia in lib. aquæ ad conſumptionem dimidij, colentur, & in tali decocto, puluis mergatur, mox in vmbra exiccetur, iterum conteratur, B & mergatur, vt prius, ſicceturq; quod poſtquam quater factum fuerit, ſiccetur, & tenuiſſimè conteratur, & ſuper albugine ſubducatur.

Sunt, qui pro ſecreto habent, ſi oculus afficiatur à vapore ex decoctione meliloti, vel chelidonij, vel paleæ, hordei, aut auenæ eleuato, mane, & veſperi ante cibum ad faciei vſque ruborem, deinde lambatur à lingua puellæ, aut pu C eri, qui priùs fœniculum, aut rutam manderit: & hæc ſunt medicamenta ad partem curatiuam attinentia.

## DE CVRATIONE ALBVGINIS *Oculorum per medicamenta coſmotica.*

Quod modò attinet ad ea, quæ inter coſmotica recenſeri conſueuerunt à ſcriptoribus, dico in D primis ex Aetio hæc eſſe euitanda, vt ſupra dicebamus, nihilominus talia poſſunt albuginem denigrare, quemadmodum ex vulgi opinione eſt lac aſininum decoctum.

Eſt caro mali punici in aqua decocta, quæ prius eſt conterenda, & in aqua puriſſima decoquenda, quo deinde decocto abluere oportet cicatricem.

E Proponitur ſuccus hyoſcyami per quindecim dies ſuperpoſitus.

Dominicus Leo affert hoc medicamentum, vt maximè probatum.

℞. balauſtiorum.
Acaciæ,
Chalcanthi,
Gummi arabici, ana drach. j.
Antimonij,

Gallarum, ana drach. iij.

Coquantur in aqua, & decoctum pro linitura ſeruetur. Sed nimium temporis conterimus in afferendis huiuſmodi medicamentis, cum apud Aetium, A & Gal. 4. de comp. med. per loca ſyluam reperire poteritis.

Et hæc ſufficiant pro curatione albuginum oculorum, nunc ad reliqua tractationem dirigimus.

# DE PTERYGIO, SEV VNGVE.

## CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Poſt albuginum tractationem Raſis addit caput de affectione quadam externarum membranarum, quæ ſcabies appellatur, ſed quia confusè admodum, & conciſè duas affectiones hoc capite amplectitur, noſtrum erit dilucidare, quid nomine ſebel velit, quia cum verſemur circa vitia corneæ, & adnatæ, opus eſt, vt ſigillatim vitia omnia, aut ſaltem præcipua expediamus vtriuſq; membranæ, vt inde ad alia aliarum oculi membranarum properare poſſimus.

Hanc rem, vt dilucida methodo explicemus, operæpretium eſt videre, an affectio illa præter naturam, quàm Græci appellant pterygion, ſit eadem cum ſabel Arabum, aut ſaltem videamus, in quibus ab ipſa differat, ex qua collatione innoteſcere poterit nobis, quid vtrumq; horum vitium ſit, & quomodo curari debeat.

Sed dicet quis, quomodo, & qua ratione inquiris, vtrum vnguis, & ſabel ſint vnum, & idem, cum apud Auicennam fen. 3. 3. tract. 2. ea tractentur diſtinctis capitibus, & apud Halyabbatem idem habeatur 38. & 39. cap. ſuæ practicæ, & apud Meſue lib. 2. cap. 7. & cap. 9?

Cui ſatisfacimus dicentes apud Arabes quidem differre inter ſe has duas affectiones, ſebel nempe, atq; vnguem, ſiue vngulam, quamuis in determinan- B da natura vtriuſque non conueniant inter ſe; nam Auicennas ſebel vult eſſe membranam, vt paulò poſt manifeſtabimus; Raſis verò in præſenti ſcribit non eſſe membranam, ſed quid ſimile membranæ; & antiquiſſimus Serapio tract. 2. de ægritudine oculorum cap. 4. inquit eſſe repletionem ex ſanguine craſſo, à quo inflantur venarum in mo- C dum, ac rubent.

Auenzoar lib. 1. ſuæ medicinæ tract. 7. cap. 18. ſcribit eſſe texturam rubeam factam in ſuperficie coniunctiuę, ſeu albedinis oculorum, hancque texturam non à venis veris, aut arterijs deductam eſſe ait, ſed à materia ſimili venarum, quæ contextæ ſunt in albis oculorum, quæ aliquando extenduntur, vt nigrum D oculi lædant.

Scribit enim venas has, aut arterias à quibus textura prodit, neque à iecore, neq; à corde ſuum ortum deduxiſſe, ſed quoniam apud Græcos nulla ſebel habetur mentio, meritò inquirendum proponimus, vtrum ſint vnum, & idem; quare tractabimus de pterygio ipſius primùm examinantes definitionem, cauſas, ſigna, prædictiones, ac curationem.

E Si nominis huius verum etymon deducere cupimus, opus eſt, vt à vocis ſignificatione eam exhauriamus, ſed ne circa nomina diutius verſemur, ſciendum eſt, quod iam conſuetudo inualuit apud Latinos, vt appellent vnguem eam oculorum affectionem, quam Cornelius Celſus ita appellauit, Græci pterygion vo-

vocant, Arabes verò vngulam dixerunt, quamuis etiam per vnguem, & vngulam alium oculorum morbum intelligere liceat, quod ſuo loco manifeſtabitur: & hæc de nomine.

Propero ad declarandam pterygij definitionem, in qua tradenda videntur inter ſe diuerſi Græci; nam Galenus lib. de tumor. cap. vltimo, ita ſcriptum reliquit, pterygia germina ſunt adnatæ oculis extrinſecus membranæ, quæ ab ipſo circumoſſali delata ad corneam perueniunt.

Galenus hic plurali numero pterygia appellat, eaque eſſe germina quædam membranæ adnatæ inquit deducta à circumoſſalibus; hoc eſt à circumferentia oſſium oculorum, procedereque vſque ad circulum iridem, quem etiam coronalem appellat, de quo ſatis ſupra.

Igitur ſubſtantia pterygij eſt germen adnatæ membranę ortum ducens ab omni parte circumiacentis oſſis oculi, terminanſq; ad iridem: videtur autem huiuſmodi affectio eſſe veluti membrana quædam.

Si cupitis cernere ſimilem membranam, conſpicite oculos magnarum auium, præcipuè in gallinaceorum genere, in quibus comperietis membranam quandam prouenientem ab angulo interno oculi, totumque oculum ad libitum ipſius animantis velamenti in modum ſub palpebris ad externum vſque cooperientem.

Hanc membranam agnouit Ariſtoteles 2. de part. animal. cap. 13. & 4. eiuſdem cap. 11. de qua loquens inquit, nictantur membrana grandiores volucres non autem palpebra, quia animalia perfecta nictantur palpebra ſuperiori, quamuis non deſint aues nictantes palpebra inferiori, vt palumbæ, quam membranam retrahunt aues adeo, vt nullo modo appareat, quando autem volunt pro arbitrio ita ipſam diſponunt, vt totum tegant oculum.

Sed huiuſmodi animalibus à natura

A data eſt alicuius vſus cauſa, in hominibus verò eſt quid præter naturam; vnde Galenus libro 2. de cauſis ſymptomatum, & in fine libri 14. methodi medendi pterygium viſui officere ſcribit.

Quare ſecundùm ipſum eſt morbus in numero adaucto, quia eſt membrana adnatæ producta. Galeno non ſolùm conſentit Paulus Aegineta lib. 3. capite 21. ſed etiam antiquiſſimus ille Hip-
B pocrates latinus Cornelius Celſus, qui lib. 7. cap. 7. ſcribit pterygium eſſe membranam membranoſam ortum ducentem ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit.

Idem Paulus dicit eſſe excreſcentiam neruoſam ipſius adnatæ, vnde ratione ſubſtantiæ, ortus, & progreſſus authores iſti conueniunt, quare etiam, & in
C natura morbi. Aetius autem lib. 7. cap. 58. videtur ab his in ſubſtantia illius determinanda diſſentire, quia etſi dicat in oculo album augeri, addit tamen carnem ſupercreſcere.

Quod ad originem ſpectat, ſcribit eã ab angulo oculi interno enaſci, ſæpè quidem, non ſemper, ſed aliquando etiam ab angulo externo, nonnunquàm à circumuicino oſſe. Circa progreſſum ve-
D rò idem ſentit; nam inquit eam ad angulum oculi extendi. Hæc eſt circa pterygij naturam Græcorum opinio, quæ ſanè, licet videatur diuerſa; nihilominus eadem eſt, niſi quod Aetij opinio paulò amplior eſt, & Paulus videtur determinatè ortum præſcribere ad angulum internum, quemadmodum, & Celſus. Aetius porrò non modò id deducit ab interno, ſed ab externo angulo,
E & ab omni circumferentia oſſis oculi, nulla igitur adeſt diuerſitas.

Hęc reſponſio ab Auicennæ doctrinę elicitur cap. 22. quia vt plurimùm ipſius generatio eſt ab angulo interno, aliquando verò ab angulo externo, rariùs à circumuicino oſſe; nam Paulus loquitur de eius generatione frequentiori, Aeti-

Aetius omnem ſui ortum amplectitur, quare etiam videtur interpretari Galeni mentem.

Quod modò ad ſubſtantiam ſpectat, Paulus vult eſſe membranam ſimilem adnatæ, quemadmodum & Galenus; quod eſt verum vt plurimum, quia & Aetius etiam eis conſentit, ſed addit aliquando eſſe veluti carnis excreſcentiam quandam ab angulo magno enatam.

Quare vniuerſalius loquendo ex Aetij ſententia poſſumus dicere pterygium eſſe vel membranam quandam, aut carnis cuiuſdam excreſcentiam ab angulo oculi interno, vt plurimum ortum ducentem, & ad circulum iridem peruenientem, pupillamque occludentem; vnde ait eſſe morbum totius oculi, vt probè Galenus præcitatis locis inquit, quia primaria ratione oculus obtenebratur, qua ſtante definitione, nihil prohibet, quin ad pterygium Græcorum reducatur ſebel, ſeu rebel Arabum, quia etſi ſubſtantia ſebel ſit diuerſa à ſubſtantia pterygij, nihilominus modus, & locus generationis idem eſt.

Deinde, quia non ſecus atque pterygium totam pupillam tegit, vt ſit morbus primària ratione oculi, cum primò actionem ipſius lædat. Auicennas tertia ſen tertij lib. tractatu 2. cap. 22. de vngula loquens ſcribit eſſe additionem velaminis continentis oculum, incipientis ſecundum plurimum à lacrymali angulo, at currentis ſuper coniunctiuam.

Addatis, quod eadem videtur eſſe ratio, propter quam fortaſſe Græci non tam explicitè, & accuratè ipſum deſcripſerunt, rati poſſe ſub eodem capite comprehendi, quia ſiue membrana eſt, ſiue vena, aut artèria dilatata, ſiue vapor craſſus à venis eleuatus, ſiue quid ſimile prædictis ſubſtantijs, indicatio, quæ ſumitur ab ipſo, eſt, vt auferatur tanquam quid præter naturam. Sed ſatis immorati ſumus circa pterygium, ipſiuſque naturam declarandam, opus modò eſt, vt ad ſuas cauſas deueniamus.

## DE CAVSIS PTERYGII.

Cauſæ huius affectionis videntur procul dubio referri ad totius corporis nimiam repletionem, quia etſi pterygium videatur conſtare ex membranea ſubſtantia, non eſt tamen (mea quidem opinione) vt exiſtimemus eam ſpontè ortum ducere, quemadmodum fieri in oſſibus appendices quaſdam, quas exoſſationes appellamus, ex abundantia ſeminis apti ad oſſium generationem quotidie obſeruamus, quia huiuſmodi fiunt à primordio generationis, neque aliquam impediunt operationem.

At huiuſmodi membranæ ad naſcentis germina non fiunt, niſi poſt generationem, quare nequeunt eſſe ex ſeminis parentum abundantia, ſed ex humorum copia, & craſſitie, qui dum in venis ſunt, à virtute ipſarum tanquam aggrauantes protruduntur, ad partemque debilioré delati, nempe ad oculum, primùm ibi moram contrahunt, rationeque, vt ait Aetius, lippitudinis cuiuſdam ſcabioſæ, aut aſſiduæ defluxionis contingit ipſos humores extra venas delabi, & pro naturæ ipſorum diuerſitate variam producunt ſubſtantiam. Si copia fuerit pituitoſi, & lenti humoris extra percolati agente virtute conformatrice, quæ in eum elaborat, cum materia glutinoſa ſit, & lenta, diſtenditur membranę in modum, nec vera eſt membrana, ſed, vt ait Raſis, quid ſimile membranę.

Cauſa igitur materialis eſt ſanguis pituitoſus, craſſus, & glutinoſus: efficiens eſt calor oculi innatus in eam agens, qui cum benignus ſit, nec poſſit eam propellere, aut diſcutere, conuertit in membranam. Quod idem dicendum eſt de alijs ſubſtantijs, ſiue ſint ſimiles venis, aut carni, quia pro materiæ diuer-

uerſitate aliquando quid ſimile carni nonnunquam membranæ, aliquando verò venis, & arterijs generari poteſt.

Cum autem venæ iſtæ ad oculum repletæ maneant, ab hiſque eleuetur vaporoſa materia, fieri poteſt etiam quid ſimile ſebel Arabum, aut pterygio, quo ad effectum hoc eſt non ſecus à vaporibus impeditur viſio, ac impediatur à prædictis materijs. Antecedens igitur cauſa eſt humor nimius in venis; coniuncta verò vel eſt membrana, aut venæ, aut quid ſimile, vel vapor craſſus.

## DE SIGNIS PTERYGII.

DE ſignis nihil eſt, quod dicamus, quia adeo manifeſta eſt huiuſmodi affectio, vt nec cæcum latere poſſit; vnuſquiſq; enim agnoſcere poterit carnem, & membranam oculis enatam, quæ antea minimè aderat, cum præcipuè viſio fit ab ea impedita.

## DE FVTVRO EVENTV PTERYGII.

QVod ad prædictiones ſpectat, oportet conſiderare, an huiuſmodi affectiones recentes ſint, vel antiquatæ, quia magna pterygia, & antiquata vix curari, niſi per manuum operationē poſſunt: atque recentia ijs præſidijs tolluntur, quibus albugines auferendas eſſe diximus.

Scribit Aetius vngues albicantes, fundumq; exiguum habentes, faciliùs curari; contrarios difficiliùs. Addit idem non poſſe curari craſſa, & indurata pterygia. Cæterùm neq; illa, quæ ex canceroſa carne ſunt conflata.

Vbi ſimul cum ſuffuſione adeſt pterygium, non eſt, vt tentemus ipſum curare, quia cùm hac ratione curantur, vt liberetur viſio, ſi auferatur pterygium, ſtatim maior fit ſuffuſio; cum autem hæc ipſa ſit impedimento viſui, non poterimus ex pterygij curatione oculum liberare, creſcente ſuffuſione, quæ

A tollit viſionem, vt ſuo loco audietis.

## DE CVRATIONE PTERYGII.

DE curatione agentes dicimus indicationem deſumi à pterygio, quod eſt quid præter naturam indicans ſui ablationem, quæ ablatio fit per tria, medicinæ inſtrumenta, nempe per diætam conuenientem, per pharmaciam,
B quæ intrinſecus accipitur, & exterius admouetur, magis tamen per hanc, quæ localia admouet, quàm per aliam. Cæterùm, & per chirurgiam, nec ſolùm per ſanguinis miſſionem, ſed per manuum circa oculum operationem.

Qui vult igitur methodicè procedere, opus eſt, vt omni ingenio curet, ne humor ſuperfluus, cauſa generationis
C huius affectionis, amplius in corpore generetur, ille autem, qui genitus eſt, non feratur in partem affectam: at non generabitur amplius humor, ſi cauſa ipſius generationis amputata ſit; non fluet in oculum, ſi retrahatur. Primum fiet per rectam victus rationem, auferendo nimiam cibi copiam, eiuſq; qualitates attemperando, ideo debet medicus curare,
D vt victus ſit paucus, optimi ſucci, & facilis coctionis, nonnihilq; ſiccitatis in ſe habeat.

Deinde ille humor, qui ad oculum fluit, prohibebitur in ipſum ferri, primò ſi alteretur, & poſtea ſi extra corpus ducatur, qua in re pro diuerſitate humoris diuerſimodè agendum, vt aliàs intellexiſtis; ſi enim erit bilis, per cholagoga, ſi pituita, per phlegmagoga, ſi melancholia, per melanogoga, operabimur,
E nempe humor extra corpus per ſeceſſum vno ex iſtis medicamentis educendus eſt: hoc igitur modo per diætam, & internam pharmaciam medemur.

Per chirurgiam verò, quando humores peccant in quantitate, & motu, mittendus eſt ſanguis euacuandi, & reuellendi cauſa, vt aliàs vobis demonſtraui, &

& ſum etiam hoc anno, Deo dante, declaraturus. Quibus ſic, vt decet peractis, iam ad localia, & ſi opus eſt, ad manuum operationē eſt deueniendum: dicemus hic de localibus relinquentes manuum actionem chirurgis, quia hic tantummodo tractamus partem practicam, non chirurgicam.

## DE CVRATIONE PTERYGII per localia.

MVlta certè proponuntur à ſcriptoribus medicamenta, quorum ſyluam ab Aetio habetis, & maximè à Galeno 4. de compoſ. med. ex ſua, & antiquorum medicorū inuentione; difficillimum tamen eſt etiam recens pterygium medicamentis auferre, quia nō poteſt conſumi, niſi medicamentis corroſiuis, quorū primò adhibēda ſunt mitiora: deinde fortiora. Scribit Gal. 14. meth. med. cap. 19. pterygium adhuc molle medicamentis curari; at vbi indurauerit, curatur chirurgia.

Non deſunt, qui primò curant ipſum decoctione emolliente, antequam collyria corrodentia admoueant, parantq; eam ad hunc modum.

℞. hordei manip.ſſ.
Maluarum,
Violarum,
Sem. lini,
Fœnugræci, ana manip.j.
Florum chamæmeli, pugil.j.ſſ.
Bull.in ſuffic. quantitate aquæ. Hac decoctione foueatur oculus cum ſpongia intus immerſa, deinde fiat collyrium iſtud.

℞. lactis muliebris,
Croci,
Fellis, ana partes æquales.
Bulliant ſimul, deinde frigida oculo applicentur, quia non modò pterygium auferunt, ſed dolorem, & inflammationem, & prohibent, ac remouent, vel paretur ſic,

A ℞. ſucci populi, vnc.j.
Mellis, vnc. ij.
Miſcē, & hoc vnguento illine.
Ad idem collyrium, ſed fortius.

℞. lapidis hæmatitis loti.
Aeris vſti.
Cadmiæ vſtæ ana drach. ſſ.
Piperis albi, drach. ij.
Piperis nigri.
Spumæ maris, ana drach. iij.
B Zingiberis, drach.ij.
Amyli,
Myrobalanorū belliricorū, ana drac.ſ
Croci,
Salis armoniaci, ana drach. j.
Terantur, & cum ſucco fœniculi fiat collyrium.

Aetius proponit teſtas ſepiæ igni crematas, ac in cinerem redactas; & cum partibus totidem ſalis armoniaci puluerem facit, atq; in oculum inijcit. C

Hæc ſunt medicamenta ſecundùm magis, & minus valida, quæ vbi non ſufficiant, recurrite ad collyrium viride Raſis, quod confert ſcabiei, vngulæ, & albugini, & in communi eſt vſu, ab eoq; deſcriptum eſt cap. de vngula.

℞. viridis æris drach. iij.
Chalcanthi vſti, drach. vj.
D Arſenici rub.
Nitri,
Spumæ maris, ana drach.j.
Salis armoniaci, drach.ſſ.
Ammoniaci thimiamatis, drach.ij.
Diſſoluatur ammoniacū in ſucco rutæ, & cæteris in puluerem redactis admiſceantur omnia; ſeruetur pro vſu.

Multa alia deſcribuntur medicamenta à Meſue cap. de ſebel, & de vngula, E quæ valida ſunt, & optima; ſed vt dictum, vix credibile eſt poſſe huiuſmodi affectionem ſolis localibus auferri, ſed opus eſt manus operatione, quam poteſtis videre in Aetio; eamque ad verbum conſcriptam reperietis apud Dominicum Leonem lib. 1. ſectione prima cap. 25. & hæc de pterygio.

# DE SVGILLATIONE, ET PVRIS SVB CORNEA COLLECTIONE.

## CAPVT VIGESIMVMVNONVM.

Voniam ſequentes doctrinam, & ordinem Raſis in oculorum vitijs declarandis, de affectibus adnatæ, atque corneæ primò loqui à nobis inceptum eſt, vt hos expediamus duo adhuc examinandi ſe ſe offerunt, quorum primus procul dubio ſpectat ad affectus corneæ, alter verò ad corneam quidem, ſed magis ad vueam atti nere videtur, Paulus lib. 3. cap. 21. Aetius lib. 7. cap. 27. Primò videamus affectionem illam, quam ὑπόπυον Græci appellant, Auicennas 3. lib. 3. tract. 2. cap. 10. appellat ſaniem in ſiphac, noſtrates dicunt eſſe pus ſub cornea collectum; appellatur & à Græcis alio nomine ὄνυξ, ideſt vnguis, quia materia purulenta collecta ſub cornea vnguis formam repræſentare videtur.

Cuius quidem definitionem inquirentes videbimus ex prædictis authoribus nihil aliud eſſe, quàm puris quãdam copiã in membrana cornea collectam, quæ modò in ſuperficie, vt ait Paulus, modò in profundo magis reperitur: non nulli ſub tumore hanc collectionẽ puris enumerant: ſed quidquid ſit, verum hoc eſt, quod pus inter ſquammas corneæ collectum eſt, quod ſane in tumorem eas eleuare poteſt, ſed exiguum admodum, vt potius vnguis figuram, quàm tumoris imitari videatur, quemadmodum Paulus, & Aetius aiunt, itaque affectio eſt puris collectio, pars verò affecta eſt cornea.

Ad quam quidem affectionem reduci poſſe mihi videtur affectio illa, quam Græci ὑποφθάλμιον, & ὑπόσφαγμα appellant, noſtri autem ſugillationem, quæ à quibuſdam macula oculi dicitur, quæ Paulo authore; eſt humorum affuſio, inter corneam, & cryſtallinum facta.

B Alij dicunt eſſe ſanguinis affuſionem qui colligitur in membrana cornea, & ſub adnata, qui ſanguis magis oculum lædit, quando ſub cornea, quàm cum ſub adnata eſt collectus, quia in cornea viſionem lædit, quæ eſt oculi actio, atque ſi ſub adnata fuerit, non poteſt viſionem tam facilè lædere.

Iſtæ duæ affectiones ad inuicem ſe conſequi videntur, quamuis non ſemper ſed eo tempore, quo ſanguis colligitur C ſub cornea, qui ubi diſcuti nequeat, primò grumeſcit, deinde putreſcit, & tandem in pus conuertitur, quare ſugillatio videtur quædam præuia ipſius puris ſub cornea contenti diſpoſitio.

In hoc tantummodo duo hi affectus differunt, quod in vno ſanguis, aut humor alius continetur; in altero verò iam humor in pus conuerſus eſt; nam quamuis Capiuaccius ſugillationẽ repo D nat inter affectus communes adnatæ, & corneæ, & ſubiectarum partium, nihilominus videtur magis referri ad corneam, quàm adnatam.

Quod idem de pure eſt dicendum, quia ſi non diſcutitur ſanguis, vt putreſcat, eſt neceſſe, quare in quo loco eſt collectus, in eodem etiam putrefieri poteſt, quamobrem nullum inconueniens exiſtimo in methodo medendi continge E re, ſi iſti duo affectus eodem coerceantur capite, quandoquidem ſiue ſanguis, ſiue pus his locis cõtineatur, eſt præter naturam, iiſdemq; auxilijs auferendus.

Sed non modò ad idem caput prædictæ affectiones rediguntur; nam apud Auicennam lib. 3. fen. 3. tract. cap. 10. eadem proportio videtur eſſe ab hypopyo ad vocatã proptoſim, ſeu vt ait ille,

ad

ad rupturam corneæ, quæ eſt à ſugillatione ad hypopyon, quia quemadmodum vbi ſanguis ſub prædictis partibus contentus putreſcit, ex illoq; generatur pus, ita vbi diu pus ibi manens acrimoniam acquirit, membranam corneam corrodit, ac perforat, ex illaq; vuea ſubiecta procidit, quare huiuſmodi affectio licet diuerſa ſit à prædictis; nihilominus aliquam cum illis habet affinitatem, quia ad illas ſequi videtur.

Sed iam reuertamus ad hypopyon, & dicamus eſſe pus contentum vel ſub ipſa cornea, vel inter ipſius membranas, quod vnguis in modum ad iridis cō terminos extenditur, quo nomine, & vnguis appellata eſt: ſugillatio verò eſt ſanguis collectus, vel humor alius extrauenatus vel ſub adnata, vel ſub cornea.

## DE CAVSIS SVGILLATIONIS, ET puris ſub cornea collectione.

Cauſa ſanguinis collecti immediata eſt retentrix virtus venarum labefactata, quę ſanguinem retinere in ipſis non poteſt, quare videtur ſymptoma in genere retentricis labefactatæ, quæ vel per diapedeſim, vel diæreſim, aut anaſtomoſim continuitatē venæ, per quam cōtinet ſanguinem, læſam habet.

De huiuſmodi autem cauſis fluxus ſanguinis è venis alibi ſermonem habebimus, hoc loci ſolùm dicendum eſt per diapedeſim exire ſanguinē è venis continuitate ipſarum relaxata, qui vbi diſcuti nequit, conuertitur in pus, vt dictum eſt, & eſt immediata materia ipſius puris.

## DE SIGNIS SVGILLATIONIS, ET puris ſub cornea collecti.

Signa vtriuſque affectionis oculis ſubijciuntur; nam in ſugillatione oculus rubet in ea parte, ad quam ſanguis eſt effuſus, qui deinde liueſcit, & tandem dealbatur, quando

A in pus eſt conuerſus. Sed dicet quis videris ſtatuere hypopyō eſſe terminum ad quem ipſius ſugillationis quaſi hypopyō non poſſit fieri ſine ſugillatione.

Ego certè, ſi vultis me verum fateri, ſum huius opinionis, quod pus fieri nequeat, niſi à ſanguine, aut à carne cōtuſa, tanquam à proxima, & immediata materia, & proinde cum in hoc caſu

B nulla adſit contuſa caro, exiſtimo oportere ſemper ad puris generationem ſanguinem adeſſe extrauenatum, qui aliquando ſenſibiliter facit ſugillationem manifeſtam, nonunquam verò inſenſibiliter. putreſcit, & in pus conuertitur, expanditurque, vt dictum eſt, per corneam ad iridis vſq; ad conterminos,

Poteſt etiam eſſe, quod putreſcat in aliquibus locis circumuicinis, deinde

C putrefactus decidat in corneam, & hoc modo eueniat hypopyos ſine ſugillatione. Ambo in hoc ſigno conueniunt, quod actionem videndi impediant, in vno tamen albedo ad formam vnguis, in altero verò percipitur rubedo, ſed cum dolore, atque etiam cum pulſatione.

## DE FVTVRO EVENTV ſugillationis, & puris ſub cornea collecti.

D Quod ad prædictionem ſpectat, ambo iſti affectus, ex Gal. etiam ſententia ſunt in principio curabiles, 14. meth. med. cap. vltimo, ſed facilius ſugillatio curatur, quando ſanguis eſt paucus, neq; adhuc in grumum conuerſus, quia ſi conglobatur, vel nul

E lo modo, aut difficulter admodum curatur: pus verò collectum, ſi per tranſpirationem, aut (vt aiunt) inſenſibilem halitum euacari nequit, euacuatur per ſenſibilem extractionem, & hoc per chirurgiam, nempe per ſectionem factam, in decliuiori, ac commodiori loco, per quem facilius materia exitum habere poſſit.

## *DE CVRATIONE SVGILLATIONIS, & puris ſub cornea collrEti.*

OCulorum tamen morbi ijs, quæ exterius applicamus potiſſimùm debellantur. At curatio, quamuis per tria medicinæ inſtrumenta ſit peragenda, curandum in primis eſt, vt æger victus ratione temperata, & mediocri vtatur; cibus enim moderatus quantitate, qualitate verò ſit boni ſucci, facilis coctionis, & tempeſtiuè aſſumptus. Potus à principio debet eſſe aqua. Repletiones omnes fugiemus ideo aluus ſæpè clyſteribus irritanda eſt.

De miſſione ſanguinis, vt ſupra in alijs affectibus dictum eſt, ita in his agendum venit; euacuare enim opus eſt, reuellere, & deriuare tam per ſectionē venæ, quā per cucurbitas, hirudines, & alia, quæ reuellendi, & deriuandi facultate pollent, de quibus fuſius in morbis thoracis tractabitur.

Gal. lib. 14. meth. cap. vltimo ſcriptum reliquit medi um quendam ſui tēporis hy opyos cur aſſe ſola capitis concuſſione: collocabat ægros in ſedili aliquo, atque ad latera capite accepto ita commouebat, vt omnibus pus deorſum cadere videretur.

Pro pharmacia humor peccans alterandus, & euacuandus eſt ſuo loco, & tempore.

At localia ea ſunt, quæ perpetuò applicari debent, inter quæ pro ſugillatione Raſis pulcherrimum, & vſitatiſſimum remedium nobis proponit, & eſt iſtud.

℞. arſenici rubei,
Armoniaci,
Olibani,
Myrrhæ, ana drach. j.

Fiat ſief, quod in ſucco coriandri fricetur, & in oculum inſtilletur.

Succus etiam coriandri cum aqua euſragię eſt auxilium leue ad diſcutiendum ſanguinem.

Medicamentum quoq; ex lacte, luteo, & albumine oui paratum, ac mo- A dico vini eſt laudabile medicamentum.

Sief album cum opio, vbi dolor adeſt, & à principio proficit, in fine verò abſq; opio.

In principio ſi ſugillatio ab ictu, aut punctura proueniat, medicus debet vti reprimentibus, vt eſt albumen oui cum aqua roſacea agitatum: vel vt inhibeatur ſanguis, ne è vena exeat, huic me- B dicamento addendum eſt aliquid, quod adſtringendi facultatem habeat, vt eſt myrtillorum aqua.

Cæterum valet ad diſcutiendum aqua fœniculi, in qua decoctū ſit ſemen fœnugræci cum modico vini.

Sanguis etiam ex palumba diſtillatus eſt præſentaneum remedium, vel columbę, aut turturis.

Sanguis hirundinis cæteris ſanguini- C bus eſt anteponendus.

Lac præterea muliebre calidum inſtillatum valet, cum quo albumen oui agitare opus eſt, cui etiam modicum thuris, atque croci eſt addendum: id genus medicamenti pro diſcuſſione optimum cenſetur.

In hypopyo verò ſemper adſtringentia medicamenta euitabimus, verum ijs vtendum, quæ diſcutiendi habent D facultatem.

Fœnugræcū decoctum in vino ſpongia in eo immerſa eſt oculo applicandum.

Decoctum quoq; ex fœniculo, lilijs, chelidonia, euphragia, & femirlbus ſeſeleos, in aqua præcipuè factum in hoc prodeſt caſu.

Sunt, qui mel cum mucilagine fœnugræci medicamentum componunt, E atque eo corneam illinunt.

Non deſunt etiam laudantes portiones ex recenti caſeo ſectas, atque oculo applicatas.

Succus raphani diſcutiendi vim habet, ideo etiam in præſenti affectu vtilis habetur.

Multa alia ſunt collyria, quæ diſcutien-

tiendi facultatem poſſident, quibus pro indigentia eſt vtendum: & hęc eſt via, & methodus medendi per medicamenta, pus per inſenſibilem viam educentia, quæ vbi nihil proficiant, perforare opus eſt adnatam membranam in decliuiori loco, & magis opportuno, per quem ſperare poſſumus materiam euacuatam iri. Deinde in cæteris vlcus, vt tale, curandum eſt.

Poſſem nunc deuenire ad affectioné, quam proptoſim à Græcis vocari diximus, ſed quoniam non ſolum læditur A cornea, verùm & ſubiecta vuea à proprio ſitu exit, hinc eſt, quod vtraq; membrana læſa eſt, & vtriuſq; habenda eſt ratio, ideo antequã ad affectus vueæ, vel ad cõmunes vueæ, & corneæ deueniã, ſatius duxi cõmuniſſimam illam affectionem interpretari, quæ græcè ὑπόχυμα, latinè ſuffuſio, barbaricè verò cataracta appellatur; quæ etſi non ſit propria corneæ affectio, nihilominus ad ipſam ma- B gis, quàm ad alias oculi partes ſpectare videtur, itaq; de ipſa primò tractandum proponimus.

# DE SVFFVSIONE SEV CATARACTA.

## CAPVT TRIGESIMVM.

DIctum à nobis fuit cataractam, quam Raſis appellat aquam deſcendẽtem in oculum, Auicennas aquæ deſcenſum, ad corneæ læſiones magis attinere, quàm ad alias partes, tamen vndequaq; verum non eſſe videtur, quia inter ſcriptores lis exagitari conſueuit, in quo nam loco ipſa contineatur; D arbitrantur enim quidam inter humorem cryſtallinum, & vueam contineri, alij inter vueam, & corneam, alij verò magis liberales illi aſſignant totum illud ſpatium, quod eſt inter cryſtallinum, & corneam.

Non deſunt etiam exiſtimantes hanc materiam collectam eſſe in pupilla, nempe in foramine vueæ, quam litem conſilio facta in cataractis differentia; E ſecundùm quantitatem, & materiæ qualitatem, iuxta quarum diſcrimen poteſt contineri modò in vno, modò in altero loco, & etiam in omnibus prædictis; nam ſi multa ſit, atque inſignis quantitas, contineri poterit in toto illo ſpatio, quod eſt à cryſtallino ad corneã, ſi minoris quantitatis ſit, ſed in craſſitie C excedat, à cryſtallino ad vueam eſt expanſa, quia ob ſui craſſitiem nequit per vueæ foramen exire, vel quia pupilla eſt admodum anguſta, ſi verò ſit pauca ſed denſa membranæ in modum, tum replebit prædictum foramen, atque obſtruet, quocirca poteſt dici, quod diuerſis in locis reperiatur.

Dicitur tamen corneæ affectus, quia non poteſt à nobis niſi mediante cornea diſcerni, quia cum cornea ſit à natura lucida, & perſpicua data, vt per eam ſpecies ingredi poſſint, per luciditatem corneæ inſpicientes videmus ſuffuſionem, diſcernimuſque ipſius locum ab illaque cataracta lædi corneam obſeruamus, quia ipſius perſpicuitas ita læſa eſt, vt qui eam patiuntur, nihil, aut parum videant.

Sed quomodocumq; id ſit, placuit nobis hoc loco de huiuſmodi affectione pertractare, ex cuius quidem cognitione notiores redduntur plures alij oculorum morbi: videamus igitur quid illa ſit. Auicennas lib. 3. fen. 3. tract. 4. cap. 17. eam in hunc modum definit.

Deſcenſus aquæ eſt ægritudo oppilatiua, & eſt humiditas extranea ſtans in ſo-

foramine vueæ, inter humorem albugineum, & ſiphac, & corneam, quare prohibet penetrare formas ad viſum.

Ad huius materiæ intelligentiam, opus eſt, vt agnoſcatis oculi ſtructuram, quæ eſt, quod oculi exterior ſanè pars, in qua apparent duo illi circuli, magnus nempe, & paruus, necnon & album, conſtat ex membranis, vt dictum fuit, atque humoribus.

Membrana illa conſtituens album appellata eſt, vt diximus ſupra, adnata, hæcque à pericranio ortum ducit.

Cornea verò eſt pars maximè omnium membranæ, quæ à dura cerebri membrana proficiſcens deorſum per neruum opticum deducta totum oculi globum attingit, ſclirotiq; à Græcis eſt appellata ob ſui duritiem; anterius autem, qua circulum efformat lucida eſt, & propter hanc luciditatem cornea appellatur.

Sub tota hac membrana altera reperitur, quæ & ipſa totum globulum oculi amplectitur, niſi quod vbi ſub cornea extenditur, parùm eſt depreſſa, ac plana, cornea verò extra oculum protuberat, in cuius medio foramen paruum rotundum exculptum eſt, quod oculi pupilla vocatur.

Hecq; membrana duplici nomine appellatur; vbi enim à pia membrana cerebri exoritur ſub dura, deorſumq; per opticos delata dilatatur, totumq; oculum amplectitur, excepta anteriori parte, vbi perforata eſt poſterius, dicitur rhagoides, ſeu χορι, noſtri dicunt ſecundinam, ſeu rhagoidem tunicam, anterius verò appellatur vuea, quia non ſecus atque vua eſt perforata illa in parte, à qua pediculus extrahitur.

Huius duplex conſideratur ſuperficies, interna, & externa: interna ſuperficies poſteriori in parte oculi eſt iridis in modum colorata, exterius autem vſque ad corneæ regionem, nempe ad circulum iridem eſt impenſè nigra, anterius verò contra ſe habet; nam ſuperfi-
A cies externa, quæ reſpicit corneam, variè colorata eſt pro hominum diuerſitate, atque ipſa colorem in oculo exprimit, quem videmus, interius verò qua cryſtallinum reſpicit, eſt admodũ nigra.

Inter igitur has membranas immediatè ſub cornea continetur humor aqueus, & albugineus appellatus, tranſitq; per vueæ foramen; ad criſtallinumque humorem extenditur, totamque illam
B occupat regionem, quæ à cornea ad humorem cryſtallinum eſt, cryſtallinus autem in humore vitreo omnium maximo globuli in modum veluti innatat:

Stante hac rudi oculorum delineatione, Auicennas ea definitione nobis oſtendit cataractam, ſeu ſuffuſionem, quam appellat aquæ deſcenſum, obſtruere pupillam oculi, & meritò quidem;
C nam cum, vt ille ſubiungit, tantæ ſit quãtitatis, vt à cryſtallino ad vſq; corneæ regionem ſub vuea, & per humorem aqueum penetret ad corneam vſq; neceſſe eſt, vt pupillam obſtruat ſecundùm magis, & minus pro diuerſitate craſſitiei, & copiæ ipſius aquæ collectæ.

Quare cum penetret pupillam, eſt impedimento, quo minus penetrare queant ſpecies, cum autem ad corneam vſ-
D que ſit extenſa, non iniuria dicimus poſſe ad corneam attinere: addatis, quod per corneam, eam in oculo adeſſe cognoſcimus, quia per corneæ luciditatem viſus ad materiam hanc collectam permeat.

Hæc eſt Auicenna definitio, ex qua docemur in ſuffuſione oculum lumine conſueto priuari; quia obſtruitur pupilla, vnde erit dicendum ipſam ſuffuſio-
E nem (vt Gal. 15 cap. lib. de diff. morborum) eſſe morbum à toto genere, impedientem primariò oculi actionem.

Aliqui hoc loco inquirunt, & mea quidem opinione non admodum conſultò, an aliqua pars in ſuffuſione ita ſit aucta, vt dici poſſit morbus in numero.

Sed dices, illud, quod inter loca prædicta collectum eſt, ità vt impediat

Vi-

viſionem, eſt ne pars corporis adnata, an quæpiam materia collecta?

Cui dicendum eſt à principio eſſe humiditatem quandam fluidam per humorem aqueum veluti innatabilem,quæ deinde progreſſu temporis incraſſatur ſecundum magis,& minus,ſæpè totā pupillam obſtruēs; aliquando verò nō totam.

Nonnulli dicunt eſſe pituitoſæ materiæ collectæ copiam humano ſemini nō abſimilis, quæ temporis progreſſu incraſſatur viam omnem ſpecierum, atq; ſpirituum intercludens, & quamuis ſit aliquid præter naturam à toto genere collectum,nō propterea appellatur morbus, ſed dicitur morbus,quia colligitur ante pupillā,quo nomine lęditur actio.

Quare appellatur potiùs morbus in via, quàm in numero partium adaucto, propterea quod pars nulla adaucta verè eſt, niſi dicamus materiam hanc eſſe partem excrementitiam, ideoq; poſſe appellari morbum innumero,ſed improprié. Mihi igitur videtur dici poſſe ſuffuſionem morbum eſſe in via impedientem oculi viſionem à materia præter naturam collectam, prouenientem inter ſpatium illud, quod eſt intra cryſtallinum, & corneam membranam.

Suffuſio conuenit cum albuginibus, & vlceribus, necnon cum ſugillatione, & glaucomate, quia eſt morbus,non ſecus atq; prædictę affectiones læſionem oculis afferens.

Differt à nebula,tum quia humor collectus eſt in cornea, tum quia viſionis fit veluti obtenebratio quædam, & homines vident veluti per velum aliquod.

Differt tamen materiæ, necnon loci ratione ab vlceribus, quia in vlceribus, diuerſa eſt materia, quia tenuis eſſe poteſt, & craſſa, ſed quæ fit acris; loquor nunc de vlceribus à cauſa interna enatis, quia, vt audiuiſtis, fiunt etiam ab exteriori cauſa.

Cęterum locus, in quo colligitur materia in vlceribus eſt cornea membrana, in ſuffuſione autem eſt ſpacium à cornea ad cryſtallinum.

Differt etiam ab hypopyo,quia in primis materia eſt pus, deinde in aliqua parte ipſius corneæ eſt collectum figuram vnguis aliquo modo æmulans, in ſuffuſione verò materia eſt pituitoſa, deinde ſub cornea collecta eſt totam illam occupans.

Differt tandem à glaucomate, de quo paulò infra, quia eſt concretio humoris cuiuſdam ſecundùm magis, & minus vi ſum impedientis: glaucoma verò eſt humoris,ſeu, vt nonnulli aiunt, humorum vitrei,& cryſtallini ad cęſiū colorem mutatio, qua viſio omninò intercepta eſt.

Neq; eadem eſt ſuffuſio cum obſtructione, ſeu oppilatione, quæ in neruis opticis quandoq; fieri contingit, primò quia,quando nerui optici obſtruuntur, nullum ſignum huius oppilationis in oculo apparet, vt in ſuffuſione: deinde quia cum ſuffuſio ſola eſt, abſque nerui oppilatione, ſi oculus claudi iubeatur, clauſuſq; paulò confricetur, deinde aperiatur, conſpicietur pupillæ motus dilatationis; at vbi neruus eſt oppilatus, pupilla nullo modo mouetur, quia ſpiritus ad pupillam vſque permeare nequeunt; vbi verò adeſt ſuffuſio ſola, ſpiritus probè ad pupillam vſque fluunt,ipſiuſq; dilatationis authores fiunt.

Deinde in obſtructione prædicta nulla humiditas perturbata in pupilla conſpicitur, quo nomine, & gutta ſerena à Latinis dicitur, quia dum homines talem oculorum affectionem patiuntur, nobis eorum oculos intuentibus nihil prorſus in oculo apparet,quod lucidum non ſit, ſed pupilla clara, & ſerena apparet, in ſuffuſione è contra aut agitata eſt, aut perturbata.

Suffuſio non ſemper eiuſdem coloris eſt, ex quo nonnulli à coloribus varias ipſius deſumpſerunt differentias, dicentes aliam eſſe albam quidem, ſed aerei coloris, aliam ad margaritas magis accedere, aliquæ ſunt, quæ aſſimilantur vitro fuſo; habent enim luciditatem veluti

luti cineritiam. Alij ad colorem plumbeum animaduertunt nonnullas cataractas declinare; alij ad viridem; alij ad argenti albedinem; alij quoque ad albedinem gypſi flectere ſuffuſiones obſeruant.

Sed quamuis huiuſmodi colores videantur prouenire ab humorum cum pituitoſa materia mixtione ſecundùm magis, & minus; nihilominus non multum euariant in curandi ratione, ideoque hæ differentiæ non videntur admodùm æſtimandæ.

Addatis etiam, quod colores in huiuſmodi oculorum affectibus non poſſunt perfectè conſpici, quales reuera ſunt, vt ſupra audiuiſtis, quia dum loqueremur de puſtulis, vidimus inter grauiſſimos authores eſſe diuerſitatem, alijs exiſtimantibus profundiorem puſtulam ſuaptè natura nigram, albiorem magis apparere, in ſuperficie verò exiſtentem, conſpici nigram, cuius contrarium alij aſſerebant; quare non eſt, vt magni faciamus huiuſmodi differentias.

Verum maximè æſtimandæ ſunt illæ, quæ fiunt per eſſentiam, mox, quæ per conſenſum, deinde illæ, quarum meminit Auicennas cap. 17. tract. 4. lib. 3. fen 3. quæ deſumptæ ſunt à maiori, & minori actionis læſione, quandoquidem aliæ ſunt ſuffuſiones, quæ totam tollunt obiectorum viſionem; aliæ verò ſunt, quę ipſorum non niſi latera videri permittunt, in medio veluti feneſtram quandam relinquentes, aut aperturam; aliæ ſolam medietatem; aliç verò culices, & muſcas apparere faciunt obiecta.

*Huiuſmodi differentiæ oſtendunt maiorem, & minorem oppilationem, ſeu pupillæ obſtructionem, quæ differentiæ non ſolum ad curandi rationem, ſed ad affectus cognitionem faciunt, quia tùm demonſtrant maiorem, & minorem obſtructionem, tùm etiam ipſius materiæ quantitatem, vel minorem, & maiorem eiuſdem craſſitiem.

A Hæ omnes ſuffuſionum differentiæ ad duo capita referuntur, nempe ad ſuffuſiones per eſſentiam, & ad illas per conſenſum, ad quæ quidem capita cum omnis ratio curandi ſit directa, opus eſt, vt ſigna, quibus poſſit vnumquodq; deprehendi, in medium afferamus, vbi priùs attulerimus cauſas, vnde proueniunt ſuffuſiones.

B
## DE CAVSIS SVFFVSIONIS, ſeu Cataractæ.

CAuſas omnes ad duo genera reuoco, ad internas, ſcilicet, & externas: interna cauſa aut eſt antecedens, aut coniuncta: ad antecedentem, non modò refertur humor paratus, aut vapor ad ſuffuſionem faciendam, ſed etiam

C oculorum intemperies, atq; compoſitio; nam intemperatij ad frigiditatem facilè accipiunt humores, & vapores ab alijs partibus.

Quod idem exiſtimandum eſt de conpoſitione non proportionata, vnde dicebat Ariſt. 3. probl. oculos prominentes facilè offendi, & 5. de gener. an cap. 1. dicebat eos, qui oculos prominentiores habent, eſſe faciles ad iniurias recipiendas.*

D Cæterum non modò, qui oculos extra prolatos habent, dicuntur habere eorundem malam compoſitionem; verum etiam ſtrabones, nempe eos, quorum oculi torruè reſpiciunt, quia pupilla non obtinet proprium locum, quare huiuſmodi oculi dicuntur magis diſpoſiti ad læſiones recipiendas, peccareq; in conformatione.

E Humor verò, & vapor habent rationem cauſæ antecedentis, non tamen omnis humor aptus eſt ad affectum hũc procreandum, ſed ſolummodo, qui pituitoſus eſt, vel ſolus in corpore exiſtens, vel quod cæteris prædominetur, ſed quemadmodum dictum eſt, cataracta alia eſt eſſentialis, alia per conſenſum. Prioris cauſa eſt humor,

ſe-

paratus vt furſum feratur.

Cauſa verò coniuncta eſſentialis eſt humor, vel fluxus, vel collectus; fluxus quidem, quia à capite, & à toto poteſt materia fluere ad oculum, primò quidē per internam ſubſtantiam nerui optici, quæ,vt aliàs intellexiſtis, eſt perforata, deinde inter vnam, & alteram ſubſtantiam, & per has vias ferri ad anteriorem faciem ipſius cryſtallini.

Fernelius clariſſimus author lib. 5. pathol cap. 5. ſcribit vno die factam fuiſ ſe perfectam ſuffuſionem, materia à capite per neruum delata opticum.

Vnde Gal. lib. 14. meth. med. cap. vltimo,dicebat hypochymata fieri quandoque ex ſeroſa materia, quæ cum te- nuis ſuapte natura ſit, poteſt à capite per venas fluere, atque ad oculi prædicta loca deponi; nam per retinam membranam plures ſparguntur venæ, per quas à capite ad oculum humor ſeroſus ferri poteſt.

Addatis, quod plures aliæ ſunt venæ terminantes ad coronam vocatam, ſeu ad iridem,per quas idem ſeroſus humor fluere ad oculum poteſt, ex quo generatur ſuffuſio; quare hæc erit vna differentia ſuffuſionis à cauſa efficiente deſumpta.

Sed præter ſeroſam materiam ſolet etiam per venas affluere ad oculos materia pituitoſa, quę ibi recepta, magiſque incraſſata ſuffuſionem procreat, quæ fit etiam per congeſtionem, quando oculi languidi ſunt, ac debiles, corpuſq; ſcatet pituitoſis excrementis, & quando pro oculi alimento ſanguis ad ipſum tranſmittitur, neq; ob eius debilitatem poteſt tranſmutari, aut ſi tranſmutatur à virtute expultrice, neque- ūnt ſuperflua eijci: quare ibi collecta, ſenſimq; adaucta cataractam efficere poſſunt.

Quamobrem dicendum venit hypochymata, & per fluxionem, & per congeſtionem fieri poſſe, nempe illa, quæ per eſſentiam à capite fieri dicuntur, A quæ verò per conſenſum ſunt,ſiunt duobus modis, primò quidem à ventriculo, vt Galenus ait lib. 4. de loc. affect. cap. 2. & lib. 1. de cauſ. ſympt. ſurſum ab eo eleuatis vaporibus facientibus ſimilia ſymptomata ijs, quæ in ſuffuſionibus euenire ſolent: quare immediata cauſa huius ſuffuſionis per conſenſum eſt vapor condenſatus, & in oculum concretus; & hic eſt vnus ſuffuſionis per B conſenſum modus.

Secundus eſt à capite,quem modum tetigit Gal. 4. de locis aff. præcitato capite; lib. de affectibus oculorum capit. 37. & à Capiuaccio ſolo fuit animaduerſus; vt quando bilioſus ſuccus in cerebro collectus fuerit; nam cum peruren- te febre, eo tempore ſuccus afficitur, vt ea, quæ ab igne torrentur, tum oritur C fumus veluti in lucernis ab oleo,qui per vaſa, quę ad oculum tendunt delapſus viſorum in ipſis cauſa cenſetur.

Huiuſmodi ſpecies ſuffuſionis, etſi à pauciſſimis obſeruetur, à capiteq; procedat, eſt nihilominus per conſenſum, quia abſq; oculorum aliqua affectione ab hac fumoſa materia ſiunt effectus quidam ſimiles veris ſuffuſionibus: habetis igitur ſuffuſionis cauſas internas, D nempe antecedentem, & coniunctam.

Cauſæ verò exteriores ſunt omnia illa, quæ oculos infeſtare poſſunt, quemadmodum ea, quæ ab aere prodeunt,vt nimia frigiditas, caliditas, vel ipſius craſſities, aut mala alia qualitas, & tandem omnia, quę lædendi facultatem habent in oculos irruentia: hæc de cauſis.

E **DE SIGNIS SVFFVSIONIS, ſeu Cataractæ.**

Veniendum eſt ad ſigna, quæ ad hæc duo capita reduci debent, nempe ad demonſtrantia ſuffuſionem per eſſentiam; & eam per conſenſum. Rurſus ea ſunt hic conſideranda, quæ affectionem futuram prænuntiant,

aut eandem iam præſentem demonſtrāt. Futuram ſuffuſionem per conſenſum, vel à ventriculo, vel à capite coniectura quadam habemus; nam ſigna præſentem demonſtrantia ferè eadem ſunt in eſſentiali, atque in ea, quæ per conſenſum eſt.

Aetius lib. 7. cap. 51. à quo authores ferè omnes ſigna accipiunt, ſcriptum reliquit, qui incipiunt ſuffuſiones pati, illis ſæpè obuerſari ante oculos veluti culices quoſdam exiguos, deinde & caliginoſa quædam: addit etiam aliquibus piliformia quædam corpora, nonnullis lanarum filamenta, quibuſdam verò araneorum texturas ante ocu los offerri, & quibuſdam tandem lumen, ſeu lucernam reſpicientibus id euenire, vt illis videatur circa lucernam veluti circulum apparere.

Hæc quidem ſigna omnibus ſuffuſionem tam per conſenſum, quàm per eſſentiam patientibus euenire conſueuerunt; verùm quidem nonnulla ſunt, quæ eſſentialem ab ea, quæ per conſenſum eſt à ventriculo, diſtinguere poſſunt; & primò deſumo ab eodem met Aetio vnum ſignum, quod eſt à pupillæ luciditate.

Nam vbi hæc ipſa rectè intuentibus nullam labem, aut perturbationem præſefert, ad hæc huiuſmodi imagines citò tranſeunt, percipiunturq; magis in vno oculo, quàm in vtroq; ventriculuſque aliquem laborē percipiat, vel cruditatis aut alterius cuiuſque affectionis, & ad ipſius affectionem ſequantur in oculis prædictæ viſiones, iam habemus ſuffuſionem eſſe à ventriculo, ſi præſertim ſymptomata prædicta diu ſine affectione pupillæ perdurauerint.

His notis poteſtis deprehendere ſuffuſionem per conſenſum à ventriculo; at illa, cuius ſupra meminimus, quæ fit à capite, non poteſt fieri, niſi quando ob ingentem caliditatē ſuccus bilioſus adu ritur, ita vt ex ipſius torrefactione aſſurgat fumus, qui à capite per venas ad

A oculos feratur: id autem non poteſt euenire, niſi in vehementiſſima febre, quare rarò contingere poteſt. & vbi euenerit, ex prædictis facilè agnoſcetur.

Vbi verò prædicta ſimulachra ob ocu los frequenter obuerſantur, intueri oportet pupillam, quia ſolet conturbari nebulæ in modum, aliquando effingere aquam maris, quæ vbi in pupilla appareant, indicium habemus ſuffuſionem

B eſſe per eſſentiam: hęc ſunt ſymptomata, ſeu ſigna, quæ futuram prænunciant ſuffuſionem tam per eſſentiam, quàm per conſenſum.

Venio ad ea, quæ iam perfectam eſſe demonſtrant, & primò quando in oculo veluti nubecula apparet, hominemq; audimus conquerentem ſe non videre niſi per nebulam, & progreſſu temporis nihil, aut parum admodum, vel diuer-

C ſimode obiecta, vt ſupra retulimus, intueri; nam alij nihil prorſus de obiecto vident, alij ſolummodo latera, alij alio, vt audiuiſtis, modo.

Quando igitur homo nihil videt, perfecta tunc eſt, vt ait Aetius, ſuffuſio, & præſertim, quando pupilla nihil prorſus tranſlucet, ſed vel alba ita apparet, vt ad aeris, vel gypſi, vel alterius rei albedinem, aut ad vitri luciditatem conuer

D ſa videatur; quare etiam ab oculorum ſenſu ipſius medici periti, & ab infirmo referente quàm certiſſima habentur ſigna.

Non eſt igitur amplius immorandum circa ſigna ſuffuſionem declarantia, verùm ad ea properare expedit, quæ ipſam vel curabilem, aut incurabilem eſſe declarant, quæ & prognoſtica, ac præ-

E dictiones dicuntur.

### DE FVTVRO EVENTV *ſuffuſionis, ſeu cataractæ.*

PRimum ex prognoſticis deſumptum ab experimento quodam, de quo mentionē facit Serapio tract. 2. cap. 9. Auicennas in præallegato loco, &

& omnes, qui tractant de ipſius cura- tione; eſt autem tale, vt clauſo oculo ſano,pollice leniter contrectetur,ac con fricetur oculus ſuffuſione affectus, dein de aperiatur altero clauſo, ſi tunc tem- poris videatur dilatari pupilla, ſignum certiſſimum eſt, non quidem vt aiunt quamplures ſuffuſionem auferri poſſe, ſed ablata ſuffuſione ægrotum poſſe re- cuperare viſionem.

Certiſſimum enim eſt vias, per quas ſpiritus ad oculum ferũtur eſſe apertas; ac minimè obſtructas, nempe neruos o- pticos,è contra verò vbi prædicto expe- rimento non dilatatur pupilla, quam- uis de medio ſuffuſio tollatur, non pro- pterea poterit ſuffuſus oculus viſionem recuperare, quia ſignum eſt neruos o- pticos ita obſtructos eſſe,vt non præbe- ant viam viſorijs ſpiritibus, quare fru- ſtra quæres auferre ſuffuſionem.

Deſumo aliud ſignum ab alio experi- mento communiter ab authoribus in medium allato, ex quo infero, quando ſperare licet, fore vt arte ſuffuſio delea- tur; vel minimè auferri poſſit. Dictum eſt eam eſſe materiæ cuiuſdam colle- ctionem,hęc vel ex frictione oculi præ- dicta mouetur ita, vt videatur quodam modo fluitare aperto oculo,ac diſpergi, & tandem reuniri,vel hęc ipſa nullo mo do, aut vix mouetur.

Si primo modo ſignum eſt poſſe ip- ſam auferri, vel manu, vel medicamen tis; ſi ſecundo modo, declaratur nobis materiam non ſolùm eſſe craſſam, ſed membranæ in modum compactam, pro inde nullam poſſe recipere curationem ex medicamentorum applicatione, quamuis illa, quæ diuellitur medica- mentis, ſit leuior, quæ verò non,inſtru- mento idoneo magis auferri poterit.

Aliud à tempore deſumi poteſt; nam dicunt omnes,experimentoque confir- matum eſt, antiquatam ſuffuſionem ſanari minimè poſſe, recentem autem poſſe curari, ſi præſertim parua fue- rit, materiaque nondum conglobata,

Quartum prognoſticum à colore acceptum eſt; dicunt enim practi- ci ſuffuſionem albam aereæ albedinis, vel tendentis ad album margaritarum, denique quæ colorem plumbeum re fert, poſſe ad ſanitatem perduci: è con- tra difficilis curationis eſt ſuffuſio ſubfla ua, violacea verò,vel nigra, aut viridis coloris eſt omninò incurabilis.

Tandẽ poſſumus à cauſa interna,& ex- terna deducere prædictionẽ;nã ſi ab ex- teriori oriatur cauſa,nempe vel à percuſ ſione,aut læſione aliqua de repente in oculum irruente, redditur curabilis; at ſi à cauſa interna, eueniat, vt pote à mala capitis qualitate, aut ipſius etiam oculi, vel incurabilis, vel ſaltem maxi- ma cum difficultate curabilis efficitur.

Vnde Raſis cap. de aqua deſcenden- te in oculũ dicebat, ex eo verò quod ex proprio oculi vitio contingit valde ti- mendum eſt: hæc de præſagijs; ad cu- rationem deuenimus.

## DE CVRATIONE SVFFVSIONIS *ſeu Cataractæ per victus rationem.*

CVratio huius affectionis triplici medicinæ inſtrumento eſt tentan- da, diæta, pharmacia, atq; chirurgia. Dicebat Celſus victum eſſe debere à principio tenuem, ac etiam in progreſ- ſu temporis extenuantem,quamuis pau lò pleniorem, ideo cibus eſſe oportet optimi ſucci, & qui facilè cõuertatur in ſubſtantiam nutriti, pauciſſimorumq; excrementorum.

Panis igitur debet eſſe ex optimo fru mento, & bene fermentatus. Qui in eo ſemina fœniculi, vel euſragiæ po- nunt, mihi aberrare minimè videntur, cum opus ſit modicè attenuare, par- temq; affectam, quantum fieri poteſt, reſpicere.

Carnes aſſatę,ac conditę cinnamomo, caryophyllis, zingibere, & huiuſmodi rebus optimæ cenſentur. Pro potu aqua præferenda eſt, vel ſimplex, vel in q a

cinnamomum, aut aniſi, vel tale quid- A piam ebullierit: aqua hordei, vel ſaccharata eſt appoſita, ſed vinum toto tempore curationis eſt euitandum, ſicut quę flatus, humoreſq; craſſos generare in corpore poſſunt.

In cæteris declinare debet infirmus ab illis, quæ immoderata ſunt, ideo aer humidus nimis, aut frigidus, vel calidus eſt illi fugiendus, moderatus igitur in actiuis, & qui paulum ad ſiccita- B tem vergat, vtilis eſſe poterit.

Somnus nimius eſt fugiendus: exercitium quoq; moderatum eſſe debet, quod vbi fieri non poſſit, ſaltem frictionibus partes inferiores moueantur.

Animi affectiones immoderatæ euitentur, quæcumq; illę ſint. Tandem curandum eſt, vt aluus, ſi non natura, ſaltem arte ſingulis, vel ſaltem alternis C diebus fluat, quæ vbi non obedierit, arte excitanda clyſteribus quibuſdam, tum lenientibus, tum etiam attrahentibus, & expurgantibus, vel ſaltem balanis quibuſdam arte factis.

Hæc eſt cura vniuerſalis huius affectionis, quæ per inſtrumentum diæteticum fieri conuenit, vnde Auicennas tantum diætæ tribuit, vt ſcripſerit ſe aliquem vidiſſe, & agnouiſſe, qui abſti- D nentia, & minoratione cibi, atque victus ratione exiccante ſe ipſum ab hac infirmitate liberauit.

## DE CVRATIONE SVFFVSIONIS, *ſeu Cataracta per Pharmaciam.*

Quod ſpectat ad pharmaciam, primæ partes curationis huius affectus debentur ei præcipuè parti, E quæ docet applicare localia medicamēta, quia, quæ humorem internum reſpicit, vniuerſi corporis expurgationem conſiderat, ideo in primis curandum eſt, vt corpus ab excrementis ſuperfluis mundetur.

Hoc ſiquidem modo inhibebimus, ne pars aliqua in oculum, aut oculos affectos feratur, ille autem cum pituitoſus ſit craſſus, & lentus, nō poterit è corpore educi niſi in primis præparetur, viæque, per quas ferri debet, aperiantur.

Vtriq; autem indicationi ſatisfacere poſſumus vnico remedio, quod attenuandi, incidendi, & deobſtruendi facultatem habeat, qualis eſt ſyrupus de bettonica, de ſtœchade, oxymel ſimpl. rhodomel, ſyrupus de quinq; radicibus, & omnes illi ſyrupi, qui humorem pituitoſum alterare ſunt apti, de quibus ſatis aliàs dictum eſt, & infra dicetur, quibus quando materia præparata fuerit, medicamento aliquo idoneo educenda eſt, quod magis conueniens videtur in ſolida, quàm in humida forma, tale autem maximè commendatur.

℞. pilul. aggreg.
Cochiar.
Lucis, ana ſcrup. ij. fiant p. num. 7. aurentur.

Pil. de hiera cum agarico, in hoc caſu conueniunt.

Cęterùm medicus poteſt ſibi parare medicamenta phlegmagoga, prout opus videbitur, tam in ſolida, quàm in liquida forma, quemadmodum iſtud eſt.

℞. agarici trochiſc. ſcrup. iiij.
Syrup. roſ. ſol.
Syrup. de polypodio Aug. ana vnc. ij. ſſ. miſc. pro potu.

Qua facta purgatione aliquando contingere poteſt, vt vnica hac euacuatione intentum habeamus, quod ſi non non euenerit, non pigebit prædicta ſeruata methodo denuò corpus à ſuperfluis mundare. Tandem ad localia properandum eſt, in quibus certè ſi aliqua ſpes curationis aderit, poteris hiſce magis quàm alijs eam conſequi.

## DE CVRATIONE SVFFVSIONIS, *ſeu Cataracta per localia.*

Hæc autem medicamenta talia eſſe conuenit, vt aperiendi, attenuandi, atque incidendi facultatem ha-

habeant, quemadmodum nobis Auicennas in præcitato loco fuſiſſimè demonſtrat, quia opus eſt, vt ea materiam incraſſatam attenuent, in vaporemq; redigant, & extra per meatus membranarum ipſam educant, ad quas intentiones maximè valent.

Sief de fellibus Raſis cap.de aqua in oculum deſcendente, lib.9. ad Almanſ.

℞. fellis gruis,
Lucij,
Hirci,
Accipitris,
Aquilæ,
Perdicis,
Omnium ſiccorum, ana drach.ij.
Euphorbij.
Colocynthidos,
Sagapeni ſubtiliter pulu. ana drach. j.
Cum ſucco fœniculi fiat collyrium.

Raſis etiam proponit ſief ex chalcantho, quod à Caleſtano probatur.

Aqua quæ valet ad hanc affectionem tollendam deſcripta eſt à Magiſtro Petro Hiſpano, referente Arnaldo Villanouenſi lib. 1. practicæ medicinę cap. 14. in appendice.

℞. ſem. fœniculi,
Petroſelini,
Apij.
Sileris montani,
Aniſi,
Carui vtriuſq;
Sem. pollytrici,
Rad. chelidoniæ,
Acori,
Bettonicæ,
Fol. agrimonij,
Tormentillæ,
Rutæ,
Verbenæ, ana part. æquales, & prima die ponantur in vrina pueri virginis, ſecunda in vino albo, tertia in lacte mulieris, ſiue aſinæ, quarta die deſtillentur, omnia, & ſeruetur quod exit.

Giſnerus epiſtolarum lib. 3. ad Io. Fabritium ſcripſit vidiſſe medicum curantem ſuffuſiones quaſcumq; feliciſſi-

A mo ſucceſſu, vnico hoc vnguento facto ex fæce olei, & omphacio, ex quibus vnguentum componitur, quod ſine morſu, & periculo cataractas, aut ſuffuſiones curat.

Aqua ad prædictas cataractas Paracelſi ex Io. Andernaco.

℞. auri,
Argenti,
Aeris,
B Chalybis, ana drach. j.

Omnia in ſcobes ſubtiliſſimas redigantur, primùm ex vrina pueri trimuli, deinde ex vino albo, poſtea in ſuccis fœniculi, verbenæ, chelidonij macerétur, tandem ouorum album addatur, omniaque lacte muliebri, vinoq; rubro excepta ampullę indantur, deſtilléturq; Aqua hæc oculorum omnes maculas delet, tam

C internas, quàm externas viſumq; amiſſum recuperat.

Sed ne conteramus tempus, Paulus Aegineta laudat id medicamentum.

℞. ſucci caucalidis,
Caucalis eſt daucus ſylueſtris eaſdem cum illo habens facultates.
Coronopi,
Chamędryos, ſi præcipuè ei addatur parum de collyrio facto ex fellibus.

D Succus caucalidis cum felle humano ana valet ad idem.

Varignana proponit ſuccum cæpæ melle admixtum. vel

℞. ſucci chamædryos vnc. ij.
Fellis bouis, vnc. j. miſce,

Succus ab allio extractus prodeſt.

Aqua vitæ applicata pręſtantiſſimum eſt præſidium.

Sed vt finem imponam huic curatio-

E ni, quia ſyluam medicamentorum apud Galenũ, Aetium, & plures alios grauiſſimos authores comperietis, ſolummodo addo diuulgatum illud medicamentum, quo iuniores communiter vtuntur, quod aquam mellis appellant, quam deſcribit Vidius Iunior lib.4. de curatione membr. cap. 3. & eſt,

℞. mellis optimi vnc. xij.

Radicum fœniculi,
Ariſtolochiæ rotundæ, vel etiam longæ ana vnc. vj.
Chelidonij,
Rutæ,
Summitatum fœniculi ana m. iij.
Florum roſarum recentium,
Centaurij minoris ana pugil. iij.

Ponantur omnia in vaſe æneo per decem dies maceranda in melle prædicto vna cum duabus libris vrinæ pueri nondum ex ephebis exceſſi, agitentur quarto quaq; die, radendo ſemper æruginem, quæ ſuboritur, & cum cæteris rebus per miſcendo, deinde deſtillentur omnia ſimul, & aqua, quæ excipitur, ſeruetur tempore neceſſitatis in vaſe terreo, ac vitriato.

Plures alias aquas proponit idem Vidius, quas videre poteſtis, & quam magis aptiorem eſſe iudicabitis, adhibete oculis infirmis; & hoc modo ſatisfacietis intentionibus curatiuis ſuffuſionis per localium medicamentorum applicationem.

Cui curationi cum non cedat ſuffuſio ad manus operationem, vt ait Auicennas, eſt properandum, quæ fieri debet quemadmodum Celſus ſcribit lib. 7. cap. 7. quando iam cataracta maturuerit, & eſt quando ſuffuſio non amplius mouetur, neq; aliquid in oculo fluitare apparet, ſed ipſa firmata, & concreta, & veluti indurata conſpicitur, & tunc ſtatim à perito artifice manus ſunt admouendæ, hoc eſt membrana, actu perforanda; quouſq; depoſita ſit ſuffuſio.

Sed quoniam huiuſmodi actio ad chirurgiam ſpectat, non eſt, vt in præſenti talem curationem recenſeamus, atque doceamus, ſed venio ad chirurgicum inſtrumentum vniuerſale, quod in hoc caſu conuenit, cum ſit, habenda totius corporis ratio; id enim ad corporis vniuerſalem plethoriam attinet, quam alias diximus eſſe indicationem ſanguinis mittendi. Vbi igitur in corpore inſit ſiue ad vires, ſiue ad vaſa plenitudo, deueniendum eſt ad ſanguinis per venã ſuam euacuationem.

Aliquando etiam à principio reuellere eſt opus, atq; deriuare, ideo ſæpè cucurbitulis ad nates, dorſum, ſcapulas, ceruicem affigimus; nonnunquam hirudinibus ad ſeceſſum ad venaſq; hæmorrhoidales vtimur, ſæpè ad tempora, ad loca poſt aures, vt audiuiſtis cap. de ophthalmia.

Cæterùm adſunt adhuc duo præſidia, quæ & reuellunt, & deriuant, quemadmodum eſt fonticulus ad brachium, vel ad ceruicem inter primam, & ſecundam vertebram, necnon & ſetaceum, ſeu laqueus, qui ad ceruicem traijcitur ad regionem primæ, ſecundæ, & tertiæ vertebræ, quæ maximam habent deriuãdi facultatem; & fortè primum obtinent locum inter ea, quæ & deriuant, ac reuellunt. Hæc omnia ſuo tẽpore adminiſtrata curabilem ſuffuſionem reddunt, incurabilẽ verò nullũ eſt, quod curare poſſit præſidium: & hæc de ſuffuſione ſatis ſint.

# DE PROCIDENTIA OCVLI.

## CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

Supra polliciti ſumus nos examinaturos eſſe oculorum, & partium eorum principaliores morbos, ex quorum rationali curatione, & recta cognitione poteritis alios, & cognoſcere, atq; curare. Inter alias occurrit affectio quædam ſatis vulgaris, quam Græci appellant proptoſim, noſtrates procidentiam, Auicennas, & ipſius ſequaces corneæ rupturam; & quidem vtro-

vtroque modo poteſt appellari, propterea quod diuerſæ partes affectæ ſunt; nam in primis cornea exeſa eſt, ipſiuſq; continuum apertè ſolutum.

Ex huiuſmodi læſione, tunica ſubiecta vuea dicta extra prominet, quæ ratione vocatur procidentia, non quidem totius oculi, ſed vueæ, quæ eſt ipſius non infima pars,proq; vario modo, quo ipſa à cornea exit,varia acquirit nomina, vt pulchrè Paulus lib. 3. cap. 21. ſcriptum reliquit; nam ſi hæc modicè, & in pauca quantitate exierit, ita vt nondum muſcæ caput excedat magnitudine, Græcè μυοκέφαλον nominatur, quam affectionem Auicennas, ipſiuſq; ſequaces formicalem appellant, dicta verò eſt myocephalos ob ſimilitudinem, quàm cum capite muſcæ habet.

Cum verò amplius, & eo vſq, creuerit, vt acinum vuæ repræſentare videatur, ſtaphiloma, quaſi vuatio ſit, appellatur, atqui vbi plurimum excedat, ita vt ſuperet palpebras Græci ἧλον, hoc eſt malum, nominant; ſi verò contingat ipſam indureſcere calli in modum, iam alio nomine donatur, nempe ἧλος, ideſt clauus.

Videtis in hac affectione duplicem reperiri morbum, vnum in ſoluta continuitate; alterum in compoſitione, ideſt in ſitu mutato. Solutio continui eſt paſſio corneæ, at ſitus mutatus eſt ex parte vueæ, quia hæc ipſa à proprio loco, & ſitu amouetur.

De hac affectione tractat Auicennas lib. 3. fen 3. tract. 2. cap. 6. de qua agendum eſt definitiuè, vti moris noſtri eſt, quam quidem definientes dicimus procidentiam eſſe exitum vueæ membranæ, per ſolutam continuitatem corneæ.

Forma huius affectionis certè eſt ſitus vueæ mutatus extra procidens; nam cum vuea ſit ſub cornea, vbi hæc ipſa non ſeruat ſui continuitatem integram, præbet exitum partibus ſubiectis, vnde mirum non eſt, ſi vuea extra prolabitur.

A Ad hoc igitur vt procidentia hæc fiat, duo ex neceſſitate requiruntur, vnum, quod corneæ ſoluatur vnitas, per quam vuea exeat; alterum, quod vuea mutet locum, & ab interna oculi regione ad exteriorem feratur.

Sed ex prædicta definitione non negligenda inſurgit difficultas, quia vbi ſoluta eſt corneę continuitas, humor aqueus, qui ſitum habet immediatè ſub B cornea, exire deberet tum citius, tum faciliùs, quàm vuea, primò quidem quia humor eſt corpus tenue, aquoſum, fluidum, facilè penetrans; deinde quia is continetur inter vueam, & corneam; nam vuea, qua corneam reſpicit, depreſſa eſt, & plana, in qua depreſſione humor continetur.

Quinimo de hoc humore loquens Gal. duo conſiderat, vnum eſt, ipſius ſubſtan C tiã, quæ aquoſa exiſtit; alterum eſt copia ſpiritus in ipſo contenta, cuius beneficio cornea extra propellitur, adeo vt extra gibboſitatem præſeferat, quaſi à ſpiritu illo extra propulſa, quamobrem dicimus meritò in corneæ corroſione exire aqueum humorem, atqui in hac affectione exit vuea membrana, non autem aqueus humor, ſequitur igitur non D eſſe corneæ ſolutam continuitatem.

An dicendum ſit corneæ ſubſtantiam habere plures membranulas ſquammarum in modum inter ſe conſtitutas, quæ non omnes corroſæ ſunt, ſed aliquę, ita vt eſſe poſſit, quod internæ ſint apertæ, alia, & poſtrema ſit relaxata, hinc eſt, quod vuea non extra exit ſemper, ſed ſimul cum aqueo per ſolutas exiens extra per luciditatem exterioris ita apparet, ſi- E mulq; cum portione humoris aquei cò fluentis efficit prędictas ſpecies procidentiæ?

Eſſe poteſt, vt omnes corrodantur ſquammulæ, ſtatimq; exeat humor aqueus, quem deinde vuea ſequitur, quare concludendum eſt corneæ ſubſtantiã corroſam eſſe, ſiue ſecundùm ſui totum, ſiue ſecundùm aliquas partes, meritò

igi-

igitur dicimus ſolutam eſſe corneæ ſub- ſtantiam, per eamq; exire vueam:& hęc eſt natura huius affectionis.

### DE CAVSIS PROCIDENTIAE vuea.

Cauſa immediata eſt ſolutio conti- nui facta in membrana cornea. Hæc verò ſolutio proprias habet cauſas, internas videlicet, atq; externas. In- terna cauſa eſt humor acris, atq; mor- dax, qui eò fluens paulatim, & ſucceſſi- uè ipſam membranam corrodit. Exter na autem cauſa eſt quidquid percutien- di facultatem habet, quemadmodum diximus cap. de vlceribus.

### DE SIGNIS PROCIDENTIAE Vueæ.

Signa alia ſunt, quæ oſtendunt myo- cephalon, alia ſtaphiloma; nam cum morbus hic plures partes afficiat, ideo etiam ſigna plura adſūt. Alia enim oſtendunt corneæ ſolutionem continui, alia ſitum mutatum eſſe rhagoidis, & tandem alia ſunt, quæ figuram oculi vitiatam demonſtrant, quæ quidem ad ſolutionem continui, & malam compo- ſitionem referuntur.

Myocephalos igitur cognoſcitur,quan do tunica vuea extra parum prolapſa eſt, vt iam caput muſcæ eſſe extra appareat, & vt inquit Aetius, lib. 7. cap. 33. & 34. quod prolapſum eſt, nigrum, aut cæ ruleum conſpicitur. Pupilla verò, quæ eſt foramen, vt aliàs intellexiſtis,in vuea exculptum, omninò non apparet, vel ſi apparet ipſius ſitus, & figura mutata eſt ob membranę prolapſum. Labia ſolu- tionis in corneá corroſionem oſtendūt, quæ in myocephalo alba apparent.

Ex ſignis verò, quibus ſtaphiloma à myocephalo diſtinguitur, primum eſt magnitudo membranæ extra prolapſę, quia ad tantam magnitudinem extra producta eſt, vt acini vuæ formam æmu lari videatur. Deinde labia, per quæ ip ſa exit, non modò alba ſunt, ſed calloſa: ſi tandem, quod exit, magis augeatur, ità vt ſupra palpebras eleuetur, tunc ma lum eſt, ſin indurueſit, clauus factus eſt, & iam,vt inquit Celſus, per omnia claui capiti ſimilis exiſtit.

### DE FVTVRO EVENTV Procidentia vuea.

Quod ad prognoſtica attinet, Pau- li ſententia eſt,quod myocepha- los curari poſſit, & ſtaphiloma, ſed vix, & cum maxima difficultate, at inueteratum ſtaphiloma malum, & clauus nullam omninò curationem reci- piunt: ſed ſi vultis me verum fateri, raro euenit, vt myocephalos curari poſſit.

### DE CVRATIONE VNIVERSALI Procidentia vuea.

In curatione decenti inſtituenda,pri mò vniuerſalia reſpicimus, deinde locum particularem, at vt vniuerſi cor- poris ratio habeatur, tria medicinæ in- ſtrumenta adminiſtranda veniunt, in pri miſq; victus ratio eſt præſcribenda,quem admodum capite de vlceribusoculorum diximus.

Deinde pharmaciam, vt decet, ad- miniſtrare oportet, quæ humorem in corpore peccantem agnoſcet, ipſumq; ita alteret, vt tutò educere queat medi camentis ad eum educendum idoneis, in forma potabili, ſeu potius in forma pilulari, quæ certè in affectibus capitis, & oculorum ab omnibus magis commē dantur. Quæ autem ſint pilulæ educen tes omnes humores, & quæ ipſarum do ſis ſit ſeruanda, prolixius fortè quàm par ſit, à me alibi eſt declaratum.

De chirurgia verò vniuerſali nihil di- cam, quia ſæpiſſimè regulas vniuerſales vobis aperui, quas ſi rectè animaduer- teritis, non poteritis vnquam in ſangui nis miſſione facienda falli, quamuis eriā in

in affectibus thoracis multa de ſanguinis miſſione dicturus ſum.

## CVRATIONE PARTICVLARI

*Procidentia vuea.*

VEnio modò ad particularem curationem, quæ ex communi medicorum ſententia hiſce affectibus maximè conueniens eſt, quam ad vnguem deſcriptam habetis apud Aetium præcitato loco. Dicam tamen intentiones curatiuas, de quibus Galenus agit 4. de comp. med. ſec. loc. nam medicamenta quædam habent abſtergendi facultatem, omniq; acrimonia vacant, alia ſunt acrimonia prædita, nonnulla etiam recenſet, quę expurgandi, & abſtergendi virtutem habent, quædam ſunt erodentia, aliquot adſtringentia, & tandem nonnulla concoquentia.

In præſenti propoſito caſu medicamenta debent habere duplicem intentionem, prout affectus eſt duplex; vnus eſt vlcus in cornea exiſtens, alter eſt vuea extra proprium locum prolapſa. Vlcus vt tale eſt, eget vnientibus, quæ exiccantia ſunt, at non poteſt vniri continuitas corneæ, niſi primùm intropellatur vuea; quare ordo curationis eſt, vt primò curemus, vt vuea intus retrocedat, aut ſaltem ne magis extra emineat: id autem conſequemur, vt ait præcitato loco Galenus, medicamentis reprimentibus, & adſtringentibus, & vbi intus repoſita fuerit vuea, vtamur exiccantibus, & ſi opus eſt, etiam, vt dictum fuit cap. de vlceribus oculorum, abſtergentibus.

Inter alia, quæ huic affectioni conueniunt à principio ſunt, medicamenta ab Auicenna propoſita, quorum vnum ex vino, aceto, & aqua conſtat, in quo ſpongia immergenda intus eſt, & clauſo oculo fotus in modum applicanda venit, doſis eſt hæc.

℞. aquæ fontis puriſſimæ, vnc. ij.
Aceti, vnc. j.
Vini generoſi, vnc. iij.

Poteſt tota hæc compoſitio calefieri ad ignem, vt inde oculus euaporationem recipiat.

Aliud idem præſtans.

℞. roſarum ſiccarum m. ij.
Bull. in ſuff. quantit. aquæ, deinde immergatur ſpongia, vel fiat euaporatio vt ſupra.

Succus foliorum oliuæ eſt optimum remedium, & ſuccus virgæ paſtoris, qui ſucci cum aqua roſarum admixti collyrij in modum poſſunt oculo læſo applicari.

Valent etiam medicamentā quędam ad emplaſtri formam applicata, inter quæ pomum granatum in aqua, & omphacio decoctū, contuſumq; & ad modum emplaſtri redactum, oculoq; applicitum mirificè prodeſſe poterit.

Vel emplaſtrum ex pulpa cotoniorū cum lentibus excoriatis, & cum melle confectum, ea ſcilicet ratione, vt vbi in melle prędicta ebullierint, deinde extendantur ſuper linteos, atq; oculo clauſo ſuperponatur.

Sed magis mihi probatur illud, quod ex ſucco granatorum, ſucco foliorum oliuarum, quod ouorum vitellis componitur. Doſis fit hæc.

℞. ſucci granatorum, vnc. j.
Succi oliuarum, vnc. vj.
Vitellorum ouorum num. iij. coquantur quouſq; indurentur, deinde cōtundantur, & cum prædictis ſuccis miſceantur, & vt artis eſt, adhibeantur.

Multa ſunt collyria, quæ à ſcriptoribus proponuntur huic affectioni idonea, ex quibus propono vobis vnum, quod mirificè prodeſſe conſueuit, eſt autem id.

℞. aquæ roſarum,
Eufragiæ, ana vnc. ij.
Plumbi vſti.
Antimonij, ana drach. j.
Terræ ſigillatæ, drach. ſſ.
Spicæ nardi ſcrup. j.
Miſce, prius contuſis contundendis,

& in ſubtiliſſimum pollinem redactis.

vel ſic.

℞. aquæ pluuialis, vnc. v.
Plumbi vſti,
Antimonij,
Tuthiæ præparatæ.
Aeris vſti,
Gummi arabici,
Tragacanthi ana drach. j. ſſ.
Opij, ſcrup. ij. fiat collyrium.

Augenius lib. 6. tom. 2. ſuarum epiſt. proponit id genus medicamenti.

℞. ſtibij optimi drach. iij.
Lapidis hematitis drach. ij. ſſ.
Acaciæ, drach. ij.
Aloes hepaticę, drach. j.
Maſtiches, drach. ſſ.

Terantur omnia diligenter, deinde ſtibium, ac lapis macerentur in vino nigro adſtringenti horis x. & excipiantur ex mucilagine tragacanthi cum aqua roſacea extracta, inde fiant paſtilli in vmbra exiccati.

℞. horum drach. j.
Aquæ roſatæ, drachm. ij. & ſemis apponantur intra oculum guttæ quinque, repetaturq; id medicamenti genus ſepties in die.

Nimius eſſem, ſi vellem proponere omnia collyria, quæ à medicis deſcribi ſolent.

Si vultis multa videre, legatis Aetium 7. lib. cap. 33. & 34. vbi & ad myocephalum, ac ſtaphilomata facientia plura deſcribit localia medicamenta tam ſuo proprio marte, quàm ex mente Galeni, & aliorum.

Denique adſunt collyria adſtringentia vulgò vocata, quæ prodeſſe poſſunt. Hæc verò habetis apud Caleſtanum, qui ab omnibus medicis commendatur, & certè ipſius medicamenta optimè, fideliterque collecta, & recitata ſunt. Poteritis itaq; vbi opus fuerit ad ipſum recurrere: & hæc ſunt, qui mihi dicenda erant de curatione myocephali, atq; ſtaphilomatis, quæ vbi non cedant prædictis medicamentis ad chirurgiam eſt properandum, quam docet Paulus lib. 3. cap. 21.

# DE MYDRIASI, SEV PVPILLAE DILATATIONE.

## CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Veuſq; egimus de omnibus, aut ſaltem de potioribus affectibus, præter naturam ad corneam attinentibus, reſtat, vt ordinem propoſitum ſequentes ad affectus præter naturales ipſius membranæ vueæ orationem transferamus, quam quidem etſi dictũ fuit pati in myocephalo, aut ſtaphilomate, id quidem non patitur per ſe ratione propriæ ſubſtantiæ, ſed tantummodo ſui ſitus, quia perforata cornea, hæc ipſa quaſi ſponte prolabitur.

Nunc de ea quatenus in ſui ſubſtantia aliquid patitur, eſt diſceptandum; & quoniam in medio ſui, qua reſpicit corneam, foramine quodam inſigni eſt donata, quod quidem nimis aliquando & dilatatur, & conſtringitur, cuius nomen eſt pupilla, proinde in præſenti aggredimur tractationem ipſius, cumque ea immoderatè dilatetur, & præter naturam, nec non immoderatè conſtringatur, de vtraque affectione ſermonem habebimus, primò auſpicati ab ipſius immo-

modica dilatatione, quæ Græcè mydriaſis vocatur, Auicennas 3. 3. tract. 4. cap. 11. appellauit alintiſar, Auerroes largitatem foraminis vueæ vocauit.

Eſt autem mydriaſis pupillæ dilatatio maior, quàm pro naturali modo conueniat, nulla facta in colore ipſius mutatione. Hanc definitionem ab Aetio lib. 7. cap. 51. & à Paulo lib. 3. cap. 21. habetis, à quibus Auicennas accepit, quam omnes authores benignè receperunt.

Capiuaccius verò ſcribit eſſe amplitudinem foraminis raghoidis, quod idem eſt; nam cum forma ipſius ſit dilatatio, erit etiam ampliatio, & vt vno concludam verbo, quando circulus ille paruus, qui in medio oculi quaſi in ipſius centro conſpicitur, nimium dilatatus eſt, ita vt actionem lædat, vocatur mydriaſis, quia cum in dilatatione ipſius pupillæ detur magis, & minus, vbi dilatatafuerit, nec propterea adſit in actione videndi læſio, mydriaſis nondũ appellatur.

Vnde Gal. lib. 1. de ſympt. cauſis dicebat dilatationẽ pupillæ aliam eſſe naturalem, aliam pręter naturam, & quamuis dicat eo loci naturalem dilatationem eſſe ſemper malam, non tamen mala cenſetur, quemadmodum ea, quæ eſt præter naturam, in qua aliquando ita pupilla dilatatur, vt ferè attingat iridis, conterminos, dupliciterq; læditur in ipſa actio, vel diminutè, aut abolitè.

Cum igitur lædatur videndi actio, ſequitur, quod ipſa ſit morbus in malæ compoſitione, & in illa malæ compoſitionis ſpecie, quæ ad figuram attinet: hæc autem eſt, vel in ſuperficie, vel cauitate, aut meatu: hic ſolummodo læditur meatus, hoc eſt foramen.

## DE CAVSIS MYDRIASIS, *ſeu dilatationis pupillæ.*

Cum omnis morbus cauſas habeat, hic inquirendæ cauſæ proponuntur, quas ad duo capita reducit Auicennas præcitato cap. nempe ad humiditatem, & ſiccitatem, quod à Gal. 1. de cauſ. ſympt. cap. 2. deſumptum eſt, ità vt cauſa dilatationis dicenda ſit humiditas, & ſiccitas,

Sed dices hoc videtur paradoxum, quia vnius effectus non videtur poſſe aſſignari duplex cauſa, & contraria; nam ſi humiditas eſt cauſa dilatationis, ſiccitas erit cauſa conſtrictionis, iuxta illud cõmuniſſimum ſuppoſitum, nempe contrariarum cauſarũ cõtrarij ſunt effectus.

Vt breuibus rem abſoluamus, dicimus alia, & alia ratione poſſe, tùm ſiccitatem, tum humiditatem eſſe cauſas dilatationis, quandoquidem, Gal. authore lib. 1. de cauſ. ſymp. cap. 2. membrana vuea poteſt bifariam conſiderari, vel vt corpus organicum, vel tanquam membrum ſimilare, & vtro conſideretur modo, poteſt foramen dilatari ab humiditate, & ſiccitate, quidquid Raſis aduerſus Gal. dicat lib. 2. continentis de ſiccitate, quia exiſtimat à ſiccitate dilatari minimè poſſe pupillam.

Sed deceptus quam maximè eſt, quia Gal. ſcribit poſſe humectari membranã in ſuis meatibus, ac foraminibus, vt organum eſt; deinde humectatur eadem membrana, quando per omnem ſui ſubſtantiam expanſa eſt humiditas.

Idem quoq; de ſiccitatẽ dicendum, Hieron. Mercur. lib. de oculorum aff. c. 9. ait; nam membrana, vt corpus organicum exiccatur, quando humiditates in meatibus incluſæ abſumuntur.

Vt ſimilare verò exiccatur, quando tota ſubſtantia tunicæ exiccatur, ſtante hac determinatione dicendum eſt, quando membrana hæc humectatur vt membrum organicum fieri dilatationẽ in pupilla, quando autem exiccatur, vt membrum ſimilare, fieri & dilatationem, quare ab humiditate dilatatur, vt organum eſt, à ſiccitate verò, vt eſt corpus ſimilare.

Gal. hoc loci vult dilatationem fieri à tumoribus, qui ab humiditatibus fluunt, & quod magis eſt, addit tendi nonnum-

quam vueam membranam à multitudi-
ne ſubiecto innata, hoc eſt dictu, quia
humor aqueus, qui à cryſtallino humo-
re per mediam pupillam ad corneam vſ-
que eſt expanſus, augeri poteſt in nimia
copia, ex qua contingit dilatari pupillã.
Certè videtur hæc cauſa maximè ap-
parens, quia nonnunquam obſeruamus
dilatatam pupillam ad circuli magni vſ-
que conterminos, vnde non poteſt dici
hanc dilatationem prouenire à tumore
aliquo, quia tumor in illam partem,
in qua eſt factus, ad ſe traheret pupil-
lam, eamq; obliq; dilataret, quod etiam
contingere poteſt, vt ex eodemmet Gal.
præcitato cap. colligitur, vbi ait poſſe
foramen vueę quatuor modis à natura-
li ſtatu recedere, vel ampliatum nimis,
aut conſtrictum, vel in aliquam partem
extortum, vel tandem ruptum.
Vbi igitur æquè per omnem circum-
ferentiam dilatatur, id videtur à nimia
humiditate, ſeu copia humoris aquei
contingere, qui à foramine totam vueã
ad iridem vſque pellit, quia eam æqua-
liter replet; at vbi tumore aliquo affici-
tur, res ad hunc modum eſſe minimè po
teſt.
Quando igitur dilatata eſt pupilla per
omnem ſui dimenſionem æqualiter, di-
cendum profectò eſt id illi euenire pro-
pter humoris nimiam copiam, ſiue hu-
mor aqueus adauctus ſit, ſiue humiditas
quædam in locũ fluxerit, ex qua foramen
nimis quàm res expoſtulat, dilatatum
ſit, quare immediata cauſa dilatationis
pupillæ eſt humiditas.
Sed dicet quis, nonne videmus à co-
pia ſpirituum manifeſtè dilatari pupil-
lam? Veriſſimum quidem eſt, ſed dilata-
tio hæc eſt ſecundùm naturam, & mo-
mẽtanea. Sermo nunc eſt de dilatatione
præter naturam, quæ fit ab humiditate,
vt vuea eſt membrum organicũ: à ſiccita
te verò dilatari poteſt abſumpta totius v-
ueę humiditate, nempe ea, quæ in poris
ipſius eſt, qua abſumpta æqualiter ad to
tam iridis circumferentiam contrahitur,

A quo nomine, & pupilla dilatatur.
Sed huiuſmodi dilatatio raro contin
git, vnde dicebat Gal. dilatationem à
ſiccitate vix curabilem eſſe, ab humidi-
tate verò curabilem reddi, è contra au-
tem ſi membrana prædicta, vt membrũ
eſt ſimilare humectetur, tunc conſtrin-
gitur pupilla, at quando exiccatur, vt
membrum organicum, fit conſtrictio,
quod paulò infra fuſius videbimus,
B vbi de conſtrictione fuerit ſermo.
Aſſignantur etiam cauſæ extrinſecæ,
vt eſt caſus, & percuſſio, quæ continuum
in vuea ſoluere poſſunt. Dicunt etiam
quod conatus in aliqua re ferenda po
teſt mydriaſim facere: cæterùm enixus
in muliere, eiulatus, tubarum ſumma
inflatio, & ingens reſpirationis retentio,
& huiuſmodi enumerari poſſunt inter
C extrinſecas cauſas.

## DE SIGNIS MYTDRIASIS, *ſeu pupillæ dilatatione.*

POſt tractatum de cauſis, quæ, vt di-
ctum fuit, duæ in vniuerſum cen
ſentur, & ad repletionem, & inanitio-
nem referuntur, de quibus prolixè ad-
modum egimus, dum tractaremus de
D cauſis conuulſionis, ſequitur ſignorum
examen, quorum præcipua ratio ad ſen
ſum magis, quàm ad diſcurſum perti-
net; nam nullus eſt, qui non videat pu-
pillam eſſe nimis, quàm erat antea, dila-
tatam.
Ea verò cum dilatetur tum à multitu
dine ſpirituum, tum à cauſis præter na-
turam, facilè cognoſcitur naturalis, quia
quando vnus clauditur oculus, multa ſpi
E rituum copia in oculum apertum fluit,
quæ dilatat pupillam, ſed ſtatim reuerti
tur ad priſtinum ſtatum, videturq; pu-
pilla, quæ & dilatatur, atque conſtrin-
gitur.
At vbi dilatata eſt præter naturam,
ſemper manet in eodem ſtatu, & quam-
uis claudatur oculus ſanus, nihil tamen
videtur moueri pupilla dilatata: quæ ſi
con

contigerit ab externa aliqua cauſa ; ſtatim infirmus eam referet.

Vbi verò à cauſa interna euenerit, & primò ab humiditate fieri cognoſcetis ex corporis vniuerſo habitu, quod humiditate refertum eſt: videbitis etiam plurimam humiditatem fluere per nares, & palatum: & quod notatione dignum eſt, ſtatim huiuſmodi affectio, quaſi de repente fit, ad differentiam illius, quæ eſt à ſiccitate, quæ fit paulatim, & inſenſibiliter: neque humiditates à partibus prædictis affluere obſeruantur, ſed corpus totum ſummè exiccatum eſt.

Preceſſerunt etiam plures cauſæ, quę potuerunt corpus totum exiccare, atq; oculum. Hæc igitur ſigna ſunt mydriaſis, tam à cauſa humida, quàm à ſicca procedentis. Scriptores verò alia afferunt ſigna magis vniuerſalia, primò dicunt nonnumquam contingere, vt ægrotantes viſum illius oculi amittant, qui mydriaſim patitur, nonnunquam vitiatur, vt vix videre poſſint.

Et quod magis eſt vno excepto Gal. omnes tam Græci, quàm Arabes, & Latini dicunt eos, qui hac affectione laborant, ſpecies viſibiles intueri minores quàm ſint: cuius quidem rei rationem reddere tentantes multa dicunt, cum tamen ſi rectè ſpeculemur, fortaſſe ſuſpicari poterimus totum oppoſitum; præſertim quando dilatatio ex copia humoris eueniat; nam cum humor aqueus adauctus ſit, & craſſefactus, ſiue viſio fiat per intus ſuſceptionem, ſiue per extramiſſionem, opus eſt, vt ſpecies viſibiles, atq; ſpiritus animales permeent humorem aqueum, qui vbi craſſior, & copioſior fuerit, contingit ſpecies etiam maiores conſpici.

Idq; obſeruatur quotidiana experientia in illis, qui ocularijs vtuntur, per quos ſpecies viſibiles maiores fiunt; idem quoque dum aliquid intuemur in vaſe aqua pleno, in fundo cuius ſi ponatur numiſma, longè maius noſtris oculis apparet, quàm ſit ſuapte natura, & id eſt, quia illud videmus per medium craſſius quàm ſit aer.

Dum humor aqueus purus eſt, videmus obiecta in ſua magnitudine, dummodo obiectum proportionatũ ſit, medium illuminatum, & organum benè diſpoſitum. Sed circa hanc materiam multa eſſent dicenda, quæ ad præſentem ſpeculationem minimè ſpectare videntur, proinde illis ſilentio inuolutis veniò ad eã, quæ faciunt ad affectus cognitionem, & curationem.

Cognitio igitur habetur per ſenſum; nam medicus inſpicere debet pupillam, an ſit ſecundùm naturam talis, an verò ſit dilatata præter naturam: ſi erit ſecundùm naturam, id ab ægrotante ipſo, & affinibus facilè intelliges: ſi præternaturam, tunc opus eſt intueri vtrumq; oculum, atq; diligenter animaduertere, vtrum affectio ſit in vno, an in vtroque oculo.

Ego aliquando obſeruaui dilatationem in vno oculo cum viſus deprauatione; nam ægrotus dicebat ſe videre obiectum quoad ſui medietatem, neque totum poſſe conſpicere, hoc erat propter materiam craſſiorem magis in vna, quàm in altera parte in humoris aquei.

Sed quidquid ſit de hac re, cognita affectione, videndum eſt, an curari poſſit, necne? Aetius dicebat eſſe affectionem ægrè curabilem: alij dicunt mydriaſim poſt vehementem capitis dolorem à quacumq; cauſa prodeuntem eſſe incurabilem.

Itidem dicendum eſt, quod quando fit à ſiccitate, eam prorſus reddi incurabilem. Ab Aetio cauſa redditur dicente hoc eſſe, quia vuea tunica membranoſa eſt, quæ vbi ſemel diſtenta fuerit, induratur, neq; facilè amplius contrahi poteſt. Cæterùm Auicennas velle videtur mydriaſim, in qua pupilla dilatata eſt vſq; ad conterminos coniunctiuæ, eſſe incurabilem.

Deinde addit eam, quæ fit à percuſſione eſſe incurabilem, ſi pupilla tantùm dila-

dilatata fuerit; vt diſtet à conterminis ipſius corneæ, eueniatq; ab humiditate, ſicq; recens curabilis redditur.

Sed eſt conſideratione dignum, nec prætereundum ſilentio, quod adeſt contradictio inter grauiſſimos Medicinæ proceres; nam Auicennas ſcribit mydriaſim à percuſſione eſſe incurabilem, è contra autem Raſis apertè ſcribit eandem eſſe curabilem, & Meſues apponit curationem, & quod magis eſt, idem Auic. deſcribit nobis huius ſpeciei mydriaſis curationem, ſignum igitur eſt ipſum exiſtimaſſe eandem eſſe curabilem.

Pro ſolutione mihi videtur dicendum eſſe id, quod Azarauius medicus doctiſſimus ſcribit, nempe percuſſionem, vel eſſe talem, vt laceret vueam vel non, ſi primò modo non vtique incurabilis redditur, quia ipſius ſubſtantia eſt membranoſa; ſi verò percuſſio fecit dilatationem abſq; laceratione à principio, eſt curabilis, at ſi negligatur, antequam fiat ægrè curabilis, fortè incurabilis redditur: hæc de prædictione.

## DE CVRATIONE MYDRIASIS, *à cauſa ſicca producta.*

PRimò dicamus de cauſa ſicca, quæ cum eueniat ob inopiam humiditatis, non erit opus quidquam moliri circa pharmaciam, aut chirurgiam, ſed victus rationem talem inſtituere, quę humidum radicale reſtituere poſſit, humectandiq; facultatem habeat, qualem audietis inſtituendam eſſe in febribus hecticis, atq; in maraſmo, de quo etiam mentionem faciemus, vbi ſermo fuerit de ſyncope, atq; de phthiſi, & maraſmo Philippi.

Circa localia verò agendum ita eſt, vt ipſa humectandi facultatem habeant, non ſecus atq; illa, quæ applicari à medicis conſueuerunt in humore cryſtallino exiccato. Inter cætera medicamenta præſtantiſſimum eſt lac iuuéculę boni habitus, vel etiam lac vaccinum, caprilum; & ouillum in oculum tepidum inſtillatum, & alia etiam, de quibus fuſius cap. de cryſtallino exiccato dicemus.

## DE CVRATIONE MYDRIASIS, *ab humiditate facta, per victus rationem.*

VEniamus nunc ad illam, quam ab humiditate, & repletione fieri diximus, in qua remouenda triplici medicinæ inſtrumento agendum. Aer debet eſſe moderatus in actiuis, ſed in paſſiuis vergens ad ſiccitatem. Deambulationes moderatæ, ſed, vt inquit Aetius, in locis tenebroſis factæ, proſunt.

Cibus debet eſſe paucus, & qui vim exiccandi leuiter habeat. A vino eſt omninò per totam curationem abſtinendum. Auicennas proponit ius ciceris rubei cum oleo ſeſamino, quia attenuandi habet facultatē. Omnia cibaria craſſa, multiſq; nutrimenti, præcipuè pinguia, ſunt omninò euitanda.

Curandumque eſt, ne aluus ſiccaſit, in eaq; fœces, nimis quàm par ſit, retineantur, à quibus vapores eleuari poſſint, atque caput petere, inde ad oculum fluere, quamobrem clyſteribus quibuſdam vtendum, qui non modò fœces euacuare valeant, ſed etiam aliquam à capite facere reuulſionem, de quibus iam ſæpè à nobis eſt dictum.

## DE CVRATIONE MYDRIASIS, *per Pharmaciam.*

DE pharmacia ita ſtatuendum eſt. Intueri oportet, quiſnam humor peccet, qui decentibus, atque idoneis pharmacis præparatus à toto corpore extrahi debet. Magis pilulæ huic affectui opitulari videntur, quàm reliqua medicamenta, pręcipuè fluida, quia pilulæ, & quæ ſunt ad boli formam, magis inmorantur in ventriculo, & à capite trahunt: quæ autem ſiunt pilulæ, & medicamen-

ta

ta oculis affectis conuenientia à nobis dictà ſæpè ſunt.

Inter pilulas, quæ de hiera cum agarico fiunt, mihi ſummopere commendantur, ſicut etiam ſunt illæ, quas lucis, aut cochias appellant: & vbi non ſufficit vna purgatio, altera repetenda eſt, quouſq; totus humor eductus ſit è corpore.

Sed dices Auicennam cap. 12. tract. 2. lib. 3. fen 3. ſcripſiſſe non eſſe in hoc caſu multiplicandam cum ſolutiuis euacuationem; contrarium tamen ſenſiſſe videtur noſter Rafis in præſenti capite 9. lib. ad. Almanſ. Quare non video, quid in praxi determinatè agendum veniat.

Reſpondeo nullam eſſe contrarietatem; quidquid dicant recentiores; nam Rafis ſcribit multoties eſſe cum pilulis cochijs repetendam alui ſolutionem, quam repetitionem limitauit Auicennas numero, & ſpatio x. dierum, quaſi quod oporteat x. diebus repetere purgationem, quia morbus hic longus eſt, & contumax, neq; cedens vni, aut duabus purgationibus.

Verum quidem eſt, quod noſtra hac tempeſtate habemus medicamenta valide exiccantia, quibus iſti ſcriptores ſua ætate carebant, ideo nos poſt ſecundam purgationem refugimus ad guaiaci, vel ſalſæ, aut chinæ decoctum, ſpatioque xxx. aut xxxx. dierum aliquod ex prædictis decoctionibus paramus, biſque in die, ſi opus eſt, potionem repetimus, & hac ratione affectum hunc per pharmaciam curamus.

## DE CVRATIONE MYDRIASIS, *ſeu pupillæ dilatatione, per Chirurgiam.*

PEr chirurgiam verò curatur, quemadmodum ſupra in alijs affectibus præter naturam eſt dictum, nempe quando adeſt indicans ſanguinis mittendi, mittatur ſecta vena, vel euacuandi, vel reuellendi, aut deriuandi cauſa, proinde Aetius, & Auicennas non modò phlebotomandum eſſe ſcripſerunt ex vena brachij, verùm ex venis, quæ ſunt in angulis internis oculorum, quas appellauit venas lachrymales.

Sed animaduertendum eſt haſce venas eſſe ſecandas facta iam ſanguinis miſſione ex brachio, vt ſcilicet ab oculo diuertatur materia.

Proficiunt etiam, tamquam reuulſoria medicamenta in primis cucurbitæ ſcapulis, atque ceruici applicitæ, nec non hirudines venis, quæ ſunt poſt aures, admotæ; ſed primò præmiſſa ſectione venæ per hepaticam, vel cephalicam ex brachio.

## DE CVRATIONE MYDRIASIS, *ſeu pupillæ dilatatione, per localia.*

QVod ad localia ſpectat, ea ſunt apta ad tollendam cauſam coniunctam, & ad corroborandam partem affectam, quæ exiccandi, modicè adſtringendi, necnon reprimendi facultate pollent, verum quidem admonet Aetius, vt caueamus vehementer adſtringentia, vt ſunt chalcitis, myſi, & id genus, atque acria, quia quæ vehementer adſtringunt, diuellere poſſent vueam, at acria, & nimis mordentia poſſent ad locum materiam attrahere, dolorem inducendo, quare huic affectui idonea moderatè adſtringere debent, quemadmodum ſunt.

Roſa,
Nardus,
Crocus,
Pompholyx,

Cæterùm in applicandis medicamentis opus eſt animaduertere non modò ætatem, ſed ſexum, quia viri robuſti vehementiora ferunt medicamenta, mulieres verò, ac pueri requirunt mitiora.

Opus eſt etiam cauere, ne nimis refrigerantia adhibeantur; nam Gal. 3. meth. med.

med. cap.2, ſcripſit ſe ex immodico opij vſu ſuffuſiones, & pupillarum dilatationes obſeruaſſe, ideoque Aetius inhibet cicutæ vſum.

Idem proponit aquam marinam, qua debet ablui oculus, & tota facies, & vbi ea non adſit, cum ſale appoſito in aqua fiat inſtar aquæ marinæ. Deinde proponit poſcam aquoſam, & quod magis eſt, vult totam faciem ægrotantes oculis apertis in aquam mergere.

Auicennas applicat emplaſtrum ex farina fabarum excoriatarum, atque hordei cum aqua foliorum ſalicis, vel endiuię; poſtea componit medicamentum ex luteo oui & oleo roſato, intuſq; lanam infundit, & oculo clauſo admouet.

Laudatur quoq; & collyrium ex fellibus animantium, hœdi pręcipuè.

Propono vobis egregium medicamentum, quo poteſtis promiſcuè vti, id verò eſt huiuſmodi.

℞. gummi arabici.
Tuthiæ,
Sanguinis draconis,
Tragacanthi, ana vnc. ſſ.
Seminum lini,
Cotoniorum,
Croci, ana drach. ij.

A Boli armeniæ orient. vnc. j.
Succi corticum granat. vnc. iij.
Aquæ roſarum, lib. j.

Macerētur omnia ſuper cinere tepido per noctem, deinde bulliant media hora, & coletur diligenter, ſerueturq; pro vſu, cuius tres, quatuor, aut plures guttas in oculos affectos inijcies.

Sed eſt animaduerſione dignum, B quod ſuperius fuit dictum immoderatè frigida eſſe euitanda, & nunc ex præcepto Aetij proponimus aquæ frigidæ vſum, qua nihil frigidius reperiri poteſt.

Huic occurro obiectioni, quia aliud eſt loqui de immoderato, & continuo vſu rerum refrigerantium, vt eſt opium, mandragora, & huiuſmodi; & aliud eſt loqui de medicamentorum repercutien- C tium moderata applicatione.

Certè priora ſunt euitanda, licet poſſumus à principio præſertim in mydriaſi à cauſa exteriori vti reprimentibus, vt eſt immerſio faciei in aquam, & poſcam, quemadmodum, Aetius nos docuit, vnde nullum eſt inconueniens in doctrina propoſita: & hæc de curatione mydriaſis ſint dicta, veniamus ad ſui contrarium, nempe ad conſtrictionem.

# DE TABE, SEV PVPILLAE CONSTRICTIONE.

## CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Dictum ſupra fuit pupillam duplicem pati affectionem præter naturam; dilatationem nempe, atq; conſtrictionem; de hac nunc agendum proponitur, quæ à Græcis φθίσις appellatur, vt x. de partium vſu cap. 5. nos docuit Gal. noſtri tabem vocant, & pupillę diminutionem, ſeu etiam conſtrictionem.

D Eſt autem vobis animaduertendum, reperiri aliam oculi affectionem, quam ijdem Græci atrophiam, Latini verò maciem vocant: ſed hæc longè à tabe propoſita differt, vt Aetius lib. 7. cap. 54. teſtatur, quia hæc ſolummodo pertinet ad pupillam, illa verò ad totum oculum, & eſt quando vniuerſus oculus macie afficitur.

Verùm pupillæ conſtrictio, ſeu tabes,

Ne qua inſtituta eſt oratio, eſt affectio, in qua pupilla fit anguſtior, obſcurior, & vt ait Paulus, rugoſior, & è directo oppoſita dilatationi.

Iſtæ duæ affectiones ad inuicem contrariæ verſantur circa idem ſubiectum, nempe pupillam, & ambæ ſunt morbi in conformatione, vitiantes oculi figuræ eam partem, quæ ad meatus pertinet; nam vna nimis dilatat, altera nimis, quã par ſit, conſtringit.

Sed quemadmodum dictum fuit, dilatatio duplex eſt; naturalis, & præter naturam, ita quoq; dicendum eſt de conſtrictione; ſed cum hac differentia, quia dilatatio ſiue à natura, ſiue præternaturam ſemper eſt mala, & conſtrictio naturalis eſt bona; præter naturam verò mala.

Sed fortaſſe inquires, quæ nam affectio peior ſit, magiſq; lædat actionem videndi, dilatatio præter naturam, an conſtrictio præter naturam?

Huic ſatisfacere obiectioni videtur Auicennas cap. præcit. diuidens conſtrictionem induplicem differentiam, vnam, in qua nondum eſt facta oppilatio, alteram verò, in qua facta eſt oppilatio; prior quidem non eſt peior dilatatione, ſecunda verò longè peior eſt, quia ita obſtructa eſt pupilla, vt adſit iam totalis viſionis abolitio; peior eſt igitur affectio illa, in qua aboletur partis alicuius actio, quàm vbi vitiatur.

Sed dubitabit rurſus quis, vtrum conſtrictio, vt conſtrictio eſt, hoc eſt propria ſui ratione actionem lædere nata ſit, an verò id contingat ratione morborum, quos ipſa ſequitur?

Ex vna parte Gal. eſt, qui lib. 1. de cauſis ſympt. cap. 2. aſſerit eandem conſtrictionem non lædere propriã ratione, alioquin eſſet dicendum etiam conſtrictionem naturalem lædere viſionem, quod vt falſum iam reiecimus.

E contra verò Raſis 2. continentis aduerſus Galenum ſuſtinere videtur conſtrictionem præter naturam, vt talem, lædere viſionem.

An dicendum pro ſolutione ſit anguſtiam, ſeu conſtrictionem pupillę præter naturam eſſe duplicem, aliam magnam, aliam verò mediocrem. Conſtrictio magna illa eſt, in qua conſtrictum eſt totum foramen, ita vt extrema ſe contingant, adeo vt, quemadmodum Paulus ſcribit, foramen rugoſum appareat, ſimulq; cum tota vuea, quod ſanè illi contingit, quando ita anguſtatur, vt extrema ſe ſimul tangant; anguſtia enim hæc, etſi cauſam habeat, nihilominus propria eſt foraminis paſſio, quamobrem nullum videtur inconueniens, ſi cum Raſi affirmemus conſtrictionem, vt talem immediatè, & ex propria natura lædere viſionem.

Si verò conſideremus conſtrictionem mediocrem, certè fatebimur cum Gal. non ex ſua ratione viſioni officere, quia adhuc patet via, per quam ſpiritus exire, & ſpecies ingredi poſſunt. Sed id contingit pupillæ morborum occaſione, quibus ipſa affligitur, & hoc modo exiſtimo intelligendum eſſe Galenum: hæc de conſtrictione pupillæ.

## DE CAVSIS TABIS, SEV PVPILLAE conſtrictionis.

Roperandum eſt ad cauſas; nam cum dixerimus eſſe morbum in compoſitione, opus eſt, vt cauſas habeat eam excitantes, quæ totidem ſunt, & eædem prorſus, ac illæ dilatationis, nempe repletio, & inanitio, ſeu humiditas, atq; ſiccitas, ſed alia ratione.

Nam diximus humiditatem dilatationis cauſam eſſe, quando euenit vueæ, vt membrum organicum, ſiccitatem verò, quando vueam obſidet, vt eſt pars ſimilaris: in præſenti autem affectu contrario modo ſe res habet; nam humiditas, quando accidit vueæ, vt eſt membrum ſimilare, facit conſtringere pupillam.

Hoc pulchrè Galenus, & Auicennas de ſumpto exemploà cribro nobis patefaciunt

unt; nam vbi in tota ſubſtantia cribri imbibita eſt humiditas, conſtringuntur foramina, quod idem euenit vueæ, quando proprium ipſius corpus humiditate nimia eſt madefactum, quia foramen, quod eſt pupilla, ſtatim concidit, atque conſtringitur, vbi verò humiditas ipſius naturalis fuerit conſumpta, dilatatur, vt iam audiuiſtis: hoc modo igitur cauſa conſtrictionis eſt.

Siccitas verò eſt cauſa eiuſdem effectus, quando euenit aliis partibus, vt po te cryſtallino, vel humori aqueo, quia vbi eſt in hiſce inducta ſiccitas, ſtatim vuea patitur, vt eſt membrum organicum; nam abſumpta eſt illa humiditas circumuicinarum partium, quæ erat dilatationis cauſa; nam cum ille humor faciat tenſionem in vuea, tenſione ablata in ipſammet concidit, pupillæq; ſtatim ſequitur conſtrictio.

Nec mea quidem opinione audiendus eſt Raſis 2. continentis aduerſus Gal. diſputans, vbi nititur oſtendere fieri non poſſe, vt ſiccitas, & humiditas, quæ ſunt contrariæ cauſæ, poſſint ambæ iſtius effectus eſſe cauſæ, quia inquit, ſi ratione humiditatis imbibitæ in vuea contingit anguſtari pupillam, ergo eadem reſoluta, totum eueniet oppoſitum, nempe dilatatio.

Sed ex iis, quæ ſupra à nobis dicta ſunt, facilè vnicuiq; veſtrum apparebit, noluiſſe, vt abſumpta ſiccitate ipſius membranæ, fiat anguſtia pupillæ, ſed exiccata humiditate humoris aquei, quæ ſolet extendere vueam, vuea concidit in ſe, & anguſtatur ipſius foramen, vnde non patitur tunc ſiccitatem, vt ſimilare membrum, ſed vt organicum, vt dictum eſt.

Quare cum Gal. concludimus humiditatem, & ſiccitatem eſſe cauſas conſtrictionis, ſed alia, & alia ratione, vt audiuiſtis, quare cum iſtæ ſint cauſæ immediatæ, quæcumq; eas in corpore generare ſunt apta, erunt etiam cauſæ, ſed remotiores, vt ſunt deſtillationes à capite, nimiæ crapulæ, nimiæ vini potatio

A nes, tumores, & tandem in victus ratione malum regimen.

### *DE SIGNIS TABIS, SEV PVPILLAE conſtrictionis.*

SIgna huius affectionis non ſecus atque de dilatatione dictum fuit, cadunt ſub ſenſu; nam vbi quis videt oculi pupillam magis conſtrictam eſſe, quàm
B antea, iudicat eſſe præter naturam.

Sunt, qui dicant, vt eſt Alzarauius, ſpecies viſibiles apparere contra quam dictum eſt in ampliatione, ſeu dilatatione pupillæ, cuius tamen contrarium ipſa dictat ratio, vt eo audiuiſtis loco, at nec Gal. neq; Auic. de hoc ſigno loquuntur.

Signa igitur conſtrictionis ab ipſamet
C ſenſatione perfectè habentur; nam ſi eueniat conſtrictio à ſiccitate poteritis, id ex morbis præceſſis conijcere, aut ex anteacta vita, quæ potuerit humidum oculi conſumere; nam apparebit vobis oculus, quaſi atrophia laborans, & per conſequens minor redditus.

Sunt, qui dicant, vt Albucaſis, quod ſi contingat conſtrictionem à ſiccitate fieri, neq; multum, neq; longè vident, ſed
D ſolùmmodo obiecta propinqua intuentur.

Si verò ab humiditate eueniat, cognoſcitur ab ætate, ſexu, & temperamento; nam pueri, qui ſunt humidiores, & mulieres poſſunt facilè in hanc affectionem ab humiditate incurrere.

Idem dicendum eſt de illis, qui temperamento ſunt humido, quiq; caput repletum excrementis humidis habent: ex his igitur, & ex vita ante acta poteritis
E cognoſcere huius affectionis cauſas.

### DE FVTVRO EVENTV *Tabis, ſeu conſtrictionis pupillæ.*

QVod ad prædictiones ſpectat, eadem prognoſtica facienda in conſtrictione pupillæ, ac facta ſunt in dilatatione, quia ab iiſdem profi-

ciſcitur cauſis. A

Alzarauius ſcriptum reliquit mor-
bumhunc inueteratum eſſe incurabilem.
Gal. cap. 2. lib. 1. de cauſis ſymptom.
tradidit, quando conſtrictio fit à ſic-
citate, difficulter curari poſſe: quod idē
ſcripſerat de dilatatione à ſiccitate: at
illa, quæ ab humiditate euenit, curari qui
dem poteſt, ſed egrè admodum, & cum
difficultate.

Hipp. 2. prorret. habet eos, qui pu- B
pillas habent anguſtas eſſe quemadmo-
dum vulpes, ſimias, & ſerpentes, nem-
pe prauæ naturæ.

## DE CVRATIONE TABIS *pupillæ à ſiccitate factæ.*

DE curatione eadem ratione agen-
dum eſt, ac dictum fuit cap. de C
dilatatione; nam cauſę ſunt eędem, pars
affecta eadem, ideo vbi eueniat à ſicci-
tate, quoniam id frequentius ex alimen
ti defectu contingit, vt ſupra diximus, vi-
ctus ratione reſtaurante agendum eſt.

Pharmacia, & chirurgia locum hic mi
nimè habent, at quædam localia profi-
cere poſſunt, quamuis Auicenna admit-
tat aliqua caputpurgia in nares immiſſa,
quæ aliquid per nares attrahere queant. D

Cæterumvult eſſe irrigandum totum
caput, vel oleo nenupharino, vel o-
leo violaceo: ex his poſſunt etiam errhi-
na fieri. Sed embrocationes ex aqua te-
pida, aut ex aqua, & oleo oliuarum ma-
turarū, vel ex ſucco maluæ, aut violariæ,
vel etiam emplaſtra ex his proderunt.

Quod ad localia interna attinet, opus
eſt vti lacte, vt in dilatatione à ſiccitate E
eſt dictum. Aqua tepida quoque con-
fert.

Cauendum tamen, ne huiuſmodi hu-
mectantia ſola adhibeantur, niſi intus
aliquid adſit calidum, & tenuium partiū
quemadmodum eſt chamæmelum, vt
valeat aliquid nutrimenti ad partem tra-
here, quamuis fotus aquæ calidæ effice-
re id poſſit.

Vnde Gal. 6. meth. med. cap. 6. lo-
quensde perfuſione aquæ dicebat, quan
do volumus materiam ad partem non
nutritam attrahere, oportere perfunde-
re quouſq; pars ipſa in leuem attollatur
tumorem, ſtatimq; antequam tumor ſub
ſideat, eſſe deſiſtendum; at vbi attenua-
re, ac reſoluere eſt animus, perfuſionem
eſſe faciendam, quouſq; tumor omninò
reſoluatur.

In pręſenti caſu intentio eſt materiam
ad partem attrahere, nempe ad oculum,
quo renutriri poſſit, ideo quàmprimum
videtis palpebram intumere, vt deſiſta-
tis oportet à perfuſione cuiuſcumq; ma
teriei, ſiue aqua ſit, aut lac, vel ſuccus.

Adhanc intentionē conſequendā iu-
bet Auicenna, vt facies tota manibus, &
& oculus etiam affectus ſummis digitis
modicè affricetur.

Non poſſum probare collyrium illud,
quod à Dominico Leone proponitur.

℞. ammoniaci thimiamatis ſcrup. j. ſſ.
Crocomagmatis, ſcrup. ij.
Croci, drach. j.
Aeruginis æris ſcrup. ij.

Vbi crocomagma non adſit, duplica-
tur crocus; nam etſi habeat attrahendi
ad oculum facultatem ob acredinem,
quia tamen eſt calidus, poſſet ſtatim
reſoluere fluentem ad oculum mate-
riam.

Magis placet ſuffimigium ex maluis,
violarijs, brancha vrſina, & chamæmelo
factum, cui obijceretur oculus, poſt
quod ſuffimigium, vel aquæ fotum, non
improbarem collyria craſſa palpebrę ap-
plicata ex pomata, vel butyro recenti,
vel axungia ſuilla, vel anatis, aut gallinę
pinguedine: ſicq; componerem linimen-
tum, quo inungerem palpebram.

℞. pomatæ vnc. j.
Mucilaginum ſeminis lini cum aqua
violarum extract. drah. iij.
Axungiæ anſeris, aut anatis, dra-
chm. ij.

Incorporentur omnia ad formam lini
menti, ipſoque vniuerſus oculus inun-

gatur: hoc modo curanda eſt tabes pu- A pillę à ſiccitate.

### DE CVRATIONE CONSTRICTIO-nis pupillæ ab humiditate facta.

DE curatione tabis ab humiditate per omne genus inſtrumenti me- dici dicam,in qua omnia eò tendant, vt ſuperfluam humiditatem è corpore vni- B uerſo extrahant, idq; primò per victus rationem,quæ boni ſucci ſit, & exiccan- di facultate polleat,ſit. Potus eſto,quem admodum dictum fuit in dilatatione ab humiditate.

Deinde per pharmaciam videndum eſt, quinam humor peccet in toto, ip- ſumq; idoneis medicamentis alterare, & educere, vniuerſumque caput expur- C gare, atque roborare oportet, ne am- plius humiditatem ſuperfluam, aut gene ret, vel aliunde recipiat.

Per chirurgiam verò,ſi ſanguinis ad- ſit peccatum, illud auferatur, vt ſupra dictum, ſæpiuſq; repetitum eſt. Tan- dem vbi cauſa antecedens fuerit hiſce vniuerſalibus, & communibus præſidijs expugnata,ſtatim ad ablationem coniun ctæ properandum eſt, accommodatis re D medijs, quæ humiditatem ſuperfluam conſumere valeant, inter quæ Auicen- nas huiuſmodi proponit collyrium,quod à neotericis etiam probatur.

℞. ammoniaci,
Floris æris, ana drach. j.
Croci drach. ſſ.
Aloes,drach. v.
Moſchi, ſcrup. ſſ.

Ex his vult fieri collyrium, ſed vbi æ- E ger pauper eſt, deſiſtatis à moſcho, om- niaque excipite cum aquarum euſragiæ, fœniculi, ana vnc. ij. inijcite in ocu- lum.

Sunt & collyria communia ex felli- bus, quæ optima habentur, quorum iſtud maximè huic affectui opitulatur.

℞. aquæ euſragiæ.
Rutæ, ana vnc. ij.
Fellis gruis, aut etiam bouis,
Tuthiæ præparatæ, ana drach. j. ſſ.
Miſce, & fiat collyrium.

Vel poteſtis remedium Aetij para- re hoc modo.

℞. ſucci granatorum lib. ij.
Recondę in vaſe vitreo, atq; tempo- re æſtiuo expone ſoli per duos menſes, deinde colabis, & abiecta fœce, pro ſin- gula libra adde.
Piperis ſ. pul.
Aloes, ana drach. j. ſſ.

Iſtud remedium pro vſu afferuan- dum, quod quanto antiquius eſt, tanto præſtantiùs operatur.

Aliud eiuſdem facultatis.

℞. aceti,
Lactis,
Mellis, ana drach. ij.

Agitentur in mortario æneo hinc in- de, donec medicamentum nigrum ſit, eoq; vti poteſtis inungendo palpebram; & hæc de cognitione, & curatione con- ſtrictæ pupillæ.

Hiſce declaratis apparere puto om- nes morbos membranarum oculi com- pendioſius, quo ad fieri potuit, à nobis fuiſſe declaratos, modò relinquuntur quidam alij affectus præter naturam ad eoſdem oculos attinentes, quorum ali- qui ad angulos ſpectant, alij ad palpe- bras,& alij tandem ad totum oculum ſi- mul.

Primò nobis agendum eſſet de mor- bis angulorum, mox de illis, qui palpe- bras infeſtant, vltimo loco, de ijs, qui ad totum attinent oculum, ſed quo- niam adeſt adhuc in oculo membrana quædam, quæ humorem cryſtallinum immediatè ambit arachnois dicta, quòd ipſius ſubſtantia ad modum telæ araneæ eſt tenuis, necnon tres humores in membranis incluſi, nempe aqueus, ſeu albugineus humor, cryſtallinus, atque vitreus, & fieri non poteſt, quin ſuos ha- beant morbos, ideo dicet quis veſtrum, conuenientius eſt prius partium interna- rum

rum oculi morbos abſoluere, deinde partium externarum hiſtoriam aggredi?

Hoc ſanè rationabile eſſet, ſed quia tunica hæc non patitur proprium morbum, niſi ruptionem, quę raró contingit, & ſi contingat, curatur cum aliquo ex præſidijs prędictis, necnon victus optima ratione, ideo pro ipſius curatione breuitati ſtudentes, quia animus noſter A eſt pertractare de morbis thoracis, nihil præter ea, quæ dicta ſunt, addimus.

De morbis verò prædictorum trium humorum agemus, vbi ſermo erit de morbis ad vniuerſum oculum ſpectantibus. Veniamus igitur primùm ad morbos infeſtantes angulos, qui ſunt numero quinque nempe epiphora, rhoeas, enchantis, anchilops, & ægilops.

# DE LACHRYMIS

## CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

QVid per lachrymas intelligere velimus, adeo clarum eſt, vt etiam vulgaribus notiſſimum ſit; nam quãdo ab oculis alicuius videmus guttas deorſum per faciem cadere, tunc lachrymare eum dicimus, ita vt lachryma nihil aliud ſit, quàm limpidiſſimæ aquæ gutta ab oculis effluens.

Sed quoniam, vt Auicennas ait, alia eſt naturalis, alia accidentalis, de naturali nihil eſt, vt dicamus, quia hæc nunquam niſi à cauſa proficiſcitur, & ſtatim compeſcitur, ſed de ea agendum eſt, quæ continuò effluit, oculum quàm maximè infeſtans.

Atqui vix de lachryma, quæ Græcè ἐπίφορα dicitur, quidquam determinare poſſumus, niſi prius cognoſcamus lachrymam naturalem; dicebat enim Gal. in proœmio de oſſibus, id quod eſt ſecundùm naturam eſſe metam cognitionis ipſius, quod eſt præter naturam.

Et certè niſi agnoſcamus quid ſecundùm naturam, non poterimus cognoſcere ab ipſo lapſus præter naturam; quare à nobis inquirendum eſt, quæ ſit lachrymarum materia; quæ ſint cauſæ eas generantes; quis locus generationis; B quomodo, ideſt, per quas vias exeant; & qua de cauſa.

Quod attinet ad primum, multi multa dicunt, ſed in hoc conueniunt, quod ſint excrementum, ſed quoniam in ventriculo, in hepate, & in partibus ſolidis generantur excrementa, non ita certum eſt, an hepatis tranſmutantis chylum in ſanguinem ſint excrementum, quod C eſt dictu, non apparet eſſe ſecundæ coctionis excrementum.

Cùm enim lachrymæ fiant in ſublimi corporis parte, ridiculum videtur dicere eas ab hepate, quod eſt in infima generari, nec minus à ventriculo, qui eſt primæ coctionis author, quare ſequitur, quod ſint excrementa tertiæ coctionis; D notùm eſt enim in tertia coctione plura generari excrementa, ſed quoniam ſunt in capite, opus eſt fateri eas eſſe vel cerebri, vel oculorum excrementum.

Verùm non poteſt dici eas eſſe cerebri excrementum, quia non generantur in cerebro, niſi duo excrementa, craſſa nempe, atque tenuia, quod Gal. pluri- E bus in locis demonſtrauit, at hiſce excrementis dati ſunt proprij ductus, & meatus, per quos expurgari poſſunt, quandoquidem craſſo excremento palatum, & fauces ſunt datæ, & aliquando etiam ma-

magna ipſius exiſtente copia nares, tenuiori verò expurgando natura fecit capitis futuras.

Cum igitur huiuſmodi excrementis excernendis pateant proprij aditus, neque aliud in capite generetur excrementum, clarum relinquitur lachrymas non eſſe cerebri excrementa. Quæ res cum ita ſe habeat, iam fatendum erit oculorum eſſe proprium, & peculiare excrementum: hęc eſt opinio Aquapendentis lib. de oculis cap. 13. viri noſtræ tempeſtatis clariſsimi in publico Patauino Gymnaſio profitentis.

Locus autem vbi retinentur, eſt cauitas, in qua continetur oculus, quæ inſignis eſt capacitatis, & tantæ, vt oculus vniuerſus nequeat quartam ipſius partem replere: in illa igitur lachrymæ continentur, ſimulque cum partibus oculi vniuerſam replent cauitatem.

Si quis tamen obijceret lachrymas eſſe cerebri tenuioris excrementi portionem ad oculos defluxam, quia cerebrum frigidum, & humidum eſt, copiam pituitæ lachrymis ſimilem generans, quod ex lacrymarum copia conijcere licet, quæ aliquando ab oculis tam copioſè effluit, vt vix credibile ſit poſſe ibi detineri eam quantitatem.

Huic reſpondet obiectioni dupliciter, primò, vel quia cerebrum copia excrementorũ grauatur, vel non: primo modo, præter quam quod ad palatum, aures, nareſq; ferè tranſmittit, demandat etiam aliquam partem ad faciem, ad tempora nempe, atque ad genas.

Argumentum huius rei eſt, quod experientia comprobatur, quia ſi quis in muſculo temporali, in aure tranſuerſim, aut in gena vulneretur, poſtquam vulnera ſanata ſunt per aliquot dies, & hebdomadas, exit multa copia humoris aquei per foraminulum quoddam à natura, vt hanc aquam expurget, relictum.

Huiuſmodi humor eſt veluti lachryma quædam eandem muſculis vtilitatem præbens, ac faciant lachrymæ oculorum muſculis, nempe quando eò tranſmittitur, inhibet, ne exiccentur muſculi, ſed ipſos ſemper irrorãs madidos reddit, quare vbi cerebrum à nimia copia excrementorum aggrauatur, tenue excrementum non ad oculos, ſed ad partes prædictas expellit: non igitur poſſunt lachrymę dici propriũ ipſius cerebri excrementum.

Reſpondet ſecundò lachrymas eſſe in duplici differentia, alias veras, alias adulteratas, & pituitoſæ materiæ admixtas. Priores non fiunt à cerebro, ſed ſecundæ poſſunt quidem, quando ad oculos à cerebro pituitoſa materia hæc transfunditur, & huiuſmodi lachrymæ non ſunt veræ, legitimæ autem ſunt oculorum excrementum, nempe tertiæ coctionis perfectionem ſequuntur.

Cum verò duplex ſit excrementum tertiæ coctionis, craſſum, & tenue, lachrymæ ſunt tenuioris excrementi ſoboles: craſſum verò excrementum illud eſt, inquit vir iſte, quod nigredinem illam facit, quæ vueæ, & choroidi adhæret.

Cum autem plures in oculo ſint partes, non omnium eodem modo lachrymæ ſunt excrementum, ſed præcipuè cryſtallini, atque vitrei humoris: ſuntq; eiuſdem generis, ac ſit humor aqueus, quare hiſce concludit lachrymas eſſe oculorum, ac humorum præcipuè cryſtallini, atque vitrei excrementum.

At ſi cerebrum non grauatur, ac nimia excrementorum copia, tunc tenue excrementum in hunc modum diſtribuit, vnam partem ſimul cum craſſiori ad palatum, & fauces propellit, alteram verò per inſenſibilem viam digerit.

Ex qua opinione habemus cerebrum non eſſe locum generationis lachrymarum, cum tamen Auicennas lib. 3. fen. 3 cap. 26. ſcribat id eſſe locum lachrymarum, quia arbitratus fuit debilitatem ipſius, cum non poſſet diſſipare excrementum, eſſe cauſam generationis lachrymarum, & hoc in bona valetudine; nam in morbis exiſtimauit id euenire apoſte-

ma-

matis, vel intemperiei alicuius ipſius cerebri ratione.

Quam opinionem, ſi rectè ad memoriam tenetis, anno præterito optimis rationibus vt falſam reieci, dum ſermo eſſet de phrenitide, vbi inquirebam, cur ſit, quod phrenitidem patientes ex vno tantummodo oculo lachrymantur? validiſq; (ni fallor) rationibus demonſtraui lachrymas non eſſe cerebri excrementum.

Eadem hoc ipſum ratione de oculis eſt dicendum, quia lachrymæ non poſſunt eſſe tertiæ coctionis excrementum, quandoquidem excrementa tertiæ coctionis ſunt illa, quæ poſt partium perfectam nutritionem à virtute ipſorum expultrice, tamquam inutilia reijciuntur.

Verum quidem eſt, quod quædam dicuntur eſſe vtilia tum ratione finis, tum propriæ ſubſtantiæ, vt ſemen, & pinguedo; alia verò ſunt prorſus inutilia ratione ſubſtantiæ, quod ſint ex quadam ſubſtantia, quæ amplius nutrire non poteſt, ſunt tamen vtilia reſpectu finis, quia ijs natura ad aliquas vtilitates corporis vtitur.

Et huiuſmodi quædam ſunt craſſa, quædam tenuia: rurſus inter craſſa quædam ſunt magis, & minus craſſa: ex craſſiori eorum parte natura generat vngues, ex tenuiori cuticulam, aliaq; adhuc pars, quæ relinquitur, per cutis poros inſenſibiliter exit ad cutis extimam ſuperficiem, & huiuſmodi dicitur ſordes.

At tenue excrementum aliud eſt, quod per inſenſibilem halitum euaporat, & aliud, ex quo pili in corpore generantur. Hæc eſt vera, & legitima tertiæ coctionis excrementorum diſtributio, tam ex Gal. quàm ex Ariſt. ſententia, ita vt ex hac excrementorum diuiſione probari non poſſit lachrymas eſſe tertiæ concoctionis excrementum.

Quod cum ita ſit, non video, quo modo poſſint eſſe oculorum humorum excrementum, cum præſertim oculi non faciant excrementa, vt tales, quia in ijs

A non ſit niſi tertia concoctio, atque ipſa eſt, quando partes ſimilares nutriuntur, quæ prorſus eædem ſunt in oculis, ac in partibus alijs corporis, nempe caro, membrana, venæ, arteriæ, nerui, glandulę, cutis, pinguedo, & in tranſmutatione, quam faciunt ſanguinis in propriam ſubſtantiam, à ſe protrudunt excrementa prædicta.

B Sed dices, lachrymæ quidem non generātur à partibus communibus oculorum, ſed à proprijs, nempe ab humoribus, ſed hoc abſurdum omninò eſt, quia oportet excrementum alicuius partis proportionatum eſſe parti illi, cuius eſt excrementum, ſed longè maior eſt quantitas lachrymarum ab oculis exeuntium, quàm ſint ambo oculi, ita vt vix intelligi, ne quidem dici poteſt tot lachrymas ab humoribus procreari.

C Sed cum dictum ſit oportere adeſſe duo excrementa, tenue, & craſſum, ſcribit author huius opinionis, quod lachryma eſt tenue excrementum, nigrities verò illa, quæ eſt in vuea eſt craſſum, quod ſanè videtur nō modò abſurdum, ſed ridiculum, quia à corpore lucido, quemadmodum humores ſunt, non videtur poſſe excrementum nigrum produci.

D Addo, quod vuea intus, qua reſpicit cryſtallinum, eſt nigra quidem, ad latera verò eſt alba, poſterius variè colorata, exterius, qua tangit ſchleroticlem, penitus nigra, quare ſi nigrum excrementum ab humoribus hiſ e eleuaretur, afficeret nigredine omnes partes membranæ, quam humores attingunt.

E Non enim eſt maior ratio, quod vna pars ipſius nigredine afficiatur, altera alba remanente; deinde non eſt rationabile, quod pars exterior nigra ſiat, intus verò, qua humores attingit, alba reddatur, quia cum excrementum iſtud ab humore vitreo, qui eſt omnium maximus, eleuetur, deberet ſua nigredine afficere membranam, quæ ipſum tangit, ſed ea eſt alba, exterius verò nigra, ergo eſt ſi-

gnum

gnum certiſſimum ipſius nigredinem non prouenire ab huiuſmodi excremento, atque ideo concludendum eſt excrementum nullum nigrum ab humoribus prouenire.

Addatis, quod Gal. lib. 10. de part. vſu ſcribit, colorem nigrum in interna ſuperficie vueæ eſſe à natura melioris viſionis gratia factum, non igitur ab excrementis. Plura quoque haberem aduerſus hanc poſitionem, quæ ne nimius ſim, lubens taceo.

Venio ad determinationem primæ difficultatis, quæ inquirebat lachrymarum materiam, de qua Plinius multum ambigit lib. 11. c. 37. Ego aliàs ex Ariſt. 5. probl. 35. oſtendi vobis materiam lachrymarum eandem eſſe in genere cum ſudore; ſed ſudor ex Ariſt. 2. probl. & Gal. 4. de vſu partium eſt ex eadem materia, ac ſit lotium, quam ſententiam nullus eſt medicorum, quem ego viderim, qui non admittat; quare dicendum eſt lachrymas eſſe excrementum ſecundæ coctionis, quæ (vt ſupra dixi) celebratur in hepate.

Ne autem hoc videatur vobis paradoxum, opus eſt, vt ſciatis hepar eſſe humorum omnium officinam, dum autem humores ex chyloſa materia fiunt, ſecernitur cum alijs excrementis ſeroſa materia; quæ ſecundùm quorumdam opinionem fit ex ſeris omnium humorum; atq; potulenta materia, quæ deorſum ad venam cauam ſimul cum ſanguine fertur.

Ne verò tota ſit onus venarum, maior pars ipſius à renibus attrahitur, inde per vreteres vocatos ad veſicam protruditur, reliquum verò cum ſanguine per venam cauam; vt illi fiat vehiculum, fluit ad omnes corporis partes, ac vbi functum eſt ſuo officio à partibus virtute expultrice eijcitur, & tandem in vaporem abiens extra corpus per inſenſibilem viam tranſpirat, ſæpeq; per ſudôrem protruditur.

In aliquibus verò partibus retinetur;

A quemadmodum apparet in pericardio, quod à Barbaris capſula cordis appellatur; nam cum à iecore per ramum inſignem venę multa copia ſanguinis in dextrum cordis ventriculum tranſuehatur, hic verò præparatur, vt vitalium ſpirituum materia, pulmonumq; alimētum fiat, in illa tranſmutatione ſeroſa materia ſeparatur, atq; per tranſudationem propellitur ad cordis prædictam capſu-
B lam, & ibi retinetur alicuius vſus gratia.

Iam verò vena caua ſurſum in caput delata plures, & quaſi infinitas venas cerebro, & membranis offert, in quas dum ſanguis pro cerebri nutritione defertur, vbi roris in modum ſpargitur, vt fiat alimentum, etiam ſeroſus humor exit, qui virtute expultrice expellitur, per cerebriq; ſubſtantiam, quæ alba eſt, diua-
C gatur plurimum.

Et tandem ab ipſa extrapellitur, deorſumq; cadens colligitur in amplam quandam cauitatem in oſſe phœnoide, exculptam, tenuiſſimaq; membrana obductam, & ibi videtur veluti aqua lucidiſſima, quæ ab albedine cerebri veluti depurata ſit; huius autem portio aliqua in oculos fertur, quia via hinc ad ocu-
D los propinquiſſima eſt, cum ad angulum internum, & magnum, os iſtud foramina quædam exculpta habeat, per quæ in oculum transferri poſſit.

Hac quidem humiditate non modò ſcatent oculi, ſed circumuicinæ partes, & huiuſmodi humor eſt, qui in affectibus animi per lachrymas effunditur, ita vt materia lachrymarum nihil aliud ſit, quàm ſeroſa materia in hepate genita, quæ in cerebro clarior reddita, & quaſi
E depurata ad oſſis baſilaris, ſeu ſphœnoidis cauitatem colligitur, continuoque per nares, & palatum expurgatur.

Per foramen tamen ipſius ad angulum oculi internum transfunditur, totum oculum ſemper madidum, & irroratum reddens exterius, hoc eſt in illa cauitate, vbi continetur, ad externam

ſui

ſui ſuperficiem, in qua pinguedo, glandulæ, & muſculi reperiuntur, nihilominus in membranas non ingreditur, proinde ſemper paratus eſt ad lachrymas efficiendas, intus autem retinetur à glãdula illa, quæ ad oculi angulum eſt magnum.

Hæc eſt igitur opinio, quàm de materia lachrymarum, de loco vbi colligitur, & de vijs, per quas exit, habemus, qua ſtante opus eſt, vt videamus, quæ cauſa ſit, cur ab oculis perpetuò lachrymæ effundantur.

## DE CAVSIS LACHRYMARVM.

Cauſæ plures eſſe poſſunt tam externæ, quàm internæ: externæ quidem quæcumq; lædendi, vulnerandiq; facultatem habent; à quibus oculus debilitatur, qui debilitatus facilè excrementum hoc recipit.

Addatis, quod debilitas oculis euenire poteſt, etiam ab alijs cauſis, nempe à mala conformatione, à nimia glandularum laxitate, præcipuè illius, quæ ad angulum magnum, eſt poſita, quia vbi relaxata eſt, nec oſſis orificio rectè correſpondet, facilè humorem hunc in ſe admittit, vbi cùm retineri nequeat, vt ad genas, & faciem cadat, neceſſe eſt.

Cæterum mala intemperies, quæ dolorem inducit, ſiue hæc à cauſa interna, ſiue externa excitata fuerit, poteſt eſſe cauſa lachrymarum, quia quando adeſt dolor, & calor, oculus ad ſe trahit.

Eandem intemperiem, & dolorem tã externæ, quàm internæ cauſæ excitare poſſunt, inter quas vẽtus eſt borealis, fumus, vel medicamentum mordicans oculo applicitum, & quicquid mordendi, ac dolorem inducendi facultatem habet extrinſecus irruens; vt eſt etiam vini generoſi ingurgitatio nimia, & aſſidua: frigiditas etiam aeris diuellendo eſſe poteſt lachrymarum cauſæ.

A Ad internas cauſas referuntur eæ, quæ partem affectam, partem demandantem, partemq; generantem à proprio naturali ſtatu recedere faciunt; vt vbi in oculo glandula, vel non adeſt à primordio generationis, vel poſt ortum, vel aliquo accidenti fuerit ablata (quemadmodum Auicennas ſcribit contingere in ablatione vnguis, quę fit opera manuum) aut malè conforma-
B ta, aut intemperie affecta ſit; vt ſuo retinendi officio fungi nequeat.

Ceterum cum dictum ſit cerebrum eſſe membrum demandans, quod intemperie affectum non poſſit retinere quantum opus ſit, hinc Auicennas dicebat ipſum eſſe principium huius humiditatis, non quidem generatiuè, ſed alteratiuè, quemadmodum à nobis fuit expoſitum.

C Poteſt eſſe etiam vitium ex parte membri, in quo generatur, quod intemperatum ſit, adeo vt ſerum mordacitatem acquirat, ex qua contingat virtutem cerebri expultricem ſtimulare, & earum partium, ad quas tranſmittitur, quod vbi ad oculum venerit, mordacitate ſua dolorem inducat, atque retentricem ipſius glandulæ labefactet.

D Hinc eſt etiam, quod oculi ſenum lachrymantur, propter acrimoniam, & ſalſedinem humoris, quamuis ſæpius contingat propter debilitatem oculorum.

Quod autem ex mordacitate humoris lachrymæ fiant, teſtis locupletiſſimus eſt Auicennas, qui lib. 3. fen. 3. tract. 2. cap. 26. ſcribit in febribus acutis lachrymas prouenire, in quibus ce-
E rebrum ſit apoſtemate calido affectum, aut malè intemperatum.

## DE SIGNIS LACHRYMARVM.

Signa, quæ lachrymas adeſſe demonſtrant, ab ipſo ſenſu petita ſunt, quia vnuſquiſq; facilè id cognoſcit, ſed quæ cauſas demonſtrent, non

ita clara ſunt, niſi vbi cauſæ fuerint pri-mitiuæ, & exteriores, quemadmodum ſi vnguis operatione chirurgica ablatus fuerit, inde ſequatur lachryma, iam eſt ſignum fuiſſe glandulam lachryma-lem, vel ablatam, aut ſaltem læſam: ſi ex mala oculi conformatione eueniat, facilè etiam ex ipſa conformatione co-gnoſcitur.

Atque ſi ratione intemperiei, aut de-bilitatis oculi euenerit, lachryma mo-dò in pauca copia, modò in multa fluit: vbi verò ratione multitudinis excremé-ti contingit, caput grauatum percipi-tur, & ad nares, atque oculos humor in maxima copia confluit: atque ſi eueniat ratione humoris acredinis, id conijci poterit ex corporis habitu, ex ante acta victus ratione, quæ potuerit generare humores calidos, atq; hepar magis ca-lefacere.

## DE FVTVRO EVENTV Lachrymarum.

Quod ad prædictiones ſpectat, quã do lachrymæ fiunt ob priuatio-nem carunculæ anguli maioris, vel ob eius læſionem, omninò incura-biles ſunt.

Qui ab infantia hunc morbum con-traxerunt, ijs omninò ſunt incurabiles lachrymæ.

In febribus acutis non curantur, niſi capitis intemperies, aut apoſtema prius curetur.

Qui ratione intemperiei oculi, aut doloris in lachrymas incidunt inuolun-tarias, poſſunt curari; quemadmodum & illi, quibus lachrymæ eueniunt ra-tione humoris acredinis, ſiue id à ſalſæ pituitæ, aut bilioſi humoris admixtio-ne contingat.

A ## DE CVRATIONE LACHRY-marum.

Qui non recipiunt vllam curatio-nem, non debent attingi, debet-que probus medicus ægrotanti ſuam hanc calamitatem humaniter prædicere, neq; illi polliceri, quæ ex arte fieri nequeunt, vt iniuſtè pecuniæ extorqueantur. Atque illi, qui ſunt cu-

B rabiles, à medico ſunt multa diligentia curandi, quod fiet cognita huiuſmodi affectionis cauſa.

Nam ſi contingant lachrymæ ratio-ne ſeroſæ materiæ nimis calidæ, aut ad mixtionis ſalſæ pituitæ, vel bilis acris, tunc omni ingenio curare debet, ne humor talis in corpore amplius gene-retur, ille verò, qui genitus iam eſt, in-hibeatur, ne in oculum ferri queat.

C Atque humoris peccantis genera-tio per decentem victus rationem pro-hibebitur, quæ facilis coctionis ſit, non nihilq; refrigerandi facultatem habeat, quando vel ſerum ſit mordax, vel ad-mixtam habeat bilem.

Si verò pituita fuerit ſalſa, vt aliqua attenuandi facultate polleat, in alijſq; rebus non naturalibus moderatè agen-

D dum. Galen. 4. de comp. med. cap. 8. ſcribit in principio fluxionum parcita-tem cibi, & potus conuenire, aquæ po-tum, tandem, rerum venerearum ab-ſtinentiam.

Motuſque eſt euitandus immodera-tus: frictiones circa brachia, & crura, dorſumq; ſunt optimum medicamen-tum. Pro potu ſit aqua ſimplex, vel cum cinnamomo, vel ſacchar͡o, aut alia

E re, quæ grata ſit guſtui.

Clyſteres conueniunt, tam remolli-entes, quàm etiam expurgantes, ſeu ſubducentes, adhoc vt à capite mate-riam reuellant, qui autem ſint tales cly-ſteres, ſepiſſimè audiuiſtis.

Quod ad pharmaciam ſpectat, & chi-rurgiam, ambæ in hoc conueniunt, quia inhibent peccantem materiam

me-

ne fluat in oculum, & ipſam è corpore extra ducunt, quamuis alia, & alia ratione; nam pharmacia educit qualitatem humoris per ſeceſſum; chirurgia verò tollit nimiam omnium humorum, ſed ſanguinis potiſſimum, quantitatem.

In hoc caſu conſiderare oportet, an vitium ſit ratione ſeri, quod ſi ita eſt, nulla facta præparatione curate ipſum extra corpus educere, primò purgando corpus cum his, quę poſſunt per ſeceſſum educere, quemadmodum ſunt plura medicamenta, inter quæ pilulæ cochię, aggregatiuæ, & arabicæ, & ex agarico, & rhabarbaro factæ, & alia huiuſmodi ſunt, quæ eandem habent facultatem expurgãdi humores ſeroſos.

Factaque expurgatione ſtatim omni curandum eſt ingenio, vt ſerum extra corpus per viam maximè competentẽ, nempe per renes ad veſicam ſubducatur, inter quæ eſt.

Syrupus ex quinq; radicibus.
Byzantinus,
De Iuã, & Bettonicã, cum quibus ad idi poſſunt decoctiones quædam factæ.
Ex radicibus acori.
Cichorij,
Liquiritiæ,
Apij,
Aſparagi,
Petroſelini,
Graminis,
Fœniculi,
Ruſci,
Ex folijs capillorum veneris,
Aſari,
Cuſcutæ,
Eupatorij,
Fumo terræ,
Hyſſopi,
Ex ciceribus rubeis.

Itaq; ex his poteſtis parare decoctionem, cuius.

℞. vnc. iij.
Syr. de quinq; radicibus,
Byzantini, ana vnc.j. miſce.

Pro ſyrupo in aurora offerendo, pro

A vt opus vobis fore videbitur. Hac ratione educetis humorem ſeroſum è corpore, qui vbi non cedat vnicę expurgationi, vt ſæpè contingit, iterate alteram, deinde ad localia properandum eſt, de quibus mox agemus.

At ſi ſimul cum ſeroſo humore, vel bilis, aut pituita ſalſa peccauerit, curandum eſt eam extra corpus educere per medicamenta cholagoga, & phlegmagoga, de quibus ſæpius actum eſt.

B Cæterum humor pituitoſus eſt alterandus, attenuandus, atque incidendus, & aliqua ex parte refrigerandus. Qui autem ſyrupi, qualiaue apozemata ipſum alterare valeant tam in toto, quàm in capite, multoties à me audiuiſtis.

Expurgato corpore optimum eſt cerebrum corroborare cum theriaca, mithridatica confectione, & plire ſarcoti

C co cum muſco, ambra, & huiuſmodi.

Deinde tempeſtiuum eſt ad localia deuenire, ſi prius tamen vos admonuero, quid facto opus ſit per chirurgiam, quæ adminiſtranda eſt, quando adeſt indicans ſanguinis mittendi, nempe vitium, vel inquantitate, aut in motu; tũc enim euacuationis, vel reuulſionis, aut deriuationis cauſa mittite ſanguinem.

D Dicebat Gal. prçcitato loco, quod quãdo augetur fluxio, mittẽdus eſt ſanguis, vt quãdo adeſt ſimul cum lachrymis inflammatio; tunc enim temporis, quia ſanguis nimium quàm par ſit, in oculum fluit, reuellendus eſt, atque deriuandus.

Sunt qui proponunt cauterium tanquam ſingulare reuulſiuum medicamentum, ad ceruicem, poſt aures, &

E in ſinciput.

Quod ad localia attinet medicamenta, hæc in genere debent habere facultatem reprimendi, & eo magis in epiphora calida, ideo Gal. à principio applicabat fronti folia vitis viridia, ſæpeque iterabat. Cæterum iubet totam faciem aqua frigida eſſe abluendam, vel ſola, aut aceto admixta.

Probat quoq; ſuccum expreſſum à prędictis folijs cum modico farinæ hordeaceæ. Myrti quoq; ſuccus, vel lentiſci, aut rubi, vel braſſicæ idem præſtant.

Eadem intentione oculis medicamẽta ſunt applicanda, quæ fluxum huius humoris compeſcant, & oculum corroborare queant. Galenus probat oui album cum lana ſuccida, vel oui luteum aſſatum, vel etiam melilotum in paſſo concoctum, oculoq; læſo applicitum.

Legatis.8 cap. de comp.med. per g. vbi videbitis in ſumma ea laudare, quæ reprimendi, ac adſtringendi facultatem habent; nam ſua frigiditate reprimunt, ſiccitate autem conſumunt, atque ſua facultate adſtrictoria oculum corroborant, & conſtringunt.

Sed quoniam epiphora alia eſt calida, alia non item calida, ſed potiùs frigida, non poſſumus iiſdem auxilijs in vtraque vti; nam frigida ſunt calidis admiſcenda in frigida epiphora, ne poſſit materia magis condenſari, ſed inhiberi, ne fluat in oculum tanta humoris copia: proinde in frigida mihi maximè probatur illud medicamentum, quod noſter Raſis proponit.

℞. thutię, drach. x.
Corallij rubri,
Myrobalani citrini fricati,
Aloes, ana drach. ij.

A Piperis, drach. ſſ.

Ex his fiat puluis, qui aſſiduè in oculum immittatur, aut ſaltem ex eo accipiantur drach. ij. aut iij cum vnc. ij. vini, & quatuor aquæ fęniculi ad collyrium faciendum, & in oculum inijciendum guttatim.

Probatur etiam in huiuſmodi epiphora lana ſuccida in vino auſtero immerſa, & oculo applicita.

B In epiphora calida probatur aqua roſacea cum albumine oui exagitata, & modico omphacij, ſæpeq; oculo applicata, vel loco aquæ roſaceæ ſuccus, ſeu vinum granatorum optimum eſt præſidium.

C Melilotum quoque in aqua roſacea ſimul cum aliquot capitibus papaueris decoctum ſummè probatur ad modum collyrij.

Poteſt etiam huiuſmodi collyrium applicari.

℞. aquarum myrobalanorum,
Roſarum,
Plantaginis, ana vnc. ij.
Myrobalanorum belliricorum ſ. p.
Coralliorum rubeorum, ana drach. j.
D Margaritarum perforatarum,
Spicæ indæ, drach. ſſ.
Tuthiæ præparatę, drach. ij.
Croci, ſcrup. ſſ.
Miſce, & fiat collyrium.

Hæc ſunt, quę epiphoræ conueniunt.

# DE DIMINVTIONE CARNIS LACHRYMALIS.

## CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

CVm ſermo eſſet de cauſis lachrymarum, inter alias attulimus ablationem illius carunculæ quæ ad angulum eſt internum, ideo quia non ſolùm auferri poteſt ab oculo, & proprium morbum efficere, verum etiam quandoq; adeo increſcit, vt ſupra oculum emineat, prima affectio rhœades à Græcis dicitur, Auicennas diminutionem vocat carnis lachrymalis: altera verò è contra enchantis à Græcis, ab Auicenna diminutio eiuſdem carnoſæ ſubſtantiæ appellatur.

De iis in præſenti, & breuiter quidem à nobis agendum proponitur, vnde ſcire debetis naturam in magno vtriuſque oculi angulo carunculam quandam appoſuiſſe duplici ratione, quemadmodum Gal. x. de part. vſu ſcripſit; prima, vt in ſe humorem à capite illabentem recipiant, atq; in nares exprimant: ſecunda, vt inhibeant, ne per os phenoidis hac in parte exculptum materia ad oculos continuò tranſmittatur.

Iſtæ ſunt vtilitates, quas caruncula ad angulos internos exiſtens præſtat, vbi igitur, vel ablata eſt, aut diminuta huiuſmodi caro, tunc inconuenientia prædicta contingunt, atque vbi immoderatè concreſcit alia affert, incommoda, de quibus paulò infrà.

Videamus igitur primò, quid ſit affectio hæc: eſſe igitur poteſt morbus in conformatione, vel in magnitudine diminuta, & eſt quando ex toto non ſit ablata, ſed ipſius quantitas diminuta; vel eſt morbus in numero diminuto, quia vna pars oculi deficit, quæ neceſſaria eſt, nempe caruncula lachrymalis dicta.

B

### DE CAVSIS DIMINVTIONIS carnis lachrymalis,

CAuſa ipſius eſſe poteſt interna, vel externa, ſiue eueniat à primordio generationis, vel poſt, ob aliquod erratum, quemadmodum exempli gratia, cauſa interna eſt nimia in humoribus acredo, quæ ipſam ex toto erodat, vel aliquam ipſius partē auferat,

C

A cauſa externa etiam prouenire poteſt, vt pote à mala acrium medicamentorum applicatione, & quemadmodū ait Auicennas, ex mala operatione à chirurgo facta in pterygij curatione, aut alterius oculi affectionis opera manus egentis.

### DE SIGNIS DIMINVTIONIS. carnis lachrymalis.

D

SIgna adeo manifeſta ſunt, vt nullam ad ſui notitiam, declarationem requirant, quia medicus exercitatus, & præſertim in ipſa anatome agnoſcit carunculæ defectum, aut ipſius diminutionem.

### DE FVTVRO EVENTV diminutionis carnis lachrymalis.

E

QVod ad prognoſtica attinet, vbi caruncula ex toto ablata fuerit, non eſt aliquid de ſanitate benè ſperandum, cum caſus ſit deploratus, atque ſi fuerit exeſa aliqua ex parte, ita vt eius quantitas ſit diminuta, reſtaurari poteſt.

Eſt

Eſt tamen notatione dignum, quod huiuſmodi caruncula conſtrũcta eſt ex ſanguine, & ſemine, proinde non poteſt tota reſtaurari, & in illa perfectione, quia ſeminales partes ablatæ nequeunt denuò reſtaurari, at benè carnea pars poteſt denuo regenerari.

## DE CVRATIONE DIMINVtionis carnis lachrymalis.

IN curatione nõnihil eſt, vt dicamus de victus ratione, aut medicamentis, quia non poſſumus rectè, & vt artis eſt, adminiſtrare localia medicamenta, niſi totum corpus reſpiciamus, ipſum nutrientes idonea victus ratione, atque à prauis humoribus ſimul expurgantes, & quando opus eſt ſanguinis miſſione per venarum exciſionem ipſum auferentes, quibus omnibus verè factis, tunc localia ſunt admouenda.

Sed quoniam in præſenti curatione agitur de reſtauratione partis carnoſæ, localia eſſe deberent talia, qualia 3. meth. med. cap. 3. ſcribit Gal. nempe quod habeant facultatem abſtergendi, atq; exiccandi; nam cum in quouis vlcere duo generari excrementa decreuerit, tenue, atq; craſſum, medicamenta deberent duo hæc excrementa conſumere abſtergendo, & exiccando: at quę abſtergunt, auferunt craſſum excrementum, ſordem appellatum, quæ verò exiccant conſumunt aquoſum, & tenue, quod ichor ab eadem Galen. vocatur.

Sed in hoc caſu nullum ex iſtis excrementis reperitur, non erit igitur opus hiſce vti medicamentis, ſed cum ad carnis generationem requiratur cauſa materialis, quæ eſt ſanguis, & temperies partis, rationem habentes efficientis, quibus ambobus ſuppoſitis ſtatim;& ex neceſſitate ſequitur & carnis generatio, ideo in hoc caſu medicamẽta talia eſſe debẽt, vt partis intemperiẽ

A tollant, humoremq; acrem, & mordacem, ita attemperent, vt benignum ipſum reddant.

Huiuſmodi autẽ ſunt, quæ refrigerandi facultatem habent, quæ non modò humorem affluentem reprimunt, ſed intemperiem calidam auferunt: quoniam autem ſanguis, vt conuertatur in carnem, opus eſt, vt congeletur, aut condenſetur, ideo medicamenta debent eſſe adſtringentia, vt verò caro re- B digatur ad carnis durioris naturam, debent eſſe adhuc pauló adſtringentia, quare frigida, & adſtringentia eſſe oportet, ſed vt à principio moderatè adſtringant, in fine verò ſint vehementioris adſtringentiæ.

Valent igitur collyria illa communiſſima, quæ nardina ſunt dicta, quæ ex glaucio, & croco, cum vino auſte- C ro parantur. Paulus Aegineta probat alumen cum vino adſtringenti. Vos poteſtis parare cum huiuſmodi rebus collyrium.

℞. aquæ roſarum;
Vini, quod vocant aſprinum, ana vnc. ij.
Tuthiæ, enutritæ,
Gallarum immaturarum, ſ. p.
Corticum granatorum, ana drach.
D j. ſſ.
Succi acaciæ,
Plantaginis, ana vnc. ij.

Miſce pro collyrio, in quo madeant filamenta, quæ parti ſemper applicita relinquantur.

Ad huiuſmodi intentionem poteſtis ebullire roſas in vino prædicto.

℞. huius vnc. iiij.
E Croci ſcrup. j.
Aloes drach. ſſ. Miſce.

Vbi verò iam genitæ eſt caro, quæ compactione egeat, ebullite cum vino, & roſis alumen integrum, & gallas immaturas: vel poteſtis componere tale collyrium.

℞. ſucci acaciæ,
Prunellorum,

Suc-

Succi mororum, ana vnc.ſſ.
Aquæ cuſpidum roſarum,
Vini auſteri, ana vnc.j.

A Margaritarum combuſtarum,
Cornu cerui vſti, ana drach.j.
Miſce pro collyrio,

# DE MAGNITVDINE CARNIS LACHRYMALIS.

## CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Qvemadmodum rhœas, affectus eſt præter naturam anguli interni oculi, in quo, vt audiuiſtis, vel diminuta eſt ipſius caruncula, aut ex toto ablata; ita è contra enchantis eſt affectus præter naturam eiuſdem anguli oculorum interni, in quo glandula immoderatè eſt adaucta. De hac loquens Auic. cap. 16. inquit adeo magnificari, vt prohibeat viſum.

Eſt igitur, quod ad naturam affectus attinet, nihil aliud quàm carunculæ angularis, ſeu lachrymalis immoderata actio, eſtq; ſymptoma in genere magnitudinis huius partis, nimium adauctæ.

### DE CAVSIS MAGNITVDINIS carnis lachrymalis,

Hvius affectionis cauſa eſt copia ſanguinis in hunc locum fluentis, aut à parte affecta attracti, qui à valida facultate ipſius carnis conuertitur in propriam ſui ſubſtantiam, ita vt hęc ipſa, nimis quàm par ſit, augeatur.

Aliquando contingit ipſam relaxari, vt ſanguinis maiorem copiam admittat, quàm requiratur pro ſui nutritione, qui tandem in eius naturam conuerſus eiuſdem adauget magnitudinem.

### DE SIGNIS MAGNITVDINIS carnis lachrymalis.

Signa tam manifeſta ſunt, vt non egeant verbis, quia vnuſquiſq; qui cæcus non ſit, poteſt videre nimis auctam eſſe hanc partem, proinde egere ſui ablatione.

C

### DE FVTVRO EVENTV magnitudinis carnis lachrymalis.

Qvod ad prædictiones ſpectat, quoties ritè, & vt decet, à medico, & ab infirmo tractetur, neq; negligatur, poterit omninò curari, & facilius mea opinione, quàm diminutio.

D

### DE CVRATIONE MAGNItudinis carnis lachrymalis.

In curatione affectionis huius, habenda eſt totius corporis diligens prouidentia, per victus rationem, quæ parca ſit, & ferè tenuis, nonnihilque adſtringendi, & exiccandi facultatem habeat. Pro potu abſtinendum eſt à vino toto tempore curationis. Vtendumq; ſæpè clyſteribus validioribus ſub trahentibus, & à capite reuellentibus.

Per pharmaciam oportet ab excrementis corpus euacuare, ne in oculum ea ferantur. At quidem per chirurgiam vniuerſalem debemus euacuare ſan

gui-

guinem, quia ipſum quantitate peccare ſupponitur.

Sed non modò euacuare tentandum per venam ſectam in brachio ad cubitũ, ſed etiam prohibere, ne in oculum feratur, ideo reuellendus eſt cum cucurbitulis ad ſcapulas, ad dorſum, ad ceruicẽ applicitis.

De localibus verò medicamentis loquitur Auicennas dicens curari per inciſionem, ſed cum hac animaduerſione, vt curemus tantùm auferri ipſius magnitudinem peccantem, præcauentes ne tota glandula auferatur, quia incideremus in contrariam affectionem à nobis iam dictam, ideo qui huiuſmodi carunculam diminuere cum inſtrumentis tentat, debet omninò diligens, & accuratus eſſe.

At vbi fuerit amputata caruncula, curandum eſt, vt applicentur repercutientia, vt eſt albumen oui cum roſacea: in cæteris ipſam, vt decet, rractare debemus.

Sed dicet quis, ſi patientes perferre nequeant ſectionem, poſſit ne è medio localibus medicamentis auferri? poſſet **A** quidem, ſed medicamentis, quæ à Paulo Aegineta, & Gal. ſeptica, atq; cauſtica appellantur: ſeptica ſunt illa, quæ mordendo carnem conſumunt, de quibus Gal. agit lib. 1. de ſimpl. med. facult. cap. 15. & eſt auripigmentum, arſenicum, & huiuſmodi, ſed hæc tantummodo execunt carnem molliorem, quibus blandè admodum agendum, ac vbi caro indurata fuerit, deueniendnm **B** eſt ad cauſtica, quæ adeo calida ſint, craſſæq; ſubſtantiæ vt non ſecus atque ignis eſcharam inducant.

Cauſticum illud à Ioanne à Vigo propoſitum, in quo opium ingreditur, optimum eſt.

Soleo ego cum aqua illa, quam ex **C** ſapone faciunt ſecundinam appellatam cauſticum componere, quod ſine aliquo morſu, ne dicam dolore, carnem conſumit, eſcharam tamen inducendo, quæ vbi inducta eſt, curandum, vt cum ſuppurantibus auferatur. Cæterum, vt decet, vlcus curetur: & hæc de rhœade, atque enchantide ſint dicta, veniamus ad anchilopem, & ægilopem, **D** de quibus infra.

---

# DE ANCHILOPE, ET AEGILOPE.

## CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

POſtquam mentionem habuimus de affectionibus præter naturam carunculę lachrymalis, quæ ad angulum oculi internum eſt, nunc cõſequutione quadam ſermonis videtur nobis non eſſe præter rationem, & præter vtilitatem veſtram, pertractare adhuc hiſtoriam cuiuſdam præternaturam morbi ſatis vulgaris, qui & ipſe nõ procul à prædicta caruncula euenit.

Quæ affectio non eodem ab omnibus **E** Græcis donatur nomine; nam Gal. 5. de comp. medic. per g. c. 2. appellat eam ægilopem, Gal. ſequutus eſt Alexander Trallianus lib. 2. cap. 4. Paulus verò Aegineta appellauit ægilopem quidem, quando tumor adeſt, ſeu iam abſceſſus eſt factus, quaſi quod anchilops ſit via ad ægilopem, & anchilops ſit tuberculum quoddam abſq; abſceſſu ægilops verò cum abſceſſu.

Aetius autem lib. 7. cap. 85. conuenire videtur cum Paulo in ægilope determinando, ſed ſi legatis ipſum cap.

87. videbitis non idem ſentire,ac Paulus de anchilope, quia vult in eadem parte, in qua fieri conſueuit ægilops, colligi materiam quandam pultaceam membrana obuolutam; eſſeq; veluti ſpeciem quandam atheromatis, aut meliceridis.

Sed hæc non ſunt multi momenti, quia quæſtiones de nominibus ſunt, quas certè ſcire conuenit ijs, qui publicè profitentur,quamuis ad curationem parum faciant, cum tamen alio modo curetur tuberculum, vbi materia colligitur in tunica, quàm vbi non colligitur.

Auicennas quoq; viſus eſt & ipſe facere aliquam differentiam; nam cap. 14. 3. fen. lib. appellauit affectionem illam garab, vbi adeſt fiſtula, vbi verò nondum adeſt, appellauit tumorem lachrymalem, & etiam hachilum, ſeu apoſtema.

Aliqui ſequentes Arabum doctrinam appellant ægilopem fiſtulam, lachrymalem: facilioris igitur doctrinæ cauſa ſequemur Pauli, & Auicennæ ſententiam, dicentes anchilopem eſſe tuberculum quoddam nondum exulceratum, neq; adhuc adeſſe fiſtulam, ægilopem verò appellabimus tuberculum inter angulum domeſticum oculi, & angulum ipſius naſi iam exulceratum, ſub quo os eſt detectum.

Vnde pulchrè Auicennas de vtroq; loquens dicebat, & quandoq; eſt exitura botoralis faciens collectionem, & non diſrumpitur, & quando rumpitur, facit fiſtulam ſecundùm plurimum:hæc igitur eſt forma, ſeu natura præſentis affectionis.

## DE CAVSIS ANCHILOPIS, & Aegilopis.

Cauſa huius affectionis eſſe poteſt, vel humor, vel excrementum: humor quidem non ſimplex, ſed pitui-

A tofus ſanguini admixtus: vnde dicebat Aetius eſſe tumorem inflammatorium, inflammatio verò eſt tumor à ſanguine, & Gal. appellauit tumorem hunc abſceſſum, atque abſceſſus ipſo docente 14. meth.med.& libello de tumoribus ſunt diſpoſitiones quædam, in quibus corpora, quæ prius ſe contingebant, ab inuicem recedunt, inter quæ materia quædam continetur.

B Hęc autem diſpoſitio bifariam fit, primo modo, quando nulla præcedente inflammatione per aliquod colligitur; alio modo, quando iam inflammatio præcedit, quemedmodum in præſenti contingit caſu, præcedente inflamma tione.

Materia, quæ hic colligitur, paulatim putreſcit, ac diu ibi retenta,

C ſubiectum os detegit, quia acrimoniam acquirens ſubiectas membranas corrodit, viamq; ſibi ad os vſque parat, quare cauſa huius eſt humor ſanguineus ſimul cum pituitoſo, aut etiam melancholico.

Poteſt etiam fieri ab excremento ibi collecto, vnde Gal. 14. meth. med. cap. 12. ait colligi excrementa in abſceſſibus quibuſdam, à quibus fiunt melicerides,

D atheromata, & ſteathomata, & quod magis eſt, dicebat hos excrementitios humores tandiu in partibus hiſce contineri, quouſq; conuertantur in pilos, oſſa, carbones, & huiuſmodi, quæ vulgares incantationis vi fieri putant.

In hoc autem caſu cum diu continentur, putreſcunt, acrimoniamq; acquirentes, non eſt mirum ſi partes, ſubiectas corrodant, indeq; vlcus, & vt ait

E Auicennas, fiſtulam faciant, aliquando etiam ſubiectum os corrumpant.

Ex his ſatis apparere exiſtimo tumorem hunc fieri poſſe ab humoribus, & etiam ab excrementis redolentibus humorum naturam.

## DE SIGNIS ANCHILOPIS, & Aegilopis.

Signa aliqua à ſenſu deſumuntur, ſicuti eſt pars prædicta, vbi à ſuo ſtatu recedit, & eleuatur tuberculi in modum; aliquod etiam per tactum percipitur, quemadmodum docet Auicen. quia nonnunquam contingit ad-eſſe quidem tuber exiguum, quod etiam ad tactum quaſi ſubmergitur.

Sed tamen vbi quis digito hanc partem attingit, percipit veluti quandam depreſſionem, quæ ad digiti ablationẽ augeri, & ſubcreſcere videtur; percipitur etiam quibuſdam indicijs, vt eſt dolor, premitus, præcipuè ſi tumor inflammatorius ſit, atque ſi non fuerit inflammatorius, ad tactum ſentitur inæqualitas, quæ hinc inde mouetur.

Sed quando vlceratus eſt, omnibus apparet, quia pus ſenſibiliter exit: quando verò os detectum eſt, percipitur à fungoſitate quadam, quæ ſupra vlcus ſentitur, labraque vlceris eleuata ſunt, neq; vmquam vlcus conſolidari poteſt, idq; manifeſtius per ſpecilli intus appoſitionem exploratur: hæc ſunt huius affectionis notæ.

## DE FVTVRO EVENTV Anchilopis, & ægilopis.

Veniamus ad prædictiones, affectio quidem eſt difficilis curatio nis, quamuis ſi quis à principio morbum non negligat, non eſt tam difficilis curatu, ſed talis redditur, propterea quod ſæpè producitur abſque dolore, aut ſaltem cum dolore admodum exiguo.

Hinc eſt, quod ægrotantes rem ipſam paruipendunt, exiſtimantq; morbum nullius momenti, & qui ſua ſponte poſſit curari: vbi cum vlcere adeſt, longè difficilius curatur, atque ſi cum, oſſis detectione, aut corruptione fuerit, vix credibile eſt poſſe ipſum abſq; A ferro, aut igne curari.

Et ego obſeruaui aliquos, qui non auſi ſunt permittere chirurgo, vt ferrum adminiſtraret; tandem in inflammationem totius faciei, & capitis incidentes miſerrimè interempti ſunt; quare non eſt hic morbus negligendus, ſed maxima cum diligentia curandus.

B

## DE CVRATIONE ANCHILOPIS, & ægilopis.

Quod ad curationem ſpectat, opus eſt vti bona, & decenti victus ratione, ac pharmaciam adminiſtrare, quæ & humores peccantes, atque excrementa è corpore abijciat: ſanguinem quoq; per venam ſectam, per cucurbitulas, per hirudines C extrahere oportebit, prout iudicabitis opportunum eſſe, vel euacuandum, aut reuellendum, aut deriuandum, quod ex regulis pluries allatis facillimo percipietis negocio.

Tandem deueniendum eſt ad præſidia localia, in quibus applicandis, & adminiſtrandis opus eſt diligentia; nam vbi tumor ſolummodo abſque vlcere adeſt, curandum eſt, vt materia, D quæ intus eſt, reſoluatur per inſenſibilem halitum, hoc eſt dictu in anchilope applicanda ſunt reſoluentia, inter quæ emplaſtrum, eſt ex cimino, emplaſtrum, ſeu vt melius dicam ceratum, diachylonis albi, diachylonis magni. In hoc caſu præſtat diapalma, quod eſt Galeni diaphœnicium.

Aetius, quia exiſtimauit materiam collectam eſſe in quodam folliculo, quæ E diſſipari nequit, niſi ablato folliculo, iubet, cauſticũ aliquod applicetur, quod eſcharam inducat, quę poſſit ipſum aperire, atq; auferre materiam, quemadmodum fieri conſueuit in abſceſſibus prædictis, nempe in atheromate; ſteathomate, atque meliceride, in quibus materia nec ſuppurari, neq; reſolui poteſt, ideo opus eſt cutem aperire, atq;

eam

eam inſtrumentis ferreis educere.

Sed parcat mihi in hoc Aetius: experientia rem non ita ſemper ſe habere demonſtrauit, quia aliquando eſt obſeruatum diaphoreticis medicamentis materiam reſolutam fuiſſe; vnde Galen. 5. de comp. med. applicandum eſſe tale medicamentum iubet ex Archigenis etiam authoritate; accipit enim ſtaphidem ſylueſtrem, quæ eſt herba pedicularis, ammoniacum, thimiama, & cum melle efformat medicamentum ſplenij in modum. Maximè etiam probat lanam ſuccidam in ſanguinem leporis marini intinctam.

Signum igitur eſt, quod huiuſmodi tumor poſſit curari abſque cauſtici appoſitione ex Gal. ſententia, atq; ſi adſit inflammatio, non eſt hiſce præſidijs attingendus, ſed ijs, quæ facultatem habeant ipſam reſoluendi, aut ſuppurandi.

Mihi maximè probatur communiſſimum illud emplaſtrum, quod Zacchariæ filio adſcribitur, quia & dolorem mitigandi facultatem habet, atque ſi opus ſit etiam ſuppurandi.

Placet etiam emplaſtrum, quod Capiuaccius deſcribit ex pane trito, lacte, atq; roſaceo factum, cui aliquando crocum, ſæpè etiam & thus addendum: ſed quando exulceratus tumor eſt, curetur cum his, quæ facultatem abſtergendi, & exiccandi habent, quæ certè negotium chirurgicum requirunt.

Atque ſi os detectum fuerit, aut certè affectum, quamuis à ſcriptoribus plura deſcribantur medicamenta, credatis fieri non poſſe, vt ad ſanitatem vnquam perducatur, niſi ferro, atque igne. Vbi locus aduſtus fuerit, oſq; corruptum ablatum, tunc ſarcoticis, & deinde epuloticis medicamentis vtendum.

Atqui ne deficiant medicamenta, quibus experiri poſſitis, antequam ad ignem deueniatis, propono vobis duo ab Alexandro Tralliano deſcripta, quibus mirum in modum Altimarus confi-

A dit, vnum eſt halica ex aceto cocta applicata, atque ſæpè mutata, quo Alexander profitetur ſe curaſſe ſummè inueteratos ægilopes.

Alterum eſt membrana arundinis interna, præcipuè illa, quæ circa nodos rotunda inuenitur, quam melli inijcere oportet, atque intus vlcus ad os vſque ponere, deinde auferre, & vlcus mulſa abſtergere, quaterque

B in die medicamentum mutare, quamuis dicat membranam hanc abſq; melle impoſitam adeo perfectè operari, vt de ſe admirationem pariat.

Sed ſi vultis me verum fateri, nunquam miracula hæc videre potui; animaduerti oprimè non poſſe ſanari huiuſmodi affectionescum oſſis corruptione, niſi quando ferro ignito totum os corruptum ambuſtum, & ablatum fue-

C rit.

Quare admoneo vos, vt quando per cipitis os carioſum, non credatis iſtis circulatoribus multa pollicentibus, & curate, vt quam citò locus aduratur, aut ſaltem os vſq; ad internam narium capacitatem perforetur, quo materia eò fluens poſſit in nares transiundi, atq; expurgari: & hæc de ægilopis curatio

D ne.

His ſic examinatis iam principaliores oculorum morbos & qui frequentiſſimè medicis negotium faciunt, habemus relinquuntur quidam alij minus principales, qui exemplo prædictorum curari poſſent, ſed quoniam partes, quas ipſi obſident, diuerſæ ſunt, ideo & aliquam conſiderationem particularem ad perfectam oculorum morbo-

E rum hiſtoriam habendam profectò requirunt, quam per compendium adducemus.

Inter horum alios vnus eſt, qui communi omnibus partibus videtur, quem læſam viſionem appellant: deniq; alij q[illegible]unt ad muſculos, alij verò ad palpebras [illegible]ttinentes, de quibus agendum, ſeo primò de viſione læſa, in qua co[illegible]no

ſcetis vitia, & affectus præter naturam omnium humorum aquei nempe, cryſtallini, atq; vitrei.

Sed dicetis non ne morbi,ſi non omnes, quos recenſuiſti, ſaltem pro maiori parte lædunt viſionem? Veriſſimum eſt, at huiuſmodi morbi dicuntur viſionem lædere apparenter, quia omnibus conſtat exempli gratia ſuffuſionem, quæ eſt ante pupillam, omninò auferre viſionem, ſed in præſenti nos ſumus locuturi de læſione viſionis non apparente, quia effectus clarus eſt,nullus tamen morbus,nullaq; pars affecta oculis cernitur,quæ viſionem lædat,quemadmodum in prędictis.

Hanc igitur in præſenti inquirendã proponimus; nam cum viſio ſit actio totius oculi, non poteſt eam, niſi vt membrum organicum efficere; partes autem ipſius hoc ordine inter ſe ſunt conſtitutæ, vt vna ſit, cui actio primò, & per ſe debeatur, aliæ ſine quibus, a-
A liæ ad perfectiorem actionem, alię tandem ad conſeruationem requiruntur.

Ea pars,cui debetur actio, eſt cryſtallinus humor; ſine quibus, ſunt humor aqueus, vitreus, nerui optici, & ſpiritus: reliquæ autem partes,vt membranæ ex his etiam ſunt, ſine quibus fieri non poteſt actio, & aliæ ad meliorem actionem.

B Vnaquæq; harum partium affecta viſionem lædere poteſt, atque in membranis morbi impedientes viſionem apparentes ſunt, proprijſq; nominibus donantur, de quibus actum eſt, reliquæ autem partes, etſi vitia patiantur, quibus offenditur viſio, non apparent ſenſibus, nec propria habent nomina. De his igitur agendum eſt, quæ vt venemur, ad actionem læſam recurrimus,
C inſcribimuſq; hoc caput de actione videndi læſa, de qua Auicennas pertractat lib. 3. fen 3. tract. 4. cap. 20. & nos in ſequenti dicemus.

# DE VISIONE LAESA.

## CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Actionem omnem partium noſtri corporis poſſe tripliciter lędi, adeo manifeſtum, vt pro ipſius notione habenda nulla ſit opus verborũ congerie, nempe vitioſè, diminutè, & abolitè, viſio autem, de qua agimus, & ipſa poteſt tribus hiſce modis lædi abſque manifeſta læſione partium oculorum, quia quamuis ægrotantes conquerantur, vel de diminuta, aut vitioſa, vel abolita videndi actione, nihil tamen in oculis ipſorum conſpicitur,quod denotare medico poſſit huiuſmodi lęſionem, cogiturq; is relationibus ægrotantium fidem præſtare.

Huius rei ratio ex ipſius oculi conſti-
D tutione deſumpta eſt; nam membranæ, de quibus egimus,ſunt veluti ipſius oculi circumferentia, in cuius medio humores cõcluſos retinent,hoc ſeruato ordine, vt cryſtallinus in medio aquei, & vitrei ſit poſitus in anteriori oculi parte.

Sub cornea immediatè hic humor continetur aqueæ ſubſtantiæ quodammodo aſſimilatus,vnde appellatur ab aliquibus albugineus, non quod albumini ouorum ſit ſimilis; ſed quia potius
E liquori aſſimiletur, qui ab ouis,dum coquuntur igni,emanat, vt egregiè Veſſalius declarauit.

Ad poſteriora oculi continetur humor vitreus appellatus, quod vitro ſuſo ſimilis ſit, eſtq; omnium maximus totam oculi poſteriorem partem effor-

mans,

mans, eamq; figuram imitatur, quam oculus habet, nempe ſphæricam; non tamen ſimpliciter, ſed pauló oblógam, vnaq; ipſius ſuperficies reſpicit neruum opticum, alia autem in ſe humorem cryſtallinum ita admittit, quemadmodum aqua pilam ligneam in ſe ſupernatantem; in ipſa enim cryſtallinus videtur quaſi ad medietatem ipſius immerſus, altera ipſius medietate humorem aqueum reſpiciente.

Quare humor vitreus, & aqueus videntur omninò facti in gratiam cryſtallini, qui paruus, rotunduſq; eſt, & ad modum cryſtalli lucidus, tunica quadam tenuiſſima, & luciđiſſima, quam arachnoidem appellant, obuolutus. Humor vitreus tunica alia obuoluitur, quæ pluribus venis, & arterijs adeo implicita eſt, vt ratione ſimilitudinis, quam cum reti habet, appelletur ἀμφιβληςροειδὴς, & retina, quæ à ſubſtantia proprij nerui dilatata ſuam trahit originem, indeque ſupra vitreum extenſa ad cryſtallini cō terminos finitur.

Cum igitur humor hic vitreus in anteriori ſui ſuperficie admittat cryſtallinum, in poſteriori videtur admittere neruum opticum, licet opticus neruus non ingrediatur ſubſtantiam vitrei.

Sed vt alias vobis demonſtraui, neruus triplicem habet ſubſtantiam; quemadmodum & ſpinalis medulla, & cerebrum, à quo ipſa proficiſcitur, vna à dura cerebri membrana, altera à pia, tertia à ſubſtantia ipſius enata.

Cum igitur neruus opticus ad oculum fertur, quamprimum ipſum attingit, tres omnes illas ſubſtantias ad oculum efformandum exporrigit, quaſi ſe ipſum oculorum gratia deſtruens: exterior enim membrana totum oculi tegumentum effingit, ex quo ſchliroticam, & corneam fieri diximus, interna verò, quæ à pia membrana deducta eſt, alteram facit membranam oculo, quam & & vueam, & ſecundinam efficere audiuiſtis.

A Atque tertia nerui ſubſtantia, quæ propria medullaris eſt, dilatatur, & efficit retinam, ex qua & arachnoidem produci rationabile eſt. Videtis igitur, quomodo neruus oculo tegumentum, & quaſi generationem præbet, in cuius ſubſtantijs dilatatis prædicti humores continentur, quorum cryſtallinus eſt pars præcipua, cui omnes tam membranæ, quàm humores obſequium fe- B runt.

Sed quoniam de membranis, vt dictum eſt de humoribus, aliquid nunc dicendum relinquitur, exordimur hoc loco à cryſtallino, de cuius quidem præſtantia, ſi cupitis aliquid ſcire, legite Gal. x. de par. vſu pluribus capitibus. Is eſt igitur, qui præcipuus author eſt viſionis, ſed viſio fieri non poteſt, niſi ſpecies illuminatæ ferantur per corne- C am, & pupillam, neque ipſas recipere poſſet, ſi cornea ſuper pupillam cōcideret, ac premeret, neq; ſi à duritie ipſius vuea læderetur, & niſi per retractionem ipſius aquei humoris pateret aditus.

Inferuit aqueus humor cryſtallino, primò vt ſuſpenſam ſuſtineat corneam, extra quaſi ipſam pellendo, vnde eſt, quod cornea extra gibboſa protuberat; D ſecundo humectat vueam, prohiberq; ne ab ambiente cryſtallinus exiccetur; tertiò eſt veluti medium quoddam internum, per quod ſpecies viſibiles feruntur.

Sed non omnibus hiſce prerogatiuis eodem modo cryſtallino humor hic vtilis eſt, quandoquidem alia ratione corneam extra pellit, alia humectat vueam, & alia redditur medium internum; E nam cum ipſe, authore Gal. lib. præcitato cap. 2. ex duplici conſtet ſubſtantia, nempe aquea, & ſpirituoſa, per ſpiritus corneā propellit, at ratione ſuæ ſubſtātiæ aquoſæ humectat vueam: ratione præterea ſuæ quantitatis tutatur cryſtallinum, & tandem quatenus eſt corpus perſpicuum, & tranſparens, admittit ſpecies, & ipſas cryſtallino offert.

Quot

Quot igitur modis redditur vtilis, to tidem quoque inutilis eſſe poteſt, atq; cryſtallini vitiare actionem, quando-quidem pati poteſt in propria ſubſtantia tam in ſpirituoſa, quàm in aquea; & in quantitate, & qualitate.

In ſpirituoſa quidem, quando ſpiritus reſoluuntur, ita vt corneam concidere permittant, quod vitium docente Gal. familiare eſt ſenibus: fit etiam pro maiori, & minori ſpirituoſæ huius ſubſtantiæ reſolutione, aut diſſipatione illa ſpecies; viſionis læſæ, quàm Græci μυωπίαν, noſtrates luſciofitatem vocant, vulgò curta viſta dicitur.

Fit quoque alia ſpecies, quàm Græci halyarticam vocant, Auicennas autem haliahar, & eſt quando homines interdiu non vident, niſi palpebris clauſis; his enim contingit hæc affectio propter nimiam, vel ſpirituum tenuitatem, aut eorundem inopiam, vt 3. lib. fen 3. tract. 5. cap. 6. ab Auicenna ſcribitur.

Non deſunt, qui dicant hos videre abſq; lumine, tempore nocturno, quod de Tiberio Imperatore huius nominis primo narratur, qui perbreue ſpatium tempore nocturno apertis oculis omnia cernebat abſq; lumine.

Deinde in ſubſtantia aquea patitur, ſi vel craſſior, aut tenuior reddatur, quàm ſuæ naturæ conueniat. In quantitate etiam læditur, ſi nimium increſcat, vel diminuatur. In qualitate tandem, ſi perturbetur, atq; opacus fiat, quare quot modis humor hic læditur, tot fiunt læſæ viſionis differentiæ, aut ſpecies.

Videamus igitur, quomodo ſubſtantia humoris aquei vitietur, an tota incraſſetur, vel aliqua ipſius pars, an plures: ſi tota ſubſtantia craſſior, quàm par ſit, fiat, generatur illa affectio præter naturam, in qua homines interdiu vident, ſed non poſſunt tempore nocturno rectè videre, neq; etiam legere, quamuis Auicennas dicat non modò ex humoris, ſed etiam ſpirituum craſſiorum vitio prouenire: hanc affectio-

A nem Græci νυκταλωπίαν, noſtrates cæcitatem nocturnam vocant.

Non loquor nunc de illa craſſitie huius humoris, quæ fit ab aliqua materia preter naturam collecta, qualem diximus congeſtam eſſe in ſuffuſione; ſed loquimur nunc de nimia craſſitie propriæ ſubſtantiæ, ſiue à natura, ſiue per aliquod accidens talis ſit facta.

B Quoties igitur abſq; ſenſibili aliqua materia ab ipſo humore totus humor incraſſatur, præſertim ante pupillam, generatur νυκταλωπία: ſi verò ſecundùm aliquas partes incraſſetur, humor fit, & eſt alia ſpecies viſionis deprauatæ, quam Gal. & Græci phantaſmata appellant, Arabes autem, & qui eorum doctrinam ſectantur, vocant imagines.

C Eſt autem huiuſmodi affectio, quando ante oculos apparent idola, ſeu imagines quorundam corpuſculorum per aerem vagantium. Comperietis aliquando ægros accuſare muſcas, aliquando cimices, interdum etiam capillos, nonnunquàm catenas, & huiuſmodi; quæ corpuſcula non videntur illis eſſe oculis fixa, quemadmodum in ſuffuſionibus eſt dictum, ſed apparent per aerem volitare, & quidem non verè.

D Sed dices, tu quomodo ſtatuis imagines has videri per aerem motas, cum Auicennas 3. 3. tract. 4. cap. 8. reddens rationem harum imaginum, dicat cauſam eſſe ſtationem rei non peruiæ? Clariſſimus Mercurialis cap. de imag. lib. de oculorum affectionibus vidit hãc difficultatem, quam magnifecit; eamq; de medio tollit dicens per ſtationem Auicennam intelligere exiſtentiam rerum, atqui exiſtentia dicitur tam de re,

E quę mouetur, quàm de ea, quæ immobilis manet.

Sed parcat vir clariſſimus, non videtur mentem Auicennæ percipiſſe, quia conceſſo, quod ſtatio ſignificet rei alicuius exiſtentiam, erit Auicennæ ſenſus, quod ideo fiunt imagines, quia exi-

ſten-

ſtentiam illæ res habent.

At hæc videtur petitio principij;nam eſt, ac ſi diceremus, fiunt imagines in oculis,quia exiſtentiam habent:ſed hoc loci,mea quidem opinione, intentio Auicennæ eſt cauſam reddere, cur appareant in oculis imaginationes, nec conſiderat, an in aere videantur moueri, ſed quærit,cur ab ægris videantur, quæ eſt propter ſtationem rei non peruiæ, vt ſuis vtar verbis, inter glacialem, & inter ea,quæ videntur.

Hoc eſt dictu, euenit, vt ægrotantes illas imagines videant, quia aliquid continetur opacum inter humorem cryſtallinum, & res illas, quæ verè videntur, quia res non peruia, nempe quæ non eſt lucida, habet ſuam ſtationem,hoc eſt remanet inter res viſibiles, & cryſtallinum, ac ſi diceremus res eſſe aliquas, quæ in humore aqueo ſuam ſtationem, ſedemue habent, quæ opacæ ſunt inhibentes, ne vltra tranſeant,quia tunc cryſtallino non impedito rem ipſam in ſuo eſſe vident.

Sed multa eſſent circa viſionem inquirenda, quę ad præſentem ſpeculationem non faciunt, longumq; otium optarent, ſed vtilitati veſtræ ſtudens ad aliarum affectionum notionem, & curationem edocendam tanquam vobis vtiliorem accedo.

Inter ea igitur, quæ inquirenda eſſent, in primis occurrit communiſſima illa quæſtio, vtrum viſio fiat in humore cryſtallino, an verò in coniunctione neruorum opticorum: ſecundò an viſio fiat per intus,an per extramiſſionem tertiò examinandum eſſet, an huiuſmodi imagines, quæ in re non ſunt, ſint effectus imaginationis, an verò oculi, & quomodo; nam ſi non ſunt in oculo, imaginatio iam videtur deprauata; ſi verò in oculo fuerint,reddenda eſſet ratio, quomodo videri poſſint, cum ſenſibili poſito ſupra ſenſum nulla efficiatur ſenſatio, vt diuulgatum eſt apud Peripateticos.

A Ex quibus eſſet nobis pulcherrimum quæſitum examinandum, qui fieri potuit, vt Antipheron ille, cuius Ariſtot. 15. meth. meminit, qui perpetuò ſuam videbat imaginem ſe ex aduerſo inſpicientem, ex quo quidèm loco, & ex ratione, quam Ariſt. reddit, conijcere facilè poſſumus eum aliquando fuiſſe huius opinionis, vt viſio fieret per extra miſſionem, multaque alia eſſent di-

B cenda, quæ ſilentio comprehendimus.

Sat erit mihi vobis oſtendiſſe, quod ex læſione ſubſtantiæ humoris aquei ſiant quinq;differentiæ læſionis viſionis, duæ à ſpirituoſa ſubſtantia, nempe μυωπίασις, atque halyartaſis, ex aquoſa vel læſa, tum γλαύκωσι, tum φαντασματα.

Cum autem non modò ex ſubſtantia leſa,ſed ex quantitate, & qualitate præ

C ternaturam affecta fiant in viſione læſiones, videndum eſt, quales, & quæ ſint. Nullus authorum, quem ego viderim reperitur, qui hiſce læſionibus factis à nimia huius humoris quantitate, aut defectu nomina impoſuerit.

Certiſſimum autem eſt ex nimia humoris huius quantitate cryſtallinum obumbrari,ita vt non poſſit perfectè ſpecies ſibi oblatas conſpicere, ſpirituſque

D viſorij ſpatium multum permeantes debilitari, quare non ſit perfecta viſio: ſi ipſius copia minor ſit,quàm natura cryſtallini requirit, periculum eſt, ne ipſe ab ambiente nimium exiccetur,per cõſequens viſio debilitetur, & etiam vitietur.

Vltimo ſi perſpicuitas humoris aquei perturbetur, tunc & ſpecies, & ſpiritus eandem qualitatem recipiunt,

E quare nec videre poſſunt,niſi his qualitatibus affectis, quibus, & aqueus humor eſt affectus: & iſtæ ſunt læſiones in viſione, quæ ex humore aqueo malè affecto euenire conſueuerunt.

Accedamus modò ad humorem vitreum examinandum, videamuſq; an ipſe ita lædi poſſit, vt inde ſequatur læſio in videndi facultate? Etſi circa hanc de-

determinationem multi multa dicant, nos aſſerimus opus eſſe in primis cognoſcere, quas vitreus humor cryſtallino præbeat vtilitates, quia ex harum cognitione certiores etiam reddemur de incommodis, quę ipſe læſus afferat viſioni.

Reperio apud Gal. 10. de p. vſu, quem omnis medicorum ſchola ſequitur, humorem vitreum factum eſſe, vt cryſtallino nutrimentum offerat; eſt enim veluti ventriculus quidam, ad quem ſanguis deducitur, vt in ipſo conuertatur ad naturam humoris, quem nutrire debet, acquirens nempe luciditatem ab innata eius qualitate, quæ lucida eſt.

Secunda vtilitas eſt in ſe cryſtallinum veluti immerſum retinere, vt ſupra diximus: cum igitur hæc duo officia præſtet, certiſſimum erit, quod quando non poteſt ſuis hiſce muneribus fungi, quod cryſtallinus humor non benè ſuum videndi opus celebrat.

Quamuis, vt ait Auicennas, iſtud nocumentum, quod ex cibo euenit, non fit primitiuum, quia non nocet viſui, niſi quatenus vel humorem cryſtallinum non nutrit, aut vitioſè, vel diminutè nutrit, quod Auicennas demonſtrat, quando inquit, conuertit eius eſſentiam ab ęqualitate propter cibum non æqualem, quem ei præbet: & certè læſio in vitreo non poteſt eſſe viſioni impedimẽtum ea ratione, vt ſpecies perturbet, quemadmodum facit humor aqueus, quamuis tamen poſſit ſpiritus à cerebro delatos perturbare.

Nam vt aliàs demonſtrauimus, ſpiritus à neruo prodeunt, & in vitreum recipiuntur, in quo diſpoſitionem quãdam, nempe luciditatem accipiunt, at vbi non tranſmutat ſanguinem, vix credibile eſt poſſe ſpiritus alterare; quare poteſt etiam viſui incommodare, quando ſpiritus non recipiunt in ipſo debitam tranſmutationem, & ſic dici poteſt ipſum vitreum humorem poſſe afferre

A nocumentum primaria ratione, & ſecunda, vt Auicennas ſcribit.

Prima contingit ſpirituum non alteratorum ratione; ſecunda propter alimentum, quod vel diminutum ſit, vel alia contraria qualitate affectum, quò cryſtallinus à ſua qualitate accedere ſit coactus, hinc & ipſius actio læſa remanet; nam propter alimenti defectum

B fieri poteſt cœcitas, quia cryſtallinus marceſcit, & exiccatur, quando autem non proportionato alimento nutritur, perturbatur, vitiaturq; ipſius actio.

Ex prima igitur huius humoris, quam cryſtallino offert, vtilitate labefactata poteſt cryſtallinus lædi; at ſecunda illa vtilitas, quam in alligando cryſtallinum præſtat, non tam facilè ex parte vitrei labefactari poteſt, ſed potius ra

C tione cryſtallini, quando videlicet alicuius violentiæ ratione contingit ipſum à proprio exire ſitu, quemadmodum egregiè Galen. oſtendit x. de par. vſu.

Nec ſatis intelligo, quid Mercurialis, & Recentiores velint, vbi dicunt vitreum humorem ita adaugeri, vt maiorem, quàm conueniat, cryſtallini partem amplectatur, quia impedimento eſt, ne

D ſpecies in cryſtallinum poſſint recipi, & per conſequens etiam viſionem lædit.

Sed exiſtimo eos vſos potius fuiſſe imaginatione, quàm ſenſata fide, quia cum cryſtallinus rotundus ſit, & exiguus vna ſua ſuperficie in humorem vitreum quo ad medietatem ſui corporis innatare videtur.

Quare totam poſteriorem partem cryſtallini amplectitur, nec vmquam tan-

E tum augeri poteſt, vt anteriorem ſuperficiem attingat, quandoquidem naturà appoſuit coniunctionem illam omnium circulorum iridem efficientium, quam vitreus tranſire non poteſt: iſtæ ſunt læſiones viſioni euenientes ex parte humorum.

Relinquuntur nerui optici, qui à natura dati ſunt, vt à cerebro in oculos ferant

rant ſpiritus viſiuos; ſi enim ſunt veluti canales quidam rotundi, oblongi, lati, molles, intus excauati, vt non modò ſpiritus facultatem, ſed etiam ſpirituum multam quantitatem in oculos ferre poſſint, canalium excauatorum in modum, quod ex Gal.doctrina aliàs vobis demonſtraui.

Cum igitur hunc afferant oculis vſum, eo ablato, & viſionem omnibus modis lædi eſt neceſſe, nullo in oculo apparente læſionis ſigno, & propter ſui claritatem, quam in ſe retinet, appellatur affectio hæc gutta ſerena; oculus enim clarus, & ſerenus eſt, vt erat antequam viſione priuaretur.

Huiuſmodi affectio prouenit propter obſtructionem, vel vt Auicennas admonet, propter aliquod apoſtema in vno, aut in vtroq; neruo contingens, vel etiam ob rupturam.

Videtis igitur, quòd cæcitas euenire poteſt ex varia humorum, & nerui optici læſione, abſq; eo, quod in oculo appareat læſionis veſtigium. Nō eſt igitur, vt miremini, quando aliquis oculos claros, & perſpicuos habens dicat ſe, aut parum, aut nihil, vel vitioſè videre.

Nulla tamen eſt ſpecies viſionis læſæ à nobis recenſitæ, quæ ad ſui perfectam declarationem non requirat (ſi non plures) ſaltem integræ horæ lectionem. ſed quoniam breuitati, & vtilitati veſtræ ſtudemus, non amplius circa haſce læſiones immorabimur, cum præcipuè raro oculis eueniant, quæ etiam ſi eueniant, eadem ratione curantur, quemadmodum de illis eſt dictum, quæ ab humoribus craſſis, & viſcoſis contingunt.

## DE CVRATIONE VISIONIS læſa in communi.

IN primis videndum eſt, quomodo corpus totum ſit conſtitutum, an cacochymum, vel plethoricum, an vtroque modo affectum reperiatur, ac ſi cacochymum ſit, ſpecies cachymiæ ido-

A neis medicamentis tum præparare, tum extra corpus educere oportet: ſanguinem quoq; ſi corpus plethoricum ſit, per ſectam venam extrahere conuenit, & tandem euacuare, reuellere, & etiam diuertere: optimaq; victus ratione, vt opus fore videbitur, vtendum eſt.

Quod ad localia medicamenta ſpectat, quando eſt μυωπίασις, ſeu etiam illa affectio, in qua homines interdiu non B vident, at noctu vident, ſi fuerint à natura, nihil tentandum eſt, ſi tamen fuerint per aliquod accidens, curandum, eſt, vt tam oculus, quàm ſpiritus corroborentur.

Pro curatione propono vobis aquam egregiam, quę in huiuſmodi caſibus tutò vti poteſtis, ac etiam ad conſeruationem viſionis maximè prodeſt, imo verò tantæ efficaciæ eſt, vt ſcripſerit Iacobus C Hollerius lib.1. de morborum curatione, hanc aquam viſionem reſtituiſſe cęco cuidam nouem annorum; hęc autem ad hunc componitur modum.

℞. ſucci apij,
Fœniculi.
Verbenæ,
Chamædryos,
Pimpinellæ,
Caryophyllatæ,
D Saluiæ,
Chelidoniæ
Rutę,
Centinodiæ, id eſt, plantaginis.
Morſus gallinæ,
Caryophyllorum,
Farinæ volatilis, ana vnc.j.
Piperis craſſiuſculè triti
Nucis moſcatæ,
Ligni aloes, ana drach. vj.

E Omnia immergantur in vrina pueri incorrupti, & ſexta parte vini maluatici, bulliant breui tempore, tum exprimatur, coletur, ſeruetur q; prò vſu in vitreo vaſe.

Inſtillandæ ſunt guttæ in oculum leſum ſæpiſſimè.

Sed propono facilius remedium,

quod ſemper optimum iudicaui, & eſt vt accipiatis herbæ euphragiæ, quãtum libuerit, & dum muſtum tempore vindemiarum feruet, eam intus mittatis, vi numq; pro vſu ſeruetis, quo oculos ſæpè abluite. Huiuſmodi medicamentum tum ſpiritum reſtaurat, tum quoque & oculum corroborat.

Quibus medicamentis vtendum ſit in nyctalope, ac imaginibus.

In huiuſmodi affectionibus ſupponitur materiam craſſam in humoris aquei ſubſtantiam eſſe imbibitam, & quamuis ipſæ fierent à vaporibus eleuatis, ea adminiſtrari debent, quæ tenuium ſunt partium, & facultatem reſoluendi habent, inter quæ mihi ſummè probatur aqua vitæ, in qua diu macerata ſit euphragia, atq; aliquot roſarum folia.

Auicennas in imaginibus mittit ſanguinem ab arterijs, quæ ſunt poſt aures, & laudat fel hirci, & arietis in oculum leuiter inſtillatum.

Collyria etiam, quæ ſupra ex fellibus propoſuimus ſunt optima.

Probatur ſuccus cucumeris aſinini cum ſemine portulacæ diu agitatus.

Sunt, qui proponant ſpodium cum oleo violaceo naribus inſtillatum. Sed vt vno concludam verbo, omnia collyria, quæ habent vim abſumendi materiam craſſam contentam in oculis, ſunt optima pro his affectibus præſidia, quorum plurima ab Aetio, & Tralliano habebitis.

Quando autem ob prauam victus rationem contingat vitreum humorem lædi, tunc victus ratione, quæ boni ſit ſucci, & facilis diſtributionis, & coctionis agendum eſt, ſed huiuſmodi affectio adeo rara eſt, vt vix quemquam reperire poſſitis, qui eam obſeruaſſe dicat. Sed quemadmodum priores affectiones rarò contingunt, ita è contra quæ à neruis opticis eueniunt, frequentiſſima eſt, debetq; medicus eſſe diligens in curatione ipſius, ad quam quidem rectè peragendum omnia medica

A inſtrumenta ſunt adminiſtranda.

De curatione guttæ ſerenæ.

Et primò, quod ad victus rationem attinet, eandem omninò ſeruare eſt opus, quàm diximus in ſuffuſione, ſeu cataracta. Vitanda ſunt omnia, quæ ſuccum craſſum generare poſſunt: à vino, venereq; abſtinendum per totam curationem, clyſteribusque validioribus frequenter vti expedit.

B Cæterùm, quod ad pharmaciam ſpectat, alterandus eſt humor quicunque ſit, inde extra corpus educendus. In hoc caſu, quia vt plurimum humores pituitoſi craſſi ſunt, & lenti, vt ij extra corpus educantur, valent pilulæ de hiera cum agarico, pil. de hiera compoſita: pilulæ quoque cochiæ mihi valdè probantur.

C Sed quoniam aliàs ex authoritate Auicennæ, & Meſuæ admonui, & ſæpè quidem, & nunc ad memoriam reuoco, in affectionibus neruorum, & capitis, in quibus vel pituita, aut melancholia peccat, non poſſe nos humores hoſce, quod ſua natura craſſi ſint, & ad motum rebelles, vnica purgatione extirpare, ideo opus eſt ſæpè eam repetere; ſed ſenſim alterando, & quæ alterata eſt, deinde paulatim educere.

D Nam facta prima purgatione, ſi habere non poteritis optatum votum, tunc reiterate ſyrupos incidentes, attenuanteſque, & alternis diebus, vel ſaltem tertio quoque die repetatis pilulas in minori quantitate vſq; ad drach. 1. vel ſcrup. ij. atque ita procedatis, quouſque totus humor fuerit extra corpus eductus.

E Quæ curatio niſi ex voto ſuccedat, refugite ad decoctionem guaiaci, aut ſalſæ cum rebus capitalibus factam. Sperare his licet, fore vt æger recuperet priſtinam valetudinem: hæc eſt curatio guttæ ſerenæ per diætam, & pharmaciam.

Per chirurgiam verò debetis mittere ſanguinem à brachio, deinde à venis an-

gulorum interiorum: aliquando etiam A confert ipſum ex naribus per hirudines extrahere.

Cauterium in occipite præſentaneũ eſt remedium inter viam, & alteram cũ ceruicis vertebram factum, ſed longè præſtantior eſt laqueus ex ſerico, qui ferro candenti fiat in cute ceruicis ad regionem tertiæ vertebræ.

Numquam vidi hoc remedium abſq; vtilitate factum; ideo quando habetis B aliquem, qui ſciat ipſum efficere, aut vosmet ipſi cognoſcatis modum, quo debet fieri, non vereamini id ipſum applicare, quia voti compotes efficiemini.

Poteſtis etiam ad reuellendam materiam à capite in brachio cauterium infligere.

Quod ad localia medicamenta attinet, exiſtimo ea eſſe pauci, vel nullius momenti, quia non poſſunt per oculos ad opticos neruos virtutem ſuam transferre, nihilominus ſi vultis experiri, accipiatis aliquod ex illis collyrijs, quæ diſcutiendi habent facultatem, de quibus multa iam diximus.

In hoc tamen caſu ad maiorem penetrationem non eſſet ab re nonnihil aquæ vitæ addere: & hæc ſunt, quæ pro integra huius affectionis curatione dicenda erant. Quibus ſic iactis habuiſtis viſionis læſionem prouenientem ab illis oculorum partibus, ſine quibus actio videndi fieri nequit, & illius partis, quæ dicitur habere agendi primariam rationem. Deinceps tractabimus de affectibus aliarum partium.

# DE STRABISMO.

## CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

MOdò ſunt partes ad meliorem faciendam actionem requiſitæ, vt muſculi; nam etſi viſio fiat per rectam lineã & pyramidalem, nihilominus melius longè fuit, vt oculi ad animantis libitum mouerentur, & ad omnẽ poſitionem ferri poſſent, hinc eſt, quod ſurſum, & deorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, necnon obliquè vtrimq; in gyrum flectuntur, ad quas quidem motiones peragendas tria muſculorum paria vnicuique oculo ſunt deſtinata.

Primi paris ſurſum vnus, alter deorſum oculum trahit; alij duo ad latera trahunt, vnus ad ſiniſtrum, alter ad dextrũ, at quintus, & ſextus ſibi ad inuicem oppoſiti oculum in gyrum vertunt.

Ad horum vnius læſionem ſit illa ſpecies deprauatæ viſionis, quam ſtrabiſmum communiter vocant; Auicennas C ſtraboſitatem appellauit. Non deſunt ſcriptores, qui putant muſculis oculorum attribuendum eſſe illud oculorum vitium, quod ἐκπίεσμα vocant Græci, Latini expreſſionem oculorum, Auicennas verò exitum oculi appellat.

D Sed non poſſum ſatis mirari Capiuaccium virum alioquin doctiſſimum exiſtimantem ἐκπίεσμα prouenire ex relaxatione ſeptimi muſculi, qui ad baſim oculi eſt neruum opticum circumuoluens, cum tamen in oculo humano minimè reperiatur, quidquid dicat Veſalius, quia etſi fuerit illuſtris medicus, & inſignis anatomicus; E nihilominus in anatome oculorum multum defecit illud hominibus tribuens, quod proprium eſt brutorum, non tamen omnium, ſed tantummodo quadrupedum.

Nam bipeda irrationalia, vt volatilia, hoc muſculo carent, vt ſæpè à nobis eſt obſeruatum, quinimo vidimus plu-

plurium piſcium anatomen, aperteque inſpeximus nullum ex ijs hoc muſculo ſeptimo frui, & ratio eſt, quia animalia quadrupeda prona incedunt, ratione cuius figuræ periculum eſſet, ne deorſum oculi laberentur, ideoq; natura appoſuit illis ſeptimum hunc muſculum ad centrum oculum contrahentem, & in perpetua quiete ipſum ſuſtinentem.

At animalia bipeda, & piſces non ita cedunt ita prona, quare nec periculum eſt, vt oculus deorſum ruat, multoque igitur minus opus eſt in homine, qui figura incedit ſummè recta. Vnde Veſalius eſt valde reprehendendus, qui dum à Falloppio in ſuis obſeruationibus anatomicis amicè admonetur de hac re, voluit pro ſui tutela aduerſus eundem Falloppium ſcribere in eo libro, quem examen Falloppianarum obſeruationum inſcripſit; quod quando non reperitur hic muſculus in oculo humano, id euueniat, quia oculis diù aeri expoſitis (quod in anatome facienda vltimi ſint, qui demonſtrantur) huiuſmodi muſculus marceſcit, qui tamen aliàs reperitur.

Sed mentitur proteruè: voluit potius defendere imaginationem hanc falſam, quàm veritatem fateri, quæ quidem in omnibus rebus diligenter eſt inueſtiganda, & cum à nobis non dignoſcitur, nō eſt, vt ægrè feramus, quando alij euidentiſſimè eam nobis demonſtrant, quando quidem homines ingenui vbi errant, debent ſtatim ſuum errorem fateri, vt inde poſteri poſſint habere rei quæſitę determinatam veritatem.

Vnde Hipp. non fuit veritus liberè fateri ſe in vulnere Antonimi curando deceptum fuiſſe à futuris, quod eas ipſas non agnouerit, vnde Cornelius Celſus Hipp. ſummis laudibus extollit, quippe qui magnorum virorum more, quibus conuenit etiam ſimplex erroris confeſſio, in eo præcipuè miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur, ne decipiantur, ſe deceptum fuiſſe non erubuit fateri.

Sed ad rem, Veſalius, vt nos falleret, vt ipſe falſus eſt, maluit veritatem tacere, imò nugationibus falſum tutari, qui deinde cauſa fuit, vt Capiuaccius etiam falleretur, quia reddens rationem expreſſionis oculi, inquit id eſſe, quia muſculus ille ſeptimus, qui ad neruum opticum eſt, relaxatur, cum tamen luce clarius appareat ipſum in hominibus minimè reperiri. Hinc etiam eſt dicendum oculi expreſſionem non fieri propter ipſius relaxationem.

Sed cum iſtæ duæ affectiones oculi fiant, eò quòd muſculi, qui partes ſunt ad meliorem actionem, lædantur, videamus in primis, quæ affectio ſit ſtrabiſmus, deinde ἐκπίεσμα, vt inde colligamus cauſas, & curationem.

Strabiſmus igitur, ſeu ſtraboſitas eſt, quando duo oculi non vident obiectum in eodem ſitu, ſed vnus videt vel paulò ſuperius, aut inferius, vel ad vnum latus magis, ita vt vtriuſq; oculi non ſit vnus formalis aſpectus.

## DE CAVSIS STRABISMI.

Cauſa huius rei à muſculorum vno eſt accipienda, quod vnus ex præ dictis nimis contractus, vel relaxatus ſit, vt quando ſtraboſus oculus ſurſum reſpicit, ita vt pupilla ſit in altiori loco, quàm ſit alterius oculi, tunc muſculus ille, qui conſueuit hunc motum naturaliter efficere, hoc eſt ſurſum trahere oculum, nimis contractus eſt, aut illi oppoſitus eſt magis relaxatus.

Iam aliàs vobis demonſtraui, quod in corpore noſtro oppoſitorum motuū, ſunt etiam oppoſiti muſculi, ita vt quando vnus trahit, alter oppoſitus ſubſequatur, tractio illa eſt verè actio muſculi, ſubſequutio illa dicitur paſſio: quare ita res ſe habet, vt quando vnus horum agit, alter patiatur.

In ſtrabonibus igitur hoc contingit, quod vnus muſculus nimium contractus ſit, vel alter nimis relaxatus, quod pul-

pulchrè Auicennas interpretatus eſt fen 3. 3. tract. 2. cap. 28. vbi inquit ſtraboſitatem prouenire vel propter mollificationem quorundam lacertorum mouentium illud; quod apparet de oculo, & quãdoq; fit à ſpaſmo alicuius eorum. Ita vt immediata cauſa ſtrabiſmi ſit, vel cõuulſio vnius muſculi, vel alterius reſolutio. Diximus alibi conuulſionẽ eſſe muſculi ad propriam originem contractionem, eſtq; motus ſimilis motui voluntario, quia muſculi eodem modo mouentur, vt ſolent à voluntate moueri; verum cum hac differentia, quia in motu ſecundum naturam adeſt voluntas libera imperans, at in conuulſione eſt cauſa preter naturam, quæ in genere duplex eſſe poteſt, pro vt conuulſio duplex eſt.

Nam alia eſt, quę dicitur proportionata ad materiam, & alia minimè ad materiam proportionata. Rurſus conuulſio proportionata ad materiam duplex eſt, alia, in qua adeſt copia materię præter naturam; altera verò, in qua deficit id, quid eſt ſecundùm naturam, quia humiditas naturalis eſt reſoluta. Alia verò non proportionata ad materiam, ita dicta eſt, quod in illa nulla adſit præter naturam materia, neq; etiam aliquid materię ſecundùm naturam deeſt, quã dum tractarem de conuulſione, oſtendi à neotericis appellatam eſſe ſpaſmum per conſenſum, aut compatiendi ſimilitudinem.

Hancq; conuulſionem, ſi ea, quæ dicta eo loci fuerunt, ad memoriam tenetis, oſtendi eſſe totius corporis vniuerſalem, & aliquarum partium particularem proprijs nominibus deſignatam; nam ſi ſit vniuerſalis, vel caput, atque totum corpus ad anteriora flectit, & appellatur ἐμπροσθότονος, vel ad poſteriora, & ὀπισθότονος, vel corpus contractum eſt in neutram partem declinans, & vocatur τέτανος.

Si aut eueniat partibus quibuſdam determinatis, vt ex. gr. maxillæ muſculis dicitur τρισμὸς, ſin faciei, & labiorum

A muſculos inuadat σπασμὸς κυνικὸς appellatur, atque tandem ſi muſculos oculorum inuadat στραβισμὸς eſt dicta.

Si præſertim muſculum illum lædat, qui ad latus oculum trahit; nam oculi globulus mouetur ſurſum, deorſum, & ad latera à proprijs muſculis.

Apparet igitur, quod huius affectionis cauſa eſt conuulſio, vel affectio contraria, nempe paralyſis, ſeu (vt aiunt)

B relaxatio. Cauſa autẽ conuulſionis, vel eſt repletio, aut inanitio, vel conſenſus quidam neruoſarum partium læſarum, cum cerebro.

Relaxationis cauſa eſt etiam, vt aliàs à me intellexiſtis, materia replens neruos, atq; prohibens ne ſpiritus animales per neruos in muſculos affluant, ſedquo niam ſatis ſuis locis ſum loquutus de hu

C iuſmodi affectionibus, nihil amplius hic dicam, ne quæ alias dicta ſunt, gratis repetantur.

## DE SIGNIS STRABISMI.

STrabiſmus adeo manifeſtè apparet, vt nullis verbis ſit patefaciendus.

## DE FVTVRO EVENTV *ſtrabiſmi.*

D QVod ad prognaſim ſpectat, de illo prædicendum eſt, quemadmodum in conuulſione; nam, pro diuerſitate cauſarum incurabilis, ac lethalis eſt, nec non etiam curabilis; quia vbi ex ſiccitate, id eſt, ex conſumptione humidi radicalis euenerit, eſt lethalis, vnde habemus conuulſionem ex

E elleboro eſſe lethalem, quia elleborus euacuat nimis, deinde ab eodem Hipp. oraculum aliud habemus, quo dicitur melius eſſe febrem ſuperuenire conuulſioni, quàm conuulſionem febri.

Ex quo loco poſſumus duplex prognoſticum efficere, vnum, quod conuulſio eueniens ex ſiccitate ſit mala, quia quando euenit febri, ſæpè contin-

git

git ratione conſumptę humiditatis; a-liud eſt, quod conuulſio, cui febris eue nit, quia à materia fit craſſa; quæ à ca-lore febrili paulatim attenuatur, eſt cu-rabilis.

Idem quoque dicendum venit de pa-ralyſi, quæ dummodo non ſit inueterata; poteſt curari: at ſtrabiſmus in pueris curabilis, ſi tamen in adultis perſeue-rat, omninò incurabilis euadit.

Relinquo nunc diſputandum, an con uulſio in pueris facta à ſiccitate ſit ma gis curabilis, quia materiam hanc fuſiſ-ſimè pertractaui, & oſtendi vobis, quo-modo Auicennæ ſit ſententia intelligen da; vbi ſuſtinet partem affirmatiuam, nempe in pueris conuulſionem ex ſicci-tate eſſe faciliùs curabilem, quo in loco grauiſſimorum medicorum opiniones examinaui. Nunc autem quoniam volo eſſe breuis, venio ad huius morbi cu-rationem.

## DE CVRATIONE STRABISMI.

PRo curatione, vel ſtrabiſmus eſt in pueris, vel in adultis: ad hæc vel eſt ſecundùm naturam, hoc eſt à princi-pio ortus, vel per accidens, ſed iam in-ueteratus. Si in pueris alia ratione cu ratur, quàm in adultis, vnde Auicen-nas proponit duo medicamenta, ſeu au A xilia pro curando in pueris ſtrabiſmo.

Primum eſt, vt accendatur candela, atque apponatur à parte oppoſita ipſius ſtraboſitati, verbi gratia, ſi oculus tra-hitur à muſculo ad latus dexterum, can dela accommodetur, vt ſiniſtrorſum oculum trahat; hocque tempore noctur no agendum, at in die habendum eſt ali quid rubei coloris, quod ponatur è contrario oculi ſtraboſitate affecti.

B Aliud remedium eſt emiſſio ſan-guinis; nam ſubiungit Auic. emiſſio ſan guinis ex eis eſt, quæ faciunt aſpectum rectum, & eſt, vt notat Gentilis, quan-do ſanguis peccare videtur, ob cuius co-piam ſtraboſitas ſit facta.

Et quamuis Auic. non aperiat locũ, à quo ſanguis mitti debet, nihilominus exiſtimamus è naribus per applicatam C hirudinem eſſe extrahendum; quia ve-næ angulorum maximam habent cum venis narium affinitatem; ex qua ſan-guinis extractione ſperare licet, vt ma-teria ad nares deriuari poſſit.

In cæteris habenda eſt ratio ad victũ ipſius nutricis, qui optimi ſucci ſit, & facilis concoctionis.

At pro curatione adultorum eadem agenda, atque obſeruanda ſunt, quæ D docuimus cap. de curatione paralyſis, & conuulſionis. Recurrite ad hæc duo ca-pita, de quibus ſupra egimus.

# DE EXPRESSIONE OCVLORVM.

## CAPVT QVADRAGESIMVM.

NVnc propero ad edo-cendam naturam expreſ ſionis oculorum, quam ex Auicenna cap. 30. præcitati tractatus dixi mus eſſe totius oculi af fectionem præter naturam, in qua ocu lus totus veluti extra proprium conce-E ptaculum extuberat.

Capiuaccius fuit huius opinionis ſi-mul cum Veſalio, imò cum ipſiſſimo Ga leno oculum in ſuum ſitum à muſculo quodam circa neruum opticum inuolu to conſeruari, vnde contingit eo rela-xato, vt extra oculus feratur.

Sed cum (vt audiuiſtis) id ſit contra ſen-

ſenſum, quia in humano oculo minimè A hic reperitur muſculus, proinde non poſſumus in hunc cauſam reijcere ipſius oculi extuberantiæ: ſed quia omnes muſculi oculum mouentes ab vno loco tanquam à centro concauitatis, in quo continetur hic muſculus, ad circumferentiam ipſius feruntur, rationabilius videtur ab omnibus ſimul contractis in proprium locum contineri.

Nam cum alicuius membri muſculi B omnes tendunt, ſeu operantur, remanent in quadam conſtitutione, vt nihil agere videantur, & tamen agunt, quemadmodum ſunt oſſis hyoidis muſculi, qui dum agunt, os ipſum ſuſpendunt, vbi verò particulariter vnuſquiſq; agit modo ad vnum, modò ad aliud latus ipſum trahunt, quod quidem faciunt, & ipſi oculorum muſculi.

Dum enim agunt omnes, in illa con- C ſtitutione naturali ſunt, quam tonicam appellant, oculumq; intus retinent, dum verò vnus horum mouetur, alijs quieſcentibus, ad hominis libitum modò ad vnum, modò ad alium ſitum mouetur totus oculi globulus, quare magis ratio ni conſonum eſt, vt prædicti omnes muſculi in hoc affectu patiantur; relaxantur enim & agere deſinunt, hincq; totus D prolabitur oculus.

Hoc quidem declaraſſe viſus eſt Auicennas, dum loquitur de cauſis huius affectionis, dicens, aut propter vehementer, mollificationem ſuſpenſionis ſuæ, & laceratorum ſeruantium ſuſpenſionem eius prædictam: quamuis idem Auicennas alias afferat cauſas.

Vna eſt vehemens ipſius inflatio, hoc eſt tumeſcentia, quia aliquando adeo tumidus efficitur, vt totus extra prorumpere videatur, cum non poſſit à ſuo oſſeo ambitu contineri; quia ob materiã ibi fluxam, aut congeſtam, quaſi præ ipſius pondere extrahitur.

Alia cauſa eſt coarctatio, vt vtar Auic. verbis, hoc eſt extra propulſio, vt quando eadem materia intus colligitur extra pellens oculum, quemadmodum Aetius ſcribit contingere nonnunquam in ſtrangulatis.

Auicennas euenire ait aliquando hũc caſum in vehementi capitis dolore, in magno clamore, ſeu in maxima vociferatione, & tandem in mulierum violento conatu, quem in puerperio nonnunquam faciunt, quæ quidem affectio nõ modò vni, ſed ambobus oculis contingit, in qua non ſemper læditur videndi actio, ſed tamen vt plurimum.

## DE CAVSIS EXPRESSIONIS *oculorum.*

Sed quomodocumque, & à quibuſuis caſibus proficiſcatur, opus eſt, vt fiat à materiæ multitudine, quæ in oculo, & ſuis partibus imbibita ſit: hæc autem non flueret in oculum, aut tranſmitteretur, niſi in corpore eſſet, quare huius affectionis cauſa videtur corporis nimia repletio. Cauſa antecedens eſt nimia humorum copia, quæ eſt in toto: coniuncta verò eſt illa, quæ in oculo eſt iam prolapſo.

## DE SIGNIS EXPRESSIONIS *oculorum.*

Signa clara ſunt, quia oculus extra proprium locum apparet, at quando ſua grauitate materia contenta ipſum extra ducit, tunc cognoſcitur, quia pars anterior tumefacta eſt, vnde Auicennas dicebat plurimam materiam ad pupillam eſſe aggregatam, & ibi tumor apparet manifeſtè.

E At quando exprimitur, nulla, aut pauca materia èxtra imbibita conſpicitur, ſed oculus cum ſuis partibus videtur integer: quando autem ex muſculorum relaxatione contingit, nihil fere ab extra conſpicitur, quod tumidum ſit, niſi quod oculus extra ſuum conceptaculum inſpiciatur.

DE

## DE FVTVRO EVENTV EXPRESſionis oculorum.

Curatio, quam ſperare licet, ſi morbus recens, & vt inquit Auicennas, ſit pauci momenti, difficilius habebitur, quando materia eſt multa, faciatq; inſignem tumorem. Sperare etiam licet ſalutem, quando per coarctationem, hoc eſt expulſionem morbus euenerit, at ſi ex muſculorum paralyſi, vix credibile eſt poſſe ipſum curari, niſi longo tempore, ac maxima difficultate.

## DE CVRATIONE EXPRESSIONIS oculorum.

Habēda eſt totiuscorporisratio per debitumvictus regimen, per adminiſtrationem pharmaciæ tam alterantis, quàm humorem extra corpus ducentis. Per chirurgiam etiam ea agenda ſunt, quæ aliàs in ipſius recta adminiſtratione & ſæpius diximus. In hoc caſu Paulus, & Aetius commendant cucurbitam ceruici applicatam in occipitio.

Sed ſi vultis me verum fateri, non admodum mihi probatur huiuſmodi remedium, quando oculus extra tumefactus eſt, & tumefactionis ratione extra fertur, quia tantum abeſt, vt iuuare poſſit, vt potius augeat tumeſcentiam, quia dum cucurbita ſucceſſiuè trahit, partes intra oculum eſſent primò tractę deinde quæ extra, at cum tumeant, nec poſſint intus remeare, fieret violentia, ex qua maior flueret humorum copia.

Quod ſi probandum eſt prædictum remedium, non hac ratione probandum vt intra oculus traheretur, vt voluit Capiuaccius, ſed potius vt reuellatur materia ab anterioribus ad poſteriores capitis partes. In muſculorum relaxatione, & in expreſſione oculi mihi ſummopere probatur cucurbita magna nō modò occipitio, ſed mediæ ceruici admota.

Tandem topica remedia non poſſunt eſſe vnius generis, cum cauſa non ſit eadem, nec partes affectæ eædem, quandoquidem ſi ratione ponderis materiæ

A in palpebram, & totam oculi anteriorem partem imbibitæ contingat extra oculum ferri, procul dubio medicamenta, quæ comprimendi facultatem habent, nullo modo probanda videntur, ſed medicamenta ſunt pro varia indicatione eligenda; nam humor in hac parte collectus ſuo pondere extra oculum trahens indicat ſui euacuationem.

B Euacuatio autem vel fit per inſenſibilem, aut ſenſibilem viam: ſi primò modo ea ſunt applicanda, quę vim habent diaphoreticam, nempe attenuandi: at ſi craſſa, & multa ſit, erit opus ipſam ſuppurare, quapropter reſoluentibus, vel ſuppurantibus vtendum eſt, vt educatur materia, qua ablata oculus in ſuū locum redibit.

C Idem dicendum eſt, quando ob materiam collectam in aliquibus partibus intra cauitatem reconditis, ſiue mēbranæ, ſiue ſint muſculi, aut glandulæ, extra oculi globulus fertur; nam illa primum eſt euacuanda præſidijs reſoluentibus, & vt de alia eſt dictum, antequam oculus intus pellatur.

Proinde exiſtimo ſententiam Auicennæ eſſe ſano modo intelligendam, vbi ſcribit egreſſioni oculi requiri medica-

D menta repellentia, quod dictum eſt verum, quando adeſt ſimplex, & leuis egreſſio, ſed ſi ob materiam quandam contingat ipſum extra trahi, aut pelli; prius euacuare materiam oportet; deinde applicare intus pellentia.

Merito igitur proponit collyrium factum ex ſummach, hoc eſt rhu tinctorum, quia adſtringendi vi pollet. Mihi placet in hoc caſu medicamentum con-

E fectum ex farina fabarum, puluere roſarum; thure, atq; albumine oui, quod oculo ad modum emplaſtri applicetur.

Sed quando exitus oculi eueniat per paralyſim factam in muſculis, poſſumus vti tum reſoluentibus materiam imbibitam in ipſis, tum etiam, & præſidijs intus oculum pellentibus, proinde laudo omnia illa medicamenta reſoluentia, quæ

quæ in paralyſi à nobis propoſita fuere, ſed peculiariter iſtud ſuffumigium, quod ex cinnamomo, pipere caryophyllis, & ſimilibus conficitur.

Deinde apponenda ſunt medicamenta adſtringentia, atq; intus pellentia, quemadmodum ſunt decocta quædam ex vino, corticibus granatorum, ſummachijs, gallis immaturis, balauſtijs, & huiuſmodi.

Iubet Auicen. vt aſſidue fiat euaporatio in principio cum lana infuſa in aceto, & embrocetur facies cum aqua frigida, quod Auicennæ conſilium placet in exitu oculi facto à quadam violentia, vt pote ob ingentes à partu dolores, aut etiam in leuiſſima oculi procidentia: &

A hæc dicta ſufficiant de exitus oculi curatione.

Quibus ita declaratis habetis morbos euenientes partibus famulantibus meliori actioni, relinquuntur palpebræ quæ ſunt partes tutantes oculos ab iniurijs, atq; eos conſeruantes, quæ pluribus affectibus præter naturam affici con ſueuerunt, ſæpè medicis, & ęgrotis negotium facientes, plureſq; ſunt numero, proprijſque nominibus deſignatæ,
B quas rectè Dominicus Leo collegit.

Nos omnes breuiter afferemus, atque indicationes curatiuas inſinuabimus, vt inde veſtro marte poſſitis eas curare, atque medicamentis idoneis de medio tollere.

# DE MORBIS PALPEBRARVM OCVLI.

## CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Sicuti pluribus morbis afficiuntur palpebræ, ita non ſunt ij omnes vnius naturæ, neq; ab vna, & eadem cauſa proueniunt, ideo cum à nobis proponi, & conſiderari deberent in gratiam curationis, ſi vellemus omnium exactam afferre cognitionem, & curationem vix integer annus ſufficeret, nec poſſemus pertractare thoracis morbos, qui profectò ſunt maximi momenti, & quos hoc anno (Deo dante) diligenter ſumus examinaturi.

Quare vt quàm citius expediamur ab oculis, in medium afferam omnia morborum nomina, atque definitiones; & quoniam multi ſunt, qui inter ſe cauſæ ratione conueniunt, eandemq; requirunt curationem, adducam omnes morbos eiuſdem generis, eandemque cura-

C tionem deſiderantes; deinde alios, vnde ex cognitione cauſarum ſtatim colligere poteritis indicationes curatiuas.

Eſt primum illa affectio, quam Paulus, & Gręci omnes appellant ἐμφύσημα, Latini inflationem palpebræ, quæ nihil
D aliud eſt, quàm tumor totius palpebræ laxus, abſque dolore, & œdematoſus.

Succedit altera affectio, in qua ſuperior palpebra afficitur à quadam veluti pingui materia, adeo grauante, vt vix palpebra attolli poſſit, eſtque veluti ipſius hydrops, vnde à quibuſdam fuit ap-
E pellata, aquoſitas palpebræ; Græci ὑδατίδα, Auicennas alſarnat, Aliabbas ſciſſuram, Celſus veſicam appellauit.

Huic ſimilis eſt palpebrarum affectio, quam Græci λιθίασιν vocant, in qua materia quædam albicans lapidis in modū congeſta eſt, quam exiſtimo ab Auicen-

na lintifach appellatam fuiſſe.

Sequitur alia Græcè χαλάζιον, dicta, quę nihil aliud eſt, authore Paulo, quàm in palpebra otioſi humoris colluuies, & quia formam habet rotundam, & grandinis in modum lucidam, Latinè grando dicitur.

Quarta affectio Gręcè κριθὴ dicta, noſtrates hordeolum vocant, quod tuberculum ſit, vel etiam abſceſſus quidam exiguus, oblongus, iuxta terminos palpebræ enatus figuram grani hordei præ ſeferens: dicitur etiam alio nomine à Græcis πόσθιαι, quod præputio ſit ſimilis.

Iſtæ ſunt quatuor affectiones præter naturam, quæ ex ipſorum definitione ſatis dignoſcuntur, neque alia habent ſigna prçter ea, quæ ex earum definitionibus allatis deſumantur, quæ omnes curationem admittunt.

Quibus poſſemus etiam addere illam ſpeciem læſionis, in qua palpebrę adhęrent albo, vel nigro oculi, vel ita ad inuicem agglutinantur, vt oculi aperiri nequeant, agglutinatioq; à Latinis, à Barbaris inuiſcatio dicitur, Græci verò ἀγκύλωσις, & ἀνκυβλέφαρος vocant.

Facile eſt etiam agnoſcere materiam peccantem in omnibus, vt poſſit è corpore auferri. In curatione ipſarum omni ingenio curandum eſt, ne humor in corpore peccans amplius generetur, ille autem, qui genitus eſt, inhibeatur in partem affectam ferri, atque ille, qui eſt in parte affecta, euacuetur.

Humoris generatio impeditur ex recta, & ordinata victus ratione, at inhibebitur ferri in partem affectam, ſi extra corpus feratur, ſiue id fiat per pharmaciam, ſiue per chirurgiam, nempe ſanguinis miſſionem.

Educetur autem extra corpus per pharmaciam, ſi cacochymia adſit, per ſanguinis miſſionem, vbi ad iunctam habeat plenitudinem. Huiuſmodi autem duo inſtrumenta verſantur circa cauſam antecedentem, quæ vbi ablata fuerit

A ad coniunctam eſt properandum.

In emphiſimate materia eſt flatulenta, & œdematoſa, quæ indicat ſui ablationem per ea, quæ diſcutere flatum, atq; humorem œdematoſum attenuare valent.

Paulus proponit medicamentum ex poſca, cui ſpongia intus immergatur, atque ſæpè oculo applicetur. Lixiuium B quoq; in quo flores chamæmeli ebullierint, aut vinum, in quo euphragia, atque modicum ſalis efferbuerint, ſunt optima ad flatus, & pituitam diſcutienda, ſi ſpongia intus immerſa calida palpebræ applicetur.

Mirum in modum aqua maritima ea dem ſpongia applicita valet. Aetius lib. 7. cap. 12. illinit palpebram cum melle, & croco.

C Pro curando chalazio.

Paulus laudat ammoniacum in aceto diſſolutum ſimul cum galbano, necnon terebinthinam cum cera, quibus palpebra eſt illinenda.

Medicamentà etiam ſupradicta non ſunt in hoc caſu reſpuenda, at vbi non cedat ijs, ex conſilio Celſi ad chirurgiam eſt deueniendum, hoc eſt, ſectione facta in cute tuberculum extrahere oportet.

D Ad hydatidem.

Cum ijſdem medicamentis, nempe attenuantibus, reſoluentibus, atq; exiccantibus hydatis curatur.

Ad hordeolum.

Sæpè huiuſmodi affectio medicamentis reſoluentibus cedit; aliquando ad ſuppurationem tendit. Auicennas laudat pro reſolutione opopanacem in aqua E diſſolutum, galbanum cum nitro, dum modo galbanum ſit in duplicata doſi.

Aetius probat fomentum per ſpongiam, & per panem calidum. Ficus ſicca cum vino ebullitæ, & modico galbani reſoluunt hordeolum.

Sunt, qui proponunt huiuſmodi medicamentum.

℞. fermenti,

Muſcarum capitibus ablatis,

La-

Ladani.
Myrrhæ,
Olibani.
Conficiantur omnia cum fæce olei de lilio,

Pro inuiſcatione.

Opus eſt in hoc affectu palpebras diducere ſpecillo ab inuicem, vel ab albo, aut nigro oculi; deinde ne amplius poſſint agglutinari, oportet aliquo medicamento inungere, vel abluere. Ad inungendum valet ſuccus ſemper viui, oleum roſatum cum pinguedine gallinę agitatum. Vrina pueri etiam probatur, ſed magis vinum, in quo bullierint roſæ & balauſtia, vel quid ſimile, vt ſcilicet partes exiccari valeant, ne amplius agglutinentur ſimul.

Ad ſuppurationem autem ducunt, quę ſuppurandi facultatem habent, quę plurima ſunt, & omnibus notiſſima.

Quibus ſic obſeruatis deueniendum eſt ad alias affectiones, quæ etſi in aliquibus conueniunt, ſunt tamen prædictis contrariæ, hoc eſt, ab humoribus contrarijs fiunt, vt eſt σκληροφθαλμία ξηροφθαλμία, ψωροφθαλμία, τράχωμα, quæ etiam eandem requirunt curationem, aut ſaltem paulò diſſimilem. Sed videamus quid vnaquæq; ſignificet, vt habita cognitione indicationes elici poſſint.

σκληροφθαλμία eſt durities, aut difficilis palpebræ motus cum dolore, aut rubore citra humiditatem oculi, & palpebrarum: Auicennas appellauit geſſe.

ξηροφθαλμία eſt pruriginoſus palpebrarum affectus abſque fluore. Latinè ſiccitas, & ariditas oculi, & palpebrarum dicitur, & arida lippitudo.

ψωροφθαλμία eſt affectio quædam palpebrarum pruriginoſa, aut ſcabies, quam ſcabiem, & pruritum appellat Auicennæ interpres,

τράχωμα verò eſt interna palpebrarũ ſcabrities, aſperitaſue, quam Celſus aſperitatem vocat: hæc autem adeo aliquando intenditur, vt veluti inciſuras habeat, & aſperitates in modum granorum ficus, ob quam ſimilitudinem Græci σύκωσιν appellant, Latini verò ficoſam palpebram, quæſæpè ita induratur, vt cũ callo ſimilitudinem habeat, vndè Grecè τυλώσις eſt dicta, Latinè calloſa palpebræ affectio appellatur, Aetius lib. 7. cap. 73.74.& 75.

Ex definitionibus allatis vnuſquiſq; agnoſcere poterit affectiones has ab inuicem diſtingui, ſimulq; habebit humorem peccantem eſſe biliofum, aut melancholicum, & vtrumq; ſimul, qui è toto corpore purgandus venit. Ratio præterea victus proportionata inſtituenda eſt, & ſi opus ſit ſanguis mittendus, acvbi iam antecedens cauſa per hæc tria inſtrumenta fuerit debellata, ad coniunctam auferendam localibus præſidiis aggrediendum, quæ copioſè admodum à doctiſſimo Aetio deſcribuntur lib.7 cap.77

Paulus quoque Aegineta nonnulla pulchrè deſcribit medicamenta lib.3. c. 21. vnum commune eſt ſclirophthalmię & xirophthalmiæ, acre, quod lachrymas poteſt euocare, vt illis humectetur palpebra.

Sed mihi magis arrident illa medicamenta, quæ primaria ſui ratione ſatisfaciunt indicationibus. Hic adeſt ſiccitas, & durities: ſiccitas indicat humectationem, durities verò emollitionem, quare, mea quidem opinione, ſunt eligenda medicamenta, quæ & humectandi, ac emolliendi facultatem habent.

Vnde fomentum ex aqua calida cum ſpongia factum cum Paulo mihi probatur. Item luteus oui igni coctus, & induratus cum roſaceo ad formam linimẽti redactus eſt præſtantiſſimum remedium, ſi parti affectæ applicetur. Summopere etiam commendo totius capitis inunctiones, & ex oleo irrigationes. Pro bo etiam iſtud linimentum, quod in hũc conficitur modum.

℞. pinguedinis gallinæ,
Mucilaginum ſeminum lini,

Ccc 2 Olei

Olei roſati ana partes æquales,

Cum modico ceræ fiat linimentum: hæc remedia ſunt pro prædictis duabus affectionibus.

Ad prurigines palpebrarum.

Auicennas proponit ea, quæ ad ſcabiem faciunt, quæ ſcilicet abſtergendi, & reprimendi facultatem habent, quandoquidem hic habemus duplicem indicationem, vna quæ accipitur ab humore acri fluente,& alia quæ deſumitur ab humore iam fluxo.

Fluens indicat ſui inhibitionem, vel per repellentia, aut adſtringentia medicamenta: id quod fluxum eſt, quia iam exulcerauit,ex vna parte,abſterſionem,ex altera reſolutionem optat,ideo medicamentum componendum eſt, quod hiſce intentionibusfacere ſatispoſſit. Ego in hoc caſu componerem tale vnguentum.

℞. ſucci limoniorum, vnc.j.

Tartari ſ. p. drach. ij.

Terebinthinæ lotæcum aqua roſarum vnc.ſſ.

Cum cera, quantum ſufficit, fiat vnguentum.

Cui poteſtis pro nobilibus addere moſchi, g.ij.

Probatur etiam collyrium ab Eraſiſtrato compoſitum, quod à Galeno, Auicenna, & omnibus authoribus confirmatur, quamuis collyrium de croco, quod commune eſt medicamentum, ab Auicenna ſummè laudetur. Sunt & alia quæ per vos componere poteſtis, ſi ad indicationes prædictas mentem habeatis, nec deſunt apud Aetium multa alia quibus nonnulli vtuntur.

De trachomate.

Hic proponuntur in primis aſperitas, ſecundò inciſuræ, atq; validiores aſperitates granorum ficus in modum, tertiò calloſitas. In primo affectu,ſi debet indicatio à natura rei accipi, quod aſperum eſt,leniri oportet cum his, quæ leniendi facultatem habent, at quòd habet aſperam ſuperficiem, eſt quodam

A modo exiccatum, ideo humectantibus medicamentis, aut his, quæ aſperitates tollunt, auferendum eſt.

Ad intentionem hanc proponit Paulus collyrium, quod ex vino conſtat, atque duobus lapidibus contritis,& in puluerem redactis, nempe lapide hæmatitis, & lapide lazuli:vel accipiendus eſt lapis hæmatitis, in aquaq; immergendus,interiorque palpebra eo abſtergenda.

B At vbi adſunt exulcerationes, nempe ſciſſuræ, magis eſt abſtergendum, probaturq; illud collyrium, quod à Tralliano lib.2. cap. 6. proponitur, ipſumq; troxamaticum vocat. Sed legatis Aetiū lib. & cap. præcitato, vbi plura affert collyria pro huiuſmodi tollenda affectione.

C Quando autem res ad callum deducta eſt,pumicem accipit, eaq; internam palpebræ ſuperficiem induratam leuigat, deinde lacte abluit, vel (& eſt melius) accipit pumicem, eamque pollinis in modum puluerizat tragacantho, aut gummi madefacto excipit, collyriumque componit: & hæc de trachomate.

D Sunt modò alij morbi palpebrarum, qui ad cilia potiùs, quàm ad palpebras attinent, quemadmodum τριχίασις quæ eſt paſſio, in qua pili inutiles, & oculos pungentes enaſcuntur: deinde μαδάρωσις,quæ eſt pilorum profluuium,à Latinis glabrities appellata,ab Auicenna caſus pilorum.

Eſt aliud vitium,in quo pili alij ſub ordine pilorum palpebrarum enaſcuntur, quaſi alius ſuccedat pilorum ordo,

E διστιχίασιν Græci, Latini prauitatem ordinis,Auicennas verò pilos additos,vel inuerſos appellauit.

Sequitur φθειρίασις,& eſt quando pediculi parui palpebras infeſtant, pediculatio à nonnullis dicta. Iſti, & alij adhuc remanent,quemadmodum illa affectio, quam noſtrates vocant leporinos oculos,quòd in ipſis retracta ſit palpebra ſu-

pe-

perior, & oculis apertis perinde, ac le- A pores dormiunt, quo nomine à Græcis λαγωφθαλμοι dicuntur.

Aliquando inuertitur pupilla ob cicatricem, aut carnis excreſcentiam adnatam, quã affectionem Græci ἐκτρόπιον, Auicennas verò appellat palpebræ inuerſionem.

Huiuſmodi affectiones curantur, & medicamentis, & manuum opera, quare videntur potius ad chirurgiam ſpectare, quàm ad præſentem tractationem, quamuis poſſent curari ea ratione, qua de alijs affectibus eſt dictum, in quibus quidem habenda eſt cura totius corporis per tria inſtrumenta medica, vt audiuiſtis: & hæc ſint dicta de oculorum morbis.

# DE MORBIS AVRIVM.

## DE DOLORE AVRIS.

### CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

IVxta Raſis noſtri ordinẽ qui quatuor proponit capita circa aurium affectus, primum de dolore ſecundum de vlcere, tertium de ſonitu, & tinnitu, poſtremum de auditus grauedine, nos incedentes, breuitatiq; ſtudentes hęc quatuor ad duo reducemus, nempe ad aurium dolorem, & ad actionem auditus læſam.

Iam verò inter alios partium noſtri corporis dolores certè videntur illi, qui aures, atque dentes infeſtant, nec non òculos, eſſe vehementes, & magni, vt Galen. 2. de med. localib. ait, proinde attentè, & diligenter à nobis agendum eſt, & primò de aurium dolore, in qua quidem re peragenda, tria declarabimus, primò quid ſit dolor: ſecundò, quæ ſit immediata cauſa ipſius, ex qua habebitis, quomodo is excitetur: poſtremum quotuplex ſit dolor.

De materia doloris ego aliàs fuſiſſimè, dum eſſet mihi ſermo de capitis dolore, pertractaui, nunc ea per compendium repetens, afferam propoſitiones, D tãquam veras cõcluſiones ibi probatas.

Itaque oſtendi eo loco apud Galen. reperiri doloris duas definitiones, vnam cauſalem, alteram formalem. Cauſalis ſcripta eſt 1. lib. de cauſ. ſympt. cap. 6. eſt, quòd dolor ſit mutatio ſubitò, & affatim facta à ſtatu naturali ad præter naturam.

Eſt igitur cauſalis, quia mutatio non eſt formaliter dolor, ſed cauſa afferens dolorem: omnes partes ſenſitiuæ in hac E mutatione patiuntur, ſed non ſolum ſenſitiuæ ſenſus tactus, ſed aliorum ſenſuum, qui in violenta mutatione patiuntur.

Formalis definitio habetur à Gal. 12. meth. med. cap. 7. 2. de ratione victus in acutis con. 1. & eſt, quod dolor ſit triſtis, aut grauis violentæ mutationis ſenſus ab obiecto ſenſibili factæ.

Ad hoc vt fiat dolor, duo neceſſariò concurrunt, vnum eſt, quod mutatio illa

illa, ſeu alteratio fiat confertim, atque violenter: alterum eſt, quod partes, circa quas fit alteratio, ſint ſentientes; nam niſi ſenſu eſſent preditę, quãuis fieret circa ipſas violenta alteratio, aut mutatio, nullus inde ſequeretur dolor.

E contra autem etſi partes ſenſu eſſent prędite, nec violenta eſſet mutatio, aut alteratio, non fieret ſenſus doloris. Fuerũt à varijs, & præclariſſimis authoribus multæ aduerſus hanc definitionem allatæ obiectiones, inter quas duæ erant conſiderabiles.

Vna, in qua oſtendebatur non poſſe eſſe triſtem ſenſationem, quia eſſet dolor referendus ad actionem lęſam, atque cum trifariam omnis actio lædatur, ablatè, diminutè, atque deprauatè, non eſt dicendum actionem lædi primo, & ſecundo modo, cum adſit ſenſus, nec minus tertio modo, hoc eſt deprauatè, quia tunc dicitur potentia ſenſitiua deprauatè ſentire, quando obiectum ſuum percipit alia ratione, quàm ſit, quod falſum in ſenſu tactus eſt, vnde concludendum eſſe exiſtimant dolorem non eſſe referendum ad actionem læſam ſenſus tactus.

Secunda difficultas erat, quia ſi concederetur, quod dolor ſit triſtis ſenſatio, ſequeretur adeſſe vim quandam in ſenſibus exterioribus, qua valerent apprehendere obiecta ſenſibilia ſub ratione conuenientis, aut diſconuenientis, quia dolor nihil aliud eſſe videtur, quàm dignoſcitiua perceptio obiecti ſenſibilis nocentis, atq; moleſtantis, quæ cum à ſenſu percipi non poſſit, opus erit aliqua alia, & magis intrinſeca potentia, nempe vel appetitiua, vel phantaſtica, quare potius dolor erit paſſio ipſius appetitus, aut deſiderij, quàm ſenſus tactus.

Sed ego aliàs magis particulariter ſatisfeci omnibus obiectionibus, nunc dico, quod dolor eſt ſymptoma actionis ſenſus tactus vitiati, non aboliti, aut diminuti, & ad ipſius rei dilucidationem addo, quod ad ſenſum faciendum

A tria neceſſariò ex Ariſt. ſententia concurrunt, nempe organum bene diſpoſitum, medium, & obiectum proportionatum, vno horum deficiente, & ſenſum deprauatum eſſe contingit.

Quando fit dolor, non ſeruatur iuſta inter hæc tria proportio. Nam cum ſenſus tactus fiat per medium ſibi coniunctum, quotieſcunq; iſtud medium labefactatur, proculdubio fit in organo

B deprauata receptio; quamuis obiectum non ſit immutatum, vt in exemplo, cutis eſt ſenſus tactus inſtrumentum, medium eſt cuticula, ſi forte hęc auferatur, velimuſque cutem detectam tangere, quouis obiecto molli, vt goſſypio, difficile eſt dictu, quantus ſit dolor.

Idem dicendum eſt, ſi neruus à cute detegatur, leuiterq; tangatur; ſit enim

C ingens dolor, ſiquidem contingit ob malam organi diſpoſitionem obiectum alio modo receptum eſſe, ac ſit, non ſecus atq; euenit in oculo malè affecto, à quo videntur ea, quæ non ſunt in aere, vt muſcæ, cimices, & huiuſmodi.

Quare quamuis potentia ſit ſemper diſpoſita de ſe ad recipiendum obiectum, quale ſuapte eſt natura, ratione tamen malę diſpoſitionis organi facilè decipitur, quare organum malè diſpo-

D ſitum eſt cauſa, vt fiat dolor. Idem dicas, quando obiectum improportionatum eſt, atque medium, quare concludimus dolorem eſſe actionem deprauatè læſam.

At vbi infertur neceſſitas interioris facultatis ad dolorem percipiendum, dicebamus eo loci, & nunc repetimus, quod aliud eſt ſenſum pati ab obiecto,

E aut perfectè, aut vitioſè, & aliud eſt cognoſcere obiectum, vt proſequendum, aut fugiendum.

Si conſideremus primò modo ſenſum tactus, dicimus poſſe cognoſcere ſuum obiectum ſub ratione lædentis, aut iuuantis: ſi ſecundo modo, dicimus ſenſum tactus egere interiori, & ſuperiori virtute, nempe appetitiua, aut phan-

ta-

ſtaſtica, quæ quam primum à ſenſu accęperit triſtitiam, aut voluptatem; ſtatim facit iudicium eſſe vel fugiendum, aut proſequendum.

Vnde dicimus in ſenſu tactus duplicem eſſe virtutem actiuam, vnam partialem, alteram totalem, & ſpecialem; priori virtute ſenſus tactus dignoſcit obiectum ſuum ſub ratione, vel iucundi, vel contriſtantis; altera verò ipſum apprehendit, vt proſequendum, vel fugiendum.

Concluſum igitur ſit, dolorem eſſe triſtem ſenſationem à violento obiecto prouenientem, ac eſſe quid præter naturam, & in genere ſymptomatum actionis læſæ, non abolitè, nec diminutè, ſed vitiosè, & hæc compendiosè de natura doloris.

Properandum eſt ad ſecundum caput, nempe ad cauſas doloris, de quibus ſatis diffuſe tractauimus capite de dolore capitis, at nunc per tranſennam, & breuiter de illis agendum eſt, quæ ad duo capita rediguntur; nam fuerunt aliqui exiſtimantes ipſum fieri ab intemperie, inter quos fuit Auerroes, alij verò putarunt non poſſe fieri niſi à ſolutione continui, alij autem ab vtraq; alij verò dixerunt fieri à primis, & ſecundis qualitatibus violenter irruentibus.

Nec deſunt, qui putent ab vtraque cauſa fieri, ſed alia, & alia ratione;nam dicunt dolorem nunquam eſſe ſine continui ſolutione,quia addunt aliud eſſe dolorem fieri cum ſolutione; & aliud eſt dicere ipſum fieri ex ſolutione. Aperte fatentur numquam ſine ſolutione fieri, non tamen ſemper à ſolutione oriri.

Ego tamen examinans has opiniones, oſtendi, in quibus rectè dicant, & in quibus peccent; nunc breuitati ſtudens, aſſero ex Gal. ſententia dolorem habere pro cauſa immediata modò intemperiem, modò ſolutionem continui, modò vtramq; ſimul.

Ratio deſumpta eſt ex natura ipſius

A rei, nam dolor duo ſupponit, vt ſupra eſt dictum; vnum eſt mutatio violenter facta in partibus noſtri corporis; aliud eſt ſenſus ipſarum: cum autem de natura partium ſit, vt habeant temperiem, atq; vnitatem, qui fieri poteſt, vt partes ſenſu præditæ percipiant violentiā in ſui continuitate, non autem percipiant violentam mutationem factam in ſua temperie?

B Hoc certè eſt, quod mihi maximam facit dubitationem, cum non videam maiorem eſſe rationem vnius, quàm alterius, quare ſum huius ſententiæ, vt exiſtimem dolorem tam ab intemperie, & à ſolutione continui, quàm ab vtraq; cauſa ſimul fieri.

Verùm accidit hoc cum quadam doloris differentia;nam dolor alius eſt vehemens, alter vehementior, & tandem

C alius vehementiſſimus, dolor mitis quidem fit à nuda intemperie, vehementior à ſolutione continui, at vehementiſſimus ab vtraq; cauſa.

Quod (niſi fallor) duobus verbis, vt ſui moris eſt, Hipp. nobis ſignificauit, quando inquit, dum alteratur, & corrumpitur natura, fiunt dolores; alteratio enim intelligitur de intemperie, corruptio verò de ſolutione continui.

D Concludamus igitur cauſas doloris eſſe intemperiem, & ſolutionem continui, qui excitatur, quando huiuſmodi cauſæ violenter in partes noſtri corporis irruunt.

Quod ad tertiam caput ſpectat, videtur mihi apud probatiſſimos authores dari ſeptem differentias doloris; nam vnus dicitur pungitiuus, ſecundus grauatiuus, tertius tenſitiuus, quartus,

E exulceratiuus, quintus frangitiuus, ſextus laxatiuus, ſeptimus pulſatiuus, quæ differentiæ ad tres tantùm reduci poſſunt.

Nam pungitiuus,exulceratiuus,& frangitiuus videntur inter ſe ſecundùm magis, & minus differre, quemadmodum grauatiuus, tenſiuus, & laxatiuus non

vi-

videntur conſtituere inter ſe varias ſpecies doloris.

De dolore autem pulſatiuo dictum_ eſt ſemper fieri, quando adeſt inflammatio, quia eſt ipſius veluti ſignum pathognomonicum.

Sed cum dictum ſit ab intemperie fieri dolorem, poſſet quis percontari, num ab omni intemperie fiat, an ab aliqua_ tantum? Ego rem hanc ex Gal. ſententia determinaui, attuliq; omnium authorum opiniones, quæ ferè omnes videntur conuenire cum Gal. quod à calida, & frigida intemperie fiant vehementiſſimi dolores, à ſiccitate aliquos exiguos, quod cum ſiccitas non habeat actiuitatem velocem, violentiam facere nequit: at ab humiditate nullus poteſt fieri dolor niſi per accidens, quatenus aliquã ex prædictis habeat adiunctam intemperiem.

Quibus ſic determinatis, forte cuipiam veſtrum videbitur nos hoc loci præter rationem de dolore fuiſſe loquutos; cum dolor pertineat ad partes corporis noſtri ſenſitiuas. Deinde neq; videtur inter aurium morbos connumerandus; cum inſtituti noſtri ſit de aurium morbis particularibus pertractare.

Reſpondeo, quod etſi dolor propriè ſpectet ad ſenſum tactus, nihilominus omnes authores tractantes de aurium_ morbis, primò de dolore agunt, tanquã de omnium morborũ infeſtiſſimo, quod aliquando adeo vehemens eſt, vt homines interimat, non ſecus ac faciat apoplexia, vt Auicennas ſcribit fen 4. 3. cap. 6. tum quia ipſe in auribus eſt difficillimæ curationis, tum quia, & cauſam ipſum facientem, & partem affectam maxima cum difficultate cognoſcere poſſimus, propterea nos cum alijs authoribus, & cum Raſi potiſſimùm de hoc dolore_ pertractamus.

Ex doloribus aurium alij ſunt interni, alij verò externi: rurſus alij ſunt continui, alij interpolati, & vt Raſis ait, atque Auicennas, aliqui ſunt periodici, A non ſecus atq; febres; cæterùm alij ſunt cum aliquibus ſymptomatibus, vt eſt pruritus, eryſipelas, & huiuſmodi; alij ſine_ vllo ſymptomate.

## DE CAVSIS DOLORIS AVRIVM.

Cauſæ horum dolorũ ſunt illæ, quas ſupra enumerauimus, nempe intemperies, & ſolutio continui: rurſus B intemperies alia cum materia, alia ſine materia. Intemperies ſine materia inducit dolorem quidem, ſed multò maiorem quando coniuncta eſt cum materia, quod ſimul cum intemperie ſoluat continuum, vnde Auicennas ſcribit doloris cauſam prouenire ab apoſtemate.

Poteſt etiam generari dolor ex ſeroſis humoribus, vt Gal. 3 de comp. med. C loc. cap. 1. docuit; necnon ab humoribus omnibus, ſero, & flatulenta materia.

Intemperies autem alia eſt calida, alia frigida, quæ ambæ ſuas habent cauſas tam internas, quàm externas, internæ prodeunt ab humoribus calidis, aut frigidis.

Externæ proueniunt ab ambientis nimia caliditate; vt quando quis in ſummo D æſtu deambulet ſub ſole, aut longum_ iter in eo faciat, vel vento calido, qui præcipuè ex frigido calidus ſtatim fiat, exponatur; quemadmodum in temporum mutationibus contingit.

Idem ab aqua calida_ vel actu, aut virtute euenire poteſt: ſic dicendum de frigida intemperie, quæ fit à contrarijs cauſis.

E Solutio autem continui fit, vel ab interna, aut externa cauſa: interna eſt humor acris, mordax vlcus faciens, ſoluendo continuum. Idem facit animalculum aliquod furtim aurem ingrediẽs, vel medicamentum calidum, vel aliquid tale_ immiſſum: cæterum ictus, percuſſio, vulnus, & huiuſmodi poſſunt dolorem, tam interius, quàm exterius excitare.

Sed

Sed hoc loci non deſunt grauiſſimi noſtræ ætatis ſcriptores in dubium vertentes, num ex aere calido poſſit dolor excitari? imò verò mouentur quaſi Græcorum authoritate, qui nihil hac de re ſcripſerunt, proinde videtur meritò hoc quæſitum proponere, vt inde ſciamus qua ratione Auicennas, & Arabes dixerint calorem aeris efficere dolorem in aure.

Soluentes contradictionem dicunt calorem aeris efficere dolorem per accidens, quatenus ſcilicet calefaciendo colliquat humores, qui colliquati præcipitant in aures.

Sed huiuſmodi conſideratio non placet, quia calor aeris eſt vna ex illis cauſis, quæ per contactum calefaciunt; ſcimus enim Gal. lib. 1. de diff. febrium inter cauſas febris poſuiſſe contactum corporis calidi, qui contactus, vt operetur, atque inducat caliditatem extraneam in corpore noſtro, non eſt opus, vt colliquet humores, ſat enim eſt ſi calefaciendo inducat caliditatem, ſicut quotidie experimur in his, qui diu in ſole iter faciunt; aut nimium in eo morantur.

Quare dicimus nos caliditatem aeris poſſe per contactum calefacere noſtri corporis partes ea ratione, vt fiat φλεγμονή ideſt inflammatio ſine materia, quapropter dubitatio hæc non mihi videtur ad modum valida, quia Græci id tanquam notum, & verum ſuppoſuerunt, Arabes autem maluerunt peccare in exceſſu, quàm aliquid omittere.

## DE SIGNIS DOLORIS AVRIVM.

Signa dolorem ſignificantia ab ægrotante ſunt petenda, quandoquidem ex interrogatione facta ſtatim reſpondebit ſe eſſe cruciatum à tali, & tali dolore, ideo non eſt, vt conferamus tempus in ſignis perquirendis.

Sed ad habendam ſignorum demonſtrantium cauſas oportet, vt ait Galenus lib. de comp. med. per loca cap. 1. vti rationali quadam coniectura per ea, quę & præſentia quidem ſunt, atq; præter greſſa; nam cum vt plurimum à frigiditate, ab inflammatione, atq; flatulenta fiant materia, ideo nobis diſcurſu, & ratione inueſtiganda veniunt.

Quandoquidem vbi à frigida intemperie fiant, ſiue cum materia, ſiue abſq; materia, inquirendus eſt corporis habitus, & caput ipſum vtrum pituitoſi ſit habitus, an diu aeri frigido fuerit expoſitus, vel aqua frigida in aurem ingreſſa ſit, vel vitam æger degerit otioſam, vſuſque ſit cibis, qui humores pituitoſos generare potuerint: deinde vide, an percipiat intus frigiditatem; & tandem an à calidis medicamētis ſentiat iuuamentum, quippe ex his habebimus validam coniecturam dolorem fieri à frigiditate.

A caliditate autem dolorem fieri eadem via conijcere poteritis, in primis à ſpecie doloris, quia ſi dolor vehementiſſimus ſit, liquet adeſſe calidos humores: deinde ſi ægrotans percipiat ingentem caliditatem, habituſq; corporis ſit biliofus, atq; vſus fuerit cibis calidis, ac in ſole manſerit, non modo habebitis à caliditate fieri, ſed etiam ab humore bilioſo.

Cæterùm quando fit ab inflammatione, tunc dolor adeſt pulſatiuus, fitque à ſanguinis copia, quod manifeſtius erit, ſi corpus ſanguine plenum eſſe ex rubore faciei, ex anteacta vita, & venarum turgentia, dignoſcetis.

Ab humore autem flatulento craſſo exitum quærente dolorem fieri coniectura accipiendum eſt ab his, quæ præceſſerunt, nempe à victus ratione, quæ flatum generare potuerit, ſi aliquam ægrotantes frigiditatem, deinde dolorem ſenſerint.

Si dolor grauatiuus, atque tenſiuus percipiatur, ſi à diſcutientibus flatum percipiat leuamen doloris, ſi corpus aptum ſit ad flatus generandos, hæc om-

nia ſi ita diligenter inquirantur, procul dubio cauſam doloris manifeſtabunt.

At ſi ab exteriori fiat cauſa ſoluente continuum, vt pote ab aliqua materia, vel animata, vel inanimata, quæ in aurem ingreſſa fuerit, ſtatim ab ægrotante audiemus.

## DE FVTVRO EVENTV DOLORIS *aurium.*

QVod ad prædictiones ſpectat, non omnium ægrotantium idem poteſt eſſe euentus, quandoquidē ſcribit Auicenna pueros ſæpè interemptos ab aurium doloribus eſſe, antequam ſuppurari poſſint, ſenes verò euadere, ſi ad ſuppurationem veniant.

Sed quod magis eſt, ſcribit aliquos à dolore aurium, non ſecus atq; apoplexia interfici, eſt tamen animaduertendum prognoſticum hoc non eſſe indifferenter de omnibus doloribus intelligendum, ſed de illis, qui fiunt ab inflammatione, de quibus idem Auic. loquens, dicebat, peruerſior dolorum auris eſt ille, qui ex apoſtemate calido profundo inflammatiuo fit, qui dolor adeo vehemens eſſe poteſt, vt aliquos apoplexiæ in modum opprimat.

At quoniam vix alia ratione, quàm per ſuppurationem curari poteſt, atque pueri ſunt debiles, nec diu valent tolerare dolores factos, dum inflammationes ad ſuppurationem veniunt, obq; molliciem cerebri, cui ſtatim inflammatio communicatur, hinc eſt, quod ante ſuppurationem moriuntur.

At ſenes, cum magis ad prædicta toleranda valeant, fit vt ad ſuppurationem inflammationis veniant, poſt cuius materię extra ductionem liberantur.

Sed quamuis dolores ab inflammatione ſint lethales, non tamen, qui à flatu, aut frigiditate, aut ſolutione eueniunt, eodem terminantur modo, quia ſunt longæ, & difficilis curationis, & qui tum medicum diligentem, tum & ægro-
A tantem patientem exoptant.

## DE CVRATIONE DOLORIS *aurium à materia frigida.*

IN curatione huius doloris oportet cauſam reſpicere, ac pro diuerſitate ſui diuerſimodè etiam agendum eſt, hoc tamen habent commune omnes dolores, quod opus ſit in omnibus vniuer-
B ſum corpus, & caput etiam reſpicere; nam omni ingenio curandum eſt, vt cauſa producens dolorem in primis tollatur.

Poterit autem auferri, ſi ipſius inhibeatur generatio, ita vt talis humor non amplius in corpore generetur, ille autem, qui iam eſt genitus, in aures fluere prohibeatur, quod vtrumq; præſtabitis
C per victus rationem, pharmaciam, & chirurgiam.

Si humor frigidus ſit, victus ratio debet eſſe pauca, quæ tamen ſit boni ſucci, & facilis diſtributionis, & coctionis, ſed qui nonnihil calefaciendi facultatem habeat, ideo celebriores practicantes dicunt eſſe addēdum modicum mellis, aut piperis, vel etiam caryophyllorum, vel cinnamomi, vnde ſatius eſt car-
D nibus volatilium vti aſſatis, iiſq; rebus conditis, & alijs quibuſdam capitalibus vt eſt ſaluia, roſmarinus, & huiuſmodi.

Pro potu vinum laudatur, ſed in moderata quantitate ſumptum, in alijs autem rebus ſex non naturalibus mediocritas ſeruanda: ſed inter alias res cura habenda eſt alui, quæ niſi ſingulo die conſuetum officium obeat, cogenda eſt cum clyſteribus paulum acribus, vt inde
E reuellatur materia: qui autem ſunt huiuſmodi clyſteres tam ſepè, à me audiuiſtis, vt pudeat me eos amplius repetere.

Pharmacia verò eſſe debet talis, quę humorem frigidum è toto corpore, ſed è capite potiſſimùm educat. Mihi magnopere probatur ſyrupus huiuſmodi.

℞. ſyr. de bettonica.

De

Deſtæchade,
Oxymellis Caleſtani ana vnc.ſſ.
Aquarum bettonicæ,
Saluiæ,
Maioranæ, ana vnc.j.ſſ.

Cum hoc ſyrupo alterate, & præparate materiam, deinde educite cum pilulis cochijs, aut aureis, vel de hiera cum agarico, & ſi opus ſit repetatis curationem, quæ niſi ex voto ſuccedat, ad exiccantia eſt properandum, nempe ad decoctum guaiaci, ſalſæ, vel radicis chinæ, aut ſasfras, quod parari poteſt cum rebus capitalibus.

Poſt purgationem non improbarem ad capitis corroborationem accipere ſingulo mane per plures dies, vel conſeruam ex roſis, roſmarino, vel ex ſaluia, bettonica ana vnc. ſſ.

Per chirurgiam verò, ſi adeſt indicans, & permittens, mittite ſanguinem ex brachio: ſi non adeſt abſtinete à ſanguinis miſſione. Tandem ea omnia, à vobis agenda ſunt, quæ capite de dolore capitis à materia frigida, abundè diximus.

Pro localibus medicamentis ea ſunt eligenda, quæ attenuandi, ac calefaciendi facultatem habent, quorum ſyluam apud authores habetis. Gal. 3. localium med. cap. 1. proponit cæpam, in qua oleum infuſum ſit, atq; cineribus excalefactam, adeo vt oleum ſit calidū, illudq; in aurem inſtillat. Non modo cæpa, ſed allium in oleo coctum, atq; intus affuſum idem præſtat.

Hoc genus medicamenti ab omnibus eſt receptum, quia ſuccus cæpæ, atque allij tenuium eſt partium, habetq; calefaciendi facultatem. Probatq; oleum cum modico euphorbij, aut piperis: placet etiam oleum chamæmelinum, coſtinum, vulpinum: ſuccus etiam cæparum cum adipe anſerino valet.

Proficiunt quoque euaporationes facta ex origano, chamæmelo, abſynthio, & modico euphorbij, quæ in vaſe, vbi ignis paululum adſit, poſita in autem, poſſint ſuum vaporem tranſmittere. Alij laudant oleum ſeminis canapis, vt præſentaneum remedium, vel oleum luteorum ouorum: oleum, in quo allium per horas duas ebullierit, dolorem ſedat. Nonnulli commendant piscis florem.

Ego ſæpiſſimè in dolore à materia frigida vſus ſum cum felici ſucceſſu vino, in quo ebullierit modicum aloes, nec non parum piperis: oleum quoque ſpicatum ſæpè adhibui. Eſt tamen animaduertendum ex Gal. conſilio, & Auicennæ, quod quamuis proueniat dolor à frigiditate, quæ tamen intus inſtillantur, debent eſſe moderatè calida.

Suffumigium ad idem

℞. ſummit. origani,
Pulegij,
Florum chamæm. ana p. j.
Euphorbij,
Galbani ana drach. ſſ.
Cinnamomi,
Caryophyllorum, ana ſcrup.ſſ.

Igni accommodentur, ita vt euaporare in aurem poſſint.

## DE CVRATIONE DOLORIS *aurium à flatu producti.*

Si verò dolor proueniat ratione flatus, tunc inſtituta victus ratione, vt dictum eſt, decenti, expurgatoque, quantum opus eſt, corpore, atque ſi res ipſa expoſtulat facta phlebotomia, ad localia deueniendum eſt, quæ poſſint indicationi ſatisfacere, nempe craſſos humores attenuare, & flatus diſcutere, quorum multa proponit Gal.

Vt eſt ſuccus melanthij,
Succus anethi in aurem ſtillatus.

Vel

℞. ſucci anethini,
Olei laurini, ana vnc.j. miſce.

Alexander Trallianus proponit tale medicamentum, peucedani liquorem cum oleo irino, vt ex. g.

℞. Succi peucedani, vnc. ſſ.

Olei irini vnc.j.& intus aures inſtille tur: huiuſmodi liquor eſt validum, & præſentaneum medicamentum.

Vel etiam placet, vt accipiatur betæ ſuccus cum felle taurino ad æqualespor tiones.

Doctiſſimus Mercurialis vtitur hoc medicamento,

℞. cepam, aut corticem ipſius, in quo ponit.

Olei chamemel. ad drach. iij. aut vnc.ſſ.

Piperis albi,

Pul. aniſorum ana ſcrup.j.

Ponit cæpam ſupra prunas ardentes, quouſq; totum oleum abſorptum fue- rit, deinde contundit cæpam, atq; ſuc cum exprimit, & in aurem inſtillat.

Ferulæ ſuccus in hoc affectu cum o- leo chamæmelino etiam valet.

Et ego accipio allium integrum, & iubeo in duabus vncijs olei chamæ- meli ebullire, quo vſq; oleum conſum ptum fuerit, intus addendo cinnamo mi, macis ana ſcrup.ſſ. deinde curo, vt totum allium, quantum fieri poteſt, ex- primatur, vt inde totus ſuccus extrahi poſſit, ac præcipio in aurem inſtillari, & eſt medicamentum ſingulare.

In dolore auris à flatu valet decoctum fœnugræci cum oleo laurino, & modi- co fellis gallinæ, aut caponis intus au rem inſtillatum.

Galenus probat amygdalas ama- ras, & ego ſoleo ſepiſſime vti oleo amyg dalarum amararum cum oleo roſaceo.

In hac doloris ſpecie non deſunt gra uiſſimi authores, qui dicunt eſſe auri applicandam cucurbitam.

Plura alia ſunt eiuſdem generis medi camenta apud ſcriptores, quę per vos videre poteſtis: hoc vnum addam, quod huiuſmodi flatulentæ materiæ, & craſſi humores obſtructiones faciunt, quem- admodum Galenus loco præcitato ſcri bit, ideo docet etiam omnia localia, quæ habent deobſtruendi facultatem, eſſe ex vſu, vt quę lapides in renibus

A conterunt, & citra mordicationem ſunt tenuium partium, ne dolorem poſſint exacerbare.

## DE CVRATIONE DOLORIS *aurium à caliditate excitati.*

Cum autem intemperies cum mate ria biliofa, & ſine materia eadem requirant medicamenta nos primùm, B ea proponemus, quæ vtrique ſunt com munia, deinde illa, quæ dolori ab inflam matione orto proſunt.

In ambobus habenda eſt ratio ipſius victus, quæ optimum ſanguinem gene- rare poſſit, ſed nonnihil refrigerandi fa- cultate polleat, ideo inſtituendus eſt victus, qualis febricitantibus conuenit, à principio quidem tenuis, precipuè pti C ſanæ cremor, & ptiſana ipſa.

Cæterum cum carnibus pullorum ſunt ebullienda ſimplicia habentia refri gerandi facultatem, vt eſt

Lactuca,

Sonchus,

Portulaca,

Oxalis,

Scabioſa,

Cichorium,

D Endiuia,

Et huiuſmodi,

Cum hoc autem iuſculo parari fercu la, ptiſana, aut panis tritus, vel alterius ſimilis materia. poteſt: abſtinendum eſt omnino à vino, & aqua ſimplex pro po tu accipienda venit.

In materia bilioſa ſi ſanguis cum bile peccet, ad ſanguinis miſſionem deueni- E re oportet: deinde refrigerantibus, ac nimiam ſanguinis ebullitionem attem- perantibus vtendum venit, vt ſunt ſyru pus de endiuia, acetoſus ſimplex, de cichorio, cum aquis proportionatis, aut decoctione quadam, quæ eandem cum ſyrupis facultatem habeat.

Quando dolor inflammatorius eſt, ſta tim ad ſanguinis miſſionem properabi- mus, quia vt dictum eſt, inflammatio

fit

fit à ſanguine, deinde ad humores attem perandos accedemus.

Deniq; ad pharmacum purgans eſt properandum: optimum medicamentum erit ſyrypus roſatus ſimplex cum electuario roſ. Meſue, aut rhabarbaro, vel in infuſione, aut in ſubſtantia, quemadmodum aliàs docui.

Diacatholicon cum duplicato rhab. ad vnc.j. mihi in hoc caſu probatur; nec improbo pilulas cochias. Habita igitur hunc in modum totius corporis prouidentia, iam ad localia, ſeu topica medicamenta eſt deueniendum.

## DE CVRATIONE DOLORIS *aurium per medicamenta localia.*

QVod ad topica ſpectat medicamenta, opus eſt cognoſcere, an poſſimus per curam regularem procedere, an verò cogamur ſpreta cauſa pugnare aduerſus ſymptoma, quã curationem medici coactam, & irregularem vocant. quandoquidem ea non reſpicimus indicationes, ſed omni arte, & induſtria tentamus auferre dolorem.

Ac certè ſi aliqua pars in corpore eſt, quæ poſſit cogere medicum, vt à cura diſcedat regulari, eſt dolor aurium atq; dentium, qui adeo vehemẽtes ſunt, vt niſi quam citiſſimè opem feratis, homines cruciatu pereant, ideo ſi dabitur vnquam vobis occaſio, vtimini medicamentis narcoticis, hoc eſt, ſenſum deſtruentibus, quia melius eſt, vt ęgrotus amittat ſenſum tactus in aure dolente, quàm vitam.

Sed hæc, vt dixi, rarò, nec niſi maxima vrgente neceſſitate ſunt adminiſtranda, & ſi caſus requirat, poteſtis accipere opij grana ij. cum oleo amygd. dulcium admixta, atque intus aurem infundere.

Placet etiam accipere philonij à ſcrup. j. & cum lacte humano in aurem inijcere. Galenus probat opium cum lacte humano, & albumine oui.

vel

℞. olei chamæm. vnc. ſſ.
Athanaſiæ, drach. ij.
Requiei Nic. drach. ſſ.
Olei violati,
Nenuphar. ana vnc. j.
Miſce, & in aurem inſtilla.

Eſt tamen notatione non indignum; quod Gal. lib. 3. loc. med. cap. 1. admonet longè melius eſſe cum ſpecillo leniter medicamentum in meatum auditorium immittere, quàm intus aliquid inſtillare; nam ſi goſſipio circa ſpecillum inuoluto, atq; madefacto in aurem mittamus, facilius, & citius perueniet medicamentum ad meatum auditorium; quia cum inſtillatur gutta aliqua olei per viam meatus auditorij diſſipatur, nec tam ſtatim ad tympanum peruenit.

In hoc caſu propono medicamentum, quo ſępè, & feliciſſimo cum ſucceſſu ſum vſus, eſt autem huiuſmodi.

℞. myrrhæ ſ. p. drach. ſſ.
Croci gr. ij.
Opij ſcrup. j. infundantur in oleum amygd. dulcium, & goſſipium in eo ablutum in aurem leniter protrudite, atq; ſæpiſſimè repetite. Galenus vult opium eſſe cum ſapa diſſoluendum.

Hoc modo in cura coacta Gal. nobis agendum eſſe præcipit; in cura autem regulari ſeruandæ ſunt indicationes curatiuæ, ſi dolor fiat à ſola intemperie, aut ab humore calido bilioſo, hoc eſt, ab intemperie ſine materia, aut cum materia; nam tunc vna ferè, & eadem eſt indicatio, quæ indicat eſſe refrigerandum, ad quam intentionem reſpiciens Gal. anodina applicat medicamenta, & quodámmodo attemperantia calidítatem, inter quæ probat lac muliebre cum albumine oui agitatum, oleum quoque roſatum, tam ſimplex, quàm omphacinum intus iniectum.

Idem præſtant ſuccus ſemper ui, ſuccus cor'andri viridis, ſuccus gra'a-

to-

torum, oleum roſ. cum camphora.

Atqui ſi adſit inflammatio, tunc ex ipſius rei natura habemus duplicem indicationem, quia inflammatio eſt in facto eſſe, quod in meth.med. pluribus capitibus demonſtrat Galenus, ideo ex vna parte indicatur nobis, vt ſiſtamus id, quod eſt in fieri, & quod fluxum eſt, euacuemus.

Verum quidem eſt, quod id, quod fluxit, non ſemper eodem modo euacuatur, vt idem docet Galenus, quia aliquando inſenſibiliter euaporat, ſæpè verò ad ſuppurationem venit, quare oportet, vt ad euacuandam materiam firmatam nonnumquam vtamur reſoluentibus, aliquando verò ſuppurantibus.

Ideo vbi reſoluendum eſt, placet, vt in aurem imponatur oleum roſaceum omphacinum cum oleo chamæmelino, vel aliquo alio ex reſoluentibus, hac ſeruata regula, vt à principio maior ſit portio reprimentis medicamenti, minor reſoluentis, in fine verò vtendum eſt puris reſoluentibus, aut ſaltem ſuper repellentia dominantibus.

Medicamenta, quæ reprimunt, ſunt ſuccus granatorum, ſuccus ſemperuiui; reſolaentia oleum chamęmelinum, oleum nardinum, oleum ex caſtoreo; poſt hæc oleum violarum, nenupharinum, & anethinum moderatè reſoluunt, quę à vobis ea ratione admiſcenda ſunt, vt poſſitis indicationibus curatiuis, & prę ſeruatiuis ſatisfacere.

Quando verò inflammatio tendit ad ſuppurationem, tunc ad ſuppurantia eſt deueniendum, quorum quædam ſunt quæ intus mittuntur, quædam extra applicantur: intus inijcienda ſunt oleum ſimplex oliuarum maturarum, lac muliebre ex vbere egrediens, butyrum quoq; vaccinum, pinguedines ſuillæ, gallinæ, anatis, & anſeris, ſed quæ recentes ſint; nam antiquatæ vim maiorem habent diſcutiendi, recentes verò ſuppurandi.

Auicenna, ad hanc eandem intentio-

A nem videtur laudare oleum roſatum lumbricatum, atq; oleum amygdalarum dulcium, in quo ebullierint limaces, extra verò Galenus vult eſſe lanam ſuccidam applicandam cum hac cautela, vt meatus auditorius occludatur goſſipio, quod infuſum ſit in aliquo ex prædictis medicamentis, deinde vt ſupra lanam apponamus, hancq; vbi denuò intus medicamentum inijcere optamus, leniter B auferamus, præcauentes ne meatum auditorium, aut partem aliquam auris inflammatam attingamus.

Probat etiam in hoc caſu tetrapharmacum cum oleo nardino diſſolutum: nec improbarem equidem emplaſtrum illud, quod communiſſimum eſt ex lacte roſaceo, & pane trito confectum, exteriuſq; applicatum: hæc ſunt medicamenta, quæ conueniunt dolore intus exiſten- C te, atq; ad ſuppurationem tendente.

Sed audio tyrunculum inquirentem à me, quomodo potero cognoſcere materiam tendentem ad ſuppurationem, aut ad reſolutionem? inter alia ſigna, quæ examini ſubieci, vbi de vteri inflammatione tractaui, illud eſt, quod à pulſatione deſumitur; nam ſi pulſatio remitti incipit paulatim, ſignum eſt materiam ad reſolutionem tendere, quando verò D augetur, eſt indicium materiam ad ſuppurationem declinare.

Sed eſt animaduertendum, quòd dixi reſolutionis ſignum eſſe, quando dolor pulſatiuus paulatim remittitur; nam quando percipitis adeſſe pulſationem magnam, quæ de repente euaneſcit, neque amplius percipitur dolor, eſt potiùs ſignum futuræ gangrænæ, & partis mor- E tificationis: ſi verò dolor ſit ab extra, ita vt videatur inflammatio in aure, tunc permittatis opus chirurgicis, quia eget morbus operatione chirurgica, & hæc dicta ſint, de doloris curatione à cauſa interna prodeuntis.

### DE CVRATIONE DOLORIS A *aurium à cauſa externa enati.*

QVoniam autem diximus dolorem excitari poſſe à cauſa exteriori, & inter cauſas exteriores poſui- mus vulnera, & huiuſmodi, quæ non ſunt præſentis conſiderationis, nihil de ijs dicemus. Præterea cum inter cauſas exteriores commemorauerimus diuer- ſas materias, quæ poſſunt intus ingredi, atque dolorem excitare, quemadmo- dum ſunt animalia, vel aqua, aut lapis, aut quidpiam tale, ad quorum quidem remotionem aufertur dolor; de his non nulla dicemus.

Sed hoc non tam facilè in omnibus ſuccedit; nã videbitis aliquos natantes, caputq; in aquam mergentes, in quo- rum auribus ingreditur aqua, quæ ibi incluſa exitum non habet, ingentes dolores pati, proinde non eſt mirum, ſi multa dicantur de agendis ad ipſius extractionem. Inter alia eſt manualis o- peratio, quæ per ſpecillum fit, cui lana, vel goſſipium ſit inuolutum, interiuſq; miſſum ad aquam illam exiccandam.

Medicamenta etiam prædicta ad do- lorem leniendum ſunt intus proijcien- da. Aetius, vt abſoluam hunc tractatũ, vult, vt ille, qui hunc dolorem patitur, vno pede exiliat, ſed primum illo, qui ad partem affectam eſt directus, caput ad idem latus inclinans.

Sed huiuſmodi remedium non mihi videtur adeo exquiſitum, vt confirmari à ſcriptoribus debeat, quia nullo præce- ptore docente, quiuis, qui percipit ſe aquam in aure habere, ſtatim caput de- clinabit ad id lateris, atq; caput, & cor pus commouebit, quantum fieri poteſt, vt ipſa aqua exeat.

Deinde vel materia eſt intra tympa- B num, vel extra; ſi intus ſit, numquam hoc modo exibit, ſi verò extra tympa num, ſuapte natura reclinato in id latus capite, abſque ſaltu exibit.

Si vultis alia remedia, quæ fiunt ma- nuali operatione, legatis Mercurialem in prælectionibus ſuis de aurium affecti- onibus.

Cæterùm pro ijs, quæ ingreſſa ſunt præternaturam in aurem, nec à virtute C expultrice foras expelli poſſunt, ad operationes manuum eſt deueniendum; nam ſunt, qui ſpecillo goſſipium inuol uunt, atq; in terebinthinam, aut picem liquefactam immergunt, illudq; in au- rem immittunt, vt ſua glutinoſitate ad- hærere poſſint ea, quæ intus præternatu ram continentur.

Alij alia proponũt, ſed vbi intus aliquid remanet, inſtrumento aliquo ferreo ad D id apto poterit paulatim, & patienter au ferri: & hæc dicta ſint de curatione do- loris aurium: ſi cupitis alia habere reme- dia, legatis Gal. 3. de comp. med. per lo- ca cap. 1.

# DE AVDITIONE LAESA.

## CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

ALias à me audiuiſtis in- ſtrumenta, ſeu corpo- ris noſtri partes inſtru- mentales factas eſſe ad actiones aliquas o- beundas, vnde oculus ad videndum, auris ad audiendum, &c. ac huiuſmodi partes organicæ vocatæ ſuas actiones ſibi à natura deſtinatas ha- bent, & inſtrumentales dicuntur, quia componuntur ex multis partibus ſimila ribus, vel ſimplicibus, quæ egregiè à na-

natura ita ordinatę ſunt, vnaquæq; earum præſtet aliquam actioni vtilitatem, in cuius gratiam ſunt factæ.

Sed etſi omnes ſimul componant organum, non tamen eodem modo ſunt conſtitutæ, & ordinatæ; nam aliæ ſolummodo extremis ſuperficiebus ſe tangunt, aliæ aliquo medio agglutinatæ, aliæ intertextæ, aliæ ſũt prorſus vnitæ, ita vt vnaquæq; propriam præſtet vtilitatē.

Suntq; inter ſe hoc ordine conſtitutæ, vt vna ſit in toto organo, quæ primariam habeat agendi rationem, aliæ ſine quibus, aliæ ad meliorem actionem & aliæ ad conſeruationem, ad quarum læſionem actio ipſa ſtatim læditur.

Vnde nobis tractantibusde audiendi læſa actione ſcire eſt opushuiuſmodi inſtrumentum, ſeu organum prædictas habere partes, inter eas prima, ac præcipua eſt aer innatus, ſeu complantatus, vt aliàs vobis ex Ariſtotele, & Galen. demonſtraui pluribus; nam cum obiectum, & organum debeant inter ſe proportionari, nihil eſt in corpore, quod affinitatem habeat cum ſono, niſi aer innatus in aurium interna capacitate incluſus.

Partes verò ſine quibus actio fieri nequit, ſunt ſpiritus animales à cerebro in aurem delati, & neruus auditorius, per quem tanquam per canalem ipſi vehuntur; deinde eſt meatus auditorius, tres cauitates inſculptæ in oſſibus petroſis, nempe cæcum foramen, cochlea, & labyrinthus ad meliorem actionē, ad conſeruationem aeris connati eſt membrana illa, quæ orificio meatus auditorij tympani in modum extenſa eſt, quo nomine tympanum appellatur.

Ad cuius membranæ conſeruationem tria oſſicula, incus, ſtapes, & malleus vna cum muſculo illo exiguo ſunt data. Relinquo modò aurem exteriorem, quæ ex illis etiam eſt, quæ faciunt ad meliorem actionem, que actio tribus modis vitiari poteſt, nempe ablatè, diminutè, & vitioſè, de qua quidem agendum eſt, & de ſuis cauſis, vt curari rectè poſſit.

A

Abolita audiendi actio duplex eſt, vna à natura, cum qua naſcuntur pueri, & viuunt vſq; ad finem ſuæ vitæ; altera verò eſt præter naturam. Nunc non inquirimus cauſas actionis naturalis audiendi læſæ, ſed morboſæ tantummodo: hæc autem à Gręcis κώφωσις, dicitur, à

B

Latinis verò ſurditas, atque vbi ex toto non eſt abolita actio, ſed diminuta appellatur δυσηκοΐα, vel βαρυηκοΐα, vel ὑποκώφωσις, apud nos grauis auditus, vnde qui difficilem habent auditum, à noſtris vocantur ſurdaſtres.

Tertia verò nempe vitiata actio, caret proprio nomine, & ſub nomine ſibili, aut tinnitus comprehenditur. De ſurditate igitur, de graui auditu, & de ſibilo hoc capite tractabimus, cum huiuſmodi affectiones non differant niſi ſecundùm magis, & minus; quare ſub eodem continentur genere. Inquiramus primò quid ſit ſurditas.

C

Hieronymus Capiuaccius exiſtimat ſe veram inueniſſe definitionem, quam in huncmodum tradidit. Surditas, aut, vt ipſe ait, læſus auditus, eſt functio præter naturam auris dependens à fruſtratione auditus. Hanc definitionem tanquam à Galeno collectam in medium affert, citans 3. cap. 4. de loco aff. 3. cap. 1. de cauſis ſympt. & 1. caput libelli de inſtrumento odoratus, in quibus quidem locis Galenus ne verbum quidem de hac materia habet.

D

Sed quamuis ipſe hanc definitionem dicat è doctrina Galeni extraxiſſe, mihi tamen inepta eſſe videtur, quia hæc tria, quæ aſſumit in ſua definitione, vnam & eandem rem ſignificant; nã inquit læſus auditus eſt actio auditus præter naturam, læſus auditus eſt ſubiectum, prædicatum eſt actio auditus præter naturam, cauſa eſt fruſtratio auditus, atqui fruſtratio auditus nonne eſt læſus auditus, læſus auditus nonne eſt præter naturam actio auditus, præter naturam actio

E

ctio ipſius procul dubio eſt fruſtratio ipſius auditus.

Quare ex hac definitione nihil habemus, niſi petitionem principij; nam declarandum eſt nobis, quid ſit læſus auditus, quid ſit hæc auditus actio præter naturam, atq; quid ſit illa fruſtratio ipſius auditus. Definiamus igitur ſurditatem noſtro marte.

Surditas eſt preter naturam auris affectio, in qua homines nullum ſonum penitus audiunt: grauitas, vel difficultas auditus eſt præter naturam mala affectio, in qua ſoni difficulter percipiuntur, & eſt auditus diminuta actio: prior verò eſt omninò abolita.

Dicimus affectionem eſſe preter naturam, vt excludamus naturalem illam ſurditatem, quæ in hac conuenit cum preternaturali, quòd nihil prorſus de proprio obiecto percipit. In vtraque fruſtrata eſt actio, ſed cauſa eſt diuerſa.

Difficultatem verò auditus eſſe dicimus etiam præternaturam affectionem, ſeu læſionem, in qua percipitur ſonus quidem, vel bombus rei ſonantis, ſed vix & cum difficultate, ſecundum ſcilicet, magis, & minus.

Concludamus igitur ſurditatem eſſe ſymptoma actionis abolitæ; difficultatem auditus eſſe ſymptoma in genere quidem læſæ actionis, ſed diminutè, quamuis etiam illa audiendi deprauata actio poſſit appellari difficultas audiendi; quando intus aures percipitur tinnitus, vel ſibilus, quia auditur, quod audiri non debet.

## DE MORBIS, QVOS AVDITVS læſus ſequitur.

Cvm igitur ſurditas ſit ſymptoma, & omne ſymptoma ſequatur morbum, vt vmbra corpus, inquirendum à nobis eſt, quinam ij morbi ſint, & que partes ex prædictis afficiantur?

Quod ad morbos ſpectat, Galenus apertè docet 3. de cauſ. ſympt. eſſe malam intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutionem continui. Partes, quę afficiuntur, poſſunt eſſe omnes prædictæ, & cerebrum ipſum, vnde Auicennas pro diuerſitate læſarum partium videtur afferre duplex nomen ſignificans ſurditatem, cauſam ipſius, partem que affectam.

Nam ſurditatem verè appellauit eam, in qua oppletur tota cauitas, vbi conſueuit aer connatus contineri; taraxem verò, & guareem voluit eſſe, quando per neruum auditorium non fertur ſpiritus ad auditus organum, quāuis tarax magis propriè de illa ſurdi-tate prædicetur, quæ vitio nerui fit; guarcen verò de illa, quæ ab obſtructione cauitatis contingit.

Quamuis vtraq; affectio poſſit eſſe tum naturalis, tum præter naturam, vt apud Auic. vnuſquiſq; veſtrum videre poterit fen. 4. 3. cap. 4. in quo loco aper tè innuit nobis malam compoſitionem in cauitate auris, aut in neruo ipſo.

Sed huiuſmodi cauſæ videntur eſſe potius naturales, quia quando obſtruitur neruus, non poteſt ferri ſpiritus ad organum, & quando obſtruitur locus, in quo aer continetur, poteſt etiam eſſe; quod nerui deficiant, & cauitas nō ſit ex culpta à natura, hinc fiat vera ſurditas.

At ſi factæ ſint hæ partes, nec tamen benè habeant, ſed ſint aut nimium anguſtæ, vel obſtructæ aliqua ex parte, homines fiunt ſurdaſtri: & iſtę ſunt partes, quæ læſæ faciunt ſurditatem naturalem.

At in ſurditate præternaturali, aut difficili auditu partes prædictæ poſſunt temperiem amittere, aut tympanum, officula, & neruus auditorius mala compoſitione affici, nempe tumore aliquo, vel obſtructione, quod idem poteſt meatus auditorius pati, nec non & ſolutionem continui, quod etiam de cerebro eſt dicendum.

Huiuſmodi autem morbi, vel à cau-

ſis fiunt internis, vel ab externis: ab internis quidem, vt pote ab humoribus affluentibus, vel congeſtis, qui in ſubſtantia prædictarum partium imbibuntur, aut in cauitatibus firmantur, ex quibus fiunt non modò intemperies, ſed etiam malę compoſitiones.

Quod mihi videtur clariſſimè ex ipſo cerebro colligi poſſe, quod lethargum, & phrenitidem patitur; lethargum quidem ab humore pituitoſo, phrenitidem verò à bile, vel à ſanguine bilioſo, in quibus cerebri affectionibus videtis auditum facilè amitti, quia facultas non tranſmittitur facta in principio neruorum intemperie, & obſtructione.

Quamuis fieri etiam poſſit, vt facultas ipſa patiatur, illæſis neruis, quia ſpiritus à cerebri mala intemperie abſumũtur, aut non generantur, vel ſaltem imperfectè fiunt; quemadmodum enim, vt audiuiſtis, viſio non poteſt fine ſpiritibus animalibus fieri, ita quoq; credendum eſt nec fieri poſſe auditum, neq; aliam ſenſationem.

Quare læſiones auditui contingentes vel ad facultatem, aut ad neruum deferentem, vel ad fabricam partium auris ſunt referendæ, ſed in facultate læditur actio, in inſtrumento verò impeditur. Poſſunt igitur humores præter naturam affluentes prædictos morbos in auditus fabricam inuehere.

Cauſę verò exteriores ſunt multæ, inter quas aer craſſus, nebuloſus eſt, vnde illi, qui circa paludes, & lacus habitant, ſurdaſtri fiunt. Idem facit ventus auſtralis, quod Hipp. 3. aph. 50. nobis ſignificauit, quod etiam aliquando obſeruatum eſt ab excedenti aliquo ſono fieri, vt à bombarda inſigni, vel à tonitru.

Imò verò ſcribit Plinius lib. 6. cap. 29 habitantes circa Nilum, ob ſtrepitum, quem is in cadendo quibuſdam in locis mittit, ſurdos effici. Scribunt nonnulli vapores aliquos poſſe homines ſurdaſtros reddere, vt eſt fumus arſenici,

A aut argenti viui, vel auripigmenti.

Addunt etiam alij ſuccum papaueris idem facere. Inter ea, quæ admiratione digna ſcribit Plinius vnum eſt, quod arundinis lanugo in aure poſita facit ſurditatem lib. 24. c. 11. Aqua etiam in aure poteſt gignere hunc affectum.

Neq; eſt, vt multum laboremus circa indagationem cauſæ, quod quidam multis verbis faciunt; nam cum dictum ſit, B intemperiem partium internarum poſſe vitiare auditum, aqua ipſa tum frigiditate ſua, tum humiditate intemperiem gignit, ex qua ſequitur læſio in actione audiendi.

Addamus modò inter cauſas externas, quæcumq; vulnerandi, ac lædendi facultatem habent, vbi violentia in aures irruant. Iſtæ ſunt cauſæ auditus aboliti, ac C diminuti, nondum tamen quidquam diximus de auditu deprauato, de quo agendum eſt, quia cum alijs in curatione maximè conuenit, quamujs in aliquibus diſcrepare videatur.

Dictum igitur fuit deprauatum auditũ eſſe illum, in quo aliquid auditur, quod non eſt verè audibile; eſt enim affectio ſimilis illi, quæ oculis euenit, dũ vident imagines, & ſimulachra rerum, quæ in D aere minimè ab oculis ſanis videntur, Auicennæ eſt comparatio fen. 4. lib. 3. cap. 9. appellatur ab eodem ſonitus, tinnitus, & ſibilus, quem ipſe definiens ſic inquit.

Eſt diſpoſitio, in qua homo inceſſanter audit exterius, & eſt, vt pulchrè Mercurialis ſcribit, ſonitus quidam intra aurem factus abſq; aliqua cauſa exteriori, vt aliquando audiatis aliquos de repen- E te, qui dicant ſe ſonitum percipere tubę, aut campanæ in modum, quem ſonitum vulgares dicunt aliquid præſagire, nempe, vel maledicentiam aliquorum, aut inimicorum inſidias, vel quidpiam tale, quod etiam antiquitatem exiſtimaſſe ſcribit Plinius lib. 28. cap. 2.

Huiuſmodi igitur ſonus, etſi videatur exterius, tamen intra aurem eſt, nec ali-

quam

quam habuit à re exteriori cauſam. Percipitur igitur aliquid, quod exterius nullum ſonum facit; nam verè auditus eſt, quando in potentia auditiua recipitur ſonus, qui extra factus ſit, atque per aerem ad meatum auditorium vſq; feratur.

Quare apparet eum eſſe ſymptoma in genere actionis auditus deprauati; quia in eo auditur id, quod audiri non debe- ret, vnde Auerroes 4. coll. cap.48. merito eum appellaſſe videtur motum phantaſticum.

Atqui conuenit cum alijs duobus affectibus in hoc, quod fit ſymptoma, non tamen ab ijſdem fit morbis, quemadmodum alij, ſed videtur ſequi morbum ſolummodo in compoſitione, in numero videlicet, atq; in via; in numero quidem quia adeſt vaporoſa, vel humoralis materia, quæ non deberet eſſe; in via, eò quòd meatus aurium non ſunt, vt deberent eſſe, expediti, atq; inanes.

## DE CAVSIS AVDITIONIS *læſæ*.

Cauſæ nunc inquirendę veniunt, quędam quarum internæ, quædā externæ ſunt, Gal. 3. de med.loc.cap.1. quod caput longiſſimum eſt, & pluribus inſcriptionibus diuiſum; prima, eſt de dolore aurium, & medicamentis illi competentibus; deinde de tinnitu; vbi cauſas internas ad duo capita reuocat, nempè ad flatuoſum ſpiritum, & ad exquiſitam audiendi facultatem.

Addit Trallianus duas alias cauſas, videlicet loci debilitatem, necnon humorum congeriem, haſce omnes cauſas habetis à Meſue lib. 2. cap.4. quamuis ab Auicenna eædem afferantur, ſed obſcuriori ſermone.

Sed quod flatus poſſint hunc ſonum in internis auribus edere, omnibus in confeſſo eſt, at quod ab exquiſito ſenſu & ab humoribus craſſis fieri ſonitus poſſit, non ita clarum eſt, quod breuibus explicamus, hoc in primis tanquam veriſſimum ſupponentes, tinnitum eſſe in duplici differentia, alium per eſſentiam, alium per conſenſum.

Quo ſtante, dico ab auditu exquiſito fieri tinnitum, non quòd exquiſitus audiendi ſenſus ſit cauſa huius per ſe, ſed per accidens; quatenus ſcilicet leuiſſimos ſonitus, qui fiunt à materia in pauciſſima quantitate, ſurſum ab aliquibus partibus eleuata, atque per internam aurium capacitatem deducta, ſua audiendi ſubtilitate facilè percipit.

Et hoc eſt, quod Auicennas dicebat, quando ſcribit inundationem occultam in quibuſdam horis audiri, quia non ſem per adeſt materia flatulenta, & quando adeſt, eſt pauciſſima, ideo occultam inundationem appellauit, videlicet quia eleuatur paucus vapor à partibus inferioribus, qui licet ſit pauciſſimus, ob exquiſitum audiendi ſenſum percipitur.

Quod ad humores ſpectat, dico, quòd duplici ratione faciunt tinnitum, primò quia obſtruunt vias, quibus expurgari deberet flatus incluſus, qui tandem per aurem commotus, neq; exitum habens ſtrepitum facit.

Secundò modo, quia ab humoribus calore agente vapores craſſiuſculi eleuātur, à quibus fit tinnitus. Dicitur etiam tinnitus fieri ratione debilitatis, non quidem auditus inſtrumenti, ſed omniū partium fabricam ipſius auditus facientium, ad quas quidem fluunt humores, quemadmodum (vt ait Alex.) accidit in criſibus, aut in febribus quibuſdam, cum eleuantur vapores, qui ſurſum per venas, & arterias delati, cumq; ob loci debilitatem nequeant reſolui, feruntur in aures, & huiuſmodi tinnitum faciunt. Iſtæ ſunt tinnitus cauſæ internæ.

Externæ autem cauſæ ſunt plures, inter quas adeſt mala victus ratio, nimiæ compotationes, frequentiſſima cōuiuia, frequens vſus ciborum craſſorum, aut flatum generantium, & tandem nimia repletio, aut cruditas.

Quamuis, & inanitiones immoderatę



id effi-

efficere poſſint, vt repetitæ purgationes per pharmaca, per miſſionem ſanguinis, medicamenta etiam in aures ingredientia, præterea frequens vſus frigidi medicamenti, quale opium eſt, aut etiam aliorum deleteriorum, cuiuſmodi ſunt ſulphur, arſenicum, ſed præcipuè argentum viuum.

Vnde ſi rectè obſeruaueritis, compe rietis eos, qui inunguntur ex hydrargyro in lue venerea, vt plurimum incidere in aurium tinnitum. Medicamenta etiam valdè adſtringentia augent hunc affectum: addo, quod quæ vulnerandi vim habent, poſſunt eundem inducere: & hæc de cauſis, & de natura tinnitus.

## DE SIGNIS AVDITIONIS læſæ.

Signa ſunt declaranda, tum ſurditatis, tum grauis auditus, quorum alia ſunt, quę affectum demonſtrant, alia cauſas, alia quę affectionem diſtinguunt per eſſentiam ab ea, quæ eſt per conſenſum.

Primò ſurditas adeo clara eſt, vt nulla ſint afferenda ſigna, niſi, quæ ab ægrotante habentur; nam cum dicat ſe nihil penitus audire, illi credendum eſt, quem admodum etiam vbi diminutè, nec perfectè ſonos audire dicat, quamuis ſit in debita diſtantia, & ſatis validè exeant ſoni, dicendum eſt diminutum auditum eſſe.

At cauſæ non ita facilè dignoſci queunt, ſed coniectura diligenti eſt opus vti, qua ſolers medicus poſſit ea expiſcari. In primis habitus corporis examinandus eſt, an pituitoſus, an bilioſus ſit, vtrum excrementis ſcateat, an recta, an verò diſſoluta victus ratione vſus fuerit, an caput benè, vel malè affectum ſit, an poſt phrenitidem, aut lethargum, vel epilepſiam, aut morbum alium capitis inciderit in ſurditatē, aut difficilem auditū.

Non erit difficile admodum coniice-

A re cauſam, ſi pituitoſi, vel melancholici habitus fuerit, caputque ſcateat excrementis pituitoſis, & poſt aliquam capitis frigiditatem, aut morbum à cauſa frigida factum ſequatur vnum ex prædictis ſymptomatibus, vt pote poſt lethargum, iam habetis humores craſſos, & pituitoſos efficere ſurditatem, aut grauem auditum.

B Hæc autem materia non modò in nerui ſubſtantia, ſed in alijs partibus imbibi poteſt, & cauitates ſimul cum neruo obſtruere, ſi verò ſola fuerit capitis, aut partiū auris intemperies frigida ſine materia, poterit etiā cognoſci ex his, quæ præceſſerunt, aut etiam ſunt præſentia, quemadmodum ſi quis dicat ſe per totum caput percipere frigiditatem, aut in aure eam manifeſte ſentiat cum qua-

C dam capitis grauitate, ſignum eſt intemperiem eſſe frigidam.

Sed quoniam grauitas audiendi eſſe poteſt per eſſentiam in aure, & per conſenſum, diſtinguetis vnam ab altera hoc modo: quia quando percipietis ſemper ſe ſe ad vnum modum habere, nec vnquam remitti, tunc dicatis eſſe per eſſentiam, at ſi aliquando clarius, ali-

D quando verò obtuſius, dicatis per conſenſum eſſe ab aliqua corporis parte, aut ab vtero in muliere, vel ab hepate, aut ventriculo.

Quod dictum eſt de cauſa frigida, idem quoq; aſſerendum circa cauſam calidam, diſcurrendumque eſt per cauſas contrarias, quæ vbi adfuerint, iam certum eſt materiam eſſe calidam.

Sed maximè id fiet vobis manifeſtum

E ex qualitate doloris; nam pungitiuus, exulceratiuus, & frangitiuus à cauſa acri, & mordaci fiunt: at vbi adſit dolor pulſatiuus, ſignum eſt adeſſe inflammationem, hæc autem fit à ſanguine: quare materia pituitoſa in capite, in auribuſque collecta, nec non calida tam bilis, quàm ſanguis faciens inflammationem ſuis notis deprehendi poſſunt,

At quando contingit ab intemperie ſic-

ſicca, tunc præceſſerunt febres arden-tes, aut medicamenta validè expurgan-tia, & huiuſmodi: hæc ſunt igitur ſigna, quæ à vobis, vt ait Galenus præcitato loco, ſunt rationali coniectura inueni-enda.

Exteriores cauſę ſenſu ipſo, & ex ę-grotantis relatione habentur, vt quan-do medicamentum aliquod calidum, iniectum eſt imprudenter, & temerariè, vt ſępè contingit, vel animalculum, quoddam, vel aliud ingreſſum fuerit, atque ibi moratum diù, nec potuerit extrahi; quæ omnia ex ægrotantis rela-tione facilè deprehendetis: eodem mo do ſi ex vulnere, aut læſione aliqua, contigerint, adeo ſanè manifeſta ſunt, vt longiorem ſermonem non requi-rant.

DE FVTVRO EVENTV AVDI-tionis laſæ.

Quod ad prædictiones ſpectat, nos hic loquimur de affectibus, qui ex accidenti eueniunt; nam qui nobis innaſcuntur, nullam admit-tunt curationem. At quæ ex accidenti fiunt, cum alij ſint recentes, alij anti-quati, alij per eſſentiam, alij per conſen ſum; antiquati vix aliquam recipiunt cu tationem, recentiores tamen curantur, ſed facilius, quæ fiunt per conſenſum. Vnde Hipp. 4. aphor. 28. dicebat, ſi ſurditatibus ſuperueniant deiectiones bi lioſæ, aut ſanguinis fluxus è naribus: tunc ipſas curari; quia ſententia de ſurdita-te per conſenſum eſt intelligenda, vn-de Gal. 4. de locis aff. cap. 1 ſcribit affe-ctiones præter naturam auditus ſolere in affectiones incurabiles cadere; niſi à principio curentur.

Curabiles quoque ſunt ſurditates, & etiam grauis auditus, quæ fiunt à rebus exterioribus intus ingredientibus, ſi quã primum auferantur: at quæ ex vulnere eueniunt, vbi vel tympanum, aut alia pars intus recondita vulneretur, ſunt

A prorſus incurabiles: hæc ſunt ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica ſurdita-tis, & grauis auditus.

Signa autem tinnitus non minus ma-nifeſta ſunt, quàm ſurditatis, aut gra-uis auditus, quia ab ęgrotante ſunt ac-cipienda; opus enim eſt, vt ęgrotantis relationi acquieſcamus: at ſigna cauſa-rum ſunt à nobis rationaliter, & diſcur-

B ſiuè indaganda.

Gal. cum duas attulerit cauſas, vt au-diuiſtis, huius tinnitus, nempe flatum, atque exquiſitum ſenſum audiendi, dif-ficillimo negotio poſſe à principio haſce cognoſci ſcribit, vnde aliqui dicunt eſſe animaduertendum, an corpus totum, & caput benè habeat, quod ſi res ita ſit, percipiaturque tinnitus, tunc certè affir mandum eſt cauſam ipſius prouenire ab

C exquiſito auditu, quia fieri non poteſt, quin aliqua vaporis copia à ventriculo in aures feratur, quæ quamuis ſit exigua, nihilominus ipſius motus ob exquiſitam ſentiendi rationem percipitur.

Sed Galenus vtramq; cauſam à ſuuã tibus, & nocentibus eliciendam eſſe do-cet; nam vbi tinnitus adſit, medicamen taq; flatum diſcutientia applicentur, nec ceſſat ſibilus, tunc exiſtimandum eſt pro

D uenire ab exquiſito ſenſu.

Si quis tamen hiſce medicamentis addat aliquid, quod ſtuporem inducere queat, & ceſſat affectio, iam clarum eſt prouenire à ſenſu exquiſito audiendi, at que ſe in praxi id obſeruaſſe inquit; at è contra ſi ex ſolis diſcutientibus minua-tur affectio, ſignum eſt à flatu procede-re.

Cognoſcitur etiam flatulentam ma-

E teriam eſſe, quodam diſcurſu; nam vbi caput debile ſit, flatuſq; generet, fieri non poteſt, quin ad aures, quæ propin-quæ ſunt, non feratur: apparet etiam flatus in alijs partibus, qui ſi oriatur ab alijs partibus, aliquando ceſſat; ſi verò ſit per eſſentiam in aure, ſemper, & vt ait Auicennas, inceſſanter, remanet in au-re: at vbi contingat ab humoribus craſ-ſis,

fis, & copioſis, cognoſcitur à toto corpore, eo quo ſupra diximus modo.

Si fiat ratione debilitatis aurium recipientium ab omnibus corporis partibus, facilè cognoſcitur, quia præceſſerunt morbi aliqui, vt febres, vel dolores capitis, vel aurium. Facilè etiam homines, qui tinnitum ab hac cauſa patiuntur, poſſunt ſentire voces, & alios ſonos, quamuis ſint leues; multæque apparent in aure ſordes.

Euentus huius affectionis non omnibus idem eſſe poteſt; nam vt ſcribit Auicennas, antiquata eſt incurabilis, & ad ſurditatem tandem homines deducit: ſi ex debilitate contingat, raró curabilis: ſi ex flatu, & in principio fuerit, facilè euinci poterit; ſed longè faciliùs ſi ratione ſenſus acrimoniæ euinci: hæc de præſagijs. Iam tempeſtiuum eſt ad curationem deſcendere.

## DE CVRATIONE GRAVIS *auditus, & tinnitus à cauſa frigida prodeuntis.*

IN curatione non multum euariant inter ſe ſurditas, grauis auditus, atque tinnitus à vaporoſa, aut flatulenta materia enatus, vel ab intemperie frigida cum materia, aut ſine materia, quia humor craſſus attenuandus eſt, flatus diſcutiendus: quamuis tinnitus à debilitate in curatione differat, ille tamen, qui ab exquiſito ſenſu prouenit, videtur in aliquibus conuenire cum ſurditate ab intemperie calida enata.

Sed quomodocumque ſit, in omni aurium affectione auferenda opus eſt omni medico inſtrumento vti, diæta, pharmacia, & chirurgia, licet diuerſi modè; nam ſi dolor à materia frigida, aut flatu, vel vapore euenerit, neceſſe eſt, vt præter bonitatem ſuæ ſubſtantiæ, nonnihil habeat facultatis incidendi, atque attenuandi, de qua multoties habitus eſt ſermo.

In hoc tamen caſu peculiariter curandum eſt, vt aër vergat ad caliditatem, & ſiccitatem, ſomnus immoderatus euitandus eſt, vtendum omni reuulſionum, & diuerſionum genere, ideo ligaturę ad crura, frictiones, cucurbitæ, & huiuſmodi præſidia ſunt adhibenda, & quemadmodum animi vehementes affectiones euitandæ ſunt, ita quoq; fugiendi graues ſoni; nam excellens ſenſibile corrumpit ſenſum.

Mittendæ tandem ſunt crapulæ, cruditates, cibi omnes, qui humores craſſos generare queunt, omniaq; legumina. Quod ſi exemplum in victus ratione in huiuſmodi caſu ab Hipp. cupitis, videte 5. & 7. epidem. in filio Parmenici, vbi habetur illi contuliſſe deambulationē, moderatum exercitium, & abſtinentiam à vino craſſo & generoſo, ac profuiſſe potum vini albi, atque tenuioris.

Quare quantum fieri poteſt, vbi materia ſit craſſa, & frigida, vinum craſſum, & generoſum fugiàt, bibat verò vinum tenue, & oligophorum. Carnes ſint volatiles, boni ſucci; & ſemper aſſatæ, raró elixæ.

Et quoniam diximus eſſe pugnandum omni genere reuulſionum, & deriuationum, clyſteres valde probantur, in quibus aliquid agarici, aut hieræ cum agarico ponatur, in reliquis verò fiat clyſter vt artis eſt, cuius modum ſæpè docuimus. Huiuſmodi curationem arbitramur conuenire ſurditati, & graui auditui à cauſa frigida euenienti, atq; tinnitui tum à flatu, tum à craſſis humoribus enato.

In pharmacia verò cum his agendum, quæ tum humores craſſos attenuare, atque incidere valeant, tum etiam flatus reſoluere, quapropter omni arte, atque induſtria tentabimus, vt humores, à quibus huiuſmodi fiunt affectiones, è corpore educantur.

Non poſſunt autem educi, niſi primùm alterentur; quia verò vel ſunt pituitoſi, aut melancholici; ſi primo nullum

lum medicamentum præſtantius reperi A tur, quàm ſyrupus compoſitus: vt ſyr. de bettonica, de ſtœchade, de byzantijs ſimul cum aqua maioranæ, ſaluiæ, atq; bettonicæ.

Si materia fuerit melancholica.

℞. ſyr. de fumaria,
De lupulis,
De bettonica,
Aquæ fumariæ,
Borraginis,
Lupulorum, vt aliàs dictum fuit.

Hiſce præſidijs materia præparata, opus eſt ipſam educere, cum pilulis cochijs, aureis. At in materia melancholica magis pilulæ de lapide lazuli, de hiera pachij conueniunt.

Sed ad hunc humorem faciunt pilulæ cochiæ cum modico ellebori præparati. Laudarem etiam ſummopere in melancholica materia extractum ellebori ad ſcrup.ij. nam medicamenta debent eſſe valida, quia materia à longinquis partibus extrahenda eſt, quemadmodum in præſentibus affectibus contingere ſolet.

Prodeſt præterea huiuſmodi decoctum.

℞. corticis ligni ſancti vnc. ij.
Sarſæ parillæ, vnc.j.
Rad. chinarum, drach.ij.ſſ.
Infunde in decoctione,
Bettonicæ lib.ij. per 24. horas.
Deinde bull. ad conſumpt. medietatis, in fine adde,
Ligni ſasfras, quod fœniculatum vocant, drach. j.
Florum ſaluię,
Stœchados, ana pug.i.
Paſſul. vnc.j.
Coletur, & ſeruetur pro ſyrupo,
Doſis ſit ad vnc.vj.

Ante aſſumptionem prædicti decocti deuoret æger, vnc. j. huius conditi,

℞. conſeruæ ſaluiæ,
Roſmarini,
Bettonicæ, ana vnc.j.
Spec. lætificantis,
Diapliris,
Arom. caryophyl. ana drach.j.
Syr. de corticibus citrij,
Bettonicæ, ana vnc.ij.
Miſce, & fiat conditum, addendo auri bracteam.

Vel

℞. Specierum diapliris
Aromat. caryoph. ana drach.ij.
Sacchari diſſoluti in aqua bettonicæ B vnc. iiij.
Fiat conſerua in tabellis,
Doſis ſit ad vnc. ſſ.

Vel aſſumat æger, drach. i. mithridatij loco tabellæ, aut conditi iam dicti.

Quod ad chirurgiam ſpectat, fiat venæ ſectio, ſi indicantia ſanguinis mittendi adſint, nempe vel vitium ſanguinis in quantitate, aut motu, virtuſque id permittat; quod eſt dictu, ſi adeſt indicans, & permittens, extrahatur ſanguis. C

Quod ad localia attinet, debent eſſe talia, vt attenuandi, exiccandi, & flatum ſoluendi facultatem habeant, quæ non ſolùm in aures ſunt inijcienda, ſed etiam capiti applicanda ad ſui exiccationem, & corroborationem.

Inter alia quæ mihi probantur, ſunt D irrigationes capiti factæ ex aquis thermalibus, vel etiam rebus carminatiuis, rebuſque capitalibus, vt exempli gratia.

℞. florum chamæmeli,
Origani,
Pulegij,
Abrotani, ana m. j.
Seminum aniſorum,
Cumini, ana drach.j.
E Bettonicæ,
Stœchados,
Roſmarini,
Saluiæ,
Maioranæ, ana pug.j.

Miſce, & bulliant in ſ.q. aquæ, colentur, deinde fiat ad futurarum ſincipitis regionem irrigatio. Poteritis hac forma medicamenti, & ſimilibus caput ex-

ſiccare, ac corroborare; nam materia, quæ in capite reperitur habet rationem cauſæ antecedentis, quia paratur ad hoc vt in aures ferri poſſit.

In aures autem inijcienda ſunt aliqua medicamenta; & alia foris applicanda, quæ prædictas habeant facultates: inter alia Galenus proponit ſuccum radicis cucumeris ſylueſtris, cuminum, cum oleo roſato, radicem cucumeris oleo incoctam, tandem omnia amara, & acria in aceto cocta, quibus mel admiſceatur.

Sunt optima ſuccus ſcyllæ cum oleo irino, aqua theriacalis, balſamum indum. Nonnulli proponunt tamquam ſecuriſſimum medicamentum, ſed quod agat potiùs occulta, quàm manifeſta proprietate, pinguedinem, aut etiam ſuccum anguillæ: alij ſpolium ſerpentis in oleo decoctum: non deſunt etiam, qui oua formicarum hoc modo in oleo cocta, atq; oleum in aurem inſtillatum applicent.

Benedictus Victorius medicamentum pro tinnitu, & ſurditate tale componit.

℞. aquæ vitæ, vnc. iiij.
Radicum cyclaminis, vnc. ſſ.
Nucleorum perſicorum,
Amygdalarum amararum, ana vnc. iij.

Triturentur, deinde infundantur in prædicta aqua per tres dies naturales cõtinuos, & fiat expreſſio validiſſima. Huius aquæ gutta vna mane, & veſperi in aurem inijciatur, deinde aurem claudas goſſipio.

Emplaſtrum,
℞. radicum altheæ mundatarum, & ſubtil. inciſarum, vnc. iij.
Radicum cyclaminis trit. vnc. ij.
Fœnugræci,
Seminum lini, ana vnc. ſſ.
Bull. in ſ. q. aquæ deinde colentur, & colaturæ adde
Butyri recentis, vnc. ſſ.
Olei amygd. amararum,

A Olei roſ. ana vnc. j.
Miſce, & fiat emplaſtrum, quod auri apponatur.

Fomentum.
℞. Furfuris,
Milij, ana m. j.
Salis comm. m. ſſ.
Florum chamæmeli,
Seminum lini,
Cymini, ana m. j.

B In tegula benè calefiant, deinde irrorentur vino generoſo, atque applicentur auribus. Auicennas omnia olea probat, quibus caſtoreum eſt diſſolutum.

Curandum ſemper eſt, aures vt tectę maneant, ne intus aer ingredi poſſit. Si cupitis plura remedia, accedite ad Gal. loco præcitato, à quo omnes ſcriptores accipiunt ea alterantes, & mutantes ad C libitum: & hæc eſt cura, quę competit graui auditui, ſurditati, atq; tinnitui à craſſa, & frigida materia.

Modò breuiſſimè videndum eſt, quid facto ſit opus, quando materia eſt calida & quid pro curatione tinnitus ab exquiſito nimis audiendi ſenſu, nec non debilitatis ratione producti faciendum.

D
## *DE CVRATIONE AVDITIOnis læſæ à cauſa calida prodeuntis.*

A Deo raró contingunt huiuſmodi cauſæ, vt reperietis pauciſſimos authores, Galeno, & Auic. exceptis, qui eorum afferant curationem, proinde ne nimium temporis conteratur, dico, quod victus ratio debet eſſe boni ſanguinis generatiua, paulum ad frigidum vergens; vt audiuiſtis cap. de dolore E à materia calida. Purgandum itaque eſt corpus, & ſi opus ſit, ad ſanguinis miſſionem eſt deueniendum.

Circa localia, quæ refrigerandi facultatem habent, in aurem inijciẽda erunt, & inter alia eſt oleum roſaceum cum ſucco ſemperuiui, oleum violaceum, oleum nymphææ, & huiuſmodi.

Probatur ab Auicenna medicamentũ hoc

℞. ſuc

℞. ſucci mali punici medij ſaporis vnc.j
Olei roſati, drach.vj.
Aceti, vnc.ſſ.
Thuris puluerizati,drach.j.

Miſce omnia, & in cortice mali bul-liant, víquequo inſpiſſata fuerint, & eo cum modico goſſipij vtendum eſt: hæc curatio competit hiſce affectibus aurium è cauſa calida euenientibus.

Sed quoniam fuit à nobis dictum aliquam conuenientiam habere tinnitum ab excellentia ſentiendi factum cum prædicta curatione, nunc dicendum eſt, in quibus conueniat, & in quibus differat. Primò quidem differt, quia hic nulla adeſt caliditas præter naturam; deinde, quia internæ partes auditui famulantes non ſunt præter naturam; tertiò, quia cauſa eſt vapor aliquis eleuatus, qui ſtrepitum facit, quamuis obſcuriſſimum.

In curatione habet aliquam conuenientiam; nam hic refrigerandum magis eſt, quàm ſtupefaciendum: verum medicamentum debet ſecum habere aliquod mixtum, quod diſcutiendi aliquam habeat facultatem, quemadmodum eſt modicum caſtorei cum ſucco papaueris, aut mandragorę, vel etiam modicum aceti cum ſuccis prædictis, & gutta aquæ vitæ.

Sed quamuis Galenus dicat ſe ſemel curaſſe huiuſmodi tinnitum; ſum huius opinionis, vt debeatis conſiderare totum corporis habitum, qui ſi eſſet laudabilis, ego naturæ totum permitterem opus, cum longè melius id fit, quàm ſtupefacientibus ſenſum auferre.

Etenim ablato ſenſu hebetatur auditus, & periculum eſt, ne volentes nos auferre talem tinnitum, infirmum pellamus in grauem auditum. Præterea in eo, qui ex debilitate contingit tinnitus, cauſam debilitatis oportet agnoſcere, quæ ſi ſit vna ex prædictis intemperie-

A bus, tunc vtendum eſt ſuperiùs propoſitis medicamentis.

Quod ſi propter criſim contingat, permittendum eſt opus ipſi naturæ; vbi verò ex ſiccitate propter aliquam ægritudinem pręcedentem oriatur, omni ingenio curandum eſt, vt corpus cibis idoneis reficiatur, partiq. affectæ aliæ applicandæ ſunt, quæ nonnihil humectandi, & refrigerandi facultatem habe-
B ant.

Si vultis copiam medicamentorum in omni ſpecie, aut differentia tinnitus, non eſt, vt recedatis à Galeno, & Auicenna. Inter recentiores Nicolaus Piſo videtur omnia colligere, quæ à ſcriptoribus tam antiquis, quàm recentibus ſcribuntur. Apud Rondeletium repe-rietis etiam ſyluam omnium medica-
C mentorum.

Et hæc dicta ſint de morbis pręcipuis aurium ſpectantibus ad præſentem conſiderationem. Proponuntur à quibuſdam apoſtemata, quæ parotidas vocant, nec non aurium vermes, & earundem vlcera, & attritiones, quæ quia non faciunt ad noſtrum propoſitum, ſilentio ea inuoluemus, quia parotides ſunt tumores externi ſpectantes ad partem chi-
D rurgicam, quemadmodum attritiones, & vlcera: de vermibus verò agemus, vbi ſermo fuerit de inteſtinorum morbis.

Quibus declaratis iam habuiſtis oculorum, & aurium omnes morbos particulares. & quomodo è corpore expelli poſſint. Tempeſtiuum eſt, vt ad aliarum faciei partium morbos orationem noſtram transferamus, inter quas primò
E occurrit naſus, de cuius quidem affectionibus præter naturam agendum eſt; verùm non de omnibus, ſed de quibuſdam tantùm, quę ſunt præſentis ſpeculationis.

# DE MORBIS NARIVM.

SCiendum in primis eſt naſum eſſe, à natura factum tum vtilitatis, tum ornatus gratia: vtilitates ſunt tres, vna, vt odoratus ſit inſtrumentum; altera, vt præbeat viam aeri attracto, in ipſiuſq: cauitate paulò immoretur pro ſpirituum animalium generatione; tertia eſt, vt in maximis cerebri repletionibus poſſint per ipſum expurgari recrementa.

Addit Auicennas quartam vtilitatem quç eſt, vt in ipſo litteræ prolatæ meliùs diſtinguantur, vnde videtis illos, quibus nares obturatæ ſunt, cum difficultate voces proferre.

Quod verò ornatus gratia à natura in media facie ſit factus, clarum adeo e[illegible] vt nulla egeat probatione, quia illi, qui nares, aut pinnam naſi amputatam habent, locupletiſſimum edunt te[illegible]monium turpitudinis totius faciei; dictu enim difficile eſt, quantum abſq; vna ex prædictis partibus tota facies deturpetur.

Cum igitur tot prębeat vtilitates, poteſt pluribus modis pati; nam cauitas dans aditum ſpiritui, aut exitum excrementis, lædi poteſt præcipuè à duobus morbis ſatis notis, quorum vnus appellatur polypus, qui tumor eſt intra narium cauitatem enatus pluribus carunculis pedum in modum innixus, quo nomine appellatur polypus.

Alter verò, qui vlcus eſt, vocatur ὄζαινα; & hi morbi ingreſſum aeris ma-
B gis offendunt, quam excrementorum exitum, quæ ſi in nimia, quàm par ſit, quantitate exeant, morbum illum efficiunt, quem κόρυζαν appellant, de qua quidem egimus, dum ſermo nobis eſſet de catarrho, oſtendimuſq; catarrhum ipſum varia acquirere nomina pro partium diuerſitate, ad quas fluit, vnde, ad narium capacitatem cadens coriza vo-
C catur.

Ceterum ornatus ipſius naſi per amputationem ſuarum partium inſigniter læditur, quod omnibus notum eſt.

Poſtremò loco naſus læditur, vt eſt inſtrumentum odoratus, & quatenus in ſe venas habet nutrimentum afferentes, quæ ſæpè læduntur, vt faciant illam narium læſionem tam diuulgatam, quam narium ſanguinis fluxum, aut hæmorrhagiam vocant.

De prioribus lęſionibus nihil dice-
D mus, cum ſint alterius, id eſt chirurgicæ, conſiderationis, tractaturi ſolummodo de duabus poſtremis, nempe de odoratus, ſeu olfactus læſione, & de ſanguinis effluxu. His prælibatis ad primam accedimus.

# DE ACTIONE ODORATVS LAESA.

## CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

SVperiùs, dum de auribus, & oculis ſermo eſſet, diximus partes inſtrumentales, quæ alicuius operationis gratia factæ ſunt, plures habere partes, à quibus componuntur, & ita inter ſe diſpoſitas eſſe, vt vel actionem ſimpliciter reſpiciant, aut meliorem actionem, vel ipſius conſeruationem.

Rurſus conſiderantes partes, quæ actionem reſpiciunt, diximus eas, vel primaria ſui, vel ſecundaria ratione actionem animaduertere; ſi primò modò, pars vocatur principalis, & vna eſt in vnoquoq; inſtrumento, cui alia in toto corpore non eſt ſimilis: ſi ſecundo modo, dicuntur partes, ſine quibus actio fieri nõn poteſt: tertio etiam modo dicuntur partes ad meliorem, ſeu perfectiorem actionem factæ.

Et hæc ſunt plures, neq; vnam præbentes vtilitates, quia alię alimentum ferunt, vt venæ; aliæ vitam, vt arteriæ; aliæ ſenſum, vt nerui; aliæ verò ſunt, vel tegumentum, vel ab excrementis purgant, aut motum prębent, & huiuſmodi, quæ non ſpectant ad præſentem contemplationem, ſed iſtæ poſterioris ordinis ſunt communes omnibus inſtrumentis.

At partes, quæ famulantur odoratui, rediguntur ad huiuſmodi ordinem; nam in primis adeſt totus naſus oblongus, intus excauatus, cuius tota longitudo appellatur columna; extremitas dicitur pinna, cauitates duę anteriores nares:

Laterales partes dicuntur alæ, ſeu alulæ: quod duas diuidit cauitates, ſeptum appellatur, & duplex eſt, vnum, quod extra nobis apparet à pinna ad labium delatum ex ſola cute conſtans; alterum verò intus exiſtit, quod oſſeum eſt, atq; tenuiſſimum, in duas æquales partes cauitatem naſi diuidens.

B Adſunt & oſſa ethmoidea, ſeu perforata, quæ pluribus foraminibus cribri in modum perforata ſunt: adeſt membrana oſſa prædicta tegens, quę & ipſa foraminibus correſpondentibus illis, quæ in oſſe ſunt, eſt peruia, quæ etiam per totam cauitatem extenditur, neq; perforata eſt.

Cæterùm adſunt ſuper oſſa illa perforata duæ portiones, quas carunculas C mammillares, aut portiones mammillares vocantur: poſtremo loco ad has carunculas terminantur duæ longæ cerebri portiones ab anteriori cerebri parte non procul à principio ventriculorum enatæ, quæ longo ſatis, & manifeſto, ſed anguſtiſſimo ductu ad prædictas carunculas feruntur.

Inter neruos, aut nerueas portiones D nulla eſt, quæ à cerebro ſuam ducat originem, hiſce portionibus exceptis, quia omnes alij nerui à ſpina ortum ducunt, quod alias manifeſtiſſimè oſtendi: hęc eſt tota fabrica inſtrumenti odoratus breuiſſimè enarrata.

Non me latet maximam eſſe inter grauiſſimos authores diſſenſionem de parte illa, quæ eſt odoratus inſtrumentum, ſed cũ hæc alterius ſint inſtituti, dico ex E omniũ medicorum conſenſu portiones mammillares eſſe illam partem, quam præcipuam exiſtimamus in hoc inſtrumento, cui præcipuè debetur actio, & in cuius gratiam reliquæ partes conſpirãt.

Partes ſine quibus ſunt ſpiritus animales, quia vt alibi docui, non poteſt fieri actio animalis in corpore ſine affluxu ſpirituum animalium, qui non poſſunt à cerebro ad prędictas partes, niſi

ſuis canalibus medijs deferri; quare & ipſi ſunt partes ſine quibus.

Cùm autem nulla actio fieri poſſit, niſi obiectum attingat partem illam, in qua eſt potentia, atq; odor ſit obiectum, qui fit à vapore, vapor autem non poſſit ferri niſi per aerem, & aer non niſi inſpiratus ingrediatur cauitatem narium, qui etiamſi per inſpirationem eſſet attractus, non poſſet ingredi ad portiones mammillares, niſi oſſa, & membranæ eſſent perforatæ; hinc videtis, quot ſint partes, quæ famulantur odoratui, quæ ſi lædantur procul dubio fit in ipſa odorandi actione lęſio, & pro læſionis diuerſitate poteſt auferri ex toto, vel diminui ipſa actio.

Cùm igitur tota fabrica naſi ſit pręcipuè à natura facta, vt odores ſentiantur, ipſius actio erit olfactio, hęc autem poteſt tribus modis vitiari, vno modo abolitè, & eſt, quando nihil penitus homines ſentiunt odores, ſiue boni ſint, ſiue mali. Secundo modo diminutè, quando ſcilicet odores acutos, & vehementes ſentiunt, ſed mediocres minimè, aut cum difficultate.

Deprauatè etiam corrumpitur olfactus, vt quando iam odor aliquis percipitur prauus abſq; cauſa exteriori manifeſta, vel quando odores bonos prauos eſſe, aut è contra prauos bonos eſſe iudicat. Quare olfactus læſio eſt ſymptoma in genere actionis læſæ omnibus modis; omne autem ſymptoma cum ſequatur morbum, iſtud quoque ſequitur omne genus morbi, nempe intemperiem frigidam, & calidam, ſiccam, & humidam, malam compoſitionem, & ſolutionem continui, non ſecus atque auditus actio læſa.

## DE CAVSIS ACTIONIS *odoratus læſæ.*

CAuſa verò malæ compoſitionis eſſe poteſt in neruis deferentibus odoratum ea ratione, qua dictum fuit A in neruis opticis, atque in neruis auditorijs; nam humor aliquis craſſus, & frigidus, vel etiam calidus eos neruos obſtruere poteſt, quemadmodum contingit in magnis capitis repletionibus, ni quo catarrhus ad nares deſcendens in prædictas portiones imbibitur; ſic quando aduenit coriza; eadem enim prorſus materia imbibi poſſunt carunculæ.

B Quæ partes ſi ex toto repleantur, ex toto aboletur odoratus, ſi aliquà ex parte obſtruantur, diminuitur. Cæterum repleri poſſunt foramina membranæ, atque ethmoideon oſſium ab eadem materia, necnon & tota cauitas narium à polypo, vnde illi, qui hunc tumorem patiuntur, vix per nares aerem attrahunt. Idem contingit in ozenis: & iſtæ ſunt malæ compoſitionis cauſæ.

C Intemperies etiam quæuis immoderata actionem hanc lædere poteſt, præcipuè ſi cerebro eueniat; quia in cauſa eſt, ne ſpiritus boni generentur, aut diſſipentur, ne ferãtur in partem affectam, quare intemperies, & obſtructio ſunt cauſæ aboliti, aut diminuti odoratus.

Odoratus porrò deprauati cauſa eſt vitioſus aliquis humor imbibitus in vna
D ex prædictis partibus, præcipuè in carunculis mammillaribus, qui humor putrefactus, ac graueolens cauſa eſt, vt omnia odorabilia hunc habeant odorem; non ſecus enim contingit olfactui, ac eueniat guſtui, in quo, vbi lingua refer-ta eſt bile, omnia dijudicantur eſſe amara.

His de cauſis vitiatur odorandi actio, quæ etiam à vulnere, vel ingenti contu-
E ſione, aut læſione facta in cerebro, vel in vna ex prędictis partibus, præcipuè quando carunculæ, & oſſa illis ſubiecta ethmoidea, & oſſa colatorij dicta, violenter lęduntur.

## DE SIGNIS ACTIONIS odoratus læſæ.

Signa odoratus læſionem oſtẽdentia ab ægrotante ſunt accipienda;nam nullus eſt, qui poſſit ea aliunde cognoſcere: ſed cauſæ ſunt diligentia, & ſolertia à medico inquirendæ. At quoniam ſæpè contingit, vt vel nerui, aut oſſium foramina, ac membranæ obſtruantur, quando caput eſt craſſis humoribus repletum,nec quidquàm ad internã narium capacitatem deſcendit, veriſimile eſt foramina colatorij eſſe obſtructa.

Quando verò iam conſueti mucores,qui antea expurgabantur per nares, deſcendunt, neq; aliquis percipiatur odor, aut diminutè, verendum eſt, ne portiones à cerebro prodeuntes obſtructæ ſint. Rurſus quando non poteſt aer inſpiratus ſurſum per nares attrahi, & adeſt quędam difficultas in loquendo, quam Auic. naniſitatem appellat, foramina ſunt obſtructa.

Atqui ſi ab intemperie aliqua cerebri, ſiue ſimplici, ſiue compoſita euenerit, ſuis indicijs poterit cognoſci; nam ſi ſit calida, aut ſicca, nullę aderunt ſuperfluitates mucoſæ in naribus, ſed ſiccæ cruſtæ in modum apparebunt: percipietur etiam caliditas circa frontem, & totum caput; at in frigida, & humida intemperie mucores aderunt frequentes,frigiditaſq; in præcitatis locis ſimul cum capitis grauitate ſentitur.

At ſi nares obſtructæ ſint, id eſt tota capacitas naſi, ab aliquo tumore, tunc ægrotantes non poſſunt per nares reſpirare: præterea conſpicitur oculis tumor ipſam cauitatem obſtruens, & tandem quando aliquid intus adeſt, nullum certius indicium eſt, quàm illud, quod à ſenſu viſus accipitur. Si verò contigerit amiſſum eſſe odoratum ob vulnus aliquod, ægrotus vobis ſtatim pateſiet.

Tandem ſi à vitioſo aliquo humore A putrefacto lędatur, certiſſimam ſignum erit prauus odor, qui perpetuò, abſque aliqua exteriori cauſa ab ipſo ęgrotante percipitur.

## DE FVTVRO EVENTV actionis odoratus læſæ.

De prædictione ita ſtatuendum eſt; antiquatus affectus, aut à natura non poteſt curari; qui recens eſt, & B à catarrho, aut capitis intemperie curatur. At ille, qui ſit ex profunda, vt ait Auic. oppilatione, vix, & rarò curationem admittit: ita qui ex foraminibus obſtructis à mucorum copia euenit, curari quoq; poteſt.

Sed Auicennas admonet nos, quod quãdo aliquis in pernicioſis morbis deprauatum habet odoratum, ita vt ſemper percipiat prauum odorem, non mo C dò incurabilis eſt affectus, ſed prænunciat mortem proximè futuram.

## DE CVRATIONE ACTIONE odoratus læſa.

Qui methodicè, & ſecundùm Galeni doctrinam cupit modorum particularium inſtituere curatio D nem, opus eſt primò, vt corpus vniuerſum curet peruictus decentem rationẽ, (quæ in hoc caſu non eſt diſſimilis ab ea, quam in tractatu de aurium affectione diximus) per pharmaciam, quæ humores præparat, & eoſdem è corpore educit; ſic quoque per chirurgiam, vt natura indicationum dictat, de quibus inſtrumentis tam ſæpè à nobis tractatum eſt, vt pudeat penè amplius eadem re E petere.

Purgate igitur totum corpus ab humore peccante, mittite ſanguinem, cucurbitas, ligaturas, frictiones, & omnia reuulſoria adminiſtrate, prout vobis opus fore videbitur, ſecundùm pręcepta à nobis frequenter repetita, ac tandem ad localia, ſeu topica accedite, quo-

quorum quædam capiti, alia ori, & de-niqueàlia naribus applicanda ſunt.

Caput ex præcepto Auicennę eſt exiccandum,& corroborandum cum em brocis, quæ tamen non debent eſſe vni us generis, quia in intemperie calida, & ſicca conueniunt, quæ humectandi, & refrigerandi facultatem habent, ſed rarò contingit amitti olfactum ab intem perie calida, & ſicca ſine materia, ta-men ſi euenerit, poteſtiscaput cum oleis irrigare, vel etiam cum aqua tepida.

At ſi à materia craſſa obſtruente fiat, quod ſæpè euenit, curate, vt fiat hæc decoctio.

Ex floribus chamæmeli,
Furfure.
Bettonicæ,
Stœcchade,
Saluia,
Maiorana,

Bulliant in aqua fontis, deinde colen tur,& ex hac decoctione fiat embroca-tio ſupra futuram coronalem. Hac me dendi ratione ſperare licet, fore vt mate ria attenuetur, & reſoluatur, ex cuius reſolutione caput exiccabitur, & robur accipiet.

Poſt iſtam capitis irrigationem ad gargariſmata deueniendum, quæ ex ni-gella decocta in poſca fieri poteſt, quem admodum docet Auicennas; vel pote-ſtis feruefacere in aqua.

Calami aromatici, quod etiam aco-rus vocatur.
Bettonicę,
Raphani,
Hyſſopi ana drach. j. bull. in vino, aut in vini medietate, & aquæ alia medieta te; deinde addito melle, vel modico pul ueris ſinapi fiat gargariſma ſingulo die: bis, & ter: huiuſmodi gargariſma habet facultatem attenuandi,& attrahendi hu morem à naribus ad palatum, ita vt ſit deriuatiuum medicamentum.

Tandem medicamenta intus narium capacitatem ſunt immittenda, inter quę Raſis noſter puluerem inſufflandum pro-

A ponit, prius tamen abluta intus narium capacitate cum aceto tepido, vel ſi non ablui poteſt, apponit ſaltem ſuffumigiũ ex eodem aceto factum, deinde hunc inſufflat puluerem factum ex ſtruthio, cyclamine ad drach. j. ſalis ammoniaci ſcrup. j. fiat puluis ſubtiliſſimus.

Idem Raſis alium puluerem in hunc modum componit,

℞. nigellæ,
B Fellis gruis,
Colocynthidos,
Ellebori, ana drachm. j. omnia ritè puluerizata ponantur in ſuff. q. vri-næ cameli (aut aſini ex iuniorum men-te) deinde quouſq; exiccentur, ſoli ex poſita relinquatur.

Idem Raſis accipit nigellam, eamq; in aceto infundit per dies aliquot, pro-

C beq; conterit, & cum oleo admiſcet, na ribuſq; indit. Medicamentum hoc ab Auicenna ſummè laudatur: probatur quoq; puluis pulmonis vulpis exiccati; ſurſum per inſufflationem tracti.

Dum huiuſmodi medicamenta fiunt, iubet Raſis, & cum eo omnes practican tes, vt os aqua repletum ſit, & reclina to capite ad poſteriora puluis offeratur, vt inſpiratione totus in nares feratur.

D Prodeſt oleum nardinum, in quo mo dicum caſtorei, euphorbij, & moſchi ſit diſſolutum.

Succus quoq; radicis iridis cum mo dico pulueris pyrethri naribus inditus va let, quia etiam ſolet commouere ſternu tamentum, quod confert huic obſtru-ctioni intus exiſtenti.

Sternutatorium hoc maximè eſt in vſu.

E ℞. ſtruthij ſcrup. ij.
Pyrethri,
Staphidis agriæ, ana drach. ij.
Melanthij,
Caſtorei,
Zingiberis, ana drach. j. miſce, pulue rizetur, atq; ſtati apponatur. Adſunt etiam flores plantę ptarmicæ à Græcis, à noſtris ſternutatoria appellatæ, qui

applicati naribus commouent ſternutamentum.

Suffumigia quoque in præſenti affectu probantur: non tamen in omnibus cauſis eadem valent, ſed in calida materia conferunt

Roſæ,
Violæ,
Santali,
Poma cotonia,

Et acetum cum aqua roſacea. Faciunt etiam cortices aurantiorum in aqua roſacea infuſi cum ſantalis, atque igni appoſiti, vt ex aquæ ebullitione fiat ſuffumigium.

In cauſa frigida, & craſſa materia prodeſt

Ambarum,
Moſchus,
Calamus aromaticus,
Lignum aloes,
Spica,
Ladanum,
Ruta,
Caſtoreum aceto diſſolutum.

Parari poſſunt ſuffumigia ex his rebus in puluerem redactis, atq; carbonibus inſperſis, vel terebinthinæ, aut reſinæ additione ad trochiſcorum modũ, aut in alias formas redigi.

Præter ſuffumigia odores ad manus geſtati maximè proficiunt, vt eſt odor

Ambræ,
Moſchi,
Siſymbrij,
Serpylli,
Menthæ,

A Polij montani.

Caſtoreum prodeſt quàm maximè, quamuis ſit ingrati odoris, quod idem origanum facit in aceto maceratum.

Hæc eſt curatio olfactus læſi, quæ niſi iuuamentum hac ratione afferat, res profectò eſt in anguſto, neq; exiſtimo ſynapiſmos à recentioribus propoſitos poſſe multum opis ferre, nihilominus poſt ea, quæ dicta ſunt, caput abradere oportet, ipſiq; & fronti ſynapiſmos applicare: at non modò fronti, &
B capiti, ſed faciei, & naſo applicandos eſſe iubent recentiores.

Quod mihi in hoc caſu ſummè probatur, eſt frequens vſus theriacæ poſt totius corporis purgationem, vel confectio mithridatica: placet etiam id

℞. conſeruæ bettonicæ,
C Stœchados, ana vnc.ſſ.
Theriacæ, drach.j.

Miſce, & fiat bolus, qua vtere per quatuor dies.

Tradita cognitione, & curatione læſi olfactus, ordo propoſitus expoſtulat, vt de ſanguinis narium fluxu pertractemus, nam quamuis non ſit naſi proprius morbus, quia tamen frequenter ſummè contingit, & cum vitæ diſcrimine, & quia
D Raſis, Auicen. & ipſemet Galenus poſt tractatum de olfactu ipſum adduxit, nos quoque illum examinamus, methodum propoſitam ſeruantes, primò inquirentes, quis affectus præter naturam ſit, à quibus fiat cauſis, & quid facto opus ſit pro ſui curatione.

# DE SANGVINIS FLVXV E' NARIBVS.

## CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

SCiendùm eſt apud Græcos, duo nomina reperiri, quę fluxum ſanguinis ſignificant, vnum eſt αἱμοῤῥαγία, aliud αἱμόῤῥοις, & quamuis ſanguinem fluentem ab omnibus corporis venis ſæpè exprimant, nihilominus magis propriè αἱμοῤῥαγία ſignificat ſanguinis narium fluxum, quemadmodum Gal. 1. epidemiorum docet.

Αἱμόῤῥοις verò dicitur de ſanguinis illa eruptione, quæ fit à venis circa ſedem, de qua re legite Gorræum in ſuis definitionibus medicis. Vbi igitur apud Græcos reperietis, & pręſertim apud Hipp. hoc nomen αἱμοῤῥαγία abſq; additamento, ſemper ſignificabit ſanguinis è naribus effluxum: hæc de nomine.

Quod ad eſſentiam attinet, clarum eſt apud omnes eſſe aliquid præter naturam, ergo vel erit morbus, vel cauſa, vel ſymptoma. Non eſt morbus propriè loquendo, nec minus eſt cauſa læſæ actionis, niſi temporis decurſu, quamuis alia, & alia ratione poſſit eſſe cauſa morbi alicuius, vt in ſermonis progreſſu comperietis, ergo ſequitur, quod ſit ſymptoma, & in excretis à toto genere præter naturam, quia exit aliquid, quod nullo modo exire deberet, nempe ſanguis, qui eſt vitæ noſtræ theſaurus.

Dicimus igitur, quod hęmorrhagia eſt ſymptoma in genere excretorum, nempe ſanguinis, à toto genere præter naturam. Dicitur ſymptoma in excretis ad differentiam ſymptomatum in actionibus læſis, aut qualitatibus mutatis. Dicitur à toto genere præter naturam, ad differentiam illius ſanguinis, qui ab vtero conſueuit ſingulo menſe expurgari, qui non eſt fluxus à toto genere ſimpliciter, ſed ſolùm quantitatis, aut temporis ratione.

Cùm igitur fluxus ſanguinis narium ſit ſymptoma quoddam in genere exeuntis ſanguinis, qui quieſcere in venis deberet, iam ſequitur, quod ſit motus quidam à capacitate venarum ad extra, atqui omnis motus ſuas habet cauſas, quæ in præſenti à nobis ſunt inquirendæ.

Reperio Ariſtotelem omni motui aſſignaſſe quinq; tanquam neceſſaria, hæc ſunt cauſa mouens, mobile, ſpatium, terminus à quo, & terminus ad quem. A natura factus eſt ſanguis, quę ipſius, cauſa eſt mouens, quando ſe habet ſecundùm naturam, ſed mediante virtute expultrice, aut potius diſtributiua. Mobile eſt ſanguis. Spatium, per quod moueri debet, eſt vena, aut arteria. Terminus à quo eſt hepar, vel cor. Terminus ad quem eſt totum corpus, quod nutriri debet.

Hęc omnia competunt ſanguini, quando eſt ſecundùm naturam, quando verò à proprio ſpatio à natura ſibi deſignato exit, profectò vt habeat cauſam vrgentem, neceſſe eſt, quæ vel eſt ex parte expultricis, aut mobilis, vel ſpatij: poteſt etiam contingere, quod ſit ex parte termini à quo; aliquando etiam & ratione termini ad quem, vt in inflammationibus.

In præſenti caſu omnis error eſt, vel ex parte mobilis, aut ſpatij; nam ſanguis, qui eſt mobile, dummodo non excedat in quantitate, aut qualitate, aut qualitate, numquam irritabit, facultatem venarum expultricem; è contra autem ſpa-

ſpatium, per quod fertur, labefactari ea ratione poteſt, vt impediatur curſus, ad quem tendit ſanguis, quia aliqua in parte vena fracta ſanguinem exire permittit ſanguis autem exiens ab ea præter naturam, vel per ora vaſorum aperta exit, vel per eorum corpus, quod membraneum eſt.

Si primo modo efficitur illa fluxus ſanguinis ſpecies, quæ à Galeno, & omnibus ſcriptoribus anaſtomoſis vocatur: ſi ſecundò modo, vel tunica venæ ſolutionem continui patitur, & tunc ſanguinis fluxus dicitur exire per διαίρεσιν, ſi verò tunica non ſit aperta, ſed dilatata, dicitur ſanguinis fluxus per diapedeſim.

Anaſtomoſis cauſa eſſe poteſt copia ſanguinis, aut mala ipſius qualitas, quę venarum ora violenter adaperiat, diæreſis verò prout ab interna cauſa, nempe ab humoris contenti acredine, & mordacitate, & à cauſa externa fit, videtur habere duplicem differentiam, vnam, quæ ἀνάβρωσις, hoc eſt eroſio appellatur, alteram verò quæ diæreſis, id eſt ſolutio continui à noſtris vocatur.

Ex quo habetis fluxum è naribus prodeuntem eſſe ſymptoma, quod ſequitur morbos vel in compoſitione, quemadmodum ille, qui fit ab anaſtomoſi, vel etiam in diapedeſi (quia membranæ nimis dilatatæ, quàm par ſit, faciunt morbum in mala compoſitione reſpectu figuræ; nam meatus ſunt dilatati, qui eſſe minimè deberent) aut in intemperie, vt in anauroſi.

Sed quoniam hæc conſideratur duobus modis, vel ex parte ſanguinis contenti, vel ex parte venæ; ſi primo modo, morbus eſt in intemperie, quia ſanguis intemperatus eſt; ſi ſecundo modo, eſt in ſolutione continui, quia exeſa, aut corroſa eſt vena: quãdo verò à cauſa externa prouenit, eſt pura ſolutio continui.

Ex quibus etiam clarum eſſe debet A ſanguinis fluxũ non ſequi ſymptoma actionis læſæ; nam ſi legiſtis Capiuaccium, vidiſtis voluiſſe ſanguinis fluxum, quod eſt ſymptoma, ſequi aliud ſymptoma actionis venæ læſæ, ſed ſymptoma ſequitur morbum, non autem ſymptoma; ſed ille arbitratus fuit actionem venę eſſe contentionem ſanguinis, ita vt ſit ipſius opinio, quod venæ, dum continent ſanguinem, ſuam faciant actionem.

B Sed quantum ipſe decipiatur ex actionis definitione, etiam ab ipſo tradita, apparet, vbi ſcribit, & rectè quidem, actionem partium eſſe motum actiuum partis ad differentiam paſſionis, quæ eſt motus paſſiuus; eſt enim actio productio quędam de ſe in aliud; paſſio verò eſt receptio ab alio in ſe.

Quare ſi rectè diſcurrimus, vix aſſentiri poterimus contentionem ſanguinis C eſſe actionem, ſed potiùs paſſionem, vnde Gal. 5. de par. vſu cap. 7. vbi loquitur de inteſtinorum vſu, dicebat, quod quēadmodum venę ſunt factæ non ſolum diſtributionis, ſed etiam alterationis alicuius gratia, ita, neq; inteſtina ſunt facta ſolùm vt inſtrumenta diſtributoria, ſed etiam concoctoria, quare actio venarum eſſet dicenda diſtributio, quia ſanguis non eſt factus à na- D tura, vt contineatur in venis, ſed & ab ipſis per omne corpus diſtribuatur.

Addatis, quòd venæ, nullam habent actionem propriè dictam; ſed tantummodo vſum præſtant, & cum actione iecoris, & cordis concurrunt, quia illis opem ferunt, diſtribuentes eam materiam, quam ab ijſdem aſſumunt.

E Cæterùm actiones ſunt diſſimilarium partium, earum ſcilicet, quæ ea ratione componũtur, vt audiuiſtis, venæ autem, ſi ſubſtantiam ipſarum ſpectemus, ſunt ſimilares, & ſimplices partes, quare etiam concludendum eſt ipſas nullam actionem habere, vel ſi habere concedamus, non eſſe contentionem, aut retentionem ſanguinis, ſed ipſius delatio-

lationem, aut diſtributionem.

Concludendum igitur eſt ſanguinis fluxum eſſe ſymptoma excuntis à toto genere præter naturam, quod morbos ſequitur in mala compoſitione, vt in anaſtomoſi, & diapedeſi; vel ſolutionẽ continui, vt in ſecta vena; vel intemperiem, & ſolutionem continui, quemadmodum in anauroſi cõtingere diximus.

## DE CAVSIS FLVXIONIS *ſanguinis è naribus.*

Cauſæ horum morborum ſunt internæ, & externæ. Interna cauſa anaſtomoſis eſt nimia ſanguinis, aut humorum contentorum in venis copia, vel vapor excitatus in ebullitione, vt in ſynochis febribus contingit, vel etiam qualitas acris irritans oſtiola venarũ.

Diapedeſis eſt rarefactio membranarum venæ, aut ſanguinis attenuatio, vel vtraq; anauroſis autem eſt acris, & mordax maſſæ humorum qualitas, vt obſeruatur ſępè in ſalſa pituita, vel in bile, vel melancholia aduſta; diæreſis deniq; eſt externa cauſa, nempe vulnus, aut contuſio, vel quidpiam huius generis.

## DE SIGNIS FLVXIONIS *ſanguinis è naribus.*

Signa afferre, quæ oſtendant fluxum ſanguinis, dum eſt in actu, eſſet ridiculum, cum omnibus manifeſtiſſima ſint, ſed ad medicum ſpectat ea ſigna indagare, quæ oſtendunt differẽtias præ dictas, nempe fluxum prodire ab anaſtomoſi, aut diapedeſi, vel anauroſi, quia habemus ab ægrotante, & aſſiſtentibus, quando ex aliquo vulnere contingat.

Signa, quæ per anaſtomoſin ſanguinem effluere demonſtrant, ſunt nimia corporis plenitudo, quãuis vt dicemus in ſynochæ febris tractatu, ebullitio ſanguinis efficiat in eo, quod facit ebullitio in muſto, quia multũ euaporat, & ex impetu vaporũ orificia vaſorũ referãtur.

Vbi adeſt plenitudo inſignis, ſignum eſt exire ſanguinem per anaſtomoſin; at quando ſanguis mala qualitate eſt præditus, ita vt appareat mala quædam cacochymia, erit pituitoſa ſi ſua indicia profert, vel bilioſa, ac etiam melancholica, prout erunt ſigna.

Diapedeſis autem ſignificatur per modum ſanguinis exeuntis, quia in pauca exit quantitate, quod etiam per tenuitatem ſuam poteſt cognoſci; nam tenuis & paulatim excurrit ſanguis.

Per anauroſim ſanguinem exire demõſtratur à modo, quia à principio ſanguis paulatim, & parcè fluit, at temporis progreſſu copioſè.

Sed audio quempiam veſtrum percontantem, num ſanguis exire poſſit per anaſtomoſin citra læſionem ſanguinis & venarum? Dico, quod poteſt quidem ex languiditate virtutis oſculorum venarum, ſed hoc rarò contingit, & niſi poſt aliquos acutos, aut longos morbos, qui vires vaſorum adeo debilitauerint, vt in ipſis retinerinequeat, & in hoc caſu res in anguſto admodum eſt.

Sed quemadmodum ex prædictis ſignis facilè poteritis habere ſpeciem fluxus, ita è contra ex ſententia Capiuaccij difficillimum erit cognoſcere, à quibuſnam venis ſanguis exeat, quia, vt aliàs vobis demonſtraui, membrana vtraq; inuoluens cerebrum, & ipſum cerebrum pluribus venis, & arterijs eſt præditum, venæ etiam quamplures in interna narium capacitate reperiuntur, à quibus ſanguis prodire poteſt.

Quæ res cum ita ſe habeat, procul du bio difficultas Capiuaccij videtur alicuius conſiderationis: ſed ſi rem probè perpendamus, videbimus parui eſſe æſtimandam, quia, etſi veriſſimum ſit adeſſe in iiſdem locis plures venas, & arterias, quæ poſſunt in prædictum ſymptoma incurrere; nihilominus ſanguis ab iis emanans non poteſt ad nares ferri.

Quia vel exit ab ipſis, vel non: ſi exit, vel fertur ad ſinum tertium duræ membranę, qui ſecundùm ſuturæ ſagittalis lon-

longitudinem extenſus eſt, & in ipſa, inſculptus, & maximè excauatus, vel extra per prædictarum partium regionem ſpargitur.

Si primo modo huiuſmodi canalis terminatur ad venas, quæ ad narium internam capacitatem ſunt diſtributę, inde per eas ad nares fertur: ſi verò ſecundo modo ſanguis fluat, dico, quod grumeſcit ſtatim; nam Galenus ſcribit, vbique ſanguinem extra propria conceptacula, ſiue in corpore ſit, ſiue extra corpus, ſtatim grumeſcere.

Quare cum grumeſcat, non poteſt fluidus ad venas narium ferri, neq; ad oſſa ethmoidea, quare ſi rectè diſcurro, quã do exit ſanguis è naribus, ſemper venę, quæ in ipſo ſunt, & ad i[illegible] terminantur, affectæ reperiuntur [illegible] ex prædictis affectionibus.

Sed dicetis, quando fluit ſanguis præter naturam, exit ſemper à venis, an verò etiam ab arterijs? Reſpondeo, quod vt plurimum exit à venis, raró ab arterijs, quia etſi in ipſis ſanguis tenuiſſimus continetur, nihilominus adeo craſſæ ſunt membranæ, vt raró cõtingat ipſas lædi; deinde in pauca copia ſanguis in illis continetur, ita vt Eraſiſtratus clariſſimus medicus fuerit arbitratus, non niſi ſpiritus in ipſis contineri, ideo per anaſtomoſin non patiuntur ſanguinis fluxum. Si tamen contingat aliquando ipſum ab arterijs exire, cognoſcitur à ſanguinis tenuitate, quia tenuis eſt, flauus, & calidus. Addatis, quod ſequitur motum arteriarum, quare à motu facilè cognoſcitur, quem facit: hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV *fluxionis ſanguinis è naribus.*

Qvemadmodum ſanguis in aliquibus ſymptomaticè fluit, in quibuſdam verò criticè, ita euentus ipſius non poteſt omnibus eſſe ſimilis; ille enim, qui criticè exit, vel ſemper, A aut ſaltem vt plurimùm morbos liberat.

Quamobrem euentus ipſius eſt ſalubris, ſi in moderata quantitate exierit, vnde Auicennas dicebat fluxum ſanguinis ad quatuor libras non eſſe malum, ſed vbi ad octo libras exierit malum quidem eſſe, ſed peſſimum, quando excedit libras viginti.

B Ac certè quamuis non eadem omnium ſit virtus; aliqui namq; ſine detrimento poterunt perferre ſanguinis effluxum ad quinq; ad ſex, & ad octo, libras, alij ne libram quidem, vt pulchrè adnotauit Galenus in eo libello, quem de curandi ratione per ſanguinis miſſionem ſcripſit; nihilominus ſum huius opinionis, quod pauciſſimi morbo acuto poſſint poſt xx. libras ſuperſtites manere.

C Vnde idem Galenus 3. prorretico-rum 35. dicebat in iudicatorijs per frictionibus, ſanguinis vehementes eruptiones peſſimas eſſe; quare moderatus ſanguis è naribus criticè exiens ſalubris eſt, at ſymptomaticus numquam ſalubris, aut ſaltem raró: ſed præcipuè malus eſt, quando per eroſionem venæ, vel ſolutionem continui exteriorem, peior quando ab arteria, quàm à vena, exit.

D Sed quomodocunq; exeat, ſi immoderatus fuerit, eſt longè peior; peſſimus autem quando poſt ipſius exitum ſequatur ſingultus, aut deſipientia, vel conuulſio, aut totius corporis emaciatio; nam ſequi ſolet hepatis debilitas, cachexia, ſyncope, tremor, hydrope, & tandem mors, ex quibus iam manifeſtè apparet ipſius curationem non eſſe ſpernendam.

E

## DE CVRATIONE FLVXVS *ſanguinis è naribus per victus rationem.*

Qvoniam in curatione methodica indicationes illæ ſunt, quæ viam curationis oſtendunt, ideo ex ipſius rei natura inquiri debent.

Gal. de indicationibus fluxus 6, meth, med. à cap. 2. vſq; ad 7. loquitur Fluxus criticus, quoniam à natura factus eſt, non erit compeſcendus, niſi ſub ipſo vires langueant, vt periclitetur æger.

Symptomaticus reprimendus, ac ſiſtendus eſt; ſed indicationibus præſentibus, quę à ſanguine ipſo, & à vaſe, ex quo exit, aſſumendæ veniunt; nam apertio vaſorum indicat remedium adſtringens; & ſoluta ipſius continuitas indicat agglutinans, & vniens. Si verò raritas adſit, indicat condenſans: hæ ſunt indicationes à parte affecta deſumptę.

Sanguis verò, ſi multus ſit, indicat euacuans, ſi tenuis incraſſans, ſi calidus refrigerans, ſi impetuoſus reuellens. At quoniam aliquæ ſunt partes, à quibus emanat, quemadmodum iecur eſt, in quo ſanguis generatur, quod affectum adeo eſt aliquando, vt nimiam ipſius copiam generet, aut qualitate quadam malè affectum, ideo tunc ipſi iecori eſt ſuccurendum.

Vt verò iſtis indicationibus ſatisfaciamus, oportet inſtrumentis medicis cũ ratione, & prudenter vti; nam quamuis omnes ſcriptores practicantes ſcribant eſſe ſanguinem incraſſandum, ac refrigerandum, non eſt tamen, mea opinione, in fluxu à multitudine ſanguinis hæc regula tuta, quia potiùs attenuandus victus; nam cum ſanguis ab hepate tamquam ab efficiente fiat, non poteſt tamen copiosè ab ipſo generari, niſi copia ſuggeratur alimenti, quod eſt ſanguinis materia, ideo probo victus rationem tenuem, & etiam modicè refrigerantem pro iecore.

Sed huiuſmodi ſymptoma non contingit niſi robuſtis, & copioſum ſanguinem generantibus, qui ſępè ſola ſanguinis miſſione ſolent ſanari, quæ ſanguinem ſuperuacaneum euacuet, ideo in hoc caſu poteſtis è brachio eum copiosè mittere. Puto hunc caſum rariſſimè contingere, in quo Auicennas non

A veretur ſanguinem ad animi vſque deliquium extrahere fen. 5. tract. 1. cap. 9. ex baſilica, aut cephalia.

Venio ad alios caſus, in quibus ſemper ſanguis qualitate peccat, non loquor nunc de vulneratis, quia localibus curantur, ſed de eis, quibus ſanguis ob ſui tenuitatem, caliditatemq; & ob ſolutam venæ, aut arteriæ continuitatem, aut ipſius ſubſtantiam rarefactam extra
B conceptacula emanat.

Ac primò de victus ratione agentes dicimus debere eſſe in primis optimi ſucci, quæ ſanguinem moderatum generare poſſit, quæq; incraſſandi, refrigerandi, & agglutinandi facultatem habeat. Inter alia alimenta ptiſana his omuibus ſatisfacit indicationibus; nam refrigerandi, necnon lentore ſuo agglutinandi
C virtutem continet, eſtque óptimi ſucci.

Panis eſſe debet ex optima farina, ſed non admodum fermentatus, aut coctus. Inte. carnes nulla præſtãtior ea gallicu lorum; nam de illis loquens Galenus libello de bonitate, & vitio alim. dicebat eoſdem egregio quodam lentore eſſe præditos, quo humores poſſunt ad harmoniam reducere.

D Præſtant pedes vitulorum, & tota caro, pedes caſtratorum, caro agnina, aut etiam caprilla, ſed pręcipuè extremitates, quę glutinoſæ ſunt: huiuſmodi carnes elixæ offerendę veniunt, cum quibus ebullierint ſimplicia, quæ refrigerare valeant, qualis eſt portulaca, lactuca, intubus, ſempervivum.

Atque cum iuſculo paranda ſunt ſorcula, vel panis tritus, aut vermicelli
E dicti, quorum in his partibus maximus eſt vſus. Caſeus quoq; recens ab omnibus probatur, vt inter fructus cotonia, pyra cocta; omphacium etiam, quod agreſtam vocant, pro condimento in hoc caſu maximè valet.

Circa potum, à vino omninò abſtinendum eſt, ſed curandum, vt bibat æger aquam ſimplicem, aut etiam chalybea-

beatam, quouſq; perfectè ſit fluxus ſanguinis repreſſus, ac firmatus, niſi ſummus adeſſet virium languor, in quo caſu concederem modicum vini aqua lymphatum.

Quod ad alias ſex res non naturales, moderatè ijs fruendum eſt. Caueat à motu, à nimio ſomno, ab animi vehementioribus affectionibus. Loco motus frictiones fiant ad brachia; ad crura apponantur cucurbitulæ, ad dorſum, ad fœmora.

Ligaturę fiant ad articulos pedis aliquando: iubet Auicennas, vt ſtringantur teſticuli, in mulieribus verò mammillę, ſępè etiam aures ſtringendæ, ac vinculis alligandę.

Eſt præceptum Gal. & Aetij vt quando exit ſanguis ex vna nare, cucurbita applicetur ad hypochondrium eiuſdē lateris, vt v. g. ſi ex nare dextera fluat ſanguis, cucurbita applicetur regioni hepatis, ſi ex ſiniſtro, lieni affigatur cucurbita: non eſt vt admodum æger loquatur.

Quod ad capitis ſitum ſpectat, nonnulli exiſtimant ita collocandum, vt reſpectu aliarum partium ſit decliue, ſed mihi nō probatur huiuſmodi ſitus, quia præterquam quod Galeno aduerſatur 5. meth. meden. nam cum ſanguis ex iecore ad caput feratur per venas, vt probè noſtis, ſi caput decliue eſſet, in maiori quantitate ſanguis in ipſum decliue à iecore eleuato transflueret, quare ſitus capitis ita accommodatus ſit, oportet, vt in media figura cautè collocetur, cauentes ne ſtragula ceruici, & capiti ſubiecta nimium calida ſint, quare ſub linteis vaccinæ pelles ſunt pulchrè accommodandę: hæc de victus ratione.

## DE CVRATIONE FLVXVS *ſanguinis è naribus per Chirurgiam.*

Quod ad pharmaciam attinet, quia in hoc caſu ſymptoma vrget, quam maximè, ac omni ingenio

A curandum eſt, vt illi ſuccurratur. At pharmacia non niſi cauſam antecedentem reſpicit, & partem demandantem, vt iecur, ideo poſt quam ſanguinis impetus fuerit compreſſus, comprimitur autem magis per chirurgiam, & manualem operationem, de qua paulò poſt) oportet reſpicere, quiſnam humor peccet in corpore, eūq; idoneis præſidijs alterare, & extra corpus educere, de qui-

B bus iam multoties egimus, & adhuc magis diffusè infra in morbis thoracis agemus.

Nunc ſuccurrimus ſymptomati, primò quidem per ſanguinis miſſionem, de qua loquens Auicennas præcitato cap. dicebat hæmorrhagiam eſſe conſiderandam, quæ vel ſtatim, & repentè ſit, vel non ita repentè, & in copia ſanguis erumpit.

C Si primo modo, tunc antequam virtus labatur, iubet multam copiam ſanguinis eſſe extrahendam, & vſque ad animi deliquium; ſed ego exiſtimo hanc Auic. authoritatem in fluxu ſanguinis ab anaſtomoſi à nimia ſanguinis copia eſſe intelligendam; nam ſummæ repletioni ſumma euacuatio competit.

D At vbi paulatim, & vt ille inquit, gradatim ſanguis profluat, quia tunc reuulſionis cauſa mittitur ſanguis, ideo in hoc caſu non modò ſanguis paulatim, & guttatim eſt mittendus, ſed ſæpè claudendum eſt orificium, ac ſępè repetenda eſt miſſio ſanguinis.

Hirudines ad venas poſt aures proficiunt; cucurbitę etiam ad ceruicem, ad occiput ſunt applicandæ, ad mammas, ad hypochondria, aliquando ad vtrumque, ſæpè ad vnum tantùm, modò ad

E dextrum, modò ad ſiniſtrum, vt intelleXiſtis: neq; à frictionibus, aut ligaturis in partibus prædictis eſt deſiſtendum: tandem omni diuerſionum, & reuulſionum genere vti expedit, quouſq; ſanguinis ſiſtetur impetus.

Non eſt, vt obliuiſcamur medicamentorum localium, quorum quædam cer-

uici, nonnulla fronti, alia denique ipſis induntur naribus: quæ ceruici, & fronti admouentur, appellantur intercipientia, quia adſtringendi, incraſſandi, repercutiendique facultatem habere debent: aliqua etiam conueniunt regioni hepatis.

Primò ceruici ſunt refrigerantia, & modicè adſtringentia applicanda, quia ſanguis ad caput ferri non poteſt, niſi per venas iugulares, quæ ceruici primò offeruntur, per eamq; ſunt diſtributæ, hincq; ad caput exporrectæ.

Quare medicamenta eo loci applicita mirificè proficiunt, inter quæ poſca frigida actu ſummè valet, ſit ſæpè fuerit mutata quia ſolent lintea infuſa, & multo magis ſpongiæ ex repetita applicatione incaleſcere, ideo ne incaleſcant, ſunt ſæpè mutandæ.

Vel poteſtis ad formam emplaſtri id genus medicamenti apponere, quod præſtantiſſimum eſt.

℞. Terræ ſigillatæ,
Boli armeniæ,
Sanguinis draconis, ana drach. ij.
Acaciæ, drach. j. fiat puluis ſubtiliſſimus.

Deinde cum ſucco plantaginis, & albumine oui fiat linimentum. Sed hoc mihi magis placet, quia non tam validè, ſicut primum adhæret.

℞. ſucci plantaginis,
Aquæ roſatæ,
Aceti optimi, ana vnc. iiij.
Albuminum ouorum conquaſſatorum num. vj.
Addatis acaciæ cum prædictis diſſolutæ, & conquaſſatæ ad vnc. ſſ.
Fiat linimentum.

Hæc ceruici non ſolùm, ſed etiam & fronti applicatæ maximè proficiunt. Auicennas iubet eſſe accipiendum gypſum, ac infundendum in aquam, aut in acetum (magis mihi placet, ſi affundatur in poſcam) deinde emplaſtri in modum fronti applicetur, & quod magis eſt probat aquam gelidiſſimam, capiti affuſam.

A Hæc ceruici, & fronti ſunt admouenda, quia validè intercipiunt ſanguinem.

Naribus induntur quamplura, quæ ſanguinem ſiſtere poſſunt, inter quæ Raſis puluerem nobis proponit ex calce illa, qua aurifices vtuntur: hæc ſubtiliter puluerizata inſufflatur in nares, vel ſimul cum albumine oui agitata inuoluitur turunda, & in nares immittitur.

B Non deſunt medicamenta apud authores. Propono vobis illud Benedicti Victorij.

℞. ſucci artanitha,
Plantaginis, ana vnc. ij.
Thuris,
Aloes hepaticæ,
Myrrhæ, ana drach. j. ſſ. puluer. pulucrizandis, miſce & ad formam linimenti redactis illinatur turunda, atq; in narem, à qua ſanguis exit, indatur.

C Galeno medicamentum miſi ſæpiùs expertum inter cætera probatur, quod cõponitur ex aloe, & thure, ana partibus æqualibus, & pilis leporis ſubtiliter puluerizatis, quę cum albumine oui exagitata præſentaneum ferunt auxilium.

Hiſce addo duo medicamenta, quæ quantò faciliora ſunt, tantò maiorem afferunt in hoc caſu vtilitatem, vnum eſt, vt accipiatis aquam extractam ex cyclamino, quem panem porcinum vocant, curateq; vt æger eam frigidam intus nares trahat, videbitis quaſi miraculum.

D Aliud eſt, vt accipiatis ſanguinem ipſiusmet ægrotantis ad vnc. ij. aut iij. curateq; vt lamina adſit ignita, cui rubræ ab igne factę ipſum iniiciatis, quouſq; pulchrè exiccetur, deinde redigatis eum in ſubtiliſſimum puluerem, atque in nares inſufflate: eſt expertum medicamentum.

E Matthiolus lib. 1. in Dioſcorid. cap. & com. de thure, ſcribit thus cum aloe, & tela aranea, ac oui albumine exceptum, & turunda intus nares poſitum ſanguinem ſiſtere.

Præter hæc medicamenta Galenus pro-

probat turundam factam ex ſpongia li- quoribus prædictis infuſam,& intus im- pulſam, filoq; alligatam, vt quando ni mium exiccatur, poſſit extrahi.

Sed in adminiſtrandis huiuſmodi me dicamentis, quæ in nares ponuntur, iu bet Gal.&cum ipſo Auic. retinere ęgro tãtem in ore aquam gelidam. Plura poſ ſem afferre medicamenta, ſed ſi legeri- tis Gal. lib.4. de comp.med. in fine, & Actium lib.6. c.94. infinita propemo- dum reperietis. Volui ſolùm ea afferre, quę probaui,& à recentioribus proban tur.

Sunt & alia,quæ non qualitate mani feſta, ſed occulta agere dicuntur, inter quæ lapis eſt, qui diaſpis vocatur, collo geſtatus, deinde mentha collo alligata, vel etiam brachijs.

Si cupitis alia, conſulite authores,in ter quos maximè commendo Meſuem lib. 2. qui in hoc caſu medicamenta deſcribit multa conſideratione digna.

Raſis lib.3. continentis ſcribit tale preſidium, id eſt acetum, & porri ſuc- cus,ſimulq; cum puluere thuris naribus impoſitum, quod ſanguinis fluxum mi rabili quodam modo compeſcit.

Addam modò, quę hepati applicata iuuamentum afferre conſueuerunt, in- ter quæ iſtud eſt.

℞. aquæ plantaginis,
Aceti optimi, ana lib. ij.
Santalorum ſubtil. puluериz. vnc. ſſ.
Miſce.

Madefiant lintea, & apponantur he- patis regioni actu frigida,

Vel ſic,

℞. aquæ roſarum,
Solani,
Oxalidis, ana vnc. iiij.
Specierum triaſantali,
Diarhodon. abbatis, ana drach. j.
Boli armeniæ orient. ſcrup. ij.

Miſce, & omnibus ſimul commixtis fiat epithema pro iecore: hęc ſunt, quæ pro fluxu ſanguinis è naribus erumpen- te conuenire mihi videntur.

Verùm ſunt etiam quædam, quæ in- tus aſſumpta præſentaneum ſunt reme- dium, vt confirmetur, ne ſanguis erum pat, proinde celebriores practicantes poſt humoris peccantis purgationem,& poſtquam omnia, quæ à nobis dicta ſunt, vſurpauerint, conſueuerunt aliquas bo- los præparare trium horarum ſpatio an te prandium, atque cęnam ab ægris aſſu mendas.

Eſt inter alia opiata, diuulgatiſſima illa compoſitio, quæ athanaſia vocatur, aut etiam philonium, vel theriaca nuper fa cta, cuius doſis ſit à drach. ſſ. ad drach. j.

Si vultis ampliorem curationem, legatis prædictos, vel alios præſtantiſſi- mos authores: & hęc ſint dicta de affe- ctibus naſi.

# DE MORBIS ORIS.

ETiam os ex pluribus par tibus conſtructum eſt, non tamen ea qua dixi- mus ratione, niſi con- ſtituere os ipſum veli- mus, tamquam actio- nis locutionis authorem; tunc enim poterimus dicere linguam eſſe præcipu am partem, cui debetur actio, labia ve rò partes ſine quibus, palatum, atque neruos: dentes denique eſſe ad perfe- ctiorem actionem.

Verùm quamuis ab ore proficiſcatur oratio, & ſermo, non tamen idcirco à natura primò intenditur, ſed potius factum videtur cauſa nutritionis. vnde in hoc caſu dentes ſunt tamquam primariæ partes, quia faciunt ad maſticationem primò.

Lingua ad meliorem maſticationem, quemadmodum etiam maxillæ, & gingiuæ.

At lingua, cum vt inſtrumentum conſideretur, & vt pars ſimilaris; ſi primo modo ſumatur, tunc habet rationem partis præcipuæ, deinde reſpectu maſticationis eſt ad melius, quod aliàs demonſtrauimus; ſi verò ſecundo modo conſideretur, procul dubio habet rationem primariæ partis reſpectu guſtus, & tactus.

Cum igitur conſtet os ex pluribus partibus, labijs, maxillis, dentibus, gingiuis, lingua, palato, vuea, faucibus, hæ omnes partes omne morborum genus pati ſunt diſpoſitæ, nempe malam intemperiem, tam ſimplicem, quàm compoſitam, tam cum materia, quàm ſine materia.

Malam etiam compoſitionem, ſolutionemq; continui patiuntur præter naturam eadem ratione, iiſdemq; de cauſis, ſicut in alijs partibus, proinde cum illis ſimilem habent curationem, nec ideo videntur eſſe præſentis tractationis, quia ſolùm nunc amplectimur particulares partium morbos.

Sed dices, cur Auicennas, Raſis, & alij authores ſcribentes de morbis particularibus, tractant peculiariter de morbis linguæ, vueæ, faucium, glandularumq;? Dico, quod aliud eſt ſcribere, & aliud voce docere, dum ſcribimus, id per otium facimus, neque lectiones limitatas habemus, & proinde poſſumus vagari circa ea, quæ ad benè eſſe ſunt.

At legentes, quoniam ſingulis annis lectiones ſuis finibus concluſas habent, inter illud temporis ſpatium ſibi proponunt declarare morbos, hoc eſt illos, qui proprio nomine donantur ipſarum partium, quas tamquam neceſſarij ſcitu amplectuntur.

Addatis, quod ſunt morbi aliqui, qui rariſſimè contingunt, alij verò, qui frequenter, & famoſi ſunt apud medicos; quorum qui rectam curationem intelligit, poterit, etiam aliorum minus principalium eiuſdem generis curare, quare aliorum nos doctorum legentium normam ſequentes vnum, hic tantùm morbum partium oris amplectemur, qui licet non ſit proprius, & peculiaris, eſt tamen frequens, & notatu dignus, is autem eſt dolor dentium: de quo, in præſenti.

# DE DOLORE DENTIVM.

## CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Qvamuis dentes multas affectiones preter naturam patiantur, nempe quod modò longiores ſunt, modò in mandendo atteruntur, ac breuioreſq; fiunt, vel ſtupeſcunt ab humore, tum frigido, tum acerbo, necnon nigreſcunt; & fœdo lentore, fortè detergendi incuria, vacillant, & mobiles redduntur, perforantur, franguntur, vermibuſq; ſcatent, omnes tamen hæ affectiones cùm pauci momenti ſint, non videntur hoc loco examine dignæ: ideo

ad do-

ad dolorem dentium accedentes non, conteremus tempus in declaranda natura ipſius, quia iam probè ipſam intellexiſtis.

Nec animus eſt in præſenti diſputare, num dentes oſſa ſint, & vtrum ſentiant necne; quia à plurimis authoribus materia eſt diſputata; & quamuis inter antiquiores Auenzoar voluerit omnia oſſa ſentire, proinde nihil peculiare tribuit ipſis dentibus. Sed quantum ſuæ valeant rationes, pulchrè doctiſſimus Coſtæus demonſtrat, fen 7. lib. 3. cap. 1. quem vos legere poteſtis.

Vnam afferam vobis concluſionem, ab Ariſtotele, & Galeno comprobatam dentes quidem eſſe oſſa, ſed differre in aliquibus, præcipuè in ſenſu, quo ſunt præditi; quamuis non omnium tangibilium qualitates percipiant; attamen noxam inſignem ſentiunt à primis qualitatibus, nempe à frigiditate, & caliditate, & à paſſiuis etiam, vt dictum ſupra eſt; ac denique & ab humoribus, qui præter naturam in ipſos irruunt.

Legatis Gal. 5. de comp. med. loc. cap. 15. vbi videbitis eum expertũ fuiſſe dolorem dentis in ſe ipſo, quod aliqui negabant, ſcientes dentes citra dolorem poſſe limula quadam deteri, atq; etiam tantum ex ipſis auferri, vt breuiores fiant.

Concludamus igitur dentes ſenſum habere, quod cum ſat clarum ſit, maniſeſtiſſimum etiam habebimus poſſe dolorem pati. At ſcias ſenſum hunc ab omnibus, & Galeno ipſo referri in neruum, qui à ſexta neruorum coniugatione ortum ducens per foramina maxillæ tam ſuperioris, quàm inferioris fertur in radices omnium dentium diſtributas, quod veriſſimum eſt.

Sed eſt aliud, quod maiori eget conſideratione; nam neruus non ſolùm radicem attingit, ſed intus dentem ingreditur, atq; ad medietatem ferè ipſius dc generat in tenuiſſimam membranam, A quæ internam dentis ſuperficiem operit, beneficio cuius exquiſitum habet ſenſum.

Quare cum habeat ſenſum tam vegetem, mirum eſſe non debet, ſi dolorem intenſiſſimum patiatur. Cum verò lima atteritur (præter quam quod, vt dixi à ſecundis qualitatibus, vt pote ab aſperitate, lenitate, & huiuſmodi vix patitur) ſolummodo auffertur illa ſuprema B ſuperficies, ad quam pertingere non poteſt prædicta membrana.

Nam ſi ipſa ad extremum vſq; attingeret, eſſet potiùs impedimento, quàm quod iuuamentum ferre poſſet, quia in mandendo res aſperas, ac duras dolorem perciperet, & hinc eſt, quod dentes toto vitæ curriculo augētur, vt quod de ipſorum ſuperficie in mandendo conſumitur, ex huiuſmodi ſecundùm C longitudinem auctione reſtaurari poſſit, ne ad membranæ vſque regionem conſumatur.

Auicennę ſententia eſt, vt ſubſtantia dentis ſentiat, quod certè veriſimile non eſt, quia ſi ſentiret in vna parte, cùm ſit continuum, ſentiret etiam in alia, ſed in ſuprema ſuperficie non ſentit.

Dentes ex materia ſpermatica oriri, D communis eſt clariſſimorum anatomicorum conſenſus. Præter alias, quas cum oſſibus differentias habent, ea eſt, quæ ex maxillarũ ſectione, & contemplatione, in abortiuis, aut in alijs infantibus duorum, aut trium annorum habetur, in quibus maxillę molles ſunt, vt facilè ſecari cultro anatomico poſſint. Obſeruatumq; à nobis eſt, in ipſis repeririri ſpermatis copiam, ſecundùm eorũ E longitudinem duplici ordine, ſurculorum duorum inſtar, ibiq, conſeruari, vſq; ad dentitionis tempus.

Ordo hac ratione conſpicitur: linea, vel ſurculus ſuperior, maior eſt inferiori; atq; ex inferiori oriuntur primi dentes in pueris, per alueolos ſuos extra maxillam, formam dentium à natura recipientes; qui quando cadunt, ſubſe-

quuntur alij à ſuperiori linea producti.

In aliquibus poſt expulſos priores dentes, producitur, atq; exit tota illa linea ſpermatica,& continua vnicum dentem producens, quod Plutarchus in vita Pyrrhi Regis Epirotarum notauit, dum ait in ſuperiori maxilla huius Regis quaſi vnum dentem efformaſſe naturam, ita vt tota maxilla ſuperior, vno dente continuo conſtaret, quibuſdam tamen lineis veluti dentes deſignantibus.

Et ſummus ille anatomicus Realdus Columbus ſcriptum reliquit, lib. 1. de oſſibus cap.7. dentes in humano genere vnicum ordinem, vt plurimùm ſeruare, nempe vnicum in maxilla ſuperiori, & vnicum in inferiori, quamuis huiuſmodi ordo duplicari poſſit, itaut in vnaquaq; maxilla duplex ſit ordo dentium, qui rarus tamen eſt.

Teſtatur idem Columbus vni ex ſuis filijs triplici ordine conſtitutos fuiſſe dẽtes, ſed hoc in humana ſpecie vt rariſſimum profectò eſt; ita in brutis forſan ſæpius contingit. Scimus canem marinum, non duplici ſolùm, ſed & triplici ſerie obtinere dentes. Hic piſcis eſt inſignis magnitudinis, & ferocitatis, vt qui per littora tranſeuntes nantes homines, ſi quos inuenit, vnico morſu deuoret.

Ex his igitur apparet dentes eſſe partès ſpermaticas; nam quamuis in pueris poſt ſeptimum, aut circiter annum cadant dẽtes, qui tamen ſubſequuntur, nequeunt ampliùs regenerari.

Valuerde in Hiſpania excellens anatomicus lib. 1. de oſſibus, inquit dentes eſſe numero triginta duo, ſexdecim nimirum in vnaquaque maxilla, quibus ſingulis ſtatuit ineſſe appendicem, ſeu additionem in pueris cadentem à quinto ad nonum annum.

Quamuis, ſubiungit, vulgò dicatur mutari dentes, id intelligendum eſt de additamento illo, quia cum facti ſint ex ſpermate, ſatis liquet non poſſe amplius reproduci.

Quod ſi quæras ab ipſo, cur ſi dentes
A enumerari debent inter ſeminales partes, non naſcuntur niſi poſt aliquot menſes, vel circa pueri annum? Reſpondet non apparere appendicem, quòd ſit tectiâ gingiuis.

Vidius Iunior lib.7. anatomes cap. 5. cenſuit dentes minimè inſtructos eſſe appendice, & cum pueris decidunt eorum extremæ partes, quæ veluti appendices videntur, re vera tamen appen-
B dices non ſunt. Sed neuter horum ſapientum ſcriptorum naturę artificium obſeruauit in efformandis dentibus, quod ſupra patefecimus nemini hactenus notum.

Porrò dentes etſi numero euarient, cum modò plures, modò pauciores reperiantur, attamen, vt plurimùm duo & triginta ſunt; nam ſexdecim in vtraque maxilla continentur, qui rectè tres
C in partes diuidi ſolent, in molares, ſeu maxillares, caninos, atque inciſorios.

Quatuor primi anteriores, inciſorij dicuntur, propterea quòd ea figura præditi ſunt, vt incidendi munere fungi poſſint; nam lati ſunt, & acutam aciem præſeferunt, vt cibum oblatum cultri modo ſecent, quod facillimè præſtant, cum in totidem ſibi aduerſos, & ad eun-
D dem vſus fabricatos incurrunt, ſibi inuicem comprimentes.

Sequuntur & canini ad latera ipſorum, qui vtrinque ſinguli, ac è directo ſibi reſpondentes, qui ampli ſunt ea parte, quæ gingiuis proxima eſt, in apice verò acuti, vt ad frangendum maximè idonei ſint, itaq; fit, vt cum inciſorijs aliquid offertur, quod præ eius duritie ab ijs diuidi nequeat, tunc caninis tra-
E ditur. Dicuntur canini, quoniam canum dentibus quàm ſimillimi exiſtunt.

Succedunt maxillares, ſeu molares, qui quinque ab vtroque latere, tam ſuperiori, quàm inferiori exiſtunt, dicuntur molares, quoniam facti ſunt ad terendos cibos molarum inſtar.

Dolor igitur dentis à Græcis appellatur ὀδονταλγία, quod nomen à parte affe-

cta

ta,& ſymptomate originem ducit;nam affectus, de quo tractamus, eſt dolor, pars affecta eſt dens.

At verò huiuſmodi dolor eſt in dupli ci differentia, alius per eſſentiam in ipſo dente, alter verò per conſenſum gingiuarum, vt loco prǽcitato à Gal. habemus.

Galenus vult in propria dentis ſubſtantia eſſe, ſed id eſt propter membranam dilatatam in interna oſſis capacitate.

Mercurialis tribuit Gal. quod percepetit dolorem in propria ſubſtantia dentis, quod minimè eſſe poteſt, niſi per illam membranam, quæ à neruo dilata to efficitur, quod etiam animaduertit Vidius Iunior in ſua anatome cap. de dentibus, vbi etiam ſcribit: ad radicem dentis non modò neruus inferitur, qui in membranam definit, verùm etiam arteria, quo nomine fit dolor pulſatilis: eſt etiam & venula, vt nutriri dens poſſit.

## DE CAVSIS DOLORIS DENTIVM

SEd ſiue dolor à neruo, vel à gingiuis proueniat, ferè eandem curationē requirit cauſam antecedentem, & coniunctam reſpicientem, quas in præſenti inueſtigare eſt opus, quæ ſunt intēperies, vel ſine materia, aut cum materia.

Poteſt igitur eſſe intemperies ſine materia, vel ſimplex, vel compoſita, tam calida, quàm frigida, hoc eſt frigida, & humida; frigida, & ſicca: inde calida, & humida; vel calida, & ſicca. Sed iā audiuiſtis, frigidam, & calidam intemperiem dolores magnos excitare, ſiccam verò non admodum intenſos.

Vt plurimum intemperies eſt frigida quæ, vt dicebat Hipp. oſſibus, neruiſq; ac etiam dentibus eſt inimica. Quam uis etiam ſicca intemperies in ſenibus frequenter eueniat ex almenti defectu.

Si verò eſt cum materia, hæc ſua copia, aut qualitate dolorem facit; nam A vel tenuis, acris, & mordax eſt, vt in febribus quibuſdam; vel frigida, vt ſæpe contingit in catarrhis, vel aliquando adeo corrumpitur, vt ex ea vermes generentur, huiuſmodi materia, & à capite, & à ventriculo ſurſum vaporem mittente enaſcitur, quemadmodum materia alimentalis, ex qua nutritur neruus, ſi per congeſtionem colligatur in ipſo neruo.

B Cauſa verò exterior eſt aer frigidus, ventus boreālis, cibus valde actu frigidus, vel etiam calidus: cæterum caſus, percuſſio, & huiuſmodi poſſunt dolorem excitare.

## DE SIGNIS DOLORIS dentium.

C SIgna, quæ dolorem ſignificant, ab ægrotante habentur, at opus eſt, & ſigna cauſarum, & loci affecti inquirere. Quod ad cauſas ſpectat, ſi fuerit intemperies ſola, vel calida, vel frigida, ex habitu totius corporis, ante acta victus ratione, ex cauſis prætergreſſis erit ratione conijcienda.

Quemadmodum etiam ſi copia fit, materiæ, aut flatus, ex ſpecie doloris fa D cilè conijcietur; nam intēmperies ſola facit magnum dolorem, ſed longè maiorem, ſi cum materia fuerit.

Nam exempli gratia intemperies calida cum materia longè maiorem faciet dolorem, quàm ſine materia, quod idē de frigida dicendum eſt: ſed quando catarrhus cadit in os, atq; dentem, poteſt ex capitis affectione cognoſci quando catarrhus calidus eſt, maiorem fac t E dolorem, quàm frigidus.

Addatis, quod calida materia facit do lorem acutum, frigida verò extenſiuum, grauatiuum, & aliquando etiam ſtupidum, quaſi quod adſit in dente velu ti ſtupor quidam, hoc eſt exquiſiti ſenſus diminutio quædam.

Addatis, quòd à ſaporibus & coloribus materię cognoſcuntur, vt aliàs à me

Hhh 2 au-

audiuiſtis. Si verò dolor fuerit in néruo, tunc percipitur ad radicem dentis, & Galen. ſcribit in dente non percipi niſi doloris obſcuram imaginem, quæ non poteſt determinari, in quo loco ipſe ſit dolor; ſi verò ſit in membrana, quæ intus dentem eſt, dicunt nonnulli adeſſe veluti liuorem quendam in ipſo dente, aut ſaltem mutaſſe proprium colorem.

Sed huiuſmodi mutatio coloris non videtur neceſſaria; benè dolor videtur affligere magis in ſubſtantia, quàm ad radicem dentis: atque vbi dolor fuerit in gingiua, quę circa dentem, vel dentes reperitur, ſcribit Galenus ſæpè cognoſci ex pulſatione dolorifica, quæ percipitur, quia adeſt in gingiuis inflammatio, vnde aliquando dolor ob coarctationē augetur, quia cum gingiua cōprimitur, dentes duros oppoſitos habet, qui dum reſiſtunt compreſſioni, dolorem augent.

Cæterùm in inflammatione gingiuarum dolorificæ ſæpè ſolent duo tubercula in ipſis excitari, quorum vnus eſt gingiuarum vera inflammatio, & ἐπουλὶς vocatur; ſi verò præter inflammationem caro gingiuarum adaugeatur, efficitur alter tumor exiguus, qui παρουλὶς dicitur: hæc ſunt ſigna, quibus & cauſas, & etiam partes affectas læſas diſtinguere inter ſe poteſtis.

## DE FVTVRO EVENTV DOLORIS dentium.

Veniamus ad curationem, quæ in vehementiſſimo dolore haberi quidem poterit, ſed cum maxima difficultate, vnde habemus lib.2.de comp. med. local. dolorem dentis eſſe maioris momenti dolore capitis, quæ tamen ſententia eſt ſano modo intelligenda, quia ſi dolor capitis conſideretur ratione excellentiæ partis, eſt falſa, at ſi ſymptomatis vehementis occaſione, vera eſt, quia aliquando adeo intenſi ſunt dentium dolores, vt homines ad animi

A defectum, & ad ſyncopen ducere poſſint, nonnumquam etiam poſſunt apoplexiam excitare, attamen dolores à cauſa calida citiùs curantur, quàm qui à frigida.

Dolores ex gingiuis euenientes facilem recipiunt curationem; vbi igitur euentus ſalubris futurus eſt, tunc medicus omni ingenio vti debet, vt quàm primum ipſum dolorem de medio B tollat, id quod non niſi inſtrumentorum trium ope conſequi vnquam poterit.

## DE CVRATIONE DOLORIS dentium per victus rationem.

Sed animaduertere debetis, quod etiam dum de aurium dolore tractaremus, admonuimus, duplicem eſſe in C doloribus curationem, vnam, quam regularem vocant, & ordinariam, aliam verò coactam; in priori ſemper ſuccurrimus primùm cauſæ antecedenti, hoc eſt eam, quātum poſſumus, de medio auferimus; in ſecunda verò nihil aliud curamus, quàm pugnare aduerſus dolorem etiam ſpreta ipſius cauſa, hinc eſt, quod ante omnia ad localia, ad opiata, ad narcotica, ad ignem, ad ferrum re- D fugimus.

Primò videamus, quid in cura regulari facto opus ſit, in qua diæta eſt rectè inſtruenda pro cauſarum diuerſitate peccantium, hoc tamen commune omnes cauſæ habent; nām victum, & alimentum requirunt, quod optimi ſit ſucci, facilis coctionis, nec difficilis diſtributionis.

Sed in cauſa frigida, craſſo humore E exiſtente debet habere nonnihil caliditatis, atq; attenuandi facultatem; in calida verò è contra refrigerandi, & incraſſandi, vbi verò flatus ſit, aut vapor craſſus, ſunt cum cibis quædam admiſcenda, quæ flatum diſcutere, & vaporem attenuare valeant.

Quod ad potum ſpectat vinum concedendum eſt in frigida, & craſſa mate-

ria

ria, & etiam in flatulenta, aut vaporoſa; in calida verò vinum diluere oportet: in rebus alijs videndum, ne quid nimis, attamen in omnibus caſibus frictiones ad crura, cucurbitæ, & alia reuulſoria, & deriuatoria præſidia maximè ſunt ex vſu.

Clyſteres inter prædicta auxilia non infimum tenent locum.

Sed eſt, vt animaduertatis, quod quādo dolor ab alimenti defectu euenit, (quod rarò contingit) omni ingenio cu randum eſt, vt per alimenta boni ſucci corpus alatur, vinumq; detur, quod vir tutem reſtaurare, ac partes præcipuas veluti languentes corroborare poſſit.

## DE CVRATIONE DOLORIS dentium, per Pharmaciam, & Chirurgiam.

Qvod ad pharmaciam attinet, hu- mores peccantes ſunt alterandi extra corpus educendi, & ſæ- pè non ſufficit vna purgatio, vnde eſt, quod ad cacochymiam prauam tollen- dam, purgationem bis, & ter, & etiam pluries repetere debemus.

Iam qui ſint ſyrupi vnumquemq; hu morem præparantes, & quæ poſſint ca cochymiam variam auferre è corpore, iam multoties declarauimus, nunc bre- uitati ſtudendum eſt.

Vniuerſalis chirurgia in hoc caſu nō eſt diſſimilis ab illa, quàm diximus in a- lijs affectibus eſſe adminiſtrandam, ſed particularis eſt longè diuerſa, in qua de ueniēdum eſt ad dentium ablationem, vſtionemq; ipſorum, quod non contin- git in alijs partibus dolentibus. Verùm quidem eſt, quod in hac non ſecus at- que in iam dictis partibus, ſumma cura tionis repoſita eſt in localium admini ſtratione.

## A DE CVRATIONE DOLORIS dentium per localia.

Vbi igitur dēs doleat abſq; gingiua, rū affectione in cauſa calida, quæ inducias ferat, multa proponuntur à Ga leno medicamenta in acerrimo aceto incocta, non ſolùm ad refrigerādum, ſed ad intus penetrationem; nam ſiue dolor ſit in neruo, ſiue in dentis baſi, vim me

B dicamenti ad partem dentis internam deducit.

Inter frigida tenuium partium nul- lum eſt, quod aceto ſit comparandum, verùm à mitioribus ſemper inchoādum. Ideo ſæpè expertus ſum poſcam in ore detentam maximi eſſe vſus: ſunt, qui in poſca, & non ineptè, faciunt concoque re violarum folia, ſemina, & flores, nec

C non lactucæ, atque etiam nymphææ.

Alij in ipſa poſca ſolatrum ebulliunt, & decoctionem in ore detineri iubent. Oleum roſaceum, oleum omphacinum, lumbricorum terreſtrium ſolent in hoc caſu, ſi ore detineantur, auferri dolo- rem, in quibus poteſt addi, ſi opus ſit ma iori refrigeratione, modicum caphuræ, & aceti.

Placet etiam medicamentum à Ga-

D leno propoſitum, quod eſt, vt decoqua tur radix hyoſcyami in aceto multo, & ex eo ſemper aliquid in ore ſupra den- tes affectos detineatur.

Aliud mihi probatur quàm maximè; eſt autem tale, vt accipiatur dens cani- nus, aduratur, & teratur, deinde in ac e to concoquatur: huiuſmodi medicamē tum ſtatim dolorem mirificè ſedat, ta-

E men ad magis refrigerantia deuenien- dum etiam eſt in coacta cura, vt eſt opi um, ſeu etiam mandragoræ ſuccus, vel foliorum, aut radicis iuſquiami: hæc ſunt quæ in cauſa calida doloris dentium ap plicari poſſunt.

Varignana in ſuis ſecretis ponit deco ctum ex aceto, & radice capparum re- centium: etiam radix in ore detenta, & maſticata valet. Idem faciunt radices mo-

mori, & arnogloſſi. Poteſtis tamen parare pilulam hunc in modum, quæ in cauſa calida valet. Hoc medicamentum zabain ab aliquo fuit dictum, vt haberetur pro ſecreto: eſt autem iſtud Nicolai Requies, cuius ſi tantillum apponatur denti dolenti, ſtatim dolorem tollet.

In cauſa frigida, vel etiam vbi adſit materia, quæcunque ea ſit, ſiue flatus craſſus, ſiue pituita, inter alia, quæ probata à me fuerũt, eſt radix pyrethri, cuius portiunculam ſupra dentem affectum ponere debetis, ac diu ibi retinere. Mihi maximè probatur theriaca antiqua, aut mithridatium, vel ſolum, aut cũ modico aquævitæ emollitũ, quamuis aqua vitæ per ſe ſola etiam ſit maximi iuuamenti.

Meſues, qui inter alios authores ſolet non niſi in medium afferre electa, & præclara medicamenta, inter alia extollit ſpolium, ſeu ſerpentis exuuias in aceto ebullitas, ex quo aceto os abluatur continuò.

Valet etiam radix acori, & tandem omnia medicamenta, quæ calida ſunt, tenuiumq; partium, vt poſſint intus penetrare, atq; materias in parte dentis imbibitas diſcutere, atque in vaporem reducere.

Soleo ego accipere terebinthinam claram ad vnc. j. caphuræ drachm. j. deſtillentur per elambicum, & fiat veluti oleum, cuius gutta apponatur denti dolenti: dictu difficile eſt, quantum huiuſmodi medicamentum omnes dentium dolores auferat à quibuſcunque cauſis excitatos. Benedictus Victorius conciuis meus ſummè laudat medicamentum hoc

℞. hieræ picræ Gal. vnc. ſſ.
Mithridatij, drach. ij.
Aquę vitæ, vnc. j.
Miſce, & fiat linimentum; quo per ſæpè liniatur dens dolens ac etiam gingiuæ. Hæc medicamenta conueniunt, denti dolenti tàm à cauſa calida, quàm

A à frigida, ſiue intemperies ſit cum materia, ſiue non.

Quando verò per conſenſum à gingiuis proueniat, ſi ſit inflammatio, vtamini hoc medicamento.

℞. medullæ pomorum dulcium optimè tritorum, vnc. ij.
Furfuris craſſi vnc. iij.
Olei roſati omphacini, vnc. j.
Croci, ſcrup. j.

B Miſce, & fiat emplaſtrum, parti dolenti applicandum: vel poteſtis aliud medicamentum hunc in modum parare.

℞. ſucci ſemperuiui,
Solatri, ana vnc. iij.
Lactis vaccini lib. j.
Olei roſati omph. ij. miſce. Poteſtis quandoq; addere modicum aceti, au-

C gereq; doſim lactis, vt in ore poſſit contineri: at vbi non augetis quantitatem lactis, infundite intus linteā moderatè calida, & parti applicate.

Vbi epulis ad ſuppurationem tendat curate, vt ſuppuretur intus, atq; extra applicitis ſuppurantibus medicamentis: at intus ficus tam ſiccæ, quàm recentes valent pro ſuppuratione tentanda; extra verò multa conueniunt emplaſtra,

D quæ in communi ſunt vſu, quę quia ad hunc locum non ſpectant, omitto, quēadmodum etiam vbi parulis in gingiuis factus fuerit, ideoq; dens doleat, curate eum præſidijs reſoluentibus, & carnem adauctam auferentibus, quæ alterius ſunt negotij.

Sed quoniam in prædictis affectionibus ſolet dens perforatus eſſe, vbi adſit cum teredine ingens putredo, in

E primis curate, vt auferatur putredo. Inter alia medicamenta, quæ ad ipſam tollendam ſunt idonea, vbi dolor adſit, reſpicite cauſam, quæ ſi calida ſit, apponite, aliquod ex prædictis medicamentis, quemadmodum quando frigida fuerit, apponatis vnum ex ſupra allatis, ſed mithridatica confectio in vtroq; caſu eſt admirabile medicamentum; ſi

in

in calida fuerit cauſa ipſum cum lacte diſſoluite; ſi in cauſa frigida cum aqua ardente, quam vulgo aquam vitæ appellant; ſi verò abſq; dolore perforatus ſit dens cum putredine, apponatis intus aquamvitæ, vel guttas olei ex ſulphure, vel curate, vt inſtrumento ferreo ignito à chirurgo aduratur: ſi hæc non proficiunt, ipſum auferte dentem.

Quando dens patitur dolorem illum ſtupidum, qui ob acerborum commeſtionẽ contingit, omnes etiam vulgares portulacam confricatam eſſe optimum præſidium norunt.

Valet etiam ſal affricatus, ſi deinde aqua tepida os abluatur: prodeſt etiam butyrum, oleum, & huiuſmodi, ſed hi affectus facilè ab omnibus curantur.

A Vbi verò fuerint denigrati, pulueribus quibuſdam abſtergentibus ſunt confricandi, quemadmodum ille eſt, qui ex cornu cerui, ex radice ariſtolochiæ, & oſſibus ſepiæ componitur; lima etiam, vel inſtrumentum ferreum ſecans confricando tollit nigredinem.

At vbi dens dimoueatur, ad cauſam recurrendum eſt, proque diuerſitate cauſæ agendum: & hæc ſunt quæ pro
B dentium malè affectorum caratione dicenda mihi viſa ſunt. De ipſorum autem conſeruatione tractare non eſt præſentis inſtituti, quod morbos tantummodo amplectimur tractandos, non autem agere de valetudine conſeruanda, vel de remedijs comptorijs, quæ ſunt alterius conſiderationis.

# DE MORBIS PARTICVLARIBVS THORACIS.

## DE ANGINA.

### CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Capitis, eiuſq; partium morbos hucuſq; explicuimus, modò inter alias partes, quæ poſt caput occurrunt, prima eſt ceruix, ſeu collum immediatè capiti ſubiectum; parſq; eſt organica pluribus ſimilaribus conſtituta, oſſibus præſertim ſeptem, quæ vertebræ, ſeu ſpondili appellantur.

Hi adeo egregiè ſunt inter ſe conſtituti, vt ex vno nunc oſſe ceruix conſtare videatur, nunc ex pluribus; nam quando ceruix ſub capite ſine motu recta manet, videtur ex vnico oſſe fabrefacta, quando verò mouetur, perſpicuè omnibus apparet plura adeſſe oſſa, nec vnica ratione inter ſe conſtituta.

Quandoquidem duæ priores vertebræ diuerſam à cæteris ſtructuram, & compoſitionem habent, quia præter communem vſum, quem cum alijs ceruici præſtant, motu duplici capiti famulantur.

Atq; huiuſmodi ſpondili, ſeu vertebræ compoſitæ ſunt, vt inſeruiant motui annutionis, abnutionis, & motui laterali in gyrum proprio capitis. Sunt C multi, qui dicant ſupra primã vertebrã annutionis, & abnutionis motũ fieri, ſupra ſecũdam verò motũ in gyrum. Rem hanc exactius declarauimus libello de inſtitutione chirurgica cap. de fracturis.

Præter hæc ſeptem oſſa, quæ ſunt ceruicis fundamentum (relictis venis, arterijs, & neruis, quæ ſunt omnibus partibus communes, & veluti canales D deferentes alimentum, ſenſum, & vitam) adſunt plures muſculi, quorum quidam ſunt magni, alij verò exigui.

Magni ſunt communes ceruici, & capiti; nam (vt aliàs intelexiſtis) muſculi ſunt inſtrumenta motus voluntarij: cũ autem caput, & collum motum communem habeant, hinc etiam ſortita ſunt muſculos famulantes proprio motui, & iſti ſunt magni, qui etiam figuram ipſi- E us ceruicis exornant modò craſſiorem, modò tenuiorem ipſam reddentes, prout muſculi ſunt magis, & minus tum craſſi, tum longi,

Exigui autem rurſus ſunt in duplici differentia, alij qui famulantur prædictis motibus ipſi capiti proprijs, & iſti ſunt in poſteriori ceruicis regione propè priores duas vertebras. Alij deniq;

ſunt in anteriori facie; qui motibus laryngis, linguæ, & oſſis hyodis opitulantur.

Atque iſtæ ſunt omnes partes cerui cem conſtituentes. De cute nihil dicimus, quia eſt commune omnium partiũ tegumentum. Nihil etiam dico de larynge, & ſuis cartilaginibus, de trachea, & glandulis, de quibus ſuo loco intelligetis.

Quibus ſic ſtantibus nulla eſt pars ex prædictis, quę proprium, aut peculiarem morbum patiatur exceptis muſculis illis exiguis, quos diximus motui laryngis inſeruire; qui ſanè in duplici ſunt diſcrimine; alij enim cartilaginibus laryngis famulantur eas dilatantes, atq; conſtringentes tam pro reſpiratione, quàm pro voce edenda; nam opem ferunt, & ſine ijs nec reſpiratio, nec vox fieri poteſt: & iſti ſunt exteriores.

Alij verò ſunt interiores, qui etiam dicuntur muſculi faucium, quique inter alias ceruicis partes peculiarem morbum patiuntur, quem communiter Latini anginam, Grę́ci συνάγχη vocant, de qua quidem affectione loquens Trallianus lib. 4. cap. 1. dicebat morbum eſſe, qui laquei, funiſue in modum ægros ſtrangulare conſueuit. Vnde merito Græci antiquiores ipſum συνάγχην appellarunt, quaſi morbus ſit cum laqueo eueniens ad homines ſtrangulandos.

Poſteriores verò inquit Alexander quadrifariam ipſam nominarunt, quem locum Alexandri, quinimò Gal. 4. de loc. aff. cap. 3. 4. ſect. aph. 34. vt intelligatis paulò altiùs exordiendum eſt.

Scire debetis duas regiones in anteriori ceruicis facie reperiri, quę proprijs nominibus donantur, inter ſe loco, officioq; diſtinctas, vna eſt, quæ appellatur pharinx, à noſtris ſub plurali numero fauces, & eſt illa pars, quę adaperto ore ad linguæ baſim conſpicitur inſtar duarum cauitatum; nam præter conterminos proprios, quos vnaquæq; caui-

A tas habet, videtur etiam hic locus in duas partes à gargarione diuiſus.

Ab huiuſmodi faucibus, tam gula, quàm aſpera arteria initium ducere videntur ob continuitatem membranæ totum os amplectentis. In hoc etiam loco continentur glandulæ illæ, quas pariſthmias vocant, & amygdalas.

Et quamuis huic parti nullus datus ſit motus, & proinde nulli ei muſculi B deſtinati ſint, nihilominus ob continuitatem, aut contiguitatem, quam cum hac parte muſculi gulæ, & laryngis ſuperiores habent, à ſcriptoribus apertè ſcribitur adeſſe muſculos tam internos, quàm externos, licet Gal. 4. de loc. aff. cap. 3. in fine nullum muſculum huic parti adſcribat.

Rurſus alia pars, quæ in anteriori parte C ceruicis eſt, appellatur larynx: hæc autem caput bronchij à quibuſdam vocata fuit, eſtq; inſtrumentum vocis, præbetq; viam aeri inſpirato, atq; expirato. Conſtat autem ex tribus cartilaginibus proprijs nominibus deſignatis, quæ dilatantur, ac conſtringuntur ad reſpirationem faciendam, cum autem huiuſmodi actio fiat ad animantis libitum, ex neceſſitate requiruntur muſculi, qui ſunt arbi D trarij motus inſtrumenta: horũ autem aliqui ſunt exteriores, alij verò interiores.

Adſunt etiam muſculi motui linguæ, & oſſis hyoidis deſtinati, hiſce contigui, atque ad inuicem ſibi opem ferentes.

Stante igitur hac vera harum partiũ anatome Alexander Trallianus ex Galeni doctrina (quam tamen ex aliquo- E rum opinione potiùs, quàm ex propria ſententia affert) ſcribit in quacunque ex prædictis partibus duplicem anginã euenire; nam, vt ipſorum vtar verbis, ſi muſculis faucium inflammatio euenit, appellatur ſynanche, atqui ſi exterius contingat, paraſynanche dicitur.

At quando gutturi, ſeu laryngi euenerit, ſi muſculos internos occupet, dicitur

citur

gitur cynanche per c. ſi exterius muſculos attingens, vocatur paracynanche.

Sed huiuſmodi ſubtilitates parum faciunt ad curationem, vixq; credibile eſt, quod quando interiores partes faucium, nempe amygdalæ, vel aliç circumſtantes inflammantur, quin etiam inflammentur exteriores: atqui Hipp. appellabat affectionem quamcunque huic loco accidentem, ſpirationem quouis modo deteriorem facientem, & à quacunque cauſa prodeuntem, ſynanchim, vt 4. de loc. aff. 3. vnuſquiſq; veſtrum cognoſcere poterit. Arabes autem ſquinantiam dicebant.

Huiuſq; ratio fuit, quoniam nondum ab hominibus inuentę erant illæ nominum diſtinctiones per c. aut per ſ. multoq; minus alia nomina, nempe paracynanche, vel paraſynanche, & quando homines cœperunt tam diligenter nomina inquirere, tunc res ipſas neglexerunt.

Vnde Gal. eodem loco dicebat, quod inuentis quatuor nominibus prædictis genus illud relinquebant ab Hipp. traditum, illiſq; ſignificabant quatuor haſce differentias.

Quarum vna eſt, quando inflammatæ ſunt intus fauces.

Secunda, quando apparente nullo in faucibus inflammationis ſigno, neq; in aliqua ex exterioribus parte, ægrotus tamen in gutture ſuffocationis periculum ſentit.

Tertia, quando extrinſecus circa fauces inflammatio percipitur.

Poſtrema quando gutturis tam internę, quàm externæ partes inflammatione affectæ ſunt: & hæc de nomine.

Quod ad eſſentiam ſpectat, angina conſideratur duobus modis, vel qua propriè talis eſt, vel quà latiori vocabulo accipitur. Si ſermo ſit de angina, ſeu ſynanche propriè dicta, nihil aliud eſt, quàm inflammatio, vel faucium, aut laryngis, ſeu gutturis à ſanguine factus actionem reſpirationis lædens, & ita lædens, vt ſæpè aboleatur.

Atqui ſi conſideretur ſecundo modo, eſt tumor quidem prædictarum partium, ſed vel à bile, vel pituita affluente ortus. Conueniunt inter ſe ratione partis affectæ, & lęſionis, at differunt tantùm in cauſa.

Cæterùm ad hanc anginę differentiam reducunt omnes ſcriptores, & ipſemet Gal. illam, cuius Hipp. meminit 2. epid. ſec. 1. nempe ſuffocationem ex luxatione primæ, aut ſecundæ, vel etiam tertiæ vertebræ ceruicis; nam Hipp. fuit huius ſententiæ, vt ſecunda illa vertebra colli, quam ipſemet dentem appellauit (ob ſimilitudinem quandam, quam vnus proceſſulus in media ipſius peripheria contentus cum dentis figura habet) necnon & tertia luxari poſſit, ex cuius luxatione ſequatur præfocatio; vel, vt ait Hipp. cynanche.

Sed de huiuſmodi affectione nullus loquitur, vt dixi, niſi ex Hipp. verborum relatione, quia nullus eam vidiſſe teſtatur, de qua nihil dicturi ſumus.

Auic. autem 9. 3. cap. 8. aliam affert ſpeciem, quam ait fieri ex vermibus tracheam, & laryngem comprimentibus, de qua tractabimus, dum ſermo erit de affectibus gulæ, & ventriculi.

Nunc agendum de illa angina, quæ ad humores refertur, quam dicimus eſſe in duplici diſcrimine, cùm alia ſit propria, alia impropria, ſeu notha. De vera, & propria loquens Capinaccius ſcribit eius formalitatem eſſe compreſſionem factam ab inflammatione.

Sed hæc non videtur formalitas; vera enim forma eſt impedita reſpiratio; hæc verò efficitur à compreſſione; compreſſio autem à materia præter naturam in prædictis partibus collecta; cum igitur materia producat tumorem, hic verò lædat operationem reſpirandi, hinc ſequitur, quod non ineptè dicimus propriam anginam eſſe inflammationem faucium, aut aliquorum locorum laryngis.

Itaque quæcunq; angina eſt tumor præter naturam prędictarum partium; nam cum dicimus tumorem prçternaturam, ſignificamus morbum; morbus autem lædit operationem, quæ nihil aliud eſt in pręſenti, vt audiuiſtis, quàm reſpiratio, & deglutitio.

Morbus verò eſt in compoſitione, præcipuè in magnitudine adaucta; quãuis adſit in tumore omnium morborũ genus, intemperies nempe, & ſolutio continui (quod fuſius demonſtratum à nobis eſt alibi) adaucta tamen partium magnitudo facit anginam.

## DE CAVSIS ANGINAE.

CAuſa igitur anginę eſt tumor præternaturam, ſed propriè, & verè angina eſt inflammatio, cauſa verò inflammationis eſt ſanguis.

Iam verò cum inflammatio fiat per defluxum ſanguinis ad partem, fluxus habet ſuas cauſas; nam vt dictum eſt alibi, fluxus eſt motus quidam, motus autem fit à mouente, mobili, per ſpatium, à termino à quo, ad quẽ. Sanguis eſt mobile, qui dum ſecũdum naturam ſe habet, nunquam extra vaſa fluit, aut mouetur. Euadit autẽ præternaturam, quando, expellitur, vel attrahitur: expellitur, cum quantitate ſua ita peccat, vt vim expultricẽ irritet, vel mala qualitate pũgat, & tunc virtus expultrix irritata habet rationẽ cauſæ mouentis; id eſt expellentis.

Cæterùm terminus ad quem ſanguis fluit, eſt quando dolet, aut nimium calefit locus ad ſe trahens ſanguinem, & habet mouentis cauſæ rationem, nempe attrahentis. Ego aliàs demõſtraui vobis calorem ad ſe trahere per ſe, dolorem verò per accidens: ſpatium autem præbet maiorem fluẽdi occaſionẽ.

Quando igitur ſanguis nimis copioſus, aut valdè calidus in hepate generatur, grauatq; eius virtutem expultricem, atq; ſurſum per venas iugulares ad fauces, & laryngem ſanguinem expellit, ad ſe trahente parte affecta, tunc hepar eſt terminus à quo, fauces ſunt terminus ad quem, vnde vitio vtriuſq; fit ſanguinis fluxus.

Et iſtæ ſunt cauſæ inflammationis, nempe ſanguis ad partem inflammatam fluens: ex ſanguine igitur fit vera angina. Verũ poteſt eſſe ſanguis bilioſus, vel pituitoſus, ita vt inflammatio producatur interdum ex admixtione horum humorum; nam ſi bilis sãguini admiſcetur, dicitur phlegmone eryſipelatoſa, ſi cum ſanguine adſit pituita, œdematoſa.

Conſtantinus medicus inter Græcos non ignobilis author ſcribit anginam minimè fieri poſſe ab humore melancholico, quod is humor ſit craſſior, impotens penetrare partes illas, aut muſculos, quæ ſunt ad laryngem. E contra Auic. 9. 3 cap. de angina ſcribit ab humore melancholico anginam fieri quidem poſſe, licet raro contingat.

Mercurialis hoc loci videtur ſoluere contradictionem reſpectu diuerſarum partium; nam dicit anginam in faucibus fieri poſſe ab humore melancholico, cùm ibi adſint vaſa magna, per quę humor melancholicus poteſt vagari. In laryngẽ verò nunquam propter anguſtiam vaſorum, ſed fit tantùm ex bile, & ſanguine mixtis.

Non placet hęc ſolutio primò, quia ſupponit vnum falſum, maiora nempe eſſe vaſa in muſculis faucium, quàm laryngis; ſæpè enim obſeruamus venas ad muſculos laryngis longè maiores eſſe, quàm ſint illæ, quæ ad fauces diſtribuũtur.

Deinde ad fauces membranæ inſunt denſæ ſuapte natura, ad laryngem verò ſunt muſculi rari vt pote carnoſi: quare facilius eſt, vt fiat ibi angina ex humore melancholico, quàm in faucibus.

Pro ſolutione dicerem verum anginam ſemper fieri à ſanguine, nonnumquam à ſanguine, cui bilis admixta ſit, aliquando & pituita; ab humore autẽ melancholico non verum fieri, & raro.

Non

Non veræ igitur anginæ, ſeu nothæ fiunt ab humoribus alijs tam ſimplicibus, quàm mixtis, & ab omnibus illis rebus, quæ comprimendi facultatem habent.

Ex pura bile fit eryſipelas, ſed rarò contingit anginam fieri ex ſola bile, at cum ſanguine ſæpè fit.

Gal. 4. aph. com. 34. in fine dicebat ſæpe anginam fieri ex multitudine humoris pituitoſi madefacientis tunicam gutturis interiorem; nonnunquam etiam ex eadem pituita muſculi mouentes laryngen incraſſantur, adeo vt viam anguſtiorem reddant, & ſic faciant anginam.

Poteſt etiam eſſe vt muſculi, & membrana prædicta imbibantur, ideoq; ſuccedat angina, quare omnis humor à capite deſcendens ad fauces poteſt eſſe cauſa anginæ.

Addit Gal. nō eſſe impoſſibile anginā ex ſumma ſiccitate excitari, quæ muſculos interiores laryngis conuellere faciat, illiq. retracti anguſtiam pariant in laryngé. Quare conuulſio ex ſiccitate ex Galeni ſententia videtur cauſa anginæ.

Prætermitto luxationem trium primarum vertebrarum, quia licet Joubertus ſcribat ſe ſemel vidiſſe in puero, nihilominus cum caſus rarus ſit, deinde quia ſi eueniat, ex Pauli ſententia reddi tur incurabilis, lubens prætereo.

## DE SIGNIS ANGINAE.

Venio ad ſigna, quorum alia ipſam anginam demonſtrant, alia verò cauſam particularem, & determinatam alia deniq; locum affectum deſignant, nempe anginam eſſe in faucibus, vel in larynge, vel intus, vel extra.

Quando igitur aliquis percipit à principio difficultatem deglutiendi, quę augeatur, ita vt inde ſequatur ingens reſpirandi, & loquendi difficultas, vel cum dolore, vel abſq; dolore, iam certiſſimum ſignum habemus anginæ.

A Cauſæ autem inter ſe diſtinguuntur; nam ſi vera, legitimaq; eſt, nempe ex ſanguine facta, cognoſcitur ab habitu totius corporis, qui eſt ſanguineus: deinde facies rubicunda apparet. Raſis addit venas temporum eſſe eleuatas, & quaſi tumidas.

Nonnulli dicunt ægrotantes percipere in ore ſaporem quendam vini dulcis quidem, ſed corrupti, quia dicunt

B ſanguinem corruptum redolere eiuſmodi ſaporem: dolor ſatis vehemens eſt, ſed magis tenſiuus, & grauatiuus, quàm pungitiuus, niſi copiam bilis adiunctam habeat.

Sed in hoc caſu miror ſcriptores omnes, qui cum ſtatuant anginam fieri ab inflammatione, ad ipſius tamē dignotionem tradendam non afferunt ſignum inflammationis pathognomonicum,

C quod eſt motus pulſatiuus.

An dicendum ſit, quod dicunt nonnulli de pleuritide, quæ, & ipſa eſt inflammatio, in qua non percipitur motus pulſatiuus, quod in pleura, quæ eſt membrana, nulla arteria reperiatur, ita quoq; nullus author mentionem facit de motu pulſatiuo, quia non percipitur ob carentiam arteriarum; nam in laD rynge, & in faucibus non adſunt arteriæ.

Hoc tamen mihi non probatur; quamuis enim in aſpera arteria, aut in larynge non adſint arteriæ, adſunt tamen circumcirca ſatis notabiles arteriæ, quæ poſſunt ab inflammatione lædi.

Sed præter ſigna prædicta ſemper cū inflammatione eſt febris, quare ex febre, alijſq; dictis ſignis comperietur fie-

E ri anginam à ſanguine.

Ex bile fieri dognoſcitur ab anteacta victus ratione, quę bilem generare potuerit, ab habitu bilioſo, ab exercitio immoderato, à ſpecie doloris, quia dolor acutus eſt, pungitiuus, & cum quodam morſu, quemadmodnm ſi ab acubus lancinantibus excitaretur. Adeſt ingens ſitis, linguæ ariditas, ſapor amarus,

rus, incendium intolerabile, febriſque acutiſſima.

At ſi pituitoſus humor ad has fluat partes, tunc Gal. dicebat ipſam diſtingui, quia nullus adeſt dolor, aut ſaltem paucus, & grauatiuus.

Deinde caput, & reliquum corporis demonſtrant ſigna pituitæ; quod etiam ex præterita victus ratione, & exercitijs conijcere licet.

Hoc modo, & hac ratione procedentes, tum à doloris ſpecie, tum à rebus naturalibus, & à non naturalibus colligemus cum ſanguine adeſſe melancholiam: & hæc de ſignis ſignificantibus anginam, & ſuas cauſas.

Pars vero affecta ad hunc modum colligitur.

Quando eſt ſynanche in internis faucium partibus, tumor intus conſpicitur adaperto ore, atque ingens rubedo: deinde minor eſt difficultas reſpirandi at maxima deglutiendi, ita vt vix, & cum ingenti dolore aqua ab ipſis deglutiri poſſit.

Si exterius ſit paraſynanche, adeſt quidem deglutiendi difficultas, ſed minor, quam in ſynanche. Cæterum exterius tumor, & rubedo conſpicitur.

At in cynanche, hoc eſt, quando intus ad laryngis muſculos internos angina adeſt, cognoſcitur ex ingenti reſpirandi difficultate, quia ægri nonniſi erecta ceruice reſpirare poſſunt: maiorq; eſt difficultas reſpirandi quam deglutiendi: exterius nihil conſpicitur, quod præfocationem oſtendat illam, de qua conqueruntur ægrotantes, at dolor vix ferri poteſt, adeo eſt immanis, ac ferox.

Deniq; in paracynanche dolor non eſt tam ingens, nec deglutiendi facultas adeo læſa: exterius verò circa regionem laryngis appatet tumor, & robur: & hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV ANGINAE

Qvod ad prognoſtica ſpectat, omnes vno ore fatentur eſſe morbum acutiſſimum, & periculoſiſſimum, quia ſpatio viginti quatuor horarum hominem iugulat; ſed maximè illa, quæ fit ab inflammatione, & ab humore bilioſo. Minus periculoſa eſt, quę fit ab humore pituitoſo; vnde Auic. ait lib. 3. fen 9. tract. 1. cap. 8. ex præfocationibus quidem phlegmatica eſt magis incolumis.

Sed vnum addit, quod non ita facilè admitti poteſt, quod ipſiusmet phlegmaticæ ſquinantiæ ſanatio eſt velocior, & facilior; nam poteſt admitti, quod ipſius curatio ſit facilior, quia (vt ſcribit Gal. nullum dolorem, vel prauum ſymptoma ſecum affert) ſed quod ſit breuioris curationis, non ita facilè perſuaderi poteſt, quandoquidem non modò rationi aduerſatur, ſed ipſiusmet Auic. authoritati.

Rationi quidem, quia pituita eſt materia craſſa, quæ non niſi longo cum tempore diſcuti poteſt, quod omnibus manifeſtum eſſe puto, ac etiam aliàs demonſtraui. Authoritati eiuſdem Auic. aduerſatur, quia paulò poſt addit, & prolongatur ad quadrageſimum vſq; diem.

Sunt, qui dicant Auicennam non loqui per comparationem ſpecierum anginę, quę fiunt ab humoribus calidis, ſed cōferre inter ſe anginas factas à craſſa, & tenui materia, proinde illa, quæ fit ex tenuiori pituita, eſt breuioris, ſeu facilioris curationis quæ vero fit ex craſſa pituita, eſt longioris, quia attingit quadrageſimum diem.

An verò dicendum ſit, vt nonnullis videtur, Auic. ſermonem eſſe intelligendum per comparationem ad prædictas anginæ differentias, quod arbitratus ſit hanc, quæ fit à craſſa pituita, eſſe facilioris curationis, quia materia ſuæ corpulentiæ cauſa non potuit intus poros, atque

que profundum partium penetrare, quod facilè faciunt ſanguis,& bilis,hinc eſt, quod velocius materiæ educuntur, quòd nōdum infarctæ,ac imbibitæ ſint.

An verò hæc duo verba, velocior, & facilior ſimul confudit, vt non velocitatem reſpectu temporis ſignificaret, ſed curationis ſecuritatem, quia re've-ra angina ab hac materia omni caret ſymptomate, nullumq; vitæ diſcrimen affert ægrotantibus?

Angina ab humore melancholico quamuis raró contingat, vt idem teſtatur Auic. eſt tamen mali moris, cauſiq; deploratus videtur.

Quod ſpectat ad partes affectas, ſi in faucibus eueniat ſynanche, eſt periculoſa quidem, & difficilis ob deglutiendi impotentiam;longè autem periculoſior eſt cynanche, quia tollit reſpirationem; homines enim poſſunt per aliquot dies ſine deglutitione cibi viuere, at ne minimùm quidem ſine reſpiratione.

Vnde Hipp. 4.aph. 34. dicebat,ſi à febre habito tumore non exiſtente in faucibus ſtrāgulatio repentè ſuperuenerit, lethale. Et hæc eſt illa angina, quam ſupra à iunioribus diximus appellatam fuiſſe cynanchen, in qua muſculi interni laryngis inflammationem patiuntur, abſq; eo quod in faucibus appareat tumor: hæc igitur omnium periculoſiſſima eſt, quia ſimpliciter reſpirationem tollit.

Si verò paracynanche cum paraſynanche comparetur, quamuis ſit minus periculoſa prædictis, erit tamen periculoſior ob prædictam rationem de ablata reſpiratione. Minus omnium periculoſa eſt,cum ab internis ad externas partes eſt protuſa, vnde Hipp. 7. aph. 49. dicebat ab angina, ſi tumor circa collum fiat, bonum: & hæc de prognoſticis.

A

## *DE CVRATIONE ANGINAE, per Chirurgiam.*

HVius affectionis cauſa quemadmodum vt plurimùm contingit à ſanguine vel primò, vel ſecundariò peccante, ita quoq; ſumma curationis videtur magis ad chirurgiam, quàm ad alia inſtrumenta attinere, quia peccatum
B eſt in ſanguine tum copiæ, tum motus reſpectu, atque ideo indicatio ſumitur à quantitate, & motu ſanguinis, quare quantitas eget euacuatione, motus vero reuulſione, omninò igitur ad ſanguinis miſſionem deueniendum eſt.

A quoniam, vt diximus, ſanguis ſurſum ab hepate expellitur: opus eſſet ipſum reuellere,at in reuulſione facienda duo neceſſariò ex Hipp. & Gal ſunt ob-
C ſeruanda, rectitudo nempe ſeu, vt alij dicunt,conſenſus, Græcè κατ' ἴξιν, deinde & oppoſitio.

At in corpore noſtro quatuor membrorum oppoſitiones obſeruantur, quarum tres Gal.nobis 4. meth.cap.3.& 1. aph.demōſtrauit, vna eſt à ſuperioribus ad inferiores partes,vt capite ad pedes: ſecunda eſt illa, quæ eſt ad latera, à dextro nempe, ad ſiniſtrum, & è contra:
D tertia ab anteriori ad poſteriorem partem, & è contra. Quartam addit Gal. 4.de ſan.tu.vbi loquitur de varia humorum repletione,quamuis etiam 4. meth. eamdem oppoſitionem deſcripſerit.

In præſenti caſu ad verām faciendam reuulſionem oporteret ſanguinem ex talo mittere; nam ſanguis retraheretur ad inferiores partes, & ex illo latere,
E ad quod præcipitat, & ſic rectitudo, & conſenſus, quem inter ſe vaſa habent, ſeruaretur.

Sed ſcire debetis duplicem eſſe reuulſionem, vnam exquiſitàm, alteram non tam exquiſitam: priori vtimur, quando materia paulatim ab vno ad alium locum fluit, datq; vt dici ſolet, medico inducias; vel quando cupimus præcauere aliquem à morbo: hacq; reuulſione

ne

ne vtebatur Gal. in præcitatis locis.

Altera verò reuulſione vtimur, quando non modò opus eſt ſanguinem retrahere ab vna in aliam partem, ſed quando euacuatione egemus, hoc eſt, quãdo maximo cum impetu ſanguis in aliquẽ locum præcipitat, vt periculum afferat præfocationis, vel difruptionis vaſorũ, & hæc reuulſio reſpicit totum corpus, partem affectam, & ſpatium, nempe venas, per quas fluit ſanguis.

In priori obſeruamus exactè oppoſitiones, vt quãdo exempli gratia ſanguis à capite fluit ad aliquas partes, mittimus ſanguinẽ ex talo; tunc enim obſeruamus oppoſitionem, exactamq; contrarietatem, quæ eſt ſecundùm longitudinem corporis; caput enim ſurſum eſt, pedes è contra deorſum.

At in hoc caſu ſanguis repentè, & impetuosè fluit ad fauces, aut laryngem, vt periculum ſit, niſi ſuccurratur, ne ægrotus ſuffocetur, ideo à principio locum reperire debemus, ex quo poſſimus ſanguinem retrahere à venis iugularibus, & à capite, ne fluat in fauces.

Cæterùm curandum eſt, vt ille, qui in hepate paratus eſt ad fluendum extra corpus, per venam ſectam extrahatur, adſitq; inter partem affectam, & locũ, à quo emittitur ſanguis, aliqua oppoſitio.

Quare in angina ſanguinem educere oportet per venam ſectam in cubito, & potiſſimùm per cephalicam, vt aliàs à me intellexiſtis: hæc vena dicitur eſſe in loco inferiori, ſi ceruici comparetur, quamuis Gal. voluerit omnes corporis partes ſupra iecur eſſe ſupra, ſeu ſuperiores appellari, quæ verò infra ſunt, dici è contra inferiores; nihilominus reuulſionis cauſa ſanguinem mittit ex brachio ad euacuandum, & reuellendum in affectibus colli, & capitis à principio tum 13. meth. med. cap. 3. tum in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. 18. 19. 20. tum 1. ad Glauc.

Nam quamuis omnes prædictæ partes dicantur, & ſint ſuperiores, proinde non ſeruetur exacta illa reuulſionis conditio, nempe oppoſitio, ſi tamen comparentur collum, & cubitus, vnum dicetur in ſuperiori, aliud in inferiori loco, at caput, & pedes ſunt ſimpliciter inter ſe oppoſiti. Idem & Gal. in affectibus vteri mittit ſanguinem ex talo euacuationis, & reuulſionis gratia.

Cum igitur in angina opus ſit ſanguinem retrahere à faucibus, ipſumq, ab hepate euacuare, & citò, ideo nullus conueniẽtior locus reperitur, quàm ille, qui ad cubitum eſt.

Mittite igitur ſanguinem ex cubito, & à vena cephalica, quia ipſa ortum ducit ab axillaribus venis, vel ſaltem ab alijs, quę ab ijſdem deriuantur.

Nec putetis tamen, quin in hoc caſu non ſint ſeruandæ indicationes, quia vbi adſunt indicantia, & conſentientia, agendum eſt, quę ſi non adſint, nihil temerè efficiendum.

In principio igitur anginæ mittendus eſt ſanguis ex cubito, vt audiuiſtis, & aliquando ex vtroq; vrgente neceſſitate: deinde niſi affectio remiſerit, neq; ſanetur ægrotus, tunc opus eſt deriuare ſanguinem à capite, à faucibus, & larynge.

Sed primò retrahimus ſanguinem in toto capite exiſtentem ad extimam corporis ſuperficiem, ducentes tum per ſectionem venæ capitis, frontis ſcilicet, vel occipitis, tum hirudines applicantes ad auris poſteriorem regionem. Sæpè & ſcapulis cucurbitas admouemus.

Aetius ceruici vnam cucurbitam applicat, & ex Aretæi conſilio infra vmbilicum ad latera etiam, & ad ſcapulas, ita vt à ſuperioribus ad partes inferiores trahantur, & vt aſſiduè ab vno ad alterum transferantur, & Bened. ctus Victorius prouocat ſanguinem è naribus cum ſetis porcinis benè pungentibus.

Tandem vt à partibus affectis deriuemus, mittimus etiam ſanguinem à venis, quæ ſunt ſub lingua, & vt Auic. inquit,

quit euacuationem facere oportet à principio,& reuulſionem per oppoſitas partes: deriuationem verò per partes propinquas.

Scire autem debetis reuulſionem, & deriuationem conuenire in hoc, quod trahunt ſanguinem: differunt verò inter ſe tum temporis, tum loci ratione: temporis quidem, quia reuulſio fit ſemper à principio; deriuatio minimè, ſed poſt reuulſionem: deinde quia in reuulſione ſeruanda eſt oppoſitio, & rectitudo, quę in deriuatione non ſeruantur.

Verùm quidem oportet obſeruare motum materiæ; nam quando ſanguis fluit ad aliquam partem, vel adhuc in venis eſt, vel extra venas, ſed nondum impactus, vel iam impactus in parte, deriuare eſt opus per partes propinquas, vt quando adeſt ſanguis in omnibus venis, quæ ſunt in cerebri membranis, tunc ſecanda eſt aliqua capitis vena, vt ſanguis ille, qui adhuc fluit, ſiue ſit in vaſis, ſiue extra deriuari poſſit, ne fluat in partem affectam.

Aliquando etiam cogimur mittere ſanguinem à venis, quę ſub lingua ſunt; deriuatio enim fit per propinquiores partes, ita vt in præſenti caſu eadem die, vel ſaltem ſecunda opus ſit omnia adminiſtrare circa ſanguinis miſſionem: hinc Alexander eadem die ſecuit venam cubiti, & eas quę ſub lingua ſunt, quas vbi habere non potuit, curauit ſecari venas iugulares cum fœlici ſucceſſu.

Idemq; Trallianus eadem die, quamuis ex vtroque brachio miſiſſet ſanguinem, propinauit medicamentum: ſed hanc operationem facere oportet in robuſtis hominibus, & quibus vehemens eſt affectio, & ferè deplorata.

Et hæc eſt methodus mittendi ſanguinem in angina, primò ex brachio, deinde ex capite, & ſcapulis per cucurbitas, & tertiò ex venis, quæ ſub lingua ſunt; quando materia in parte iam imbibita fuerit, tunc ab eadem parte fit deriuatio.

A Habetis igitur, quando ſanguis mitti debeat euacuationis, reuulſionis, & deriuationis cauſa. Et hæc ſit curatio anginæ per chirurgiam.

## DE CVRATIONE ANGINAE *per Pharmaciam.*

QVid modò per pharmaciam agendum veniat, facilè ex his, quæ B in aliorum morborum curatione à nobis dicta ſunt, cognoſcere poteritis; neceſſe enim eſt medicamenta adminiſtrare, quę totum corpus, & partem affectam reſpiciant.

At quoniam in præſenti caſu ægrotantes maximè periclitantur, quia etſi materia non ſit turgens, nihilominus breuiſſimo tempore poteſt hominem iu- C gulare, ideo ſtatim poſt ſanguinis miſſionem propinandum eſt aliquod pharmacum, quod materiam è corpore educat: attamen ſi ſanguis ſit ſolus, non eſt deueniendum ad medicamentum purgans.

Et quamuis citò agendum veniat, & à principio, nulla expectata coctione, tutò tamen, & cautè agendum eſt, quia non eſt opus vti medicamentis expur- D gantibus, ſed benignis, eaq; in forma potus paranda ſunt. In materia tenui, & calida.

Manna diſſoluta cum prunorum decoctione.

Aqua prunorum ſola.

Decoctio tamarindorum cum caſſia fiſtula.

Syrup. roſ.

Syrup. violatus, quem mirob viola- E tum vocant, ſummè valent in prædicta materia.

In craſſa verò diacatholicum cum decoctione prunorum diſſolutū: aut agaricum diſſolutum, vel infuſum, & expreſſum.

Huiuſmodi medicamenta ſunt in caſu noſtro idonea: vt etiam valent aliqui ſyrupi ad incraſſandum, & refrige-

randum ſanguinem bilioſum,nec non conferunt pro pituita attenuanda, & incidenda illi ſyrupi,de quibus alibi. At morbi prædicti, etſi curationem vni-uerſalem requirant; videntur tamen magis præcipuè expoſtulare particula-rem, & localem curationem, proinde ſatis nobis fuit aſſignaſſe in vniuerſum indicationes curatiuas cum medicamen tis ad illas ſatisfaciendum idoneis.

Cum verò morbos thoracis exami-nabo, quia ipſorum curatio magis in-teriora, quàm exteriora requirit medi-camenta, ideo fuſius eo in loco mate riam internorum medicamẽtorum per-ſequar, quorum quamuis ſylua ferè in-finita apud authores,Aetium præſertim reperiatur; nihilominus non verſantur niſi circa bilem, vel flauam, vel atram, vel pituitam.

Hæc enim ſunt ipſorum, circa quæ verſantur, obiecta, licet non omnia eodem modo; nam vt intellexiſtis,quæ-dam humores diſponunt,vt facilius edu ci queant; alia verò præparatos edu-cunt; alia quoq; dantur, quæ partium corroborationem, & ſpirituum refocil-lationem reſpiciunt,de quibus agemus, quando ſermo fuerit de morbis magis internis tam medij,quàm inferioris ven tris.

Nunc accedo ad curationem localem anginę, quia interna perficitur per hu-moris euacuationem, vt doctè Auic. ſtatuit in principio q. 3. cap. 10. tam per ſanguinis miſſionem, quàm per pur gans medicamentum.

## DE CVRATIONE ANGINAE, per Localia.

Localia medicamenta deſumuntur ab indicantibus. In inflammatio ne duo indicantur, vnum deſumptum à cauſa antecedente, aliud à morbo. Cauſa antecedens eſt ſanguis fluens,aut adfluendum paratus. Cauſa coniun-cta eſt ſanguis impactus. Fluens ſanguis

A indicat ſui retentionem, ne fluat in par tem affectam, eſtq; indicans præſerua-torium, & ad eam medicinæ partem ſpectat, quæ prouidet, vt Gal. author eſt 14.meth. cap.2.& 3. quod verò flu-xum eſt in parte, indicat ſui euacuatio-nem, idq; eſt indicans curatorium.

Ad ſiſtendum autem ſanguinem flu-entem opus eſt vti medicamentis, quæ ipſum, aut reprimant, aut expellant.

B Ad euacuandum verò id, quod eſt fluxum, oportet ea accipere medicamẽ ta, quæ intentioni huic ſatisfacere valeant, quæ certè non poſſunt eſſe v-nius generis,quia materia non eſt vnius naturæ; cum vna per inſenſibilem hali-tum, alia non niſi per viam patentem extra duci poſſit, & eſt quando ad ſuppurationem tendit; quare medica-menta quandoq; applicanda ſunt ſup-

C purantia, quandoq; reſoluentia.

Alexander Trallianus conſiderans me-thodum medendi hanc affectionem, ad-monebat non eſſe neceſſarium medica-menta adhibere, quæ reprimendi facul-tatem ſolummodo habeant, aut ſolum diſcutiendi, ſed quę vtrumq; facere va-leant; facta in primis temporum morbo rum conſideratione; nam in principio repellentia cum reſoluentibus ita admi-

D ſcenda ſunt, vt virtus repellentium præ-polleat; in ſtatu verò reſoluentia magis vigeant; in declinatione denique ſint adhuc magis reſoluentia.

Cæterùm ipſe author addit, quod qui laxantibus medicamentis ſiue exter nis, ſiue internis ſunt vſi, maximorum malorũ fuerint cauſa, quare à principio nec adſtringentibus, nec repellentibus, nec laxantibus ſolis vnquam vtendum.

E Sed quoniam,vt dixi,materia ſæpè ad ſuppurationem, frequenter ad reſolu-tionem tendit, hinc eſt, quod modò re-primentia cum ſuppurantibus, modò cum reſoluentibus admiſcenda ſunt. Tunc materia eſt reſoluenda, quando id, quod fluxum eſt in partem affectam, tenue ſit, paucum, & in ſuperficie; ſup-

pu-

purandum verò,quando in multa copia craſſum, & in profundo conſiſtit.

Sed medicamenta topica, alia ſunt, quæ in ore detinentur ad gargariſmi formam; alia verò, quæ extra applicantur, vt ſunt olea, vnguenta, emplaſtra, embrocationes, &huiuſmodi.

Quod pro gargariſmo in ore detinendum eſt à principio ſtatim, repellendi; necnon leuiter diſcutiendi facultate præditum eſſe debet. Inter alia Trallianus proponit illud medicamentũ,quod ex ſucco mororum ,& melle conficitur diamoron vocatum, quod à principio cum aqua plantaginis optimum eſt remedium, vt etiam cum aqua roſarum.

In hoc caſu eſt opus medici iudicio, qui agnoſcat, an ingens ſit fluxus, & vtrum intenſiſſimus dolor, quia tunc temporis curandum eſt, vt reprimatur, quantum fieri poteſt,materia cum repellentibus, & adſtringentibus gargariſmis: ideo primò poteſtis diamoron accipere cũ aqua roſarum,vel ſuccum mororum cum aqua plantaginis,cui addendum erit nonnihil ſapæ: deinde ad leuiter detergendum aliquid ſacchari, vel vbi requiratur maior abſterſio, parum mellis.

Poteſtis etiam cum ſucco nucum viridium admiſcere vinum granatorum. Fuit autem nucum ſuccus inuentus à Gal. lib. 6. de comp. med. loc. cap. 1. dum per viam Alexandria in patriam proficiſceretur; nam cum ruſticum hortolanum obſeruaſſet laborantem tonſillarum inflammatione,nihilq; ad manus illi eſſet, curauit à nucum corticibus extrahi ſuccum, quo ſolo vſus reperit ipſum adſtringẽdi facultatẽ habere, quod deinde experientia pluriesconfirmauit.

Curauit idcirco ſuccum colatum cũ melle concoqui; ex qua admixtione gratum palato effecit medicamentum; eoq; in principio ſolo vtebatur. At poſt principium addebat crocum, & myrrhã ad concoquendam,& reſoluendam inflammationem; nam myrrha eſttenuiũ

A partium intus penetrans,atq; quod præternaturam in profundo continetur in vaporem eleuat, & ad cutem ducit.

Verùm crocus, qui nonnihil adſtrictionis habet,impellit myrrham, vt magis, & citius penetret, inhibeatq; ne ſtatim ad cutem myrrha reuertatur,ſed ipſam retinendo in cauſa eſt, vt ad profundum inflammationisfirmata diſſipet,

B & attenuet materiam inflammationis, ac euaporatam ad cutem ducat.

Cæterùm quando in parte materia iam impacta eſt, addit huic ſucco nucum aliqua, quę acria ſint, vt eſt vel nitrum, vel ſulphur, vel ſapa, quæ habet diſcutiendi facultatem, aut origani decoctum, & huiuſmodi,vt eſt pulegium, thymum, calamintha. Adeo extollit Galen. id medicamenti genus, vt dicat

C longè prę̃ſtãtiuseſſe ſucco rubi,quoEra ſiſtratus vtebatur,aut mororum,vel etiã illo, quod ex muſto eſt compoſitum.

Noſtrates medici à principio quidem diamoro vtuntur cum aquis prædictis, ſed certè præſtantius eſt ſuccus mororum recenter extractus: deinde ad ſerum lactis, & vbi neceſſitas vrget, ad lac ipſum confugiunt, ad hordeaceam aquam cũ iuiubis,&liquiritia concoctã:

D vel ſi etiam magis à principio adſtringere velint,concoquunt rhu obſoniorum, quod eſt ſũmachium, vel omphaciũ,vel malicorium, vel hypociſthidem, aut etiam acaciam.

Confert aqua, & acetum, ſuccus oxalidis, roſarum, ſyrupus roſatus, ex iuiubis, de papauere, etiam in materia calida cum violaceo: in frigida materia mel roſatum, ſyrupus de hyſſopo,de li-

E quiritia, & huiuſmodi.

At verò poſt principium,vt diſſoluatur illud, quod fluxum eſt, tunc addunt glycyrrhizam, paſſulas, iuiubas, caricas, vel hyſſopum, aut thymum, vel pulegium, quæ cum melle decoquunt, vt poſſint abſtergere, quicquid à parte inflammata reſudat, non ſecus atque contingit in inflammationibus par-

tium externarum.

Exempla medicamentorum has intentiones habentium ſunt, vbi reprimẽdum eſt, exempli gratia.

℞. aquæ plantaginis,
Roſarum, ana vnc. ij.
Aceti, ana vnc. j.
Diamori, vnc. iij. m.

Cùm magis diſcutiendum, quàm reprimendum.

℞. roſarum rubrarum,
Summitatum rubi, ana m. j.
Glycyrrhizæ,
Hordei mundati,
Paſſularum, ana m. ſſ.
Ficuum,
Iuiubarum, ana num. xx.
Hyſſopi,
Calamenthi, ana manip. j. ſſ. miſce, & fiat decoctio.

Huius decocti poteſtis accipere ad libitum, exempli gratia lib. ſſ. cui adde
Rob. nucum, vnc. j.
Oxymellis, vnc. ij.
Mellis roſ. vnc. iij. miſce pro gargariſmo.

Cumq; ad ſuppurationem materia tendere videatur, præſtantiſſimum omnium eſt lac vaccinum; quamuis oleum maximè valeat in ore detentum, in quo aliquid ex prædictis ebullierit, quod ad ſtringendi vires habeat. Valet & decoctum caricarum.

Hæc ſunt medicamenta maximè, huic affectioni conuenientia, quæ debent habere duas conditiones, vt ſint grata guſtui, quantum fieri poteſt, & careant omni venenoſa qualitate.

Exiſtimo in hoc caſu nunquam exterius applicanda eſſe repercutientia, ne æger ſuffocetur, ſed ad mitigantia, & reſoluentia deueniendum eſt: medicamentum autem, quod citra repercuſſionem mitigat, eſt tale.

℞. Floris caſſiæ nouiter extr. drach. iij.
Caricarum, drach. ij.
Sapæ, vnc. ſſ.
Olei amyg. dulc. vnc. j. miſce.

A Emplaſtrum quoq; ex pane, lacte, & vitello oui, eſt præſentaneum medicamentum.

Ad idem olea amygdalarum dulcium, & amararum, ac oleum chamæmelinum faciunt.

Vbi verò magis reſoluendum, præcipuè in ſtatu, illiniendus eſt locus cum vnguento ex althæa, cum oleo ſeminum

B lini, chamæmelino, addunt & hyſſopum.

Adeſt quoq; medicamentum ex caſſia, & nido hirundinis factum, quod proficere maximè conſueuit, quodque apud nos in vſu eſt ſæpè: quod etiam doctiſſimus Capiuaccius ſilentio non præteriuit. Id autem componitur hoc modo.

℞. floris caſſiæ nouiter extr. vnc. ſſ.

C Sapæ, drach. v.
Nidi hirundinis, drach. vj.
Miſce, fiat emplaſtrum ſecundùm artem, & collo applicetur.

Si ad ſuppurationem tendere materia videatur, ſuppurantibus vtendum, vt eſt emplaſtrum communiſſimum ex althæa, vel farina tritici, ſeminum lini, fœnugræci cum butyro, vel axungia, quæ materiam vbique ſuppurare

D poſſunt: ſuppurata deinde curandum diligenter eſt, vt extra ducatur, ca præcautione, ne deorſum pus per tracheam ad pulmones irruat, quia periculum eſſet ſuffocationis, ac vbi pus euacuatum eſt, cum agglutinantibus vlcus curare oportet.

Anginæ verò materia, quæ ſit craſſa, attenuanda, incidenda cum medicamentis attenuantibus, & reſoluentibus,

E de quibus ſatis dictum fuit.

At quando ratione conuulſionis muſculorum contigerit, tunc conuulſionis cauſa curanda eſt, vt cap. de conuulſ. diximus. Et hæc de medicamentis, quæ operantur manifeſta qualitate.

Mox adſunt, quæ dicuntur agere à qualitate occulta, inter, quæ Gal. lib. 6. κατὰ γένη ex Muſa proponit ſtercus canini-

ninum album, tritum, & in puluerem redactum, ſimulq; cum melle admixtũ, eoq; vel illiniendum eſt collum, aut in formam boli eſt reducendum, vt deuorari poſſit. Gal. ſcribit ſe nunquam fortius hoc medicamento reperiſſe.

Idem præſtat ſtercus lupi, pueri, hirundinum, & magis pullorum, cinis quoque hirundinum, quæ eo modo parantur, vt ſtercus caninum.

Gulielmus Varignana in ſuis ſecretis ex Gal. & Auic. doctrinæ medicamentum inſigne proponit, quo veluti incantamento anginam omnem fugari vult. Præcipit, vt filamenta plura immergantur in ſanguine muris, quibus ita præpa ratis ſtranguletur vipera, deinde vnum ex filamentis collo ægrotantis circumuoluatur.

Addit, ſi filum per foramen acus traijciatur, perforando aliquam ipſius partem, ſimul cum filo acus extraducatur, atq; collo patientis alligetur, remedium eſſe exquiſitum, & veluti miraculum. Et Matthiolus laudat caput viperæ linteo alligatum, & collo ſuſpenſum.

Hæc ſunt, quæ vobis ſufficiant pro anginæ curatione. Legatis lib. 6. de comp. med. loc. in quo remedia ad ſatietatem reperietis. Modò opus eſt, vt intelligatis, qua victus ratione æger curandus ſit.

## DE CVRATIONE ANGINAE, *per victus rationem.*

Dictum eſt anginam eſſe omnium acutiſſimum morbum, proinde victus talis eſſe debet, qualis acutiſſimis conuenit, nempe tenuiſſimus; in morbo enim extremo extremè tenuiſſimus victus ab omnibus medicis commendatur.

Quapropter primo, & ſecundo die mulſa, vel aqua hordeacea, vel iuſculum aliquod pullorum ad quartum vſque, prout vires valent, exhibenda ſunt.

Deinde fercula ex ptiſanæ cremore, aut iure prædicto, in quo luteum oui recens diſſolutum fuerit: tranſacta quarta paulo pleniori victu vti poſſumus, nempe contuſis, quæ à vobis dicuntur tortæ, & conſumptis ex pullorum carnibus factis.

Tandem concedimus carnes pullorũ gallinarum, & huiuſmodi, quæ optimi ſint ſucci, & facilis coctionis. Fercula quoq; ex pane trito, cæteraq; huiuſmodi ægrotis ſunt exhibenda, qui poſt ſeptimam liberalius nutriantur.

Potus ſit aqua decocta cum ſaccharo, vel aqua, in qua paſſulæ, & liquiritia raſa ebullierint. Morbo denique ad ſanitatem tendente vinum concedere poſſumus, incipientes ſemper à mitioribus, & minus generoſis.

Quod ad reliquas res non naturales, in calida angina aer frigidus, & humidus valet, qui vbi non adſit, arte parandus eſt cum his, quæ id præſtent, de quibus alibi.

At ſi à frigida materia ſiat, contrario modo temperandus eſt aer: ſomnus ſit moderatus, quies inducenda, ne ex motu excitetur fluxus; nihilominus partes inferiores, nempe crura, fœmora, dorſum ſunt frictionibus ſatis validis exercenda, vt inde reuellere poſſitis materiam. Ligaturæ etiam ad articulos ex Aetij decreto ſunt proficuæ.

Clyſteres validi ex vſu maximè ſunt, quales parantur cum hiera Archigenis, & colocynthide, vt

℞. decoct. communis lib. j.
hieræ Archig. & colocynth. vnc. j.
Cum oleo, & ſale, & vitello oui ſiat clyſter.

Omnes animi vehementes affectiones euitentur: & hæc ſufficiant pro curatione anginæ.

DE

# DE TVSSI.

## CAPVT QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

AVdiuiſtis à me aliàs, dū methodum anatomicā explanarem, corpus noſtrum eſſe diuiſum in tres cauitates, quas medici appellant ventres (nempe in ſupremum, quem caput vocant; in infimum, quem abdomen; & in medium, quem thoracem, & medium ventrem appellitant) necnon præterea in artus.

Hucuſque egimus de morbis ſuperioris ventris, & partium ad ipſum attinentium, ac de morbo illo diuulgatiſſimo colli, quem anginam vocant, nunc ſeruantes ordinem Raſis,& præclariſſimorum medicorum tractabimus de morbus ſpectantibus ad medium ventrem, quem thoracem vocant, qui certè vt omnium pulcherrimi, ita etiam difficillimi intellectu ſunt, quique frequentiſſimè homines inuadere conſueuerunt.

Hi autem ſunt tuſſis morboſa, aſthma, pleuritis, ſeu morbus coſtarum, empyema, peripneumonia, cruenta ſputio, quæ ſanguinis ſputum vocatur, *phthiſis, quem vos morbum ſubtilem dicitis, palpitatio cordis, ipſiuſq; ſyncope, in quibus omnibus ea methodo procedemus, qua in alijs morbis declarandis hucuſque vſi ſumus.

Ac vt manifeſtior doctrina reddatur, & certior, ſcire debetis thoracem ab aliquibus dictum fuiſſe caſſum, ab alijs clybanum, & quemadmodum non omnibus idem eſt nomen, ita quoque per thoracem non omnesauthores rem eandem intellexerunt; nam ſi Hippoc. conſulimus lib. de arte tex. 17. comperiemus ipſum cum antiquitate nomine thoracis totam illam capacitatem intellexiſſe, quæ à iugulis ad inguina vſque eſt producta; quod idem ſentit Ariſtoteles 1. de hiſt. anim. cap. 7.

Verùm poſteriores Græci paulò ante Galenum, & Galeni etiam tempore, vbi obſeruaſſent in vaſta illa cauitate
B reperiri muſculum inſignem, quem ab officio diaphragma vocarunt, diuidens naturales partes, à ſpiritualibus, totam cauitatem in duas partes diuiſerũt, in ſuperiorem videlicet, & inferiorem; ſuperioremq; peculiariter dixerunt thoracem; inferiorem autem epigaſtrium, latini abdomen, & ventrem inferiorem.

De quo thorace loquens Galenus lib. 13. de adminiſtr. anotom. cap. 1. ip-
C ſum in hunc modum ſuis terminis deſignat, dicens, quod à coſtis vtrimq; circumſcribitur, pertinetq; ab anteriori parte ad pectorale os, atq; ſeptum tranſuerſum, declinat verò à poſteriori ad ſpinam, ac reflectitur.

Totum illud ſpatium medici appellare ſoliti ſunt thoracem, ita vt propriè magis, & ſecundùm medicorum conſuetudinem, per thoracem illam ca
D uitatem ſubaudire eſt opus, quæ ſupra à iugulis, infra à diaphragmate, ſeu ſepto tráſuerſo, ad latera coſtis tam veris, quàm mendoſis, poſteriore verò parte ſpina ſuis vertebris conſtructa circumſcribitur.

In eo tamquam in proprio domicilio cor cum ſuo inuolucro, quod capſulam Barbaro latini vocant, & pulmo-
E nes cum aſpera arteria, ſuis inuolucris circumdata ſunt, ad quæ tandem attinent prædicti morbi, de quibus agendũ proponitur. Inter alios primò occurrit tuſſis, de qua definitiuè agendum, de ipſaq; ea dicenda ſunt, quæ de cæteris morbis hucuſq; contemplati ſumus.

Ad tuſſis cognitionem habendam, primum cognoſcere oportet naturam partis, cuius ipſa affectio eſt, quæ ex com-

communi medicorum conſenſu, nihil aliud eſt, quàm illa pulmonum pars, quam aſperam arteriam, & trachęam vocant, à quibuſdam cannam pulmonũ dictam: hæc conſtat ex duplici ſubſtantia variorum circulorum in modum efformata, nempe ex cartilagine, & membrana ita ad inuicem compoſita, vt poſt cartilagineum circulum, alter ſub ſequatur membraneus, ac à larynge per ceruicem, & latus œſophagi tanquam canalis quidam ſatis amplus ad iugulum vſque extendatur.

Tranſit inde ad pulmones, & eorum ſubſtantiam attingit, primùm in duas partes, poſtea in minores, & tandem in minimas ſoboles per totum pulmonẽ eſt diſperſa, dataq; à natura eſt, vt reſpirationis inſtrumentum ſit, quapropter ex duplici conſtat ſubſtantia, vt dilatari poſſit, quod beneficium à membrana accipit, ne vero concidat, ſed veluti aperta ſemper ſit, à cartilagine habet.

Tuſſis igitur eſt huius partis paſſio; nam cùm aliquid præter naturam in eã illabitur, natura ſemper id, quod nocuum eſt, tentat per virtutem expultricem partium expellere.

Verùm quidem eſt, quod ob diuerſarum partium ſtructuram contingit variè noxia à natura expelli; reliquæ enim partes vbi aliquid moleſtum expellere tentant, ſeſe contrahunt, ſuaq; contractione expellunt, at aſpera arteria propter cartilagines, ex quibus conſtat, non poteſt contrahi, ideo neque valet illud, quod in ſe continet, extrapellere.

Cui incommodo conſulens natura, quod potuit auxilium machinata eſt, proinde per ſpiritum extra à pulmone propulſum, quidquid in ea reperitur, pulchrè expellit, non ſecus atq; faciant illi, qui fiſtulam excauatam, aliqua materia repletam euacuare cupiunt, qui fiſtulę alterum caput ori, & labijs adaptant, intuſq; exufflantes materiam extra trudunt.

Quidquid igitur in cauitate aſperę ar-

A teriæ continetur, natura per exufflationem foras expellere conatur, & cum prima vice non ſatisfecerit, tunc denuò eam trudere cogitur, non tamen ſemper expellit, in illo tamen conatu, quem facit natura, contingit fieri ſtrepitum quendam, aut ſonitum, quem tuſſim vocant.

Ex hoc diſcurſu facilè cognoſcere poteritis tuſſim eſſe, vt inquit Galenus 2.
B de ſympt. cauſis cap. 3. reponendam in genere motionis præter naturam deprauatæ.

Verùm ex eodem Galeno tres repe-riuntur deprauati motus differentiæ; nam alij ſunt opera naturæ, ſed à cauſa quædam præter naturam irritata, ac etiam coacta.

Alij dantur deprauati motus in cor-
C pore, qui à morbo, ſimul & natura efficiuntur.

Demum alij ſunt, qui à morbo tantummodo fiunt, nihil ad eorum generationem conferente natura.

Tuſſis, de qua oratio inſtituta eſt, non ad ſecundum, nec ad tertium genus, ſeu differentiam ſpectat; non ad ſecundum motus deprauati differentiã, quia huiuſmodi eſt tremor, qui fit à gra-
D uitate membri; & à virtute; grauitas quippe deorſum, facultas ſurſum trahere tentat, hinc motus tremulus.

Neque ad tertiam differentiam reducitur, in qua morbus dumtaxat motum facit deprauatum, vt in conuulſione, vel in palpitatione, quare neceſſariò dicendum erit, referri debere ad illos motus deprauatos, qui à cau-
E ſa cogente, & irritante fiunt, quemadmodum eſt etiam ſternutatio, ſingultus & huiuſmodi.

Nam vbi materia, vt diximus, in aſperam arteriam, aut in ſuos ramos, qui per pulmones diſtributi ſunt, irruit, tunc virtus pulmonum inſurgit, vt eam expellat, hoc autem eſt per exufflationem, quę eſt pulmonum actio violenta.

Vnde Galenus dicebat tuſſim, nihil aliud

aliud eſſe, quàm vehementem exufflationem, ad quam quidem faciendam requiritur inſtrumentum motus voluntarij, nempe muſculus; non enim pulmones moueri poſſunt in Galeni via, niſi dilatetur thorax, qui nonniſi à à muſculis dilatatur, & dum dilatatur haurit ſpiritum, ſeu aerem, dum conſtringitur ſpiritum attractum extrapellit, quare cum inſtrumenta motus voluntarij ad tuſſim faciendam requirãtur, videtur dicendum eſſe hunc motũ deprauatum pertinere ad motum animalem, & voluntarium.

Sed dicet quis, comparatio, & ſimilitudo de ſingultu, nauſea, vomitu, non videtur idonea ad naturam tuſſis manifeſtandam, quia vbi os ſuperius ventriculi, vt in ſingultu, aut membranæ ipſius, vt in nauſea, & cauitas eiuſdem, à multitudine, vel mala qualitate aggrauantur, ſtatim virtus expultrix ad magis propinquum locum expellit, quod contingere in tuſſi non poteſt.

Dicendum tuſſim conuenire cùm prædictis affectionibus, ratione, & cauſa, ac indigentia virtutis expultricis, quia tam in tuſſi, quàm in prædictis affectionibus cauſa præter naturam adeſt cogens, indigetq; virtus expultrix aliquo modo, vt ipſam à parte, quam tutatur, expellat. In ventriculi partibus prædictis, mediante contractione propelli poteſt, quidquid infeſtat.

At in ſternutatione, & tuſſi, etſi à materia partes harũ actionũ lædantur, quia duræ ſunt, nec poſſunt ad expellenda noxia contrahi, ex neceſſitate opus habent aliquo, quod eorum cauitatem, perineans ſecum ducat, quidquid moleſtiam infert; id autem (vt intelligiſtis) non poteſt eſſe niſi aer, ſeu ſpiritus, qui nonniſi mediante reſpiratione intus, aut extra fertur.

Et quamuis ad expellenda illa requirantur muſculi, qui ſunt inſtrumenta, motus voluntarij, non propterea ſequitur, quod tuſſis ſit motus voluntarius

A deprauatus, vt Altimarus comprobare nititur, ſed potiùs eſt motus virtutis expultricis irritatus à cauſa præter naturam, ſed quia non poteſt trachæa illud, quod moleſtum eſt, ob ſui conſtitutionẽ expellere, hinc eſt, quod per ſpiritum, cui hęc ipſa viam amplam præbet, pulchrè, vt dictum eſt, expellitur.

Quare huiuſmodi expulſio non poteſt dici fieri à voluntate deprauata; nã B non eſt motus deprauatus, quia in muſculis laryngem mouentibus nihil eſt, quod moleſtiam inferat, quia in tuſſi ſupponitur adeſſe aliquid in trachæa, aut in ſuis ramulis, & quamuis per exufflationem extra pellatur, non eſt in ipſa aliqua voluntaria actio deprauata, quia exufflatio eſt motus voluntarius, quemadmodum eſt tota reſpira- C tio.

Sed animaduertendum eſt, vt à me ſæpè intellexiſtis, motum voluntarium in genere eſſe in duplici differẽtia, quia vnus dicitur purè voluntarius, quem, ſemper, & quando volumus præſtamus, aut præſtare poſſumus; alter verò, qui eſt voluntarius quidem, ſed coactus, eò quòd paſſionibus quibuſdam noſtri corporis famulatur, quemadmodum eſt mo- D tus reſpirationis; nam volentibus viuere opus eſt reſpiratione.

Idem de palpebrarum motu, & de, fœcum excretione eſt dicendum. Stante hac motuum voluntariorum diuiſione, tuſſis non videtur pertinere ad motum thoracis voluntarium deprauatum, quia fit per exufflationem, quæ eſt ſpecies naturalis reſpirationis. Conſulite E Galenum lib.4. de locis affectis cap. 6. apud quem videbitis, in reſpiratione, naturali ritè facienda quinque eſſe, quæ deinceps ſe conſequuntur, videlicet, expiratio, exufflatio ſine ſtrepitu, exufflatio cum ſtrepitu, vox, & loquela.

Cum autem tuſſis ad exufflationem, ſpectet, non poſſum concludere in ea, motum voluntarium eſſe deprauatum,

niſi

A niſi dicamus hunc eſſe excitatum ad maiorem violentiam faciendam, vt maiori cum impetu extra pulmones, ſpiritus ſurſum propellant, quare dicimus motum expultricis trachææ eſſe irritatum, ita vt concludendum merito veniat, tuſſim eſſe vehementem exufflationem.

Verùm tuſſis poteſt duobus modis conſiderari, vel reſpectu cauſæ præternaturalis irritantis facultatem expultricem naturalem; vel reſpectu reſpirationis. Primo modo refertur ad motum deprauatum naturalem virtutis expultricis. Secundo modo, quia per exufflationem violentã cauſæ præternaturalis expellitur, ideo poteſt dici motus thoracis deprauatus, eò quòd maiori cum impetu moueri eſt coactus.

Et hæc de natura tuſſis, quæ nihil aliud eſt, quàm motus naturalis pulmonum excitatus, & à cauſa præternaturali violenter editus.

Symptoma eſt in genere actionis pulmonum læſę, aut ipſius thoracis, quod ſymptoma ſequitur morbum in compoſitione, quia aliquid in vijs continetur præter naturam, quod contineri nõ debet; aliquando etiam ſequitur morbum in intemperie, vt pauló poſt in cauſis afferendis audietis.

Sed antequam vlteriùs progrediamur, quia dictum eſt muſculos thoracis, quatenus exufflationi famulantur, eſſe tuſſis veluti opifices, nonnulli hoc loco inquirunt curioſius fortè, quàm locus expoſtulat, qui ſint illi thoracis muſculi, qui tuſſi edendæ opem ferunt?

Hanc rem per vos cognoſcetis, poſtquam declarauero ſuo loco, quomodo fiat reſpiratio. Verùm vt rudi quadam minerua aliquid de reſpirationis muſculis ediſſeram, ſcire opus eſt reſpirationem eſſe genus ad inſpirationem, & expirationem: rurſus vtraque tam inſpiratio, quã expiratio duplex eſt. Vna, quæ naturalis, altera verò quæ violenta à Galeno pluribus in locis appellatur.

Inſpiratio naturalis fit à diaphragmate; expiratio verò naturalis à nullo fit muſculo, ſed à coſtarum grauitate: at inſpiratio violenta ab omnibus muſculis exterioribus, qui ſunt quatuordecim numero; necnon ab illis, qui ſcapulas mouent, opem ferentibus etiam muſculis abdominis, efficitur.

Et huiuſmodi inſpiratio illa eſt, in qua tantus aer attrahitur, quantus capi B à pulmonum capacitate poteſt, qua inſpiratione egent illi, qui vtres inflant, necnon tibicines, & tubicines: huic verò contraria expiratio violenta, fit à grauitate quidem coſtarum opem ferentibus muſculis internis intercoſtalibus: quare in expiratione naturali nullus muſculus thoracis agit.

In exufflatione autem cum ſonitu, ex qua tuſſis producitur, cum ſit expiC ratio violenta, nullus alius muſculus ex Gal. doctrina exiſtit, præter muſculos intercoſtales, ex quo diſcurſu vnicuiq; veſtrum id compertum eſſe poteſt.

Eſt tamen notatione dignum muſculos intercoſtales eſſe in duplici differentia; nam alij interni, alij externi ſunt. Interni fauẽt expirationi, externi verò inſpirationi: vnde Galenus 4. de locis affectis cap. 7. dicebat muſculos interco- D ſtales ſimul cum diaphragmate quandoque magnę inſpirationi fauere abſq; ope ſuperiorum muſculorum, & ſermo eius eſt intelligendus de externis, alioquin eſſet contradictio.

Sed fuſiùs ſequenti capite audietis tuſſis muſculum diaphragma nõ eſſe authorem, neq; illi opem ferre, niſi per accidens, quatenus in conſtitutione thoracis concidit. Sed in tractatu de læſa E reſpiratione cauſas, & modum reſpirationis vobis enarrabo. Venio interim ad cauſas tuſſis, quas diximus internas, & externas eſſe poſſe.

## DE CAVSIS TVSSIS.

CAuſæ igitur tuſſis ſunt, quæcumque poſſunt excitare violentam exuf-

exufflationem cum ſonitu. Verùm qui A dem tuſſis eſt duplex, alia naturalis, & alia præter naturam.

Naturalis nihil aliud eſt, quàm exufflatio cum ſonitu, vel ab aliqua leui materia à capite illabente, vel ex materia à cibo, & potu excitata, quæ ablata ab aſpera arteria ceſſat tuſſis.

Tuſſis præternaturalis rurſus eſt du- B plex; vna, quæ fit per eſſentiam; alia per conſenſum à circumuicinis partibus: rurſus & illa, quæ dicitur per eſſentiam, duplex eſt; vna, quæ humida vocatur, altera ſicca. In priori aliquid expuitur, in ſicca verò nihil.

Hinc eſt, quòd illa, in qua expuitur, aliquid, appellatur humida, in qua verò nihil expuitur vocatur tuſſis ſicca. Hoc loco non inquirimus naturalis tuſ- C ſis cauſas, ſed præter naturalis tantùm, quæ ad internas, & externas referuntur.

Internæ cauſę vel faciunt tuſſim humidam, vel ſiccam; ſi humidam, ſunt humores, in trachæam, aut ſuos ramulos, & pulmonum ſubſtantiam illabentes, qui vel craſſi, aut lenti, aut tenues, vel aquoſi ſunt.

Auicennas notat aliquando materias D craſſas adeo eſſe, vt ad lapidis naturam conuerti videantur, quinimo Alexander Trallianus, à quo Auicennas accepit lib. 5. cap. 4. ſcribit quemdam obſeruaſſe expuentem aliquando calculum, & quidem leuem, ſed durum, & renitentem, ex craſſis humoribus genitum, qui vel à capite in trachaam deſcendunt, vel à pulmonibus vaſorum in ramos aſperæ arteriæ percolan- E tur.

Sciendum eſt per ſubſtantiam pulmonum diſtributa eſſe vaſa ab arteria venali, & à vena arteriali, ita conſtituta, vt in medio teneant vaſa aſperæ arteriæ: ab huiuſmodi igitur vaſis per tranſudationem effluit aliquando materia, quemadmodũ eſt author 4. de par. vſu vbi loquitur de iecoris, & pulmonum nutritione, proque humoris diuerſitate tuſſis magis, & minus vehemens excitatur.

Cæterum contingit ſæpè, quod col ligatur materia quędam in thorace, quę in prædictis aſperæ arteriæ ramificationes fertur, tuſſimque facit, vt in pleuritide, in peripneumonia, vomica thoracis, idque ſæpè in phthiſi obſeruatur, vt ſuo loco intelligetis, & quamuis huiuſmodi tuſſis à prædictis affectionibus excitata videatur eſſe per conſenſum, eſt tamen reſpectu partium thoracis per eſſentiam, quia hæ omnes vno amiculo accinguntur, nempe pleura, quæ eſt membrana ſuccigens omnes coſtas, & inueſtiens omnia thoracis inſtrumenta.

Addit Auicennas tumorem in pulmonum aliquibus partibus, aut etiam thoracis poſſe eſſe cauſam immediatã, & coniunctam ipſius tuſſis, quod ſanè obſeruamus in pleuritide, quæ eſt inflammatio pleuræ, vt ſuo loco videbimus.

Iſtæ igitur ſunt cauſæ internę tuſſis humidæ. Tuſſis verò ſicca, quàm tuſſiculam nonnulli appellant, in qua ſæpè percipitur illa mala ad tuſſim diſpoſitio quàm Græci κνίσμον vocant, nihil aliud eſt, quàm leuis ad tuſſiendum impetus eãdem proportionem cum tuſſi habẽs, ac nauſea cum vomitu habeat.

Nam quemadmodum nauſea ſæpè abſque vomitu venit, ita huiuſmodi ſter tor, ſeu κνίσμος contingit, ſiue præcedat tuſſim humidam, ſiue ſiccam; in humida enim tuſſi præcedere poteſt, quando aliqua portio humidæ materiæ, non tamen copioſè cadit, aut effluit in aſperam arteriam, aut ipſius ramos.

Immediata igitur cauſa tuſſis ſiccæ, ex Auicennæ ſententia, eſt mala complexio, ſeu intemperies calida, aut frigida, vel etiam ſicca aſperæ arteriæ, vt ſæpè in febribus hecticis contingit, & in his, quibus vuea exeſa eſt.

Sed enim cauſæ exteriores non faciunt

ciunt humidam tuſſim, niſi quis diceret ex vulnere illato ſanguinem in trachæam fluentem poſſe efficere tuſſim, ſed quamuis cauſa vulnerans faciat effluere ſanguinem, non poteſt tamen dici vera, & immediata cauſa; quia ſanguis, qui humor eſt, habet rationem cauſæ internæ. A

Cauſæ tamen externæ poſſunt efficere tuſſim ſiccam, quemadmodum aer frigidus, aquilonius præſertim, vnde B Hippocrates lib. 3. aph. 5. dicebat; in cōſtitutionibus aquilonijs tuſſes, ac fauces irritari; aer namq; frigidus inſpiratus aſperitatem faucium, non modò inducit, ſed aſperæ arteriæ locos exaſperat, & refrigerat, ſæpeq; toti pulmoni, & pectori intemperiem inducit, hinc contingit homines arida, & ſicca tuſſicula moleſtari. C

Quod quidem verum eſſe Galenus experientia confirmat, quia inquit homines cum ſpiritum attrahunt ad tuſſim prouocari, præcipuè cum illis loquentibus, aut os quoquomodo aperientibus multus aer, & repentè ingreditur, quod non euenit, vbi per nares aer trahitur, aut in cubiculo aer ſit calefactus, quia paucus, & temperatus trahitur. D

Quod idem dicendum eſt, quando aer calidus, & ſiccus attrahitur. Alexander Trallianus fuit huius opinionis, vt exiſtimet ab omnibus intemperiebus, nempe à calida, frigida, ſicca, & humida, hanc tuſſim ſiccam fieri, quod tamen Galenus minimè admittit, quia intemperies humida nō poteſt eſſe tantæ actiuitatis, vt tuſſim commouere queat.

E Dicamus igitur, quod quæcumque exterius facultatem habent aerem refrigerandi, aut calefaciendi, vel exiccandi, poſſe excitare tuſſim ſiccam.

Cæterùm fumus, puluis, & etiam prauus aliquis odor poteſt hanc tuſſiculam commouere. Iſtæ ſunt cauſæ tuſſis eſſentialis, tam humidæ, quam ſiccæ.

A Tuſſis verò per conſenſum eſt, quando comprimuntur partes, quæ ſunt in thorace, quemadmodum contingit in inflammatione hepatis, aut in hydrope: id etiam obſeruatur in liene tumefacto, & ventriculo malè affecto, ita vt diaphragma ab illis comprimi poſſit, vnde communicatur pulmoni, & trachææ compreſſio, ex qua tuſſis generatur.

Ita vt dicendum veniat, quod tuſſis B alia per eſſentiam, alia per conſenſum fit: per eſſentiam fit à capite, vel à partibus, quæ ſunt in thorace, vt eſt pulmo, & pleura, in empyemate, ac phthiſi.

Per conſenſum fit ab hepate, liene, aut alijs partibus in abdomine contentis, diaphragma attingentibus, & ſurſum impellentibus.

C

## DE SIGNIS TVSSIS.

Qvod ad ſigna pertinet, facilè vnuſquiſque cognoſcit tuſſim, quia affectus eſt omnibus notiſſimus, qui à nullo poteſt occultari, inquirenda tamen ſunt ſigna, quæ demonſtrent nō ſolùm tuſſis ſpeciem, ſeu differentiam, verùm quæ diſtinguere poſſint efficientem cauſam.

D Sed quoniam dictum fuit materiam, quæ varia etiam eſſe poteſt, à duobus locis prorumpentem à capite in trachæam, & à vicinis vaſis in ramos ipſiusmet trachææ tranſmitti, ideo ſigna primùm indaganda ſunt, quæ à capite, & prædictis vaſis materiam irruere doceant, deinde quæ ſpeciem humoris deſignent.

Iam intellexiſtis in tractatu de catarrho, eum nihil aliud eſſe, quàm materiã à capite in aliquam partem illabentem, E quod pro diuerſitate partium, ad quas materia deſcendit, varia nomina ſortiatur, vt ſi ad nares coriza, ad fauces raucedo, ad aſperã arteriam tuſſis vocetur.

Attamen non habuiſtis ſigna, quæ oſtendunt materiam deſcendere ad aſperam arteriam, niſi tuſſim, quæ ſanè non poteſt demonſtrationem facere ma-

teriæ deſcendentis à capite, ſed benè quando materia à capite in arteriam aſperã deſcendit, tuſſim excitari ſcimus.

Cognoſcitur autem ex Auicennæ opinione fen x.3.cap.3.tract.3.quimihi videtur aſſerre quinque ſigna.

Primum eſt, quod ſenſibiliter ægrotus percipit deſcendere materiã ad pectus.

Secundò ſentit veluti diſtenſionem quandam circa caput aſperæ arteriæ.

Tertium eſt grauitas quædam laryngis. Ad hæc ad nares percipitur difficultas reſpirandi cum quadam, vt aiunt barbaro latini, raſcatione.

Demum adeſt quædam titillatio circa palatum, fauces, & laryngem.

Quòd verò ex pulmone malè affecto tuſſis prioritetur, vel cum ex venis ipſius in ramulos aſperæ arteriæ aliquid illabitur, cognoſcitur ex reſpirandi difficultate, quia ægrotantes videntur veluti ſuffocari, quod ſuo loco andietis, nempe in tractatu de pulmonia.

Verùm facilè habemus tuſſim fieri à læſa pleura, quia dolor ſemper adeſt in parte affecta: cognoſcitur etiam eandẽ effici per conſenſum ab hepate, à liene, à ventriculo, iiſdem de cauſis, quia huiuſmodi partes afficiuntur, vnde inter alia ſigna inflammationis hepatis ponitur tuſſis, quod etiam dicendum eſt per conſenſũ à toto abdomine; nã hydropici tuſſi affligũtur, per conſenſum videlicet.

His igitur comprehendere poteſtis, quando à capite, vel pulmone, aut alijs partibus fiat tuſſis humida, quamuis certè ea, quæ fit à partibus abdominis, per conſenſum fiat ſicca; ita vt ſpecies tuſſis innoteſcat per id, quod expuitur, aut non expuitur, quia vt dictum eſt, quando expuitur, eſt humida, quando non expuitur, eſt ſicca.

Cæterùm ſicca tuſſis ſæpè à cauſa fit exteriori, & quamuis poſſit etiam & humida à cauſa externa excitari, id facilè ab ægrotãtis relatione haberi poterit.

At materiam frigidam, aut calidam, vel intemperiem humidam eſſe,

A frigidam, aut calidam, vel ſiccam tam in pulmone, quàm in aſpera arteria, patefit ſuis indicijs. Auicennas quatuor ſigna in medium affert, quibus materia cognoſci poteſt; nam ſi color faciei ægrotantis primo vergat ad albedinem, corpuſque ſcateat humoribus pituitoſis, vt frigidis; ſi nullam in tuſſi habeat ſitim, ſi à calidis iuuetur, & ex humoris frigidi euacuatione alleuietur

B morbus, ſignum eſt certiſſimum, materiam eſſe frigidam.

E contra ſigna calidæ materiæ ſunt ſitis, inflammatio, iuuamentum, quod ex inſpirato aere frigido ęgrotantes percipiunt, adeſt etiam magnitudo, & pulſus frequentia; nec non facies rubet, Auicennas, qui fuit huius opinionis, vt ab intemperie humida, ſed cum mate-

C ria tuſſis fiat, docet ſigna ab ætate deſumpta; quia ſenes, & decrepiti eam patiuntur: addit pulmones eſſe humectatos multa humida materia.

Sed huiuſmodi ſigna multitudinem frigidæ materiæ potiùs arguunt, quàm qualitatem humidam.

Dicet quis, quomodo cognoſcitur, materiam tenuem eſſe, aut craſſam? Dicerem, quòd craſſities ſæpè ad frigidi-

D tatem, tenuitas verò ad caliditatem referri poteſt & quamuis craſſa, & tenuis materia hoc commune habeat, quod ab ægrotantibus expui non poſſit, vt Galenus author eſt 4. de locis affectis cap. 8. non tamen eadem eſt vtriuſq; ratio.

Craſſi enim humores ob ipſorum craſſitiem, ac glutinoſitatem, qua partibus vaſorum trachęæ adhærent, ab e-

E xufflatione, quamuis valida, abſtergi nequeunt; hinc non poſſunt extra duci; è contra humores tenues veluti aqua franguntur, ac per ramos trachææ diſſipantur, & vbi eleuati ſunt inter tuſſiendum à ſpiritu diuiſi refluunt, vt præcitato capite docet Galenus, hinc extra duci nequeunt, quod in tenuiſſimas franguntur partes, qua à flatu exeunte eleuari nequeunt.

Et

Et cognoſcitur, quando humor craſſus eſt,ob ſui grauitatem, quam in partibus, vbi aderit,facit; tenuis verò,quia partem ſua tenuitate affert, & ſæpè mor det. Addatis, quod aliquando ægrotantes expuunt aliquam portionem humoris, ex qua poteſt cognoſci; at in te nui materia nihil vnquam expuitur,aut ſaltè quid tenue,& in pauca quantitate.

Sed rurſus dicet quis, quomodo poſſumus dignoſcere tuſſim ſiccam factam à pura intemperie, ab ea, quæ eſt cum tenui materia? Dicendum eſt poſſe diſtingui ab inuicem ratione cauſæ, quia in ſicca præceſſit aer frigidus, vt in boreali conſtitutione & locis frigidis contingit, in quibus aſpera arteria, & pulmones refrigerantur, vel præceſſit febris quædam, quæ aſperam arteriam exiccauit, aut exaſperauit.

Cæterùm etſi dictum ſit nihil, aut parum expuere ægrotantes in tuſſi à materia tenui, hoc eſt reſpectu illius tuſſis, quæ à materia fit frigida, in qua, licet non ſemper, quando tuſſis moleſtiam infert, expuunt ægrotantes; nihilominus tandem aliquid expuunt.

Vnde Trallianus hiſtoriam cuiuſdam ęgrotantis refert, qui in tuſſi à materia craſſa producta ſemper tuſſiebat, nihil tamen expuebat; tandem vbi expuiſſet quemdam calculum, fuit à tuſſi liberatus; at vbi materia tenuis eſt, aliquid quidem expuunt.

Sed notatione dignum eſt, quod illi, qui ob trachææ aſperitatem, aut nu dam intemperiem tuſſiunt, nihil prorſus expuunt, & hoc eſt certiſſimum huius tuſſis indicium: & hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV TVSSIS.

IN curatione vniuſcuiuſq; morbi optimum eſt, docente Hippocrate, præſagiorum prouidentia vti, nempe cognoſcere oportet, an curatio ex voto ſuccedere poſſit, necne, quia vbi medicus ex præſentibus prædicit, quę ægrotis euentura ſunt, & res quemadmodum prædicitur, ſuccedit, ęgrotantes fidem libentiùs illi pręſtant, exiſtimantes ſe morbum proprium, & curationem agnoſcere.

Nam qui rectè pręcognoſcit euentum morbi futurum, ſcit etiam rectè curare, quandoquidem recta pręcognitio morbi,& cauſarum ſuarum ſupponit ve ram ſcientiam, quam ſi quis probè habere poterit, abſque vllo dubio egregiè ipſius inſtituet curationem.

In præſenti caſu medicus euentum cognoſcens futurum, ſcilicet morbum ſalubrem eſſe, vtitur medicamentis,&victus ratione ad illam conſequendam idoneis. Verùm vbi agnoſcat rem in anguſto eſſe, ac morbum deploratum, pręedictione affinibus, & aſſiſtentibus facta, curationem palliatam, vt dici ſolet, inſtituit, aut ęgrotantem non attingit.

Quamuis exiſtimem impium eſſe, & à Medico Chriſtiano prorſus alienum, ægrotantibus denegare auxilium, ſaltè quod in caſibus periculoſis, atq; ambiguis conuenit; nam in deploratis, non oportet ad medicamentum generoſum accedere, ſed id agendum,quod aliquo ex pacto valeat ægrotantium animum ſubleuare, quia dum ipſi vident ſe non eſſe prorſus derelictos, patienter infortunium, ac præſentem calamitatem tolerant, animamque ſuam ad moriendum eò libentius diſponunt.

Quare ſum huius opinionis cum Cornelio Celſo, nunquam denegandum eſſe auxilium per ea ſaltem medicamenta, quæ nullum afferre poſſunt virtuti detrimentum.

Vbi igitur cognoſcit medicus validā eſſe virtutem,poſſeq;ſuperare morbum, tunc temporis audacter omnia ſunt pro ratione adminiſtranda, atqui ſi virium robur à morbi ſęuitia, & feritate ſit omninò ſuperatum, virtuti, quantum fieri poteſt, per victus rationem ſuccurrendum,ac malitiei morbi occurrendum.

Quod

Quod ſi res ex voto non ſuccedat, Medicus ſuo officio ſaltem functus eſt; nam quemadmodum orator vtens optimis medijs ad perſuadendum, ſi tamen intentum non habeat, non propterea dicendum eſt ipſum à ſuo perſuadendi munere defeciſſe, cùm id contingat ex mala audientium diſpoſitione; ſic in omnibus morbis ſemper medici debent id agere, quod pro ratione, & charitate Chriſtiana agendum eſſe videtur.

Primò quidem tutò curatio inſtituenda, ſalubriſq; euentus eſt expectandus, quando tuſſis non eſt antiqua, vel prouenit ex nuda aliqua intemperie, ſiue calida hæc ſit, ſiue frigida, & præſertim quando cauſa eſt primitiua, & extrinſeca.

Quod idem exiſtimandum eſt, vbi ob aſperæ arteriæ aſperitatē contingat, & eò citius, & perfectius ſi eueniat iuueni; & quamuis Galenus ſcribat lib. 5. meth. med. cap. 13. iuuenem quendam ex tuſſi ab intemperie frigida ſanguinem expuiſſe, non tamen tollitur, quin poſſit huiuſmodi frigida intemperies tolli, ea ratione, qua Galenus hunc curauit.

Difficilè curatur tuſſis ab intemperie frigida proueniens, quæ extra cauſam fouentem habeat, quemadmodum accidit in conſtitutione aquilonia, de qua Hippocrates 3. aph. 5, loquens dicebat hanc tuſſes, & faucium aſperitates excitare, quemadmodum etiam de auſtrina iudicium ferre poſſumus.

Vnde in illis locis, & anni temporibus, vbi tales vrgent aeris conſtitutiones, raucedines fiunt, & tuſſes, quæ certè non ſunt facilis curationis, & eò difficiliùs, ſi in ſenibus euenerint, quamuis tuſſis à quacunque cauſa in ſenibus accidens inducias quandoq; faciat, nunquam tamen hominem liberat.

Quando tuſſis ex deſtillatione à capite euenit ex tenui, acri, calida, & mordaci, aut etiam ſalſa materia ex Galeni ſententia perìculoſa admodum eſt; nam ſiue excernatur, ſiue non, ſemper per-A niciosa eſt, quia ſi extra non pellitur, tunc in pulmonibus remanens, eos exulcerat, & ad phthiſim, ac tandem ad mortem hominem deducit.

Si verò materia expellatur, fit tuſſis vehemens, hinc caput repletur, atque deorſum materiam effluit, periculum tandem eſt, ne vas aliquod in pulmonibus, aut aſpera arteria diſrumpatur.

Si in ſenibus, aut virtute languenti- B bus euenerit, caſus omninò eſt deploratus; ſi pueris, dicebat Auicennas, periculum eſſe, ne ipſi in herniam, aut venæ fracturam, vel ſanguinis, aut ſaniei ſputum incurrant, aut etiam in phthiſim. Idem ſentiendum eſt, quando acris, & calida materia à vaſis pulmonum ad ramos tracheæ regurgitat.

Tuſſis à materia craſſa, quæ in pulmo- C nibus ſit impacta, pro diuerſitate affectionis pulmonis variè curabilis redditur, vt videbimus in peripneumonia, pleuritide, & huiuſmodi thoracis alijs præter naturam affectibus, qui cùm à varijs cauſis proficiſcantur, tuſſes etiam variè curabiles generant, ſed de his ſuo loco, quæ omnes, ſi cum virtute languida contingant, nihil boni ſperare permittunt.

D Tandem tuſſis in mulieribus vtero gerentibus, quæ diu perduret, fœtui non niſi detrimentum, & etiam ſæpè abortum contritare poteſt: ſi tuſſis hydropicis ſuperueniat, malum eſt, vt 6. aph. 35. Hippocrates ſcriptum reliquit. Tandem, vt vno amplectar verbo, tuſſis eſt mala, ſiue à tenui, ſiue à craſſa materia proficiſcatur, vbi hominem languidę, ac debilis E virtutis corripiat, vt plurimū enim res in anguſto eſt, ideo curationem validam euitare oportet.

### DE CVRATIONE TVSSIS *per victus rationem.*

TRibus medicinæ inſtrumentis non ſecus atque aliæ preter naturam affectiones tollitur tuſſis, diæta ſcilicet,

phar-

pharmacia, atque chirurgia, quæ eo ten dere debent, vt cauſam ante omnia re-moueant.

Nam ſi intemperies calida ſit, refri-gerare opus eſt, ſi frigida calefacere, & quæ exaſperata ſunt, lenire; at ſi ex ali-qua fiat materia, curandum eſt, ne am-plius in corpore generetur, quæ genita eſt, non feratur in partem affectam, vi delicet in tracheã, aut ſuos ramos: quod verò iam fluxum eſt, illud expellendum, aut ſaltem, ita præparandum, vt ex-pelli queat.

Nam quamuis cauſæ antecedenti per victus rationem, per pharmaciam, & per chirurgiam poſſimus occurrere; cau ſa tamen coniuncta non niſi per exuffla-tionem auferri poteſt, quamobrem ni-hil aliud operari circa eam medicus po-terit, niſi ipſam præparando, & diſpo-nendo, vt expellatur.

Quod ad victus rationem ſpectat, vel ſtudemus ſatisfacere indicanti vitali, aut præſeruatorio, vel vtrique ſimul quemadmodum rationabilius videtur. Si primo modo, ſunt omnia, quę ore aſſumuntur, veluti cibus, qui debet eſſe facilis coctionis, & boni ſucci, facilif-que diſtributionis.

At ſi ſecundo modo, tunc reſpicien-da eſt cauſa; nam aliquid proponendum eſt, quod cauſæ ſatisfacere poſſit, qua re vbi materia craſſa fuerit, attenuanda eſt, vbi tenuis, & mordax tunc in craſ-ſantibus, & refrigerantibus vti opus eſt.

Aliquando per victus rationem cogi mur virtutem ſuſtinere, ideo non ſem-per poſſumus ad præſeruatorium indi-cans mentem adhibere, ſed quidquid ſit in hoc caſu, quantum fieri poteſt in victus ratione inſtituenda cauſam reſpicere debemus.

Primis igitur diebus à quacunque cauſa eueniat tuſſis, ſiue cum materia, aut ſine materia, paulo tenuiori victu vtendum eſt. At ſi vtrumque indicans reſpiciamus, cum cibis admiſcenda,

A quædam ſunt, quæ reſpiciant cauſam; & tunc præcipimus ſpeciem illam alimenti, quæ medicamentoſa voca-tur.

Quamuis vbi intemperies ſit calida, ſiue cum materia, ſiue minimè, iuſcula quædam ex carne pullorum, aut vituli, vel etiam agni, aut capreoli, vel pedum veruecum, & vitulorum paranda ſunt, B in quibus nonnulla ebullierint pectora-lia, quæ refrigerandi facultate polleant citra adſtrictionem, quemadmodum ſunt capillus veneris, adianthum, folia papaueris, flores violæ, iuiubæ inter fru-ctus, ſebeſten, pruna dulcia, ſemina pa paueris, melopeponum, pſyllij, viola-rum.

Ex iure ita arte præparato, poteſtis conficere fercula, vt panẽ tritũ: confert C & cibus factus ex mica panis decocta cum aqua ſacchari, & oleo amygdala-rum dulcium recenti: vel cremorem pti ſanæ, aut etiam ptiſanam integram po-teſtis parare: ſed à principio vſque ad ſeptimam ſolis ferculis prædictis ęgro-tantem nutrietis, ipſumque à carnibus abſtinere iubeatis, poſt ſeptimum verò prædictæ carnes elixę concedi debent.

Auicennas commendat fructus frigi D dos, quemadmodum ſunt cucurbitæ, cucumeres, & pepones, ex quorum pul-pa decocta facit ferculum, quod vulgò meneſtra vocatur, ſimul cum oleo amyg dalarum dulcium: amygdalata etiam tum ex iure prædicto, tum ex aqua optima ſunt.

Laudat etiam ſpinacia cocta ſimul cum amygdalarum dulcium oleo præ-E parata; in ſecunda menſa caſeus recens ſine ſale à Nicolao Florentino ſermone 4. tract. 2. tamquam optimus cibus com mendatur, qui etiam rationem medi-camenti habet.

Inter fructus mora, iuiubæ, pruna dulcia, amygdalę recentes optimæ ſunt. Fructus in catarrho à materia calida, & tenui ſint cucurbitæ, melones, cucume res, amygdalæ dulces recentes, mora, iu

iubæ

ſubæ, pruna dulcia, ſebeſten, caſeus recens, lac.

Sunt, qui lac vaccinam coagulatum ſummè laudant, quod non improbo, vbi ante omnia ieiuno ventriculo accipiatur, quia aliàs facilè corrumpitur, hinc ſtatim vbi primò iniectum fuerit, deorſum ſtatim illabitur, nec facit alios cibos corrumpere.

Pro potu aqua hordei ab Auicenna proponitur toto curationis tempore; probat etiam aquam decoctam, aut fontanã limpidã, cui iulapium violatum admixtum ſit, vel etiam aquam hordei decoctam cum cancris fluuialibus, abiectis eorum extremitatibus, atque pulchrè, antequam cum aqua hordei bulliant, cum aqua cinerum ablutis.

Vt paucis rẽ abſoluam in tuſſi à calida cauſa omnia euitanda, quæ acria ſunt, & ſalſa, & quæ arteriam aſperam irritare valent; in cæteris verò rebus non naturalibus omnia debent eſſe moderata, aer tamen eligendus eſt, qui frigidus ſit, & in paſſiuis qualitatibus temperatus, qui niſi adſit ſecundum naturam, arte comparandus eſt.

Curandum quoque, vt aluus lubrica ſit, & niſi à natura id beneficij habeat, à nobis producendum eſt medijs clyſteribus lenibus, & qui nonnihil refrigerandi facultate polleant, vt caliditatem remittere, & humores in illis partibus contentos attemperare valeant.

Si verò cauſa ſit frigida, vel ſine materia, aut cum materia, quamuis in genere alimenti, vt alimentum eſt, curatio huius cum ſuperiori conueniat, differt tamen ratione cauſæ, quia ſumus in cauſa contraria; nam ibi erat refrigerandum, hic è contra calefaciendum.

Proinde illis, qui in tuſſim incidunt ratione intemperiei frigidæ, etſi proficiat alimentum, quod ope medicamenti calefaciendi virtutem habeat, eſt tamen communis omnium Medicorum

A opinio, quod huiuſmodi tuſſis expellatur per inſpirationem retentam, & aeris inſpirati caliditatem, aer inſpiratus, & diù compreſſus, & per exufflationem tranſmiſſus, præter quam quod materiam in cauitate contentam extrapellit, etiam calefacit ipſam arteriam.

Carnes igitur prædictæ optimę ſunt, ſed non partes glutinoſæ. Verùm melius eſt eas aſſatas, quàm elixas comedere: aues montanæ ſummi ſunt iuuamenti: hæ omnes ſunt cum cinnamomo, caryophyllis, nuce muſcata, ſaluia, roſmarino, & huiuſmodi pulchrè condiendę.

Auicennas proponit frumentaceam ptiſanam cum vino decoctam, quę omnia etiam conueniunt, vbi materia craſſa eſt, & viſcoſa, ſed etiam aliqua, quę attenuandi facultatem habent illis admiſcenda ſunt, quod etiam oſtendimus, vbi egimus de catarrho à cauſa frigida, craſſa, & viſcoſa.

Panis optimè fermentatus valet, cum quo etiam aniſi ſemina, fœniculique poſita fuerint. Nicolaus Florentinus panem ex ſpelta probat. In ſecunda menſa auellanæ, amygdalæ amaræ, dactyli, pinei, paſſulæ, ſebeſten, arundines mellitæ ex vſu ſunt, caricæ commeſtæ ſimul cum amylo, aut nucibus non modò pro ſunt ſed omnem antiquam tuſſim remouent.

Nicolaus Florentinus ſcribit nucem pineam accipendam cum ſua teſta, ſeu cortice, eamque prunis ardentibus ponendam, quouſq; comburatur totus cortex, deinde nucleos mundato, ipſoſque tuſſientibus concedito, quod genus cibi non modò valere ait, ſed antiquam tuſſim remouere. Idem dicit de auellana, quæ à cortice mundata ſit, deinde contuſa, & trita, & cum mulſa, aut hydromelle ægrotanti pro cibo oblata fuerit.

Pro potu vinum conceditur tenue, & vt aiunt olygophorum, quod nonnihil dulcedinis habeat, quia non modò

ad

ad ſitim extinguendam valet, ſed etiam A opem fert expulſioni materiæ per aſpe-ram arteriam.

Quod ad alias res nonnaturales atti-net, exercitium fieri debet ſummo ma-ne, quod moderatum ſit, thoracem quandoq; frictionibus attingere expe-dit, præcipuè vbi adeſt intus materia.

Vigilandum eſt magis, quàm dormi-endum, & quemadmodum dictum fuit in tuſſi à cauſa calida, euitandæ ſunt B animi affectiones, quæ ad iram, aut ali-os immoderatos motus hominem duce-re poſſint, ita in hoc caſu huiuſmodi pa-themata videntur aliquando poſſe pro-ficere.

De inanitione, & repletione id di-cendum eſt, quod ſupra dictum fuit, nempe curare oportere, vt aluus ſingu-lo die fluat, quæ vbi à natura talis mini-mè fuerit, arte ſupplendum eſt, cum C clyſteribus ex communi decoctione fa-ctis, cui inſit diaphœnicon, aut diaca-tholicon, vel quidpiam tale, quod poſ-ſit materiam à faucibus, & thorace re-uellere.

Placent etiám ſuppoſitoria, quæ ex melle, & ſale ſint facta, aut quæ agari-cum, vel ſalem gemmæ, aur quidpiam tale, quod expultricem inteſtinorum D validè irritare poſſit, atque deorſum ma-teriam attrahere; hæc de victus regimi-ne.

Clyſter in tuſſi à materia calida.

℞. fol. maluæ,
Violar. ana manip.j.
Hordei ſine cortice, vnc.ij.
ſem. frigidorum maior. drach.ij.
Spinaciorum, manip.ſſ.
Bull. in aqua ſ. a.
℞ huius decocti lib.j.
Olei violati,
Amygd. dulc. ana vnc. j.
Diacathol. vnc. j.
Salis, drach.j.
Vitelli oui, num.j.
Fiat clyſter.

Clyſteris exemplar in tuſſi à materia frigida.

℞. fol. Mercurialis
Parietariæ, ana miſc.j.
Saluiæ,
Bettonicæ, ana manip.ſſ.
Sem. carthami, vnc.ſſ.
Aniſorum,
Fœniculi, ana drach. ij.
Agarici albi in petia reuoluti vnc. ſſ.
Bull. ſ.a. in aqua.
℞ huius decocti lib.j.
Diaphœnici,
Hieræ logadij, ana vnc. j.
Salis gemmæ, drach. j.
Fiat clyſter.

## DE CVRATIONE TVSSIS per Pharmaciam.

Rectè quidem Nicolaus Piſo ſcri-ptum reliquit tuſſim eſſe ſympto-ma, ideoque nullam ei competere curationem certum eſt; nam, vt aliàs audiuiſtis, tria ſunt, quæ curationem omnium morborum perficiunt, nempe indicans vitale, præſeruatorium, & cu-ratorium.

Vitale indicans ſui conſeruationem requirit, præſeruatorium indicat ſui in-hibitionem, vel vt melius dicam, præ-ſeruatoriū; curatorium verò indicat ſui ablationem, ſed alia, & alia ratione, cùm indicans præſeruatorium à cauſa antecedenti deſumatur, quæ non facit morbum actu, ſed parata eſt ad illum faciendum, ideo è corpore quidem eſt auferenda, ne in locum ferri poſſit, vbi morbum faciat; tunc enim rationem haberet indicantis curatorij, quod indi-cat ſui ablationem, ſed per medicamen-tum particulare, illud denique auferri E debet per medicamenta vniuerſalia to-tum corpus reſpicienta.

Tuſſis igitur de ſe nullum ex dictis eſt, ſed quia cauſam habet tum anteceden-tem, tum coniunctam, ideo ratio-ne cauſæ, indicat ſui ablationem, cum autem cauſa antecedens ea ſit, quæ mor-bum augere poſſit; cauſa verò coniun-

ēta ipſum morbum faciat, omnis me-dendi ratio requirit, vt in primis cure-mus, ne augeatur morbus, deinde mor bum auferamus.

In propoſito caſu non ſemper adeſt cauſa antecedens, ſed ſolùm coniuncta, quemadmodum in tuſſi ex intemperie ſicca, & frigida, ſiue calida, vel vt contin git in aſperitate trachææ; ideoq; non eſt, vt multum laboremus, niſi in auferendis huiuſmodi intemperiebus.

Nam vt ſuprà diximus, intemperies frigida tollitur calid's, tam per inſpirationem, quàm per aeris cohibitionem, quamuis medicamenta illi proficiant, quæ audietis conferre tuſſi à materia frigida: de quibus paulo poſt.

At vbi contingat tuſſis propter trachææ aſperitatem, tunc lenientibus vtendum, & ijs præſertim, quæ antiquitùs vocabantur arteriaca. Arteriaca quædam ſunt ita propriè dicta, quædam verò hypoglottida, appellata, quemadmodum eſt ſacchurum candidum, aut violatum, tragacanthum madefactum in aqua capillorum veneris, aut oleo amygdalarum dulcium, aut ſuccus liquiritiæ, vel etiam ſaccharum cum oleo recenti amygdalarum dulcium.

Valet præſens medicamentum, & præcipuè vbi ſimul cum tuſſi adeſt raucedo, & eſt Benedicti Victorij medicamentum.

℞. Diatragacanthi frigidi,
Diacodij cum ſaccharo,
Diapenidij ſine ſpeciebus, ana vnc.j.
Addit Benedictus drach. j. boliarmeniæ ſ. p.

In hoc tamen caſu placet, vt abſtineatis à bolo, quia venit humectandum, ac leniendum, quod eſt exaſperatum, proinde accipite ſyrupi violati ad vnc. ij. & efficite ad formam loch, ſeu iulapij fluidi.

Sed tuſſis ab huiuſmodi cauſis facta reſpectu illius, quæ à deſtillatione è capite procedit, vilipendenda eſt, maximè ve-

A rò facienda illa eſt, quę à capitis deſtillatione deriuat, præcipuè ſi à materia tenui, calida, acri, & mordaci fiat, quamuis nec illa; quæ fit à falſa deſtillatione, ſit ſpernenda.

Primò igitur dicamus de tenui deinde craſſa. In communiſſima medendi ratione conuenit curatio vtriuſq; in hoc, quod primò materia eſt prohibenda, ne ad trachæam, aut pulmones labatur;

B ſed craſſa, niſi præparetur, non poteſt è corpore educi; hæc verò poteſt quidem, vt alibi intellexiſtis, quia humores tenues à loco ad locum moti nulla facta præparatione poſſunt, & debent educi, præcipuè ſi turgeant.

In hoc caſu, etſi non ſint turgidi, nihilominus poſſunt hominem ſuffocare, quod peius eſt, quàm ſi humores turge

C rent. Verùm non poſſumus in hoc affectu primùm corpus à cacochymia expurgare, deinde ad particularia medicamenta tuſſim ſiſtentia accedere, ſed cogimur, & ſymptomati, & cauſæ ſuccurrere ſimul.

Et quamuis Auicennas nihil de purgante medicamento in hoc caſu dicat, nihilominus illud non negat, quia ſupponit primùm habendam eſſe curam

D totius corporis, ea autem eſt, vt tollatur, quando neceſſitas inſtát, cauſa antecedens, nempe cacochymia totius corporis, deinde capitis.

Medicamenta autem, quę in hoc caſu conueniunt, ſunt, quæ humorem peccantem expurgare valent citra moleſtiam: inter alia mihi probantur ſummopere iſthæc.

E Sub forma potus.

℞. Iuiubarum,
Sebeſten, ana num.iij.
Paſſularum, vnc.ſſ.
Violarum,
Liquiritię, ana ſcrup. ij.
Caricarum pinguium, num.ij.
Fiat decoctio in aqua fontis.

℞. huius decoctionis, vnc. iiij. cui infunde.

Rha-

Rhabarb.drach.j
Facta expreſſione diſſolue,
Caſſiæ nou.extr.vnc,j.
Mannæ fortis vnc.ij.miſce.
Sub forma pilularum.
℞. pilul. aurearum,
Sine quibus, ana drach.j.
Diagridij, gr.vj.
Fiant pilulæ num. vij.& aurentur.
Sub forma boli.
℞. Diaſcbeſten Montagnanæ,
Diacathol.cum dupl. rhabarb. ana drach. vj.
Cum ſaccharo fiat bolus.
Vel ſic.
℞. Corticum myrobalan. citrinorum, vnc. ſſ.
Granorum myrti,
Iuiubarum,
Sebeſten, ana num. x.
Glycyrrhizæ mundæ,
Paſſularum enucleat,ana vnc.ſſ.
Agarici ligati in petia, drach.ſſ.
Bulliant omnia in ſuff. quant. aquæ vſq; ad conſumptionem medietatis, & cum prædicta colatura diſſolue mannæ frondis vnc. ij. pro diuitibus, & pro pauperibus.
℞. Caſſiæ, drach. j. aut
penidiorum, vnc.iiij.
Elect. roſ. Meſue,
Elect. de dactylis ana drach.j. ſſ. Miſce, & fiat potus.

Facta purgatione non eſt, vt abſtineamus ab illis medicamentis, quæ humoris acrimoniam remittere valent, atque ipſum attemperare, & refrigerare, vt ſunt ſyrup. violat. ſyrupi de portulaca, de papauere cum decoctione hordei ex coriati, iuiubarum, liquiritiæ ad vnc.ij.

Vel poteſtis præparare loco ſyrupi hanc potionem, quam ægrotanti dilu- culo offeratis.

℞. Aquæ hordei, vnc. v.
Diacodij cum ſaccharo, vnc. ſſ.
Miſce,& calefactum tuſſienti exibendum erit.
Vel ſic.

A ℞. ſucci ab hordeo recenti extracti, vnc. ij.
Pulu.diatragacanthi frigidi, drach.ij.
Miſce, diſſoluantur cum aqua decoctionis glycyrrhizę, iuiubarum, & paſſularum enucleatarum ad vnc.iiij.aut v.

Vel poteſt ſyrupus ad hunc modum componi.

℞. Syrup. myrtini
Violati,
B De iuiubis, ana vnc.ſſ.
Aquarum vngulæ caballinæ, quam farfaram vocant.
Aquæ plantaginis, ana vnc. j. ſſ.
Miſce.

Hæc ſunt medicamenta, quæ cauſam antecedentem reſpiciunt, quæ verò cauſam coniunctam, & partem affectam curant, ſunt plura, vt vnuſquiſque
C veſtrum apud ſcriptores videre poterit.

Cauſa hęc coniuncta eſt materia tenuis, acris, & mordax, indicans primò ſui incraſſationem,& refrigerationem, quæ nihil aliud eſt, quàm præparatio, vt faciliùs poſſit expelli, quia vt dictum eſt, tenuis materia à flatu, vt aqua diſſipatur.

Illa itaque materia, quæ in fauces, aſperamque arteriam cadit,cum tenuis
D ſit, incraſſari debet, alioquin nunquam poterit à flatu per exufflationem impulſo in os ob ſui tenuitatem, eleuari, vbi verò incraſſatur,corpulentiam acquirit, & tunc eleuari à flatu poteſt.

Medicamentorum autem, quæ id eſficere poſſunt, plura, vt dixi, ſunt, inter quæ vſitata magis ſunt ſyrupus violatus, de iuiubis, papaueris, de nymphæa, cum aqua violarum, aut hordei,
E vel prunorum, & huiuſmodi.

Communiſſima medicamenta ſunt, antitodum illud tam celebratum, quod ex papauere conficiunt, quod diacodion vocatur: eſt & diatragacanthum diapenidion: ſunt præterea pilulę illæ, quas ob effectum, quem præſtant, bichichia appellant,

nempè, quia tuſſim ſiſtunt, & compeſcunt.

Hæc omnia per fruſtula exigua in ore, & ſub lingua poſita liqueſcunt, & paulatim deorſum deſcendunt, & per tranſudationem gulæ ad aſperam arteriam transfunduntur, quamuis etiam per ſuperiora ad epiglottidem aliqua portio percoletur.

Semper igitur aliquid ex prædictis medicamentis, ſiue ſub forma liquida, ſiue ſub ſolida, opus eſt, vt ægrotantes in ore detineant, quantum ſaltem fieri poteſt: compone etiam medicamentum hoc modo.

℞. penidiorum, vnc.ij.
Diatragacanth. frig. vnc.j.ſſ.
Vuarum paſſarum, vnc.ſſ.
Sem. maluæ,
Goſſipij, ana drach.j.

Cum ſyrupo adianthi fiat loch, quod quod eclegma Græcè dicitur.

Cæterùm quando adeo tuſſis infeſtat, vt ægrotantes dormire nequeant, optimum omnium eſt medicamentum huiuſmodi.

℞. pilularum de cynogloſſa, drach.j.
Cum ſyrupo roſ. fiant p. num. v.

Quarum vnam accipiant per horam à cœna.

Sunt & aliæ pilulæ, quas Benedictus Victorius ſummè laudat, quarum vna accipienda eſt ſingulo die ante prandium, ex cuius vſu tuſſis ſedatur, vt

℞. pilularum maſtichinarum Conciliatoris ad drach.j.
Agarici trochiſcati drach.ſſ.
Pil. aurearum prædictarum, ſcrup.ij.

Miſce, & cum ſyrupo violato f. p. numero x.

Ex his vnam aſſumant ſpatio horæ v-nius ante prandium: & hæc ſunt medicamenta pro tuſſi à materia calida. Poteſt etiam totus thorax inungi vel oleo amygdalarum dulcium, vel oleo violaceo.

Modò videndum eſt, quid facto opus ſit pro tuſſi remouenda, quæ à materia

A craſſa producatur. Hæc autem duplex eſſe ſtatuitur, nempe falſa, & non falſa, & quamuis in vtraque cauſa attenuandum ſit, nihilominus in falſa nonnihil refrigerandum eſt.

Sed antequam particularia medicamenta exhibeantur, euacuanda eſt cauſa antecedens in capite, & toto corpore contenta, quæ cum non poſſit euacuari, niſi attenuetur, ideo opus eſt

B primùm materiam præparare ſyr. de hyſſopo.

De liquiritia,
Capillorum veneris,
Melle roſato,
Oxymelle ſimplici, oxymelle ſquillitico, ac decoctione hyſſopi,
Liquiritię,
Paſſularum,
Marrubij,

C Scabioſæ,
Enulę campanæ,
Radicis iridis,

Vel loco decoctionis prędictis ſyrupis adde aquæ ſcabioſę, hyſſopi, adianthi q. ſ. & fiat ſyrupus. ſ. a.

His ſyrupis materia vbi fuerit prępa-rata, indicatur nobis euacuandum eſſe cum manna forti, & agarico, vt

D ℞. mannę fortis, vnc. iiij.
Agarici trochiſc. drac. ij.
Diaphœnici, vnc.ſſ.

Cum decoctione pectorali fiat potus.

Prodeſt etiam caſſia ad vnc. j. cum vnc. ſſ. terebinthinæ, quod medicamentum in hoc caſu mihi ſummopere arridet, eò quòd vim abſtergendi habeat, inteſtinaque à fęcibus, & humori-

E bus pituitoſis euacuet, inde per partem poſt partem, vt aiunt, ab hepate, ac etiam à capite, & thorace trahat.

Pilulę de agarico, & rhabarbaro, pilulæ de hiera cum agarico, caſſiæ, & maſtichinæ non reprobantur. Benedictus Victorius conficit hoc medicamentum, & illi ſummè confidit.

℞. diaſcebeſten lenitiui vnc.j.

Elect.

Elect. de dactylis, vnc. ſſ.

Fiat bolus cum ſaccharo, quam ęgro tus capiat per quatuor horas ante prandium. Si ęger à tuſſi liberetur his medicamentis, non eſt amplius repetenda purgatio; ſi tamen non perfectè curetur, iteranda eſt ſemel, & bis; & dum purgatio fit, opus eſt ſemper, vt aliquid ab ægrotantibus in ore detineatur, quod materiam attenuet, vt ea deinde facilè expui poſſit.

Inter alia propono vobis in hoc caſu electuarium probatiſſimum, cuius aliquam portionem in ore ægrotantes detinere debent, illud autem in hunc modum conficitur.

℞. terebinthinæ lotæ cum aqua capillorum veneris, vnc. iij.

Caricarum pinguium, num. iiij.

Olei amygd. dulc. recentis, vnc. ij.

Miſce, in mortario agitentur, quouſque formam accipiant electuarij.

Aliud ad idem.

℞. ſucci althææ, vnc. iij.

OEnulæ campanæ, vnc. j.

Penidiorum, vnc. ij. ſſ.

Amyli, vnc. j.

Sacchari diſſoluti cum aqua farfaræ, fiat electuarium.

Valent quoq; pilulæ bichichiæ, quæ ſunt in triplici differētia; alię enim ſunt, quæ Galeno adſcribuntur, & paſta Curtij appellantur: aliæ ex ſolo tragacantho, & gummi arabico conſtituuntur, ſaccharo candido, liquiritiæ ſucco, & amylo: aliæ ſunt, quibus additur, & lac amygdalarum dulcium recentium.

Sed volo, vt ad memoriam teneatis pulcherrimum, & vtiliſſimum medicamentum, quod ad hunc componitur modum.

℞. aquæ fontis clariſſimæ, lib. j.

Mellis albi, vnc. ij.

Bulliant vſque ad perfectam mellis deſpumationem, deinde paulatim infundatur farina amyli, lenteq; ad ignem bulliant, ac ſpathula agitentur, quouſque aqua formam ſucci accipiat: huiuſ-

A que medicamenti cochleariū accipiendum eſt, & in ore detinendum, quia deorſum lambitiui in modum cadit.

Valet etiam loch ſanum, loch de farfara, tam ſimplex, quàm compoſitum, loch de pino Meſuæ, quorum ſemper aliquid in ore cōtinendum eſt. Loch maximè expertum omnium forſan vſitatiſſimum, & loch de ſtilla etiam valent in

B hoc caſu.

At propono aliud medicamentum à Benedicto Victorio ſummè commendatum.

℞. agarici optimi, drach. ij.

Bulliant in libra j. aquæ limpidiſſimæ vſque ad medietatis conſumptionem; deinde coletur aqua, & de colatura poteſt dari vnc. j. ſſ. ægroto in ingreſſu lecti, & etiam per três horas ante pran-

C dium. In ore detentum optimum eſt medicamentum, quod vocatur ab aliquibus confectio beati Bernardini: illud Nicolai magis efficax eſt, quàm ſit ſimplex, ambo tamen appoſita ſunt, & pręſtantia medicamenta in hoc affectu.

Ad idem valent pilulæ cum agarico, & thure, & eſt medicamentum Matthioli, ab ipſo valdè vſitatum, componitur hac ratione.

D ℞. Agarici trochiſc, drach. ij.

Thuris, drach. j. ſſ.

Pulverizetur thus, & cum ſucco de hyſſopo, atque agarico admiſceatur, ſiantq; pilulæ num. x. quarum vna ægrotus deglutiat ſingulo die à cœna per horam, quando it cubitum.

In materia falſa, magis iſtud medicamentum conuenit, quamuis etiam prædicta conferant, & quocumque tem-

E pore ægrotans in ore ipſum detinere poterit; id autem hoc modo conficitur.

℞. hyſſopi,

Saturiæ,

Calamenthi,

Praſſij,

Capil. veneris,

Farfaræ, ana m. j.

Ra-

Radicum althææ,
Polypodij quercini,
Helenij, ana vnc.j.
Paſſul.
Glycyrrhizæ, ana vnc.ſſ.
Sebeſten,
Iuiubarum, ana num.vj,
Seminum vrticæ, drach.j,ſſ.
Goſſypij,
Maluarum,
Althææ, ana drach.ij.

Fiat decoctio in mulſa diluta ad vnc. xv. & poſtea addito ſaccharo optimo coquenda ſunt omnia vſq;ad conſiſtentiam craſſioris ſyrupi: aliquando etiam poteſt addi oxymellis ſimplicis ad tertiam partem; & tres, aut quatuor guttulæ olei ſulphuris, præſertim quando materia craſſa eſt,quę expui nequeat:eſt Augenij lib. 7. tom. 2. cap. de tuſſi ferina.

Præterea ſunt ſuffitus quidam, qui conſueuerunt aliquod ferre iuuamentum, vt eſt ille factus ex folijs vngulæ caballinæ, & ex folijs tabacchi, quod aliqui herbam reginam vocant. Alius eſt communis, ſed primus tamen magis ferè placet.

℞. Ariſtolochiæ,
Styracis,
Myrrhæ,
Galbani,
Butyri recentis, ana par. æquales.

Proijciantur ſuper prunas, curetur-que, vt ſuffitus in os, & nares feratur.

Guglielmus Varignana pro ſuffumigio laudat ſtyracem liquidam. Raſis noſter in præſenti capite huic ſuffumigio addit arſenici rubei ad pódus omnium, omniaque diligenter pulucrizentur, & ex butyro vaccino conſpergantur, poſtea fiant pilulæ paruæ, quarum vna accipiatur, & prunis, quando opus eſt, accenſis inijciatur.

Tandem localia medicamenta in hoc caſu ex vſu ſunt extra thoracem adhibita, quemadmodum iſtud eſt.

℞. butyri antiqui inſulſi

A Olei amygd. dulc.
Liliorum alborum, ana vnc.j.
Mucilaginis ſem. althææ,
Mucilag. ſem. maluæ, ana drach.j.
Croci, ſcrup.ſſ.

Miſce, & cum modico cerę fiat linimentum, quo inungendus eſt thorax, & latera ipſius vtrinque. Oleum etiam chamæmeli cum butyro antiquo in hoc caſu valet.

B Cęterùm quia ſolùm animus fuit docere curationem tuſſis à deſtillatione prouenientis, hæc autem procedit à capite tam in materia tenui, & calida, quàm in craſſa, & frigida, atque etiam in ſalſa, cumque deſtillatio nihil aliud ſit, quàm catarrhus, eadem ſanè requirit medicamenta, quæ catarrho conuenire aliàs demonſtrauimus.

C Hæc verò vel vniuerſum corpus reſpiciunt, vel particulariter exhibentur, quemadmodum ſunt illa medicamenta ſtomachica dicta, & particularius, quæ ſub lingua continentur hypoglottida vocata.

Pręterea ſunt & illa, quæ capiti applicari conſueuerunt ad eius corroborationem, vt irrigationes ſupra ſuturam coronalem, pulueres, emplaſtra, cerata, cucufę, & id genus localia, de quibus egimus tam in calida, quàm in frigida materia, cap. de catarrho.

D Defendimus nos eodem loco ab Alexandri apparente reprehenſione Galenum, oſtendentes perperam in eum inuexiſſe lib. 7. quapropter ad ſiſtendam fluxionem, ſiue à calida, ſiue à frigida materia probatur ab omnibus practican-

E tibus ceratum illud à Montagnana compoſitum, quod capitale vocant: probatur etiam puluis capitalis eiuſdem, de quibus omnibus cap. de catarrho fusè tractauimus.

*DE CVRATIONE TVSSIS, per Chirurgiam.*

Sed præter hæc localia medicamenta, ſunt qui proponant cauterii ad materiam reuellendam, ſed de loco non omnes conueniunt, quandoquidem alij dicunt in ſincipite, alij verò determinant in occipite cauteria facienda eſſe; ſed in materia calida in ſincipite, in frigida verò in occipite, & ratio ipſorum eſt deſumpta à varia materiæ qualitate; nam dicunt craſſam deorſum facilè ferri.

Ideo cum perforetur collum inter primam, & ſecundam vertebram, datur materiæ craſſæ aditus, cum foramen fiat in cute, & in parte decliuiori ipſius, ad quam rationabile eſt materiam craſſam tendere, ſed quamuis huiuſmodi opinio videatur primo aſpectu aliquam veritatem habere; non eſt tamen ſimpliciter vera, quandoquidem naturę nihil ſurſum, nihilue deorſum eſt.

Sed huiuſmodi poſitiones ſunt reſpectu noſtri, quare abſque vlla defatigatione omnes noſtri corporis partes tam ſuperiores, quàm inferiores excrementa ſua expellunt, ſiue ſint craſſa, ſiue tenuia ad partes ſibi propinquas.

Vnde quando materia aliqua excrementoſa in capite reperitur, ſiue fiat in capite, ſiue aliunde proficiſcatur, cum non ſit in vna ipſius parte, non poterit ea ad vnum locum protrudi; nam ſi ipſa continetur inter cranium, & membrana craſſam, atque tenuem, aut etiam ſub tenui, & in ſubſtantiæ cerebri ſuperficie, ſiue craſſa, ſiue tenuis fuerit, à natura protrudetur ad propinquiorem cutem, & præſertim ad eã, quæ eſt per cauterium debilitata, quemadmodum vbi ſinciput ferro candenti perforatur, tunc ad illum locum peccãs materia propellitur.

Neque hæc materia poterit vnquam deorſum ad occiput ferri, quemadmodum è contra quando materia eſt in ſubſtantia cerebri, aut ipſius cauitatibus, faciliùs per cauitates ad ſpinæ latera deorſum propellitur per commodiorem locum, cum verò cutis eo loci fuerit perforata, facilè per locum hunc expurgabitur, quamobrem falſum eſt in craſſa materia eſſe affigendum cauterium in ceruice, in ſincipite verò in tenui; nã non oportet perforare niſi habita conſideratione loci, in quo materia continetur.

Sed quoniam ſæpè occurrit materiã nõn ſolùm deriuandam eſſe, ſed tollendam, ideo aliquando, vt diximus cap. de catarrho cogimur cauterium cruribus, aliquando verò & brachijs affigere, eademmet ratione cucurbitas ſcapulis, lumbis, natibus, dorſoque applicamus; & hæc de curatione tuſſis per cauterij applicationem.

Quod ad chirurgiam attinet, vbi adſunt conditiones, nempe peccatum ſanguinis in quantitate, aut motu, nec non & vires permittunt, eſt ad ſanguinis miſſionem deueniendum, quouſq; opus videbitur, modò euacuationis, modò reuulſionis cauſa.

Vnde Benedictus Victorius in ſua empirica in tuſſi à materia calida, vtranque intentionem reſpiciens, iubet mittendum eſſe ſanguinem primò ex vena communi dexteri brachij ad vncias quatuor; ſecundò verò mittit ſanguinem ex cephalica eiuſdem lateris.

Et hæc ſint ſatis dicta de tuſſis curatione à catarrho prodeuntis tam calido, quàm frigido: curationem autem eius, quæ à pulmonum vitijs exoritur, habibimus in tractatu de peripneumonia, & & pleuritide.

# DE ASTHMATE.

## CAPVT QVADRAGESIMVMNONVM.

POſt tractatum de tuſſi Raſis immediatè ſubiungit caput de illa ſpecie difficilis reſpirationis, quam ἆσθμα vocant, ἀπὸ τῶ ἀσθμαίνειν, quod anhelare ſignificat, nomen deductum eſt, vnde aſthma anhelatio, ſiue ſuſpiriū Latinè vertitur, quamuis ab aliquibus aſthma translatum ſit cantus, quòd homines veluti canere videantur.

At quantum in natura propoſitæ affectionis declaranda parcus ſit Raſis, tanto prolixius de ipſa tractat libro continentis, ſed ſupponeas auditorem maximè verſatum in affectuum præternaturalium cognitione, parte dignoſcitiua relicta, ad curationem empiricam properat, quam in hoc 9. ad Almanſorem intendit, circaque eam tamquam proprium ſcopum verſatur.

Noſtrum modò eſt, qui ſcholares in rationali curatione inſtruere conamur, primùm aperire, quis affectus præter naturam ſit, quas habeat cauſas, quibus indicijs recognoſci poſſit, & quid facto ſit opus pro recta ipſius curatione inſtituenda.

Sed huiuſmodi affectio reſpirationem lędit, hæc autem ſit thoracis eſt actio; non ſecus enim, vt dicebat Galenus, atque ambulationis inſtrumentum eſt crus, ita eſt thorax reſpirationis.

Verùm ad faciendam reſpirationem, alia miniſteria requiruntur, ac conueniant in ambulatione, quandoquidem ambulatio in animantibus ad benè eſſe eſt data; at reſpiratio ad vitam ſimpliciter eſt neceſſaria, ad quam peragendam tria requiruntur, vt Galenus author eſt libro de cauſis reſpirationis.

Vnum eſt materia; alterum eſt inſtrumentum; tertium facultas voluntaria.

Materia eſt aer, qui attrahitur per inſpirationem, & extrapellitur per expirationem: atque dupliciter eſt neceſſarius; nam inſpiratus aer facit ad generationem ſpirituum animalium, & ad eorundem conſeruationem; expiratus autem facit ad vocem, & ad loquutionem peragendam; natura enim aere inſpirato, & expirato vtitur ad duo munera hæc obeunda, non ſecus atque faciat lingua ad duo præſtanda officia, nempe ad ſapores dijudicandos, & loquutionem edendam.

Inſtrumenta autem ſunt plura, inter quæ præcipuum videtur eſſe pulmo, qui ex pluribus partibus eſt conſtitutus, nēpe ex ſubſtantia quadam carnoſa, rara admodum, & fungoſa, ex venis à vena arteriali ortum ducentibus, ex arterijſque ab arteria venali eductis.

Præterea ex illa arteria, quam aſperam vocant, ſeu trachæam, quę à ſupremis faucibus enata largo, & ſatis notabili ductu per ceruicem delata in omnes pulmones eſt diſtribuitur, & ex duplici parte, nempe cartilaginea, atque membranea conſtituitur.

Pars cartilaginea tamen non vnico modo eſt efformata, quandoquidem ad caput ipſius tres habet inſignes, & nō vulgares cartilagines, ex quibus componitur larynx, ſeu caput bronchij appellatum, reliqua verò conſtitutio ex circulis quibuſdam facta eſt, formam ſigmæ literæ referentibus, quo nomine & ſigmoides ſunt dicti, vbi verò in pulmones rami ſunt deſtributi partes cartilagineæ appellantur bronchia.

Cæterùm reliquæ partes huius ſunt ex membrana conſtitutæ, ita vt ex cartilaginibus, & membranis circularibus

tota

tota ipſius ſubſtantia compoſita ſit.

Cùm igitur ad hunc modum ſit pulmo conſtitutus, famulatur reſpirationi quidem, ſed non ſecundùm omnes ſui partes, ſed ſecundùm tracheam, ſeu aſperam arteriam, nec tamen ſecundùm omnes ipſius partes, ſed ſolùm per partem membraneam; nam cartilagineæ pro voce edenda ſunt factæ, pars igitur aſperæ arteriæ membranea ea eſt, cui reſpirandi actio debetur.

Quare pulmo eſt reſpirationis inſtrumentum per aſperæ ramos, facultas autem animalis ea eſt, quæ per muſculos exercetur; nam muſculi, vt audiuiſtis, ſunt inſtrumenta motus voluntarij: quare ad reſpirationem faciendam requiruntur muſculi thoracis.

Verùm quoniam reſpiratio conſtat ex inſpiratione, & expiratione, inſpiramus, quando aerem trahimus, in qua tractione neceſſariò ſequitur, vt dilatetur thorax; in expiratione verò neceſſariò conſtringitur, non poteſt autē nec conſtringi, nec dilatari, niſi medijantibus ſuis inſtrumentis, quæ ſunt muſculi.

Sed quia eſt Galeni axioma, quod ad motus oppoſitos vnius membri faciendos requiruntur oppoſiti muſculi, ideo cùm dilatatio, & conſtrictio ſint motus thoracis contrarij, opus eſt aſſignare muſculos vtriuſque, aut rem paulò obſcurã in thoracis motu declarare.

Dictum eſt aliam eſſe expirationem, & aliam inſpirationem; rurſus dicimus vtramq; eſſe in duplici diſcrimine; nam inſpiratio, vel eſt naturalis, & ordinaria, vel magna, & violenta, quod idem dicendum eſt de expiratione.

Habetis hos terminos apud Galenum libro de cauſis reſpirationis. Inſpirationi naturali contraria eſt expiratio naturalis. Rurſus expiratio violenta, quæ eſt ſimultanea ſpiritus extra latio, quam idem Galenus efflationem appellauit, contraria eſt inſpirationi violentæ, hac ſumma inſpiratione egent illi, A qui maximas voces ſunt edituri, aut qui vtres inflant, vel tubas.

Stante igitur hac Galenica, & ob omnibus recepta doctrina, dicimus, quod ad reſpirationem faciendam thorax debet ex neceſſitate dilatari, atque conſtringi, quare erit opus, vt aliqui muſculi inſeruiant dilatationi ipſius, aliqui cōſtrictioni, iuxta Galenicū dogma lib. 1. & 2. de motu muſculorum, vbi dicit B contrarijs motibus eſſe deſtinatos ſibi oppoſitos muſculos, quorum vnum, dum agit, alter patitur.

Idque in apprehenſione manus ipſe probat; nam dum manus apprehendit, muſculi interni agunt, externi patiuntur, & è contra; ita quoq; dicendum erit, quod cum thorax moueatur ſucceſſiuè motu contrario, habeat muſculos C deſtinatos tam dilatationi, quàm conſtrictioni.

Attamen idem Galen. lib. 2. de motu muſculorum negaſſe viſus eſt, dum declarat modum motus diaphragmatis, & deſcribens motū inſpirationis naturalis ſubiungit, motus expirationis naturalis, quæ eſt naturali inſpirationi contraria, nullū prorſus muſculum eſſe opificem.

Sed vt rem hanc intelligatis, repeto D diuiſionem aliàs à me allatam de motibus voluntarijs; nam alij ſunt, qui abſolutè tales dicuntur; alij verò, qui coacti vocantur, eò quòd paſſionibus corporis inſeruiant, inter quos motus thoracis connumeratur.

In prioribus motibus faciendis ſemper reperiuntur muſculi oppoſiti correſpondentes ſuis oppoſitis motibus, & quando vnus contrahitur, alter E extenditur; at in motibus coactis non ita res eſt, quia (vt audiuiſtis) in motu palpebræ eſt muſculus aperiens, nullus eſt claudens, ita in muſculis abdominis.

Idem quoque eſt dicendum de motu thoracis; nam cum, vt pulchrè Galenus docet, phrenis, ſeu (vt aiunt) ſeptū tranſuerſum dilatet thoracem in inſpiratione naturali, obque ſui ſitum, & figu-

guram circularem, aliquid ei conceden dum eſt, quod alijs muſculis natura tribuere minimè potuit.

Hinc eſt, quod dum totus agit in ſe, contra dilatat thoracem, & inſpirationem facit naturalem, dum relaxatur, thorax conſtringitur, quæ conſtrictio à nullo fit muſculo, quemadmodum ſupra dicebat Galenus.

Sed quia huiuſmodi materia non poteſt tā breui explicari, ſcire eſt opus partes, quæ à muſculis mouentur, plures habere conſtitutiones ſui motus; nam aliæ ſunt, quæ flectuntur, aliæ extenduntur, aliæ tenſæ manent, aliæ reclinant, & aliæ decidunt.

In priori conſtitutione muſculi ſuam faciunt actionem, oppoſiti patiuntur, vt quando flecto brachium, interni muſculi agunt, exteriores patiuntur; quando verò è contra extēditur idem brachium, muſculi contrario modo affecti ſunt; nam externi agunt, interni patiuntur.

Secunda conſtitutio eſt, in qua omnes muſculi agunt tam vnius, quàm alterius partis, & dicitur conſtitutio tonica, vt quando brachium tenſum ſuſpenditur, atque ſuſtinetur.

Tertia conſtitutio eſt, in qua muſculi nihil agere videntur, & tamen aliqui, nempe interni agunt, vt quando ſenſim, ſenſim deorſum reclino brachium.

Poſtrema eſt, quando muſculi agere videntur, & tamen nihil agunt, & eſt quando membrum ſua grauitate deorſum cadit, quo ſtāte diſcurſu, dico, quod thorax dilatatur à muſculis.

Hinc eſt, quod vtraque tam naturalis, quàm magna, ſeu violenta inſpiratio fit à muſculis; nā inſpiratio naturalis à ſolis phrenibus efficitur; expiratio verò naturalis illi contraria nullo eget muſculo, quia coſtæ ſua grauitate deorſum cō cidunt, fitq; motus ſimilis decidentię.

At in inſpiratione magna omnes muſculi thoracis tam ſuperiores, quàm inferiores, & illi, qui ad ſcapulas ſunt, operantur; in expiratione verò coſtæ à

A muſculis intercoſtalibus ſimul cum ipſarum grauitate deorſum ad priſtinum locum trahuntur, fitque motus ſimilis reclinationi.

Quod certè videtur rationi quam maximè conſonum; nam in inſpiratione naturali non admodum coſtæ dilatantur, hinc poſſunt ſuo pondere ad ſtatum naturalem reuerti, neque muſculorum ope egent; hi autem ſunt muſcu-

B li interni intercoſtales.

Cum igitur facultas animalis requiratur ad reſpirationem, hæc autem non poſſit operari, niſi ſuis inſtrumentis medijs, ideo neceſſarij ſunt muſculi thoracis. Verùm quamuis huiuſmodi inſtrumenta non operentur, neque aer poſſit in tracheam, & ramulos ipſius, necnon pulmones recipi, conſequenter fieri nequit reſpiratio.

C Sed ſtatim ingenioſus percontabitur quodnam ſit inſpirationis primarium inſtrumentum? nec immerito, quia ex prehabito diſcurſu colliget thoracem eſſe huic muneri deſtinatum, cum aſſimilatum ſit cruri, quod eſt primum deambulationis inſtrumentum, quod etiam Galenus confirmauit libro de thoracis, ac pulmonis motu, tum etiam alibi, quamquam videatur aduerſari authoritati ſummi Philoſophi 2. de part.

D anim. cap. 6. cuius opinionem Auerroes 2. coll. cap. 19 tueri conatur.

Sed poſſumus ſoluere controuerſiam, facta hac reſpirationis inſtrumentorū diuiſione; nam aliud inſtrumentum eſt, quod reſpectu cordis dicitur primarium, eò quòd haurit aerem, ipſumq; cordi per arteriam venalem transfundit, ex quo eius calor refocillatur, ſymmetriaque conſeruatur, & iſtud eſt pulmo.

E Sed quia pulmo eget motu thoracis; nam huius ſequitur motum, vt Galenus prædictis locis pluribus comprobauit; pulmo enim dilatatur ad thoracis dilatatiōnem, non autem dilatatur thorax ad dilatationem pulmonis, idcirco & thorax dicitur primarium inſtrumen-

tum

tum reſpirationis, pulmo ſecundarium.

At in relatione ad cor pulmo eſt primarium; nam quemadmodum Galenus in libello aduerſus Eraſiſtratum de eo, quod in arterijs continetur, dicebat arterias dilatari, non quòd repleantur, ſed contra replentur, quia dilatantur; nam ab innata earum facultate dilatantur, inde replentur.

Pulmo verò è contra dilatatur, quia à muſculis thoracis extenditur, deinde repletur thorax ſecundariò, ſtantibus his iam ad declarandam definitionem, & eſſentiam ipſius aſthmatis properandum eſt, ſed cum hoc ſit ſymptoma actionis thoracis læſæ, nempe reſpirationis, erit vel ipſius abolita, vel deprauata, ſeu vt aiunt, diminuta actio.

Non primo modo, quia huiuſmodi actio abolita, appellatur à Galeno 4. de locis affectis cap. penultimo apnœa, quę eſt thoracis omninò abolita actio, quę euenire ſolet mulieribus hyſtericis, apoplexia laborantibus, ſopore affectis, catalepticiſque; quare diſpoſitio, quæ apnęam facit, communis eſt omnibus animalis partibus, vt dicebat eo loci Galenus.

Vnde aſthma non poteſt referri ad actionis abolitionem, cum diſpoſitio non ſit communis omnibus animalis partibus, ſed ijs tantùm, quæ ad vocatas ſpirituales referuntur; pertinet igitur ad deprauatam actionem; quam Greci δύσπνοιαν vocant, hæc verò authore Galeno, genus quoddam eſt ſub ſe continens duas differentias ſecundùm magis, & minus inter ſe differentes, vna eſt aſthma, altera verò orthopnœa, quamuis idem Galenus aliquando nomine diſpnœæ 6. de morb. vulg. com. 3. tex. 9. 3. de difficul. reſp. cap. vltimo, accepit ſpiritum denſum.

Vnde diſpnœa eſt, in qua ſpiritus denſus redditur, ac vbi fuerit magis denſatus, aſthma vocatur, & tandem vbi adeo increuerit, vt non poſſint ægrotantes

A reſpirare, niſi reſurgant, ceruicemque erigant, tunc appellatur, vt dictum eſt, orthopnœa.

Quare Galenus nomine diſpnœæ aliquando genus ad difficilem reſpirationem intellexit; aliquando verò ſpeciem ipſius. Nunc intelligimus aſthma, & orthopnœam eſſe ſpecies, ſeu differentias ſub diſpnœa contentas.

B De vtraque hac affectione agendum proponitur, & primò de aſthmate, de quo 7. de comp. med. per loca cap. 6. ſcribit Galenus ad hunc mudum, qui citra febrem densè reſpirant, vt faciunt, qui velociter cucurrerunt, ab acceſſione hac à medicis Græcis aſthmatici, à Latinis anheloſi dicuntur: eoſdem etiam ab alia acceſſione orthopnoicos vocāt, propterea quod thoracis corpus penitus rectum habere coguntur ob timorem ſuffocationis.

C Eadem dicunt Paulus 3. lib. cap. 29. & Aetius lib. 6. 57. qui etiam addunt eos, qui affectione aſthmatica laborant, medici conſueuerunt appellare aſthmaticos anheloſos, ſeu ſuſpirioſos.

Celſus ante Galenum loquens lib. 4. cap. 4. dicebat eſſe malum apud Græcos aliud, atque aliud nomen habens, prout ipſe morbus ſe intendit, omneq; malum in difficultate reſpirandi conſiſtere.

D Sed hæc dum modica eſt, neque ſtrāgulat ex toto δύσπνοια appellatur, cum vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſono, & anhelatione non poſſit, aſthma, Latinis anhelitus, & ſuſpirium dici ſolet, cum verò acceſſerit id quoq; vt non niſi recta ceruice ſpiritus attrahatur, orthopnœa nominatur.

E Quare etiam ex Celſo huiuſmodi affectio ad deprauatam thoracis actionem pertinet, differtq; à diſpnœa ratione intentionis, vt ſit dicendum eſſe vehementiorem ſpirandi difficultatem, orthopnęam verò eſſe vehementiſſimam.

In huiuſmodi affectionibus, inſpiratio magna quidem eſt reſpectu dilata-

tionis thoracis,& quoniam parua quãti tas aeris intus attrahitur, hinc eſt,quod ægrotantes læſionem percipiunt, quod non tantum aeris attrahitur, quantum ſatis ſit ad cordis refrigerationem, & proinde in orthopnœa, niſi eleuentur, ſentiunt ſe ſuffocari.

Cæterum ab aliquibus orthopnœa ab aſthmate diſtinguitur, quod aſthma cum ſtridore, atque præfocatione inundat, orthopnœa verò fiat cum thoracis euerſione, atque ſingultu.

Sed videamus, quid vterq; affectus ſit. Galenus præcitato loco, cui Paulus ſubſcribit, videtur aſthma definiuiſſe, quod ſit crebra, ſiue denſa reſpiratio ſine febre, qualis ijs ineſt, qui velociter cucurrerunt; quare eſt ſymptoma conſiſtens in crebritate reſpirationis, immo dica, ſine febre, ex paſſione pulmonum.

Orthopnœa verò eſt denſior, & crebrior reſpiratio, in qua ægrotantes videntur quaſi ſuffocari, quare coguntur ſe eleuare, vt ceruicem rectam tenere poſſint.

Auicennas verò cap. 39. tract. 1. fen x, tertij, ſcribit eſſe ægritudinem pulmonarem, cum qua patiens non inuenit excuſationem ab anhelitu frequenti, ſicut eſt anhelitus, quo laborat præfocatus, & feſtinatus.

Quamquam autem Auicennas videatur diſcrepare à Galeno, ſi tamen recte conſideremus, videbimus idem ſentire in affectionis natura enucleanda, quia ambo dicunt frequentem eſſe anhelitum, inſtar illius, qui aut feſtinat, aut velociter currit, aut etiam præfocatur; ſed Galenus addit eſſe ſine febre, quod Auicennas ſupponit, ita vt ambo velint eſſe frequentem anhelitum.

## DE PARTE AFFECTA IN aſthmate.

Sed non admodum conſentire videntur in parte affecta determinãda hi authores, quia Galenus ad læſionem actionis thoracis, quæ eſt reſpiratio, ipſam reducit.

Verùm plures ſunt partes reſpirationi famulantes, inter quas aliquæ inſpirationi, aliæ expirationi tam naturali, quàm violentæ opem ferunt, in quibus eſt diaphragma, quod inſpirationis naturalis eſt author.

B Violentæ verò ſunt muſculi, quæ cũ nihil aliud ſit, quàm thoracis dilatatio, ſequitur, quod muſculi illi, qui ipſum dilatant, eò quod ſint dilatationis authores, lædantur.

Quæ res cum ita ſe habeat, potiùs vi detur dicendum aſthma, ac etiam orthopnœam eſſe affectiones præter naturam muſculorum thoracis, non autem pulmonum, cùm faciant non minus ad

C expirationem, quàm ad inſpirationem.

Cum enim duo inſtrumenta vnam faciunt operationem determinatam, vbi hæc eſt læſa, ſtatim dicimus partem eſſe læſam, quæ facit actionem, quia hæc eſt regula à Galeno nobis data 3. de locis affectis, vt ab actione læſa partis læſæ notionem capiamus.

Sed huiuſmodi difficultas pauci eſt momenti, quandoquidem Galenus cap.

D 13. lib. 4. de locis affectis ſcriptum reliquit aſthma, & orthopnœam eſſe affectus pulmonum, quod Auicennas in prædicto capite confirmat.

Et quamuis ipſe dicat eſſe affectionẽ thoracis, non tamen intelligendum de omnibus partibus ipſius, aut de muſculis, quia cum dictum ſit, quod ad reſpirationem faciendam neceſſariò requira

E tur aer, tanquam materia, pulmoneſque cum trachea, & ſuis alijs vaſis, necnon & facultas animalis, dicitur tunc affectus illius partis, quæ læſionem patitur.

Hęc autem non eſt muſculus, quia in hac affectione omnes muſculi dilatãtes ſuo funguntur munere dilatandi, animaliſque facultas nihil patitur, & violentam, ac magnam faciunt inſpiratio-

tionem,non ſecus atque in naturali cõ- A ſtitutione thoracis contingere conſue- uit.

Vnde Galenus 1.de diff.reſpirat.nec non 4. de locis affectis cap.13.teſtatum reliquit duplicem eſſe magnam reſpira- tionem; vna eſt, quę fit ratione multæ caliditatis intus thoracem exiſtentis; a- lia, quæ fit propter aliquam materiam intus pulmones, & thoracem conten- tam:in priori illa magna dilatatione tho racis, multa aeris inſpirati copia intus attrahitur.

In altera verò thorax totus dilatatur quidem, ſed non tamen trahitur aeris copia, quare infirmus laborans, & fre- quenter, & celeriter, vt ſpiret, eſt ne- ceſſe.

Cum igitur in præſentibus affectio- nibus muſculi totum dilatent thoracem, ſequitur eos minimè læſos; ſed pulmo- nes, vt dicit Auicennas, illi ſunt, qui patiuntur,non tamen ſecundùm omnes ſui partes, ſed tantùm ſecundùm tra- cheam, quæ eſt inſtrumentum reſpira- tionis, quæ vbi excauata eſt, neque obſtructa, tantum aeris haurimus,quan tum opus eſt ad calorem refocillandum, at vbi repleta eſt, cogit tunc illud aeris, quod vnico tractu non poteſt recipere, per plures vices repetere, quomodo in præſenti caſu contingit, vbi aſpera arte ria repleta, aut compreſſa eſt.

Igitur dictum eſt à Galeno, & Aui- cenna pulmones in hac affectione lædi, non tamen ſecundùm omnes ipſius par tes, ſed ſecundùm tracheam, ſiue aſpe- ram arteriam, erit eapropter aſthma affectio præter naturam, in qua ægro- tantes difficulter reſpirant, anheloſique ſunt inſtar eorum, qui nimis, vel defa- tigantur, aut ſuffocari videntur.

Merito quoque inter alias pulmonũ affectiones tam aſthma, quàm orthop- nœa reponuntur; ſed cum anhelatio hæc, ac etiam orthopnœa ſint ſympto mata actionis thoracis læſæ, ſiue ſpectet ad totum, ſiue ad partem, nempe ad pulmones, vt dictum eſt, omniaque ſymptomata ſequantur morbum, vt vm bra corpus,noſtrum eſt in pręſenti, vt vi deamus,quemnam morbum pulmones patiantur in prædictis affectibus.

Sed antequam ad inueſtigandum mor bum, & cauſam ipſius accedamus,non- nulla ad affectus cognitionem adhuc ri- manda ſunt.

B Dictum fuit ſuperiùs ad reſpiratio- nem faciendam tria eſſe eſſe neceſſaria. Primum eſt materia reſpirationis, quę eſt aer inſpiratus, & expiratus.

Secundum eſt inſtrumentum, quod eſt pulmo cum aſpera arteria, & alijs va ſis, in quo pulmone per tracheam tan- quam per ductum quemdam aer attra- hitur, qui attractus, & paulò alteratus per arteriã venalem in ſiniſtrum cordis ventriculum caloris innati refocillandi C cauſa tranſmittitur.

Tertium & poſtremum eſt facultas animalis in muſculis reſidens. In ope- ratione hac peragenda virtus, ſeu ani- malis facultas habet rationem artificis, pulmones inſtrumenti, aer verò mate- riæ.

Omne enim artificis opus ex indu- ſtria verſatur circa aeris attractionem, quæ adeo neceſſaria eſt, vt abſque illa D homines ne momentum quidem tem- poris viuere poſſint, quia ipſe caloris ſymmetriam conſeruat, ſpirituſque ani males nutrit, vt Galenus lib. de cauſis reſpirationis, & libro de vtilitate reſpi- rationis pulchrè demonſtrauit, vt ſu- pradictum eſt.

Cum igitur aer ſemper in promptu ſit, pulmones verò apti ad illum follium in modum attrahendum, vnde inſtru- E menta habet ipſum intus adducentia, alia retinentia, & alia demandantia, nec præterea poſſit à pulmone aer at- trahi, niſi per actiones reſpiratorias, quæ inter ſe ſunt contrariæ; nam mo- dò intus aer trahitur, modò extra pel- litur,hinc opus fuit animali virtute,quæ ipſas actiones ſibi cõtrarias ad rhythmũ,

vt

vt inquit Galenus, coaptaret, eaſque diſponeret.

Iam verò cum omnia ſecundùm naturam ſe habent, moderatè aer attrahitur, omniaque ab animali facultate moderantur; at quando ad ſtatum præter-naturalem tranſmutantur, tunc omnia ab ordine, & rhythmo exeunt: ſed tribus modis à ſtatu naturali exire poſſunt.

Primo modo per acceſſionem caloris in corde. Secundo per anguſtiam factam in aſpera arteria, & ſuis ramis. Tertiò, quando virtus animalis langui-da efficitur. Si primo modo, ita vt opus habeat refrigeratione, reſpiratio augetur, diciturq; vſus adauctus à medicis, & hinc efficitur illa magna inſpiratio, in qua multa aeris quantitas trahitur, quanta ſcilicet ſatis eſt ad calorem temperandum.

Atque hæc inſpiratio magna fit in febribus, in quibus vſus admodum adauctus eſt, & in hac omnes muſculi thoracis, & ſuperiores omnes, ac etiam ſcapularum operantur, non ſecus atque in ea, qua tubicines egere diximus, in qua quidem, vt dicebat Galenus 4. de locis affectis cap. 7. præter magnitudinem, frequentiam, & celeritatem reſpirationis, hoc quoque accidit, quod calidus, feruenſque ſpiritus exufflando producitur.

Quod ſi inſtrumenta, quæ ad pulmones ſunt, nempe arteria aſpera cum ſuis ramis nimium anguſtentur, aſthma, reſpirandiq; difficultas fit, quod eſt ſymptoma in deprauata actione thoracis ſine febre, pulmonum præcipuè, arteriç, quæ aſperę, & tunc totus thorax plurimùm, & frequenter dilatatur.

Verùm, qui ſic laborant, ſine exufflatione ſpiritum reddunt: at vbi ſimul cum anguſtia ſuccedit caloris augmentum, vt in peripneumonia, tunc nec maxima, nec frequentiſſima, nec celerrima reſpiratio ſufficit, ſed ita reſpirantes reſidere coguntur, quia ſentiunt thoracem faciliùs dilatari, ſed hoc capi- A te de peripneumonia clariùs tradetur.

Vbi virtus animalis languet, tunc non poteſt fieri dilatatio thoracis velox, aut frequens, nec magna, & quamuis conueniat cum priori in hoc, quod thoracis omnes muſculos moueat, ipſique agant, nihilominus nulla fit ab ore exufflatio, ſed ſpiritus ex ſolis naribus emitti ſolet.

B Ex quo apparere facilè poterit, quod quando in difficultate repirandi omnes thoracis muſculi, & ſcapularum mouētur, ita vt cum ſcapulis vna pectus maniſeſtè ſubleuetur, ex his tribus vnum aliquod conijcere eſt neceſſe, aut viriū imbecillitatem, aut viarum ſpiritus anguſtiam, aut vehementem in corde, & pulmone calorem.

Quamuis, vt præcitato loco admo- C nuit Galenus, tres ex dictis cauſis concurrere poſſint, interdum duæ (vt in peripneumonia dicemus) dumtaxat apparent.

In præſenti inſtitutus ſermo eſt de illa difficultate reſpirandi, in qua omnes thoracis muſculi, & ſcapularum maniſeſtè pectus eleuant cum frquenti ipſius dilatationis repetitione, abſque caloris adauctione, & abſque facultatis anima- D lis detrimento, quia, vt docet Galenus præcitato capite, in aſthmate, aut peripneumonia, vires poſſunt eſſe validæ, vſus verò languidus.

Sed nunc tractamus de morborum natura, & cognitione, nulla facta de viribus conſideratione, niſi quatenus ipſæ regunt, & moderantur medicas operationes.

E

## DE MORBO, QVEM SEQVITVR, aſthma.

Facilè ex prædicto diſcurſu conijcere licebit morbum, quem ſequitur hæc difficultas reſpirandi eſſe anguſtiam viarum pulmonum, vnde morbus eſt in compoſitione, nempe in via, quia viæ oppilantur, ſeu obſtruun-

tur,

tur, quę deberent eſſe aperta, vt ſunt aſperę arteriæ canales, & ipſametarteria.

Obſtructio prædictorum vaſorum poteſt facere hanc difficultatem reſpirandi ſecundùm magis, & minus; ſed etiam, id contingit, quando tota capacitas, in qua pulmones reſident, obſtruitur, vt in empyemate, quia pulmones nequeunt dilatari, quantum ſatis eſt.

Quare anguſtia thoracis, cùm fit morbus in via, erit ille morbus, quem iſtud prædictum ſymptoma ſequitur; ſiue modò fiat ab humoribus craſſis, & lentis, ſiue à crudo turberculo, vt paulò poſt dicemus, & huiuſmodi affectio eſt propriè dicta aſthma, aut orthopnœa, quando ægrotantes nequeunt reſpirare, niſi erecta ceruice.

Sed antequam cauſas horum affectuū inquiramus, volo vos admonere, aliquos eſſe authores, qui aſthma diuidunt, in materiale, & immateriale. Materiale eſt illud, quod ſupra diximus eſſe ſymptoma actionis thoracis læſæ, ſeu pulmonum, ipſumque morbum appellant, quòd euentationem caloris innati in corde exiſtentis inhibeat, quamuis magis in orthopnœa, quàm in aſthmate id eueniat.

Immateriale verò vocant illud, quod per conſenſum à reliquis partibus prodit, nempe vel à toto, vt in febribus, & in hydrope, vel à parte aliqua, aut ſuperiori, aut inferiori; à ſuperiori quidem vt à capite, vel ſpinali medulla demandante neruos, & ſpiritus ad thoracem.

At nerui lædi poſſunt à varijs cauſis, vt in ceruice à luxatione, vel obſtructione, ita vt inhibeatur ferri ſpiritus ad muſculos thoracem mouentes, inter quos eſt diaphragma, quod inſpirationis eſt author.

Cæterum ab anguſtia pectoris, aut abſceſſu, vel vlcere, necnon à partibus internis, vt ab hepate, ſplene, & huiuſmodi fieri poteſt: ad dunt pręterea quandoque à ſiccitate pulmonum euenire, de quo Auicennas pertractauit cap. 39. tract. 2. f. 3. l. 3.

Rurſus aſthma per eſſentiam alias habere poteſt differentias, quandoquidē aliud eſt, quod à primo ſemine in matris vtero contractū fuit; aliud ex aliquo accidēti poſt ortū contingit, vel à pueritia aut iuuētute; aliud eſt antiquatum, aliud recens, quapropter accidit eſſe periodicum, & non periodicum, cum tamen aſthma, vt plurimū videatur periodicū, cuius periodi cauſa eſt materia à capite ad tracheam, vel ad pulmones ſtatutis quibuſdam temporibus fluens.

Vnde fit, vt aliquod intenſum, ſæuiter crucians ſit, & aliquod ita remiſſum, vt ægrotantem legere, ambulare, loqui æquitare, nauigare, atque ſimiles non admodum laborioſas actiones peragere permittat.

Quibus omnibus differentijs aſthmatis in medium allatis, ſolùm tractabimus de aſthmate materiali, ad quod orthopnœa reducitur, quæ & ipſa difficultas in ſignis eſt reſpirandi ſecundùm intenſionem ab aſthmate differens.

Quamuis autem omnibus ætatibus, habitibus, ac complexionibus is affectus euenire poſſit; nihilominus non omnes eodem modo ad ipſum recipiendū ſunt diſpoſiti; nam in ætatibus, ſeniores in aſthma, & orthopnœam faciliùs cadunt; in habitibus, gibbi, & illi, qui adſtricto ſunt pectore, qui longa, & tenui ceruice conſtant; in exercitijs deniq; illi, qui in fodinis argenti uiui, aut plumbi operantur, qui in diuidendis metallis fumum ſulphuris, nidorem picis, aut colophoniæ continuò attrahūt qui in cauernis degunt, vnde membra ſpiritalia putridis vaporibus repleri euenit, aut qui puluerem per os, & nares trahunt, tandem omnium maximè proni ſunt ad hunc affectum ſuſcipiendum illi, qui pituitoſam deſtillationem à capite in thoracem patiuntur.

## DE CAVSIS ASTHMATIS.

SEd tempeſtiuum eſt, vt videamus, quæ nam ſint cauſæ aſthmatis, atq; orthopnœæ, quę & ipſæ ad anteceden- tes,& coniunctas referuntur. Coniun- cta,quæ immediata, & proxima eſt, ex Galeno lib.4. de locis affectis cap.7. eſt humor craſſus, lentus, & pituitoſus re- plens tracheam, necnon ramos ipſius per pulmones ſparſos.

Notat Auicennas huiuſmodi humo- res non ſolùm in trachea, & ſuis ramis eſſe contentos,ſed etiam in propria ſub- ſtantia pulmonum, & poroſitatibus,ſeu locis vacuis.

Quid ſi diceremus materiam hanc poſſe eſſe contentam in alijs vaſis pul- monis, nempe in venis arterialibus,aut arterijs venalibus,vel in omnibus ſimul, quod annotatum fuit à Ioanne Arcula- no ſuper Raſis textum, qui teſtatur ſe id obſeruaſſe?

Scribit Hollerius in tractatu de mor- bis internis lib. 1. cap.23. in ſcholio ſe monachum quendam obſeruaſſe aſth- ma patientem, qui poſt obitum ſciſſus fuit, & in vena arteriali inuentus eſt ab- ſceſſus. Et in alio nomine Britio inuen ta eſt multa materia pituitoſa in ſubſtan tia pulmonum imbibita, quare cauſa aſthmatis eſt humor craſſus in brōchijs pulmonum, & in reliquis pulmonis par- tibus contentus replens,aut cōprimens.

Cæterùm alia additur cauſa, quæ huic correſpondet, nempe tuberculum in ſubſtantia pulmonum,aut in reliquis partibus contentum, vt Auicennas ad- uertit cap.4.2. tract. fen 3. lib.3.

Non deſunt, qui exiſtiment aſthma fieri poſſe à flatu in pulmonum cauitate incluſo, & contento in pectore. Verùm quando eſt in cauitate pectoris, prohi- bet inſpirationem quando in pulmone continetur,expirationem impedit.

Quare cauſa coniuncta eſt materia pituitoſa, craſſa, & lenta, tam in bron- chijs pulmonum, quàm in alijs vaſis, & ſubſtantia pulmonis, quæ in áſpera ar- A teria, atque ramis obſtructionem faci- ens impedit reſpirationem; in alijs verò partibus non obſtruendo, ſed compri- mendo actionem pulmonum lædit; eſt etiam flatus,materiaque faciens tumo- rem, quemadmodum apud Galenum 4. de locis affect. cap. 8. legitur de An- tipatro Medico.

Cauſæ verò, quæ has antecedunt, B in primis ſunt materia pituitoſa in toto corpore, & capite præſertim, quæ eſt parata ad fluendum in pulmones, vnde ſupra dictum eſt, eos, quibus materia deſcendit à capite in pulmones, eſſe pa- ratos ad aſthma, & orthopnœam reci- piendam.

At quidem Galenus, & Alexander Trallianus dixerunt obſeruaſſe ſe mate- riam duram grandinis in modum colle- C ctam, & alij addiderunt lapideam ma- teriam: ſed materiæ iſtæ à pituita tan- quam à propria minera fiunt reſolutis tenuibus partibus, & craſſioribus indu- ratis:hæc ſunt cauſæ internæ immedia- tæ, & mediatę, tam aſthmatis, quàm orthopnœæ.

Ex cauſis externis aliæ ſunt,quæ tales humores in corpore producunt, & aliæ hos genitos ad difficultatem reſpirandi D impellunt. Priores ſunt tam res natu- rales,quàm nonnaturales nobis neceſſa riò occurrentes, & non neceſſariò.

Naturales ſunt habitus corporis fri- gidus, & humidus, temperies frigida, ſexus etiam fœmineus, ventriculus fri- gidus humores crudos generans, caput frigidum, & humidum.

Nonnaturales ſunt ea, quæ aſſumun tur ore,vt alimenta ex paſta, caſeus, pi- E ſces,carnes craſſę,bubulę,panis azimus, aquæ potus nimius, & intempeſtiuus, crapulę nimię,cōpotationes,&cōuiuia.

Succedunt animi immoderatæ affe- ctiones, quæ calorem naturalem extin- guunt, aut debilitant, menſes ſuppreſ- ſi in mulieribus, vel aliqua alia expur- gatio retenta; vel res, quæ conſueue- rant

rant fieri non factæ,ſiue ad hæmorrhoides, ſiue ad cauteria clauſa ſpectent.

Extrinſecus aer frigidus, & humidus ſiue ſit ex anni conſtitutione, ſiue ex tempore, ſiue alio modo; iſtæ ſunt omnes cauſæ neceſſariæ occurrentes, non neceſſariæ verò ſunt vulnera, læſioneſque ad ſpinalem medullam attinentes.

## DE SIGNIS ASTHMATIS.

Symptomata alia ſunt, quæ diſtinguunt ſpecies,& differentias aſthmatis, alia quæ per eſſentiam, vel per conſenſum eſſe oſtendunt, & alia quæ cauſas manifeſtant.

Primò quando aliquis cogitur ſæpè reſpirationem repetere, citra tamen ſonum, & anhelationem, dicatis eſſe in diſpnœa, quæ accipitur pro prima ſpecie difficultatis reſpirationis, quamuis ſit genus ad omnem difficultatem reſpirandi.

Quando verò augetur denſitas, ſitq; adiuncta cum anhelatione, & (vt non-nulli aiunt) cum ſono,atque cantu aſperæ arteriç, iam adeſt aſthma,& vbi hæc difficultas adeo increſcat, vt ægrotantes nequeant niſi erecta ceruice reſpirare, & vel ſupini ſtent, aut decumbant, aut etiam quouis iaceant modo, videntur ſuffocari, iam ſunt in orthopnœa.

Id quidem iſtis contingit, quod euenit illis, qui diu, vehementerq; ſunt defatigati in motus thoracis neceſſitate, quamuis poſtea percipiatur ſonitus, & quaſi ſtertor ob nimiam vaſorum tracheæ anguſtiam, per quam flatus ex reſpiratione delatus humores contentos percutiens ſonum hunc facit.

Et quoniam quando iacent ægrotantes, vndequaque rami arteriæ comprimuntur; hinc eſt, quod ſtatim aſſurgũt, vt ex ceruice erecta ſimul trachea erigatur, & amplior fiat.

Quando pulmones conſentiunt parti alicui affectæ, ſtatim ex affectione illius partis cognoſcitũr, quemadmodũ vbi hepar læſum eſt, & inflammatum, ſtatim oritur difficultas reſpirandi, ablata læſione hepatis ceſſat, & pulmonum affectio, quod de hepate dictum eſt, de omnibus alijs partibus intelligi debet, quę affectæ in conſortium trahunt pulmones.

Quando verò fit per eſſentiam, res, mea quidem opinione, ad duo capita reducitur,ad materiam contentam in pulmonibus, & ad eam, quæ continuò à capite in ipſum fluit, & quamuis hæc dici poſſit affectio per conſenſum à capite, nihilominus quia tam ſæpè contingit ab hac fieri aſthma, videtur poſſe connumerari inter morbos pulmonis per eſſentiam.

Videamus igitur, quibus diſcernere poſſimus materiam contentam in pulmonibus, in qua quidem re peragenda, duo ſunt agnoſcenda; vnum eſt materiæ qualitas; aliud locus in quo continetur: materia,quę facit hanc difficultatẽ anhelandi,triplex eſt à nobis propoſita,videlicet humores craſſi, multiq; flatulenta materia, & etiam tuberculum, ſeu lapilli, aut materia lapillis ſimilis.

Loci affecti fuerunt trachea cum ſuis ramis, vena arterialis, & arteria venoſa: cæterum eſt parenchyma pulmonum, quod inter prædicta vaſa ſubſtrati, & propugnaculi in modum reperitur, magis tamen refert cognoſcere, quæ nam ſit materia faciẽs difficultatẽ, quàm locum determinatum, quia à cauſa materiali ſumitur indicatio medendi.

Galenus cap. 4. lib. 2. de locis affect. ſcriptum reliquit, quod quando cum ſtertore adeſt reſpirandi difficultas, ſignum eſt lentorum humorum copiam contentam eſſe in aſpera arteria, aut in ipſius bronchijs.

Auicennas x. 3. tract. 1. cap. 4. affert tria ſigna. Vnum eſt conſtrictio, quæ percipitur anhelitus; ſecundum eſt excreatio frequens, qua ęgrotus conatur per exufflationem materiam lædentem

propellere. Tertium, retentio materiæ, A quia quamuis aliquid expuant, tamen videtur illis ſemper materia permanere ad ex expellendum excitans.

Quartum ſequitur, quod eſt grauitas quædam in partibus thoracis percepta. Quintum illis apparet ſputum, quod excernunt, à propinquis locis, non autem ex profundo venire, cum autem materia contineatur in venis alijs, percipietur B præter grauitatem thoracis, motus (vt inquit Auicennas) in pulſu tremulus.

Si materia fuerit in ſubſtantia pulmonum, ſiue in cauitate thoracis, ægrotantes nullam habent tuſſiendi neceſſitatem; quando verò non eſt in prædictis partibus imbibita, ſed à capite fluat, aut à vicinis partibus in pulmonem irruat, fiet affectio breuiſſimo tempore; C at ſi fiat ex congeſtione, paulatim efficitur.

Sed in hoc conueniunt omnes huius viſceris affectiones aſthma proferentes, vt inquit Galenus præcitato loco, quod grauitatis ſenſum percipiant, & aliquando extenſionē quandam ad os pectoris, vel ad ſpinam peruenientem, & hoc contingit ratione membranæ, quæ totum pulmonem ambit. D

Cæterùm anguſtiam omnes percipiunt, ſed ſecundùm magis, & minus, hinc eſt, quod aliqui ſecundùm maiorem, aut minorem vehementiam reſpirare conantur. Hæc ſunt indicia, quibus humores craſſi comprehenduntur, atque eorum multitudo, cum alijs verò notas ſpeciei humorum peccantium habemus, vt quando eſt pituita, vel ſanguis, E aut alius humor, de quibus aliàs.

Quando verò quis per bonam valetudinem ſolitas actiones facere poteſt, & difficulter reſpirare cæperit, augeaturque accidens, atque inter ſpirandum ſtertere videatur, crudi tuberculi ortū ſuſpicari oportet, qualem Galenus in Antipatro medico venturum prædixit.

Ex flatu autem intus pulmones, aut capacitatem thoracis incluſo aſthma fieri facilè internoſcitur, ſi flatus adſunt indicia, quemadmodum eructationes ſunt, acceſſiones cito oriuntur, & citò remittuntur, prout flatus modò eleuatur, modò etiam reſoluitur.

Sed quoniam flatus ortum ducit à pituitoſis, & craſſis humoribus, tamquam ex propria minera, hinc eſt etiam, quod vbi flatus eſt, reperitur lentorum humorum copia, ſed à quacunque cauſa fiat aſthma, ægrotantium à principio nares acuuntur, ac progreſſu temporis magis acutæ apparent, cæterùm & genæ rubent.

Sed quoniam ab aliquibus obſeruatum eſt ab intemperie aliqua poſſe fieri aſthma; hæc verò vel calida, vel frigida, vel ſicca eſt; ſi à calida, tunc expiratio calida fuerit, ac vehemens, quod melius cap. de pulmonia audietis.

At ſi frigida, quemadmodum in ſenibus contingit, tunc Auicennas ait fieri paulatim, & tandem confirmari. Si autem fit à ſiccitate, ſitis aderit, & priuatio omnimoda ſputi.

Sed hæc ſatis ſint de ſignis dicta, quæ omnia ad tres materias prædictas, tanquam ad huius affectionis principaliores cauſas referuntur: venio ad prædictiones.

## DE FVTVRO EVENTV *aſthmatis.*

Gordonius libro de paſſionibus ſpiritualium partium particula 4. dicebat aſthma, & orthopnœam eſſe ægritudines chronicas, moueriq; paroxiſmaliter.

Bernardinus inquit medicum in prędicendo debere ſe cauere à vanis promiſſionibus; vult enim doctus hic author nos admonere, ne temere rariè procedamus, ſed omnia reſpiciamus, à quibus prædictiones verę, aut ſaltem veriſimiles exoriri conſueuerūt.

Ideo opus eſt in primis; vt cognoſcamus morbi vehementiam, compareműſq; cum virium robore, quia ſi magnitudo morbi ex æquo cum robore virium pugnet, tunc morbus diuturnus eſt exiſtimandus.

Si videatur non poſſe ſuperari à virtute, iam deplorandus eſt caſus; vnde quando percipitur anhelitus paruus,tardus, & frigidus,proxima eſt mors; & è contra, vbi virtus robuſta eſt, ſpes habebitur tandem ipſam eſſe morbum ſuperaturam.

Oportet igitur ætatem ęgrotantis reſpicere, & morbi tempus, an recens is ſit, an antiquatus; nam aſthma in decrepitis eſt incurabile, in iuuenibus difficile, in ſenibus verò difficillimè curatur.

Atqui ſi fuerit antiquatum omninò eſt incurabile, vnde prouerbium eſt, quod aſthma in catarrho è capite debili emanante ad tumulum vſq; ducit: hinc Hippocrates 5. aph. 46. in pueris conſiderãs aſthma antiquatum dicebat,eos, qui gibbi ex aſthmate, & tuſſi fiunt, ante pubertatem interire: vbi verò non ad gibboſitatem ducit pueros,tunc in mutatione ætatis, vt Meſues ait, ad ſanitatem perueniunt.

Ab accidentibus quoq; ſuperuenientibus poteſt futurus euentus prænuntiari; nam ſi ſyncope frequenter eueniat, de repente moriuntur.

Quando verò paroxiſmus vehemens eſt; vnde cauſa aliqua virtutem debilitans ſubſequatur, quemadmodum copioſus ſudor, vel vomitus, aut è naribus fluxus, aut medicamentum aliquod quod faciat magnam ſolutionem ventris, res in anguſto eſt, potiuſq; mors timenda, quàm ſit ſperanda ſalus. Sed & aſthma ex aliqua vertebrarum luxatione omninò eſt incurabile, ſæpeq; ad mortem ducit.

Sed vnum eſt notatione dignum, quod Meſues admonet, nempe mulieres rarò corripi aſthmate, quæ ſi corri-

A piantur, citiùs tamen ſanantur, ſed vt prognoſticis finem imponamus,animaduertendum eſt, quod quemadmodum morbus hic ſenibus eſt familiaris, ita familiariſſimus aduenit tempore hyemali, ſed iam curationem audire expedit.

### DE CVRATIONE ASTHMATIS, *per victus rationem.*

B IN curatione inſtituenda aſthmatis, & orthopnœæ neceſſe eſt reſpicere, an ſit in acceſſione, an verò extra acceſſionem, & rurſus vtrum humores in bronchijs pulmonum exiſtentes à capite defluant,an à vicinis partibus demandentur, & vtrum in ipſo pulmone generentur.

C Cæterum ſcire eſt opus, an tuberculum aliquod in pulmones reperiatur,an verò extra, hoc eſt in ſpina, vel vicinis partibus; nam in paroxiſmis alia ratione agendum eſt, quàm vbi extra paroxiſmum fuerit. Loquamur primò de aſthmate & orthopnœa, vt morbi ſunt, hoc eſt extra proxiſmum, deinde videbimus, quid facto opus ſit in paroxiſmo.

D Hic ſupponitur, humores præter naturam contentos eſſe in pulmonibus, & quicunq; illi ſint,ſiue redoleant naturam ſanguinis, aut pituitæ, vel alterius humoris, omni curandum eſt ingenio, vt in corpore non amplius generentur, & qui iam geniti ſunt in venis parati, vt ferantur ad pulmones, vel iam ſunt in pulmonibus infarcti, vt tollantur.

E Si primo modo, neceſſum eſt per victus rationem eorum generationem, vel ex toto amputare, vel ſaltem prohibere,ne tanta ipſorum copia generetur; nam quando ſanguis nimium copioſus eſt,confert, vt cibus diminuatur.

Vbi verò alij ſunt humores, tunc illis vtendum eſt cibis, qui boni ſunt ſucci, ſanguinemq; ſua ſubſtantia à prauis humoribus liberare valent; nam cum cibi ſint materia humorum, prout cibi

ingeruntur, tales ſiunt in corpore hu-
mores, ſed huiuſmodi cibi adiunctam
habent quandoque medicamentoſam
facultatem, quæ indicatur à morbo, &
cauſa ipſius.

Cum igitur humores pituitoſi,&craſſi in pulmone ſupponantur eſſe, cibus, & potus ſit attenuans, & qui exiccandi facultatem habeat. Vnde Auicennas panem ex optima farina factum, & probè coctum cum cymino, & ſeminibus aniſorum fermentatum laudat. Meſues addit carthamum, nigellam, fœniculum, naſturtium, & huiuſmodi.

Carnes, quibus veſci tales ægrotantes oportet, ſint inter volatilia illæ pullorum gallinarum, caponum, attagenum, perdicum, & huiuſmodi. Inter quadrupeda ab eodem Meſue commendantur tenellæ carnes, nempe ex leporibus iuuenibus, & capreolis, & cum alijs probat carnes vulpis, herinacei terreſtris, cerui, & his ſimilium.

Probantur etiam ſorbitiones ex iuſculis harum carnium factæ, quæ aluum lubricam ſeruare poſſunt: iuſcula ex hordeo, ciceribus rubris, & nigris, & amygdalis ab eodem Meſue maximè commendantur.

Sed ius galli antiqui ab Auicenna cæteris iuſculis anteponitur, quod loco alimenti ſit, & medicamenti, vt paulò inferiùs intelligetis. Ius caulium valet, Auicennas pulmonem vulpis,& hericij, vt nutrimentum, & medicamentum ſummè probat,& Meſues omnium prædictorum animalium cõmendat pulmones. Hiſce carnibus ad nutriendos ægrotantes vtendum eſt, modò elixis, modò aſſatis, mane præſertim elixis; veſperi verò aſſatis, quamuis ſit longè melius cœnam eſſe abſque carnibus, quare in hoc caſu ſorbilia oua optima ſunt, nec non & tremula.

Inter carnes piſcium ſaxatiles, fluuiatileſq; ab Auicenna præferuntur: maritimiq; ex vino generoſo cocti itidem conceduntur.

A Sed vnum addit Auicennas; nempe quandoq; linguam arietis ponendam in cibis habentium aſthma: at dubium videtur, quid pro arietis lingua velit; nam ſi animalis illius linguam intelligit, id à nobis tanquam arcanum quoddam habendum eſt, quia nemo, quem viderim, ſcribit linguam arietis habere facultatē aduerſus aſthmaticos.

B Aliqui exiſtimant voluiſſe hoc loci Auicennam intelligere herbam illam, quam arnogloſſum vocant, quæ etſi ſtipticitatis aliquid habeat, nihilominus facultatem cõtinet aliquam abſtergendi, ideoque eam ebullire fortaſſe voluit, vt inde leuis quædam ex ipſa abſterſio pulmonibus fieret.

C Legumina. & quæcumq; flatum, & humores craſſos generare poſſunt, omninò euitanda veniunt, quemadmodum lagana, & alia ex paſta facta, denique omnia, quæ ſunt duræ digeſtionis, vt eſt ſuilla caro, bubula, anatina, anſerina, & omnium volucrum paluſtrium, oua dura, & frixa, caſeus antiquus, piſces, & vt vno concludam verbo, omnia ſunt fugiendi, quæ duræ ſint ſubſtantiæ, & craſſi ſucci.

D Sed huiuſmodi ęgrotantes non ſemper decumbunt in lecto, ideo non poſſumus ſemper eos arcere ab oleribus, aut fructibus, quia multi ſunt, qui carnibus non delectantur, quare inter olera concedere poteritis borraginem, fœniculum, aſparagum, origanum, atriplicem, blitum, raphanum, ſynapi, cappares.

E Ex fructibus probantur caricę, dactyli, paſſulæ, vua penſilis, piſtacia, mixaria, iujubæ, pruna damaſcena, auellanæ, ſed quæ aſſatæ ſint, amygdalæ tam dulces, quàm amaræ, nuclei pini aqua calida abluti, inde in aquam roſaceã per totam noctem infuſi cum modico ſacchari: abſtinendum eſt illis à cæteris fructibus, præcipuè ab acribus, vt ſunt allia, cepæ, porri, & huiuſmodi; ab acerbis, & ponticis, vt ſunt cotonia, py-

ra,

ra, ſorba, meſpila, azarolæ, & huiuſmodi.

Flatulenta quoque euitanda ſunt, vt caſtaneæ, nuces iuglandes, quæ quamuis flatum, vt caſtaneæ non faciant, caput tamen petunt. Auicennas propterea iubebat cap. de tuſſi, adurendam nucem cum cortice, vt fortè ex illa adustione vis illa petendi caput tollere-tur.

Horarij fructus, vt ceraſa, perſica, ficus, & vuæ recentes, mora, pruna, ſuſpecta omninò ſunt, quamuis damaſcena pruna perfectè matura non ſint dene ganda, ſi cum moderatione accipiantur: hæc eſt victus ratio per cibum, in quo concedendo Meſues admonet ſaturitatem tamquam malam euitandam eſſe.

De potu.

Quia ſupponimus affectum ſine febre, ideo ex conſilio Auicennæ, & Meſuei vinum conceditur, quod amabile ſit, videlicet dulce, album, tenue, & vnius anni, ſed in pauca quantitate aſſumptum.

Meſues hydromel tamquam potum conuenientem huic affectioni cōmendat, & ratio eſt, quia habet facultatem materiam expectorandi, quod eſt id, quod maximè, & præcipuè in huiuſmodi affectione requiritur.

Et hinc eſt, quod Auicennas dicebat aliquid eſſe vino dulci addendum, quod ſubtiliatiuum ſit, vt ad pulmones ipſum faciliùs ducere valeat, quia vt ex Galeno aliàs oſtendi vobis, vinum dulce ſæpè eſt craſſarum partium, quo nomine materiam expellit, quam in tenuibus vaſis pulmonum reperit, ſed opus habet aliquo vehiculo, quod ipſum ad pulmones ducat.

Vinum craſſum, auſterum, fumoſumque eſt euitandum, quodcumque ſit ſiue album, ſiue nigrum.

Sed in vino his ægrotis concedendo admonet ex conſilio Auicennæ Dominicus Leo, ab aſſumpto ſtatim cibo

A non eſſe potandum: huius dicti reddenś rationem, id eſt (inquit) ne cibus incoctus fluctuans in ventriculo, augeat humorem pituitoſum, vel ad partes pectoris per refudationem deducat, eaſque comprimat.

Sed hæc mihi non videtur mens principis, quia verba ipſius ſunt (& oportet, vt elongent inter cibum, & potum, & non ſatientur ex aqua ſubito, imò plu-

B ribus vicibus) ſententia itaque talis eſſe oportet, vt dum aſthmatici cibum aſſumunt, non debent ſtatim poſt cibi aſſumptionem potum addere, ſed intermittere aliquod temporis ſpatium.

Id eſt; non debent ſtatim poſt deglutitionem potum capere, ſed permittere, vt cibus deorſum ad fundum ventriculi perueniat, vbi eſt materia potulenta, in qua tamquam in humido debet fieri

C coctio ventriculi; quia ſi dum deorſum deſcendit cibus, addatur potus, poterit eſſe, vt per diapedeſim ab œſophago ad tracheam feratur aliqua portio cibi ſimul cum potulenta materia, vnde periculum eſſet, ne humor craſſus in bronchijs contentus augeretur, nec tam facilè cum potu adaptari poſſet cibus in fundo ventriculi.

D Quare Auicennas voluiſſe videtur, vt poſt aſſumptum, & maſticatum cibū fiat quædam interpoſitio. Dum addit, ſtatim non eſſe ægrotantes replendos, ſeu ſatiādos aqua, ſed pluribus vicibus, hoc eſt, non debere vnico hauſtu multum aquę bibere, ſed per plures vices potum repetere, non videtur ad propoſitum, quia cum vinum laudaſſet ſimul cum ſyrupo mellis, tanquam illius ve-

E hiculo, vt inde lenificatio, & abſterſio ex hac mixtione fieri poſſet in pulmone, ſtatim prædictam ſententiam adnectit, quare ſolùm præcipit in potando vino inter cibum, & potum interponendum eſſe aliquod tempus.

Aquæ deinde potum conſiderans, quaſi per comparationem ad potum vini admonet nos, quod quando ægrotan-

tantes aquam bibunt, quamuis ſitiant, non debent tantum haurire vnica vice, vt ſatiare poſſint bibendi appetitum, ſed opus eſt, vt eam per plures vices repetant, ita vt videatur hac breui, & conciſa ſententia docere nos modum concedendi vinum, & aquam ipſis aſthmaticis.

Hoc eſt, quod dum comedunt ægrotantes, volentes vinum bibere, vt paulum temporis intermittant poſt deglutitionem cibi, & dum vtuntur aqua, ſi vinum concedatur, non debent ſtatim vnico hauſtu aqua ſe ſatiare, ſed paulatim quaſi per plures vices repoſitas, ita vt non prohibeat potum vini vnico hauſtu, ſed aquę: at quæ eſt huius diuerſitatis ratio?

An dicendum ſit concedere Auicennam vnico hauſtu vinum bibendum eſſe, quia ex aſſiduo illo deſcenſu aliquid tranſudat in traheam, ac inde abſterſio, & lenificatio humoris craſſi in bronchijs contenti reſultat, quod in aquæ potu non contingit ob contrariam cauſam? & an ſenſim aquam vult eſſe repetendam, vt ex ipſius repetitione ſitis in ventriculo adaucta, ad ventriculum tota attrahatur, ex qua fieri poſſit maior humoris incraſſatio?

Hanc ſententiam videntur confirmare Raſis verba, quæ à Domenico Leone afferuntur, nempe potus ſupra cibum ijs eſt malus, quare oportet, vt expectetur diu ſupra cibum, deinde bibat parum hora poſt horam, in potu tam vini, quàm aquæ non eſt bonum ſtatim ſupra cibum addere potum.

In hoc Raſis conuenit cum Auicenna, ſed nullam facit inter vini, & aquæ potum differentiam, quemadmodum Auicennas. Nec putetis voluiſſe Raſim expectandam eſſe horam determinatã, ſed definiuit tempus per horam, vt oſtendat eſſe immorandum poſt cibum aſſumptum, nec ſtatim addendum eſſe potum ob rationes prædictas.

Ex quo etiam loco colligere poſſumus, melius eſſe vinum ægrotis huiuſmodi concedere, quàm aquam: at quod verum ſit mentem Auicennæ eſſe loqui de ægrotantium potu, dum ſunt in actu comeſtionis, ſiue ipſi prandeant, ſiue cœnent, ex verbis, quæ paulò infra ipſe affert, manifeſtiſſimum redditur; ea autem ſunt: & vt vitent potare poſt cibum, ſiue ſit aqua, ſiue vinum, quia inhibet apertè eſſe ab aſſumpto cibo omne genus potus euitandum.

## De ſomno.

In ſomno moderatè ſe gerere debent aſthmatici, ſed ex Auicennæ, & Meſuæ ſententia, ſomnus diurnus, & ab aſſumpto cibo eſt euitaudus, tanquam maximè nocuus, quia ſi nondum cibus in fundo ventriculi benè ſit accommodatus, inde eleuantur vapores in caput, qui denſati denuò in pulmones cadunt affectum augentes.

Verùm quamuis ſomnus ſit nocuus, nihilominus in duobus caſibus Auicennas docet non eſſe abs re modicè eum concedere, diu poſt cibi aſſumptionem, aut quando incidunt ægrotantes in virium laſſitudinem, aut in aliquam ex faſtidio caliditatem; tunc enim ad vires raſtaurandas, vt ſomnum capiant permittendum eſt.

Meſues admonet, ne in dormiendo iaceant, ſed ſitum ſeruent talem, vt ſedere videantur, ſed hæc animaduerſio, intelligenda eſt de orthophoicis magis, quàm de aſthmaticir.

Eſſet preterea hoc loci inquirendum, num liceat quandoque meridiari, ſed aliàs, Deo dante, hanc examinabimus quæſtionem; nunc ſatis eſt intellexiſſe ſomnum diurnum, & diuturnum non conuenire præſenti affectui.

## De exercitio.

Exercitium moderatum eſſe oportet, quod, vt inquit Meſues, ſit cum gradatione, hoc eſt à tardo ad velocem, ex paruo ad magnum, ſed ieiuno ventriculo.

Confert quandoque per loca decliuia,

uia, & arenoſa deambulare; prodeſt & leuis quædam, ſed breuis nauigatio; quemadmodum etiam confertvehi curru. Membra ſpiritualia ſunt etiam exercenda, ideo clamores, vociferationeſq; moderatę prodeſſe poſſunt.

Vnde Celſus inter alia corporis moderata exercitia reponebat claram locutionem: iuuant & frictiones ſiccæ cum panno aſpero per totum corpus: conſert & aliquando caput pectine confricare.

Sed ſi virtus non multum conſtet, non eſt corpus exercitijs exponendum, verùm frictiones fiant pannis ſuffumigatis ex gallia muſcata, ligno aloe, ambaro, cinnamomo, vel pannis humectis in vino maluatico, aut decocto, ex caryophyllis, maci, ſpica, polio, & ſimilibus, cum hac tamen cautela, vt panni non ſint nimium humecti, ne fiat in poris cutis obſtructio: cauenda etiam eſt nimia quies.

Auicennas prohibet balneum, & maximè poſt cibum. Cæterùm animi vehementes affectiones ſunt fugiendę, ſed quemadmodum iſtæ faciunt nocumentum, ita quoque & iucunda confe runt.

Quod ad inanitionē ſpectat, opus eſt, vt conſuetam alui deiectionem habeat, quæ ſi adſtringatur, tunc potionibus laxantibus vtendum eſt, & clyſteribus. Meſues commendat aquam hordei cum iridis puluere, vel epithymi decoctum cum melle: placet mihi, vt iuſculum aliquod pulli cum ſaccharo rubeo per quatuor horas ante prandium accipiāt, vel etiam modicum tartari ſubtiliter pulueriżati.

Clyſteres ſunt omnis generis, qui affectui huic conueniunt pro diuerſitate peccantis humoris, ſed præſertim illi ſunt adminiſtrandi, qui aluum emolliendi facultatem habent, vt huiuſmodi eſt.

℞. fol. maluæ,
Altheę,
Bliti, ana manip.j.
Rad. althææ.
Enulæ camp. ana vnc.j.
Sem. dauci,
Anethi, ana drach.ij.
Bulliant ſecundùm artem,
℞. huius decocti q. ſ. & fiat clyſter.

Sed iam ad curam per pharmaciam accedamus.

## DE CVRATIONE ASTHMATIS per Pharmaciam.

CVratio, quę huic conuenit per pharmaciam, ſi qua alia profectò difficilis, & laborioſa eſt, quæ inſtitui debet pro humoris peccantis, in pulmonum ſubſtantia contenti qualitate.

Sed quia frequenter contingit eſſe humores craſſos, & lentos impactos in bronchijs pulmonum, ideo curationem ipſorum in primis aggrediemur medicamentis, quæ talia eſſe debent, vt Galenus ait lib. 7. de comp. med. per loca cap. 6.

Vt ſcilicet attenuandi, & exiccandi facultatem habeant; at quoniam talia medicamenta neceſſariò quidem tuſſim mouent, nec facilè per ſputum id, quod ab ipſis abſterſum eſt, ob craſſitudinē reijciatur, ea propter humectatione opus habent, quo faciliùs efferatur, verùm, vt Galenus author eſt, etiam deterſione quadam ab humidis ſuccis facta egent.

Ex quo quidem Galeni loco facilè conijcere poſſumus medicamenta, quæ ad abſtergendos pulmones præparamus debere eſſe in forma potabili, & in mediocri quantitate, vt inde, quod abſterſum eſt, ab illis extrapelli poſſit, ſed antequam hos humores, qui cauſæ coniunctæ rationem habent, efferantur, oportet medicamenta quædam præmittere, quæ habeant facultatem humores in corpore, nempe cauſam antecedentem, præparandi. In his apta ſunt.

Syrupus de hyſſopo,

Liquiritia,
Praſſio,
Farfara,
Capillorum veneris,
Aquæ farfaræ,
Decoctio althææ, fœnugræci, & paſſularum, in quibus præparandis non modò duplicanda eſt doſis aquarum, ſed addendum aliquid ſupra, vt
℞. ſyr. de praſſio
Farfara
Aquæ farfaræ
Capillorum veneris, ana vnc.iij.

Fiat ſyrupus, quo vti poteſtis ſingulo mane in aurora, quouſq; præparata materia ſit.

Benedictus Victorius in ſua empirica proponit hunc ſyrupum magiſtralem ita compoſitum.

℞. radicum enulę campanæ,
Hyſſopi,
Fœniculi, ana vnc.j,
Iuiubarum,
Sebeſten, ana num.x.
Glycyrrhizæ,
Paſſularum enucleatarum, ana vnc.ſſ.
Capillorum veneris,
Vngulæ caballinæ, ana pug.j.
Aniſorum præparat. drach.ij.
Seminum carthami, vnc.ſſ.

Bulliant in ſ. q. aquæ fontis, vſque ad conſumptionem medietatis, colentur, & colaturæ adde.

Amyli,
Penidiarum, ana vnc.j.
Pulmonis vulp. præpaparati, vnc. j.ſſ.

Miſce, & iterum bulliant vnica, & leui ebullitione, deinde colentur, & cum ſaccharo, vel melle q. ſ. fiat ſyrupus ſ. a.

De quo æger bis in die capiat, in aurora, nempe ante prandium per quatuor horas, deinde per ſpatium octo horarum poſt prandium, & quatuor ante cœnam: eſto doſis ad vnc.viij. hac facta diuiſione, vt ſyrupus ſit ad vncias duas, aquæ capillorũ veneris, hyſſopi, vngulę

A caballinæ, ana vncias duas.

In hoc caſu Victorius ponit ſolummodo aquarum vncias tres, quem non poſſum laudare, cum opus ſit, vt quantitas aquæ augeatur magis, quàm in multis alijs affectibus, vt audiuiſtis, ad hoc vt quidquid à virtute medicamenti abſterſiua fuerit à parietibus ſeparatum, poſſit humiditate expelli.

B Vbi præparatus humor fuerit, tunc conſilium eſt ipſum è corpore aliquo pharmaco educere; ſed cum animaduerſione ab Auicenna facta circa medicamenta ſolutiua, quæ eſt, quod in caſu propoſito, medicamentum validum eſſe debeat, & hinc eſt fortaſſe, cur nulli, aut pauciſſimi noſtra ætate ſanantur, quod medicamenta benigna ſolùm adhibeamus, quę non educunt perfectè

C id, quod peccat.

Auicennas commendat opopanacē, & pulpam colocynthidos ſingulorum drach. ſſ. & cum aqua mellis exhibet. Galen. proponit elaterium 7. de comp. med. cap. vltimo, & ex eo format paſtillos ad hunc modum.

℞. elaterij grana xv.
Salis, drach. ſſ.
Sinapi, drach.j.

D Miſce, fiant paſtilli numero 8. præbe alternis diebus paſtillum vnum, in quo ſunt grana duo elaterij, ita vt elaterium non ſolùm hydropicis, ſed aſthmaticis probatur à Galeno; ſinapi enim attenuat pituitam, ſal exiccat, elaterium extra corpus ducit.

Plura ſunt, quæ noſtris temporibus in vſum reuocantur, quemadmodum

E manna, caſſia, agaricum, epithymum, polypodium, carthamum, colocynthis, elaterium, & ferè omnes hierę, pilulæ de agarico, cochiæ, fœtidæ, & huiuſmodi, at placent mihi hæc medicamenta, primò.

In forma potus.

℞. glycyrrhizæ raſæ, & mundæ,
Paſſularum enucleatarum, ana vnc. ſemis.

Iu-

ſuiubarum,
Sebeſten, ana num.x.
Radicum farfaræ, drach. ij.
Bulliant in ſ. q. aquę fontis puriſſimæ, colentur, & cùm colatura diſſolue.
Mannæ electæ fortis, vnc. iiij.
Elect. de dactylis. drach. ij.
Miſce, & fiat potus.

In forma pilulari.

℞. agarici trochiſcati
Pilularum cochiarum, ana drach. j.
Cum ſucco de liquiritia fiant pilulæ numero vij. exhibeantur in aurora. Deinde tranſactis duabus horis aſſumat æger ſyr. roſ. ſol. vnc. vj.

In forma boli.

℞. diacatholici,
Diacarthami,
Diaturbith.
Diaphœnici.
Facta purgatione vel vno, vel altero medicamento, operępretium eſt vti aliquibus præſidijs, quæ habeant facultatem expectorandi materiam craſſam tam in aſthmate, quàm in orthopnœa, quod habetur facilè ex huiuſmodi pilulis.

℞. ſpec. diatrag. frigidi,
Penidiarum, ana vnc. ſſ.
Succi glycyrrhizę, drach. iij.
Zingiberis, ſcrup. ij.
Ireos, ſcrup. j.
Sem. vrticæ
Hyſſopi,
Goſſipij, ana ſcrup. ſſ.
Floris roſmarini,
Croci orientalis,
Sulphuris depurati, ana g. vij.
Cum aqua farfaræ fiat maſſa: doſis ſit ad drach. ij.

Deinde probo ius galli antiqui quatuor annorum, aut trium ad minus, quē debetis per tempus flagellis percutere, quouſq; excandeſcat, ac multum ſit defatigatus; deinde detruncato capite curate, vt deplumetur nullo madefactus humore, mox à viſceribus omnibus perfectè mundate, generoſo vino totū abluite, ac moderatè ſale condite, tandem hæc omnia præparentur.

℞. ſeminum carthami, vnc. iij.
Aniſorum,
Anethi, ana vnc. ſſ.
Radicum enulæ,
Hyſſopi,
Praſſij, ana vnc. ſſ.
Glycyrrhizæ mundæ,
Paſſularum enucleatarum, ana drachm. vj.
Tartari albi, vnc. j. ſſ.
Pulmonis vulpis triti, drach. ij. vel vnc. ſſ.
Omnia craſſo modo contundantur, deinde accipite aquæ fontis puriſſimæ ad libras triginta, & bulliant omnia vſque ad perfectam galli decoctionem, quoad caro ipſius ab oſſibus tota ſeparetur, inde exprimatur oſſibus abiectis, coleturq; expreſſum, aeri exponatur, vſq; dū pars clara à turbida ſeparetur, claramq; partem in alio vaſe ad vſum reſeruate, qua vti debetis loco ſyrupi hoc modo.

℞. iuris clari vnc. vj.
Oxymel. ſ. vnc. j.
Offerte ægrotanti ſummo mane calidum, & tempore veſpertino; ex alia parte turbida faciatis clyſterem in hunc modum.

℞. partis iuris turbidi libram. j.
Vitelli oui num. j.
Hieræ ſimpl. Galeni, drach. vj.
Olei communis, vnc. iij.
Sacchari rubri, vnc. j. ſſ.
Salis communis, drach. ij.
Fiat clyſter: quę ratio curandi in hunc modum fieri debet per ſpatium octo dierum, ex qua ſperare licet ſaltem per aliquot menſes moderatam quieté habiturum ægrotantem. Habetis medicamentum hoc à Benedicto Victorio in ſua empirica, quod apud Bononienſes, & Patauinos medicos in communi eſt vſu.

Non improbarem etiam ſimul cum prę-

prædictis rebus addere ſalſam parillam, radicem chinæ ad vnc.ij.vel decoctum ex china, aut ſalſa: ſæpè etiam obſeruatum eſt conferre ligni ſancti decoctum.

Cæterum ego non raró obſeruaui his affectibus mirificè conferre aquam thermalem; quæ ſit ex ſulphurea minera, proinde probarem illam, quæ in Ciuitate Saccæ reperitur: & fortè illa, quæ in Meſſanenſi agro naſcitur, in loco vocato Alì, non eſſet inutilis, cum audiã ipſam ex ſulphurea minera prodire: hæc eſt medendi methodus vniuerſalis, quæ huic effectui conuenit. Si cupitis plura medicamenta, conſulite Meſuem, inter recentiores Rondeletium, Dominicum Leonem, & alios.

Verùm dum per victus rationem, & per pharmaciam curentur ægrotantes, nonnulla etiam exhibentur medicamenta, quæ expectorantia vocantur, quæ à pectore per tracheam in os deducunt materiam, à quibus nunquam deſiſtendum eſt.

At moderatione quadam ijs vti oportet, vnde Auicennas 4. lib. fen. x. 3. tract. primi ſcribit, hæc medicamenta ſæpè mutanda eſſe, nec ſemper idem continuò exhibendum, ne ex longo vſu natura illi aſſueſcat, eoque non vt medicamento, ſed vt alimento fruatur.

Vnum addit, quod obſeruandum in praxi eſſet, nempe dari quaſdam proportiones inter medicamenta, & corpora, quæ ſciri certè nequeunt, niſi experimento, & huiuſmodi conditiones non modò in exhibendis hiſce medicamentis, ſed & in omnibus ſolitiuis ſunt diligenter à medico inquirendę.

Reperiuntur enim aliqui, qui renuũt medicamenta in forma boli, alij è contra hiſce delectantur; alijs dulcia, alijs contra amara placent, & quod magis eſt, comperietis aliquos antipathiam talem habere contra quædam medicamenta, vt nomen ipſorum perferre nequeant, & ego cognoui aliquos caſſiam vt venenum abhorrere, quare in medi-

A camentis exhibendis, medicus cautè procedere debet.

Circa igitur expectorantia ita ſe gerat, vt vnum præſcribat, eoque vtatur, quouſque agnoſcat adeſſe iuuamentum inſigne; deinde ad alia ſe conferat, prout opus ægrotanti fore iudicabit, & quamuis vt plurimùm prædicta medicamenta ſint ſub forma eclegmatum, ſeu, vt aiunt lambitiuorum, quæ in ore detineri de-

B bent, quemadmodum cap. de tuſſi à nobis dictum eſt, nihilominus placet illud, quod Iacobus de Partibus tanquã à ſe ſæpiſſimè vſitatum probat.

Illud autem conſtat ex pulmone vulpis in puluere redacto ad drach.ij. aqua mellis ad vnc.v. quod poteſt vnica vice loco ſyrupi concedi, aut paulatim in ore detineri, quouſq; deorſum ad œſo-

C phagum feratur.

Omnes ſcriptores tam Græci, quàm Arabes, & Latini, aſſerunt, quod pulmones vulpium occulta qualitate hiſce affectibus conferunt; vnde etiam ab omnibus commendatur loch de pulmone vulpis, loch de pino, loch de farfara, loch, quod ſanum, & expertum dicitur.

Succus braſſicæ à neotericis commendatur, ex quo etiam loch de cauli-

D bus componunt, loch de allio Meſuei; etiam valet loch de ſcylla; poteſt præterea parari eclegma ex ſyrupo de praſſio, oxymelle ſimplici, ſyrupo de liquiritia, marrubio, mulſa, & huiuſmodi alijs.

Nicolaus Monardes in libro de vſu medendi ex medijs allatorum, ſcribit maximè in vſu eſſe herbam illam, quam tabacch appellant, ex qua non modò ſyrupi, ſed etiam ſuffumigia pro affectibus

E pectoris pulmonum fęlici cum ſucceſſu fiunt.

Curate itaque, vt accipiantur folia ipſius tabacch, quæ decoquantnr, cumque decoctione, & ſaccharo q.ſ. fiat ſyrupus, ex quo duæ vnciæ, cum quatuor vncijs aquę ex hordeo factæ admiſcentur, & ægroto offerantur, vt paulatim in ore detineat, ac deorſum quaſi labens

de

do cadere ad gulam permittit.

Præparat etiam ſyrupus, qui loco eclegmatis in ore detinetur, maximamque habet expectorandi facultatem; conficit ipſum hunc in modum.

℞. radicum helenij,
Polypodij quercini, ana vnc.ij.
Paſſularum corinthiarum, vnc.ſſ.
Sebeſten, num.xv.
Farfaræ,
Pulmonariæ,
Satureiæ,
Calamenthi, ana manip.j.
Tabacchi folium magnum,
Liquiritiæ raſæ, drach.ij.
Seminum vrticæ,
Goſſipij, ana drach.j. ſſ.

Coquantur in mulſa dilutiſſima ſecundùm artem, & cum ſaccharo q.ſ. fiat ſyrupus, cuius ad modum eclegmatis ægrotus ſemper aliquid in ore detineat.

Non improbarem ſyrupum illum ex tabaccho ſimul cum aliquot guttulis olei ex ſulphure arte chimica extracti.

Galenus 4. de locis affectis cap. 8. aſthmaticorum meminit, in quibus humores erant adeo exiccati, vt omninò condenſarentur. Alexander Trallianus lib. 5. cap. 4. quendam agnouit, qui calculum leuem expuit, quem curaſſe ſcribit victu humectante, ac refrigerante, etiamſi eſſet tenuis habitus ad tabem maximè propenſus.

Ibique Galenum reprehendere aggreditur, quòd loco præcitato aliquem notaſſe ſcribat expuentem ſputum bilioſo colore affectum, deinde & alium grandinoſa corpora per ſputum reicientem, refrigerantibus tamen nunquam vſus fuiſſet, ſed potius calefacientibus, & exiccantibus, vt eſt confectio mithridatica, athanaſia, & theriaca.

Addit Alexander plures enumeraſſe hac via curatos, omnes morte interfectos. Hanc reprehenſionem vidit Chriſtophorus Aueiga 3. de arte medendi cap. 2. eamq; in hunc modum conciliat dicens Galeni methodum eſſe vtilem,

A & dogmaticam, quamuis Alexandri damnanda non ſit, quæ per ſe valet.

Sed huiuſmodi reſponſio non vendicat Galenũ à Trallianica reprehenſione, quia ſi verum eſt Galenum curaſſe prædictos medicamentis exiccantibus, & calefacientibus, tantum abeſt, vt via methodica inceſſerit, vt potiùs contrarium fecerit, quia quę calida ſunt, veniunt refrigeranda, quemadmodum ille erat rei

B ci[illegible]s bilioſum ſputum, deinde quæ exiccata ſunt, veniunt humectanda, at Galenus palam fatetur ob pituitæ exiccationem grandines in pulmonibus eius fuiſſe, merito igitur Alexander Galenum reprehendit.

Quare ſi vtilis eſt curatio Alexandrina, erit Galeni inutilis, cum prorſus illi ſit contraria: ſed, qui caput illud Galeni legit addiſcendi, non altercandi cau

C ſa, faciłè agnoſcere poterit, Alexandrũ Galenicæ gloriæ eſſe inuidum, vel ſaltem æmulum.

Nam eo loci trium in primis ægrotantium mentionem facit, vnus erat humorem expuens liquidæ bili perquam ſimilem, qui oborta febre, parulenta expuit, ſpatioque menſium quatuor tabidus interijt.

D Secundus ſex menſium ſpatio non diſſimilem paſſus eſt affectionem. Tertius verò diutius laborauit. Primus à Galeno curatus minimè fuit; ſed ſecundus, & tertius præſentaneo, vt ait, medicamento; quodnam autem ſitiſtud medicamentum, ex hoc loco non colligitur.

Sed dum agnouit tertium expuere pulmonum partes, exiſtimauit ea ratio-

E ne à putrefactione eſſe affectos, vt in extremis partibus ſæpè conſpicitur; ſed partes exteriores licet inurere, atque medicamenta illis applicare, quæ inhibeant puttedinem, quorum nullum pulmonibus adhibere conceditur, hinc, eſt, quod neceſſe ſit eos periclitari.

Cùm igitur hanc affectionem obſeruaſſet Galenus in his ægrotantibus, to-

eam curationem, animumque conuertit ad validam exiccationem: vnde odoribus gratis,& potionibus exiccantibus vſus eſt,ad quam etiam intĕtionem propinauit mithridatium, athanaſiam,ambroſiam, & theriacam; & quamuis ipſe perierit, fuit tamen rectè curatus, ſed propter morbi vehementiam obijt.

Ille verò, qui grandinem expuebat, non fuit à Galeno his medicamentis curatus, ſed medicamento, quod aſthmaticis conuenit. Sunt autē aſthmatica medicamenta diuerſi generis, vt ſupra vidimus, ſed quodnam ex ijs à Galeno fuerit applicatum, non declaratur.

Ex his igitur vnuſquiſque veſtrum videre poteſt, quàm inſulsè, & præter rationem ab Alexandro Galenus reprehendatur; nam in vno vſus eſt prædictis medicamentis, vt pulmones putridos exiccaret, in alio verò expuente grandinem ijſdem medicamentis minimè pugnauit Galenus.

Quare illi, qui vſum prædictorum medicamentorum indifferenter in aſthmate adhibent, quemadmodum ferè omnes faciunt, Galeni methodum non ſequuntur, ex quo diſcurſu apparere poteſt Alexandrum nihil aduerſus Galenum habere.

Idemmet 7. de comp. med. penult, cap. proponit medicamentum ex animalculis illis, quæ ſub hydrijs aquæ reperiūtur, millepedæ ab aliquibus dictæ, quæ comburuntur,& in puluerem redactæ cum melle decocto mane ante prandium deglutiuntur ad drach. j. ij. vel iij.

Ioannes Schenkius libro 2. ſuarum obſeruationum ſcribit: huiuſmodi animalia in vino macerato (in panno lineo reuoluta) deinde colato vinum, quod ſi potui detur, mirabilem facit in pulmonibus humoris craſſi abſterſionem.

Io. Zechius in ſuis conſultationibus medicis conſu'.37.tale proponit medicamentum, quod non modò pulmones ab humoribus craſſis euacuat, eoſque

A exiccat, verùm etiam caput roborat.

℞. conſeruæ bettonicæ,
Anthos. ana drach.ij.
Pulu. glycyrrhizæ,
Pulmonis vulp. præpar.
Boli armeniæ, ana ſcrup.j.
Cum ſyrupo de hyſſopo q.ſ. fiat electuarium.

Hollerius pulcherrimum ſanè medicamentum proponit, & eſt, quod accipiatur tabella ex diatragacantho facta, B quæ guttulis aliquot olei ſaluiæ, aut aniſi, vel roſmarini arte chimica extracti, irrorata affert præſentaneum remedium.

Addo vobis aliud remedium, veluti ſecretum admirabile, quod eſt, vt curetis habere pulmonem vulpis, quem volo, vt in clibano exiccetis, cauentes ne comburatur, ipſumque in puluerem re- C ducatis.

Huius pulueris accipite drach.ſſ. cum vitello oui per duas, aut tres vices, ita vt oui luteus ſimul cum puluere deglutiatur, ex quo videbitis ſpatio trium dierum ægrotantem facilem habere reſpirationem.

Cardanus in conſilio de ſpirandi difficultate ſcribit crocum eſſe animam pulmonum, pluresque ſolo vſu ipſius ſe D liberaſſe anhelosos gloriatur, ideo aliqui ſunt, qui accipiunt croci ſcrup. j. moſci gr. dimidium,& vino infuſa ægrotanti bibenda præbent.

Plura poſſem afferre medicamenta, ſed ea tantummodò ſum amplexus, quę noſtra hac tempeſtate probata ſunt: hæc igitur methodus medendi, & medicamenta ſunt, quæ huic effectui competunt.

E Quando autem materia à capite in pulmones cadit, in primis caput curandum eſt ea ratione, qua diximus in tractatu de catarrho. Verum quidem eſt, quòd in paroxiſmo cogimur ab hac regulari curatione recedere, quia ęgrotantes videntur ſuffocari, & niſi illis opem feras, periculum eſt, ne ſtrangulentur.

Id-

Idcirco practicantes celebriores iubent, vt frictionibus validis ad crura, ad fœmora, ad dorſum, & ſcapulas factis reuellamus materiam, quæ à capite in tracheam ruit. Cucurbitę quoque his partibus affixæ iuuant, nodi doloroſi ad manus, ad pedes etiam admoti reuellunt; quandoq; etiam ſuppoſitorio valido, nonnumquam, & clyſteribus validioribus vtendum eſt.

Non deſunt aliqui, qui nonnihil in ore ex lambitiuis tenendum eſſe exiſtiment; alij non admittunt. Rurſus aliqui bonum eſſe putant materiam per nares errhinis deriuare; alij probant cauteria; nōnulli apophlegmatiſmos laudant. Sed eo tempore quo viget ſymptoma cenſeo cauendum eſſe ad os materiam trahere, ne volentes liberare à ſuffocatione ægrotantem, ipſum iugulemus; ideo mea quidem opinione, ſatius eſt ad partes longinquas, & inferiores materiam trahere.

Ioannes Schenkius lib. 2. de diſpnœa obſ. 67. ex mente Dodonæi tempore acceſſionis ſcribit, optimum remedium eſſe exhibere ægrotanti ſcrup. j. puluėris croci cum duobus cochlearijs vini optimi, quia ipſum ſtatim liberat ab acceſſione, idq; poteſtis, ſi placet, facilè experiri.

Alii concedunt expectorantia, ſed quia tempore huius ſymptomatis ſuffocari ægrotantes videntur, ſi aliquid in ore tenendum concedetur, cum cautela id agendum, ne dum ægri magnam inſpirationem faciunt, aliquid ijs in guttur repente fluat, augeatque reſpirandi difficultatem: & hæc ſunt agenda in paroxiſmo.

Verùm quoniam paroxiſmus non multum durat, poſt ipſum curatio, vt ſupra diximus, eſt adeunda, qua defenditur æger à paroxiſmo, ſed præter medicamenta prædicta purgantia, & expectorantia, alia etiam proponuntur, nempe ſuffumigia, & localia thoraci applicanda.

Suffumigia antiqui faciebant ex folijs helenij exiccatis, ex farfara, pulmonaria, & etiam ex arſenico, vt apud Meſuem poteſtis videre, quę ad noſtram vſque ætatem erant in vſu.

Sed poſt Nicolaum Monardem practicantes ſuffumigia parant ex folijs tabacchi exiccatis, fœlici cum ſucceſſu, quod non modò expectorat validè materiam in thorace, contentam, ſed corroborat pulmones. Modus faciendi eſt, vt accommodentur folia ipſius ſuper prunas, ita vt ſuffumigium per os ingrediatur ægrotantis, idque fieri debet quinque horis ante prandium ſingulo mane per quinque dies continuos.

Quod ad localia ſpectat, ſunt vnguenta, olea, emplaſtra, & id genus. Paulus Aegineta facit cataplaſma ex ficubus, lolij farina, quibus addit reſinam, ceram, & mel. Apud Meſuem habetis ceratum mirabilis operationis.

℞. olei chamęmeli,
Amygd. dulc.
Butyri,
Pinguedinis gallinæ, ana vnc. j.
Mucilaginis fœnugræci,
Seminum lini, ana drach. j.
Miſce, calefacite, & totum thoracem inungite.

Sed huiuſmodi medicamenta ſunt moltoties applicanda, quia debent per muſculos exteriores, & per alias partes permeare, antequam pulmonum cauitatem attingant: & hæc ſint dicta de aſthmatis, & orthopnœæ curatione.

Nam illa, quæ per conſenſum fit, curatur per curationem partis affectæ, cui conſentit pulmo.

Quando verò ex crudo tuberculó contingit, eadem victus ratione vtendum eſt, & ijſdem præſidijs apud Galenum vſitatis in cura Antipatri: ſed huiuſmodi, quando accidit, vix poteſt aliquid medicus moliri, quod ſit alicuius auxilij, & iuuamenti.

DE

# DE PLEVRITIDE.

## CAPVT QVINQVAGESIMVM.

AFfectus thoracis præter naturam, qui in hodiernam contemplationem cadit, tum ob frequentiam, tum ob prauam ſuæ eſſentiæ rationem, & curandi difficultatē, ſi quis alter ab omnibus authoribus celebratur, & ad ſatietatē vſq; atteritur. Hic pleuritis paſſim nominatur, de quo verba facturi vniuerſam ipſius diſputationem in duo primaria capita, vt conſueuimus, redigemus, quorum alterum cognitionem, alterum curationem reſpicit.

Ad cognitionem ſpectant vel præſentia, vel præterita, vel futura, omiſſis interim præteritis, ac futuris, de cognitione præſentium in primis agemus, quæ generatim in his quinque capitibus poſita eſt, hoc eſt, in cognitione partis affectæ; in cognitione cauſarum omnium tam externarum, quàm internarum; in cognitione ſymptomatum affectum neceſſariò ſequentium, & tandem in cognitione differentiarum omnium eiuſdem affectus.

Quod igitur ad primum attinet, varijs admodum nominibus affectum hūc nominatum reperio; primùm à Grecis dicitur pleuritis, deductum nomen à pleuron, quod latus ſignificat, à Latinis verò morbus lateralis, & minus propriè coſtalis ab aliquibus barbarè potiùs, quàm latinè loquentibus vocatur. Apud Arabes extant variæ aliæ appellationes, vt berſen, ſoſati, caluriti, &aliæ, quę auxilij parum ferre nobis poſſunt tam in cognitione, quàm in curatione inquirenda.

Eſſentia verò cum, præcipuè in cognitione acquirenda primas partes teneat, ſitque omnium ad cognitionem facientium fundamentum, eam omiſſis nominibus, inquirere eſt opus, quæ ex communi hominum conſenſu poſita eſt in dolore, qui nihil aliud eſt, niſi ſymptoma facultatis ſentientis deprauatę.

B At cum omne ſymptoma ſuum morbum ſequatur, in confeſſo apud omnes ſcriptores eſt actionum læſarum morbū nullum alium eſſe, quàm morbum in mala compoſitione, nempe inflammationem, ſeu tumorem inflammatorium. Huius ſymptomatis morbus non ſolùm ortum habet à ſanguine optimo, & moderatam craſſitiem habente, ſed etiam ex quouis ſanguine affluente, ſiue ſan-

C guis ſit laudabilis, ſiue bilioſus, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus, quod rarius accidere conſueuit, quod in tractatu de cauſis demonſtrabo.

Galenus enim ſolet inflammationem propriè, & impropriè appellare eam, quæ à ſanguine fit, & alijs iam dictis humoribus, vt patet 6. aph. 33. & 2. de diff. feb. 9. hinc facilè patere vnicuique

D poterit pleuritidem non ſolùm vnicum morbum ſequi, ſed omne genus morborum, intemperiem ſcilicet, ſolutionem, & malam compoſitionem. Qui tres morbi eſſentiam tumoris conſtituunt. Certum ſit igitur inflammationem eſſe morbum, quem dolor pleuriticus ſequitur.

### *AN PLEVRITIS SIT MORBVS acutus.*

E INquiritur, an pleuritis ſit morbus acutus, nec ſine ratione; nam ex vna parte videtur reponenda inter morbos acutos, quia Galenus 1. aph. 12. cum duplicem acutorum morborū ordinem attuliſſet, alterum eorum, qui propriè peracuti dicuntur, ſub quo com prehendebat anginam, tetanum, & hu

iuſ.

iuſmodi; alterum eorum, qui acuti dicuntur, ſub quo phrenitidem, peripneumoniam, & pleuritidem collocabat, hinc apparet pleuritidem eſſe morbum acutum.

Cui opinioni fauet Hippocratis authoritas primo acutorum 8. vbi etiam pleuritidem in acutorum catalogo repoſuit, & ratio ex Hippocrate deſumpta eſt, quia pleuritis nunquam conſueuit tranſcendere decimamquartam, quin iudicetur, vnde quinto aphoriſmorum 8. dicebat, qui inter illum terminum non expurgantur, in ſuppurationem, ſeu in empyema cadere, acutorum verò terminus, vt ex eodem habetur Hippocrate 2. aph. 23. eſt dies decimuſquartus, quare ex hac parte concludendum videtur pleuritidem eſſe morbum acutum.

Ex altera parte cùm ſit obſeruatum pleuritidem ad vigeſimum vſq; & ad trigeſimum quartum protractam, ſicut de Anaxione refert Hippocrates, non videtur eam in acutorum ſerie reponi poſſe, in qua Galenus & peripneumoniam, & phrenitidem conſtituit.

Vidit Auicennas hanc difficultatem lib. 3. fen. x. tract. 4. cap. 1. & tentauit controuerſiam componere ad hunc modum, dicens, pleuritidem, vt plurimùm à calidis humoribus, & aliquando fieri à frigidis, ſubiungit eam, quæ fit à frigidis, non eſſe acutum morbum, ſed eam tantùm, quæ fit ex calidis.

Quæ conciliatio non vndequaque probatur mihi, & ratio eſt, quia cum morbi acuties duobus modis conſideretur, primo ratione terminationis, ſecundo penes ſymptomatum vehementiam, vitæq; ægrotantis diſcrimen, vtro modo conſideretur, ſemper habet diſficultatem.

Nam ſi pleuritidem ortam à frigidis humoribus non vis appellare morbum acutum, eò quòd egrediatur decimam quartam diem, eademmet ratione dicam ego aliquam etiam productam à calidis humoribus non poſſe dici acutam; contingere enim poteſt aliquam eiuſmodi terminum hunc egredi, vt euenit, cū in primis diebus materia ſummè cruda eſt, vel adeſt meatuum conſtrictio, aut materia admodum contumax colligatur in membrana coſtas ſuccingente.

Hęc enim expelli cùm non poſſit per ſputum, neceſſariò traſcendit decimum quartum diem, & quamuis accidat tenuem materiam, nempe calidam, citius expui, aliquando tamen oppoſitum obſeruamus, nempe frigidam materiam & citiùs, & faciliùs concoqui, atque expui, quàm calida, quæ contumax ſit, & rebellis cum meatuum adſtrictione.

Nam citiùs, aut tardius expui cum aliqua coctionis nota, non dependet ſimpliciter à tenuioris, aut craſſioris materiæ collectione (etiamſi, vt dictum eſt, calidior, & tenuior humor citiùs, & faciliùs, vt plurimùm concoquatur, & expectoratur) quia contingit nonnunquam totum oppoſitum, vt ſcilicet citiùs expuatur, & concoquatur materia frigida.

Quare ſi ſpectemus acutiem pleuritidis reſpectu termini ad quem, non poſſumus rectè aſſerere ſemper pleuritidem ex humoribus calidis eſſe acutam, ex frigidis verò minimè eſſe acutam, vt Auicennas determinauit.

Atqui ſi hanc conſideremus ratione magnitudinis, & ſæuitiei ſymptomatum, vitæq; diſcriminis, eandem etiam habebimus difficultatem, quandoquidem non perpetuum eſt ſemper, quamuis vt plurimùm cõtingat ſæuitiem ſymptomatum, vitæque diſcrimen à calidis humoribus prouenire, ſi quidem dari poteſt pleuritis à frigido humore crudo, & contumaci, qui inflammatus deterrima inferat ſymptomata cum magno vitæ diſcrimine.

Vbi igitur limitauerimus hanc propoſitionem, dixerimuſque eam vt plurimùm veram eſſe, quòd pleuritis ab hu-

mo-

moribus calidis plerunq; fit acutus morbus, à frigidis verò etiam aliquando, Auicennę ſermonem verificatum habebimus, omniſque dubitatio tollitur de præſenti morbo fit ne acutus, nec nè?

Certiſſimum enim eſt ipſum non eſſe de genere eorum, qui infra quartum diem terminantur, ſicut angina, tetanus, & alij huiuſmodi; neque de genere chronicorum, qui ad ſexaginta, & ad centum dies protrahuntur; ſed genere eorum, qui ſunt medij inter hos, & terminantur in decimum quartum, vigeſimum, & trigeſimum quartum diem; ſicut Galenus 1. aph. 12. dicebat lateralem morbum magna ex parte vt terminum ſuæ iudicationis habere decimum quartum diem; & ſi non hunc ſaltem vigeſimum, licet Anaxioni vſq; ad trigeſimum quartum contigerit.

Ex his ſatis patere puto omnem pleuritidem eſſe acutum morbum, quia ſæua ſymptomata, atque vitæ diſcrimen affert. Quantum verò ad ſui terminationem maiori ex parte decimum quartum diem habere ſolet, quia vt plurimùm permutationem aliquam hoc tempore ſuſcipit, non quod ſemper, & neceſſariò id accidat. Eſt ergo pleuritis morbus acutus ratione magnitudinis ſymptomatum, & vitæ diſcriminis ſemper, ratione verò terminationis nō ſemper, ſed maiori ex parte.

Definitio verò ipſius à Galeno pluribus in locis traditur 5. de locis affectis 3. 2. ad Glauconem 1. 4. de cauſis pulſ. 8. & alibi paſſim, vbi ferè ad hunc deſcribitur modum. Quod ſit inflammatio membranę ſuccingentis coſtas; quia licet in alijs partibus circumiacentibus, inflammatio exoriri poſſit, nunquam tamen (quod paulò inferius intelligetis) vera pleuritis eſſe poteſt, quouſq; pleuræ affectio non communicetur: hæc de nomine, & eſſentia præſentis affectionis, ſuccedit pars affecta indaganda.

## DE PARTE AFFECTA IN *pleuritide.*

A IN parte affecta determinanda videtur aliqua difficultas; nam cum duplex ſit pleuritis, vna exquiſita, altera minimè exquiſita. In aſſignanda parte affecta in pleuritide non exquiſita Galenus, & Auicennas conſentiunt, dicentes eſſe quamcunque thoracis partem,

B muſculis intercoſtalibus internis exceptis.

At in aſſignanda parte affecta in vera, & legitima, ſeu exquiſita pleuritide non conuenire vidētur; nam Auicennas fen x. lib. 3. tract. 4. ca. 1. ſcribit partem, quę in exquiſita pleuritide per ſe primò læditur, non ſolùm eſſe membranam coſtas ſuccingentem, ſed etiam vtramque interſepientem, quam & mediaſtinum

C vocat, necnon & muſculos intercoſtales internos.

Galenus verò ſecundo de locis affectis cap. 2. & libro de conſt. artis medicę cap. 15. vult exquiſitam pleuritidē ſibi ſolam determinare membranam internam coſtas ſuccingentem, quę aliquando per ſe primò læditur, aliquando verò per accidens, hoc eſt, per conſenſum.

D Vnde inflammationem interſepientium membranarum eſſe aliud genus morbi opinatur; illamq; quæ muſculis intercoſtalibus euenit, non prius vult appellandam eſſe pleuritidem, quàm membranam coſtas ſuccingentem afficiat; ita vt concludendum veniat ex Galeni ſententia partē affectam in exquiſita pleuritide eſſe membranam coſtas ſuccingentem; in vera, ſed non

E exquiſita eſſe muſculos internos intercoſtales, atin vtraq; mendoſa eſſe omnes thoracis partes externas; hæc breuiter de parte affecta.

DE CAVSIS PLEVRITIDIS. A

CAuſæ pleuritidis ſunt duplicis generis, aliæ, quas internas, aliæ, quas externas vocant. Primò de internis agendum eſt, quæ etiam in duplici verſantur differentia; nam vna eſt antecedens, alia coniuncta; antecedens cauſa eſt materia, quæ diſſeminatur per habitum totius corporis, vel aliqua in parte determinata collecta eſt, nondum in partem affectam decubitum faciens, ſed parata, vt in ipſam feratur.

Coniuncta verò cauſa eſt eadem materia, quæ iam in locum affectum collecta fuerit, ibique iam morbum actu faciens, quæ duplicis naturæ eſt. Vna humoralis, altera vaporoſa, humoralis aut ſanguis, vel bilis, aut pituita, vel melancholia, vt ſit, neceſſe eſt.

Iam verò cum prædictorum humorũ duo ſint calidi, vt ſanguis, atque bilis, duo verò frigidi, vt pituita, & melancholia, Auicennas lib. 3.fen.x. tract.4. cap. 1. putauit ex omnibus humoribus fieri quidem poſſe pleuritidem, ſed cum hac differentia, quod ſi à calidis fiat pleuritis, ſit morbus acutus, ſi à frigidis ſit chronicus.

Quod ſi quæratis, ex quibus frequentius fiat, apertè fatetur ex calidis plerumque fieri, quod verò ad frigidos humores attinet, obſcurè loquitur, & quod magis eſt, videtur in pauciſſimis verbis repugnantia dicere, cum modò à melancholia frequentiùs, modò rariùs fieri aſſerere videatur.

At Galenus libro de conſt. artis medicæ cap. 15. diſtinctiùs loquitur, rem hanc determinans, dicens pleuriticas inflammationes ferè ſemper bilioſas, aut ſanguineas eſſe, nonnunquam verò pituitoſas, ſed rarò, atque has non dici ſynceras permanere, quia cum humor pituitoſus concluſus fuerit, ſtatim putreſcere incipit, calidaſque fluxiones ad ſe attrahere.

Quod ſi aliquando niger appareat ſcreatus, qui fluxionem melancholicam arguere videatur, id contingere dicit, non quia pleuritidem fluxio melancholica faciat, ſed potiùs quia bilioſus, aut ſanguineus ſuccus iam defluxus ad uſtionem aliquam in loco, in quo incluſus eſt, paſſus ſit, & 6. aph. 33. in eandem ſententiã dicebat membranam ſuccingentem coſtas ob craſſam, & denſam ipſius naturam, non facilè in ſe admit- B tere quemcumque humorum irruentẽ, ſed tenuem, & calidum potiſſimùm, nonnunquam verò frigidum, ſed tenuem, qualis aliquando eſt pituita, melancholia verò nunquam.

Sed dicetis, poſſe ne vnquam pleuritidem excitari ab humore melancholico? & ab hoc magis, quàm à pituitoſo, vt Auicennas dicebat?

C Puto huiuſmodi Auicennę propoſitionem limitandam eſſe, & conſiderandam inflammationis generationem, quę duobus modis fieri poteſt. Primo per defluxum, ſecundo per paulatinam congeſtionem.

Si primo modo ipſam conſiderauerimus, nunquam dicemus pleuritidem fieri à melancholico ſucco, atqui ſi eam accipiamus congeſtionis ratione, cum D humor congeſtus poſſit permutationem facere, & ita putreſcere, vt inflammationem faciat, dicere poterimus pleuritidem à ſucco melancholico fieri, ac etiam frequentiùs contingere poſſe ab eo, vt dicebat Auicennas, quàm ex pituita.

Et ratio eſt, quia cum membranæ corpus ſit frigidum, & denſum ex ſucco melancholico nutritur, ac vt fiat in ipſa E aliqua inflammatio per congeſtionem, neceſſe eſt, vt fiat à ſucco melancholico.

Quare pleuritis fit à melancholia, id quod à Nicolo Florentino affirmatum videtur, vbi dicit non repugnare hoc aliquando contingere, hinc fit, vt poſſimus dicere pleuritidem aliquando, licet rarò, à melancholico ſucco fieri poſſe.

Si verò reſpiciamus ad mutationem, quæ contingere poteſt humori iam de-fluxo, & talem humorem ita paſſim cauſam pleuritidis vocemus ad contradiſtin ctionem pituitoſi, tunc non ſolùm aliquando à melancholico, ſed frequentiùs etiam ab hoc; quàm à pituitoſo fieri dicemus.

Nam à pituitoſo humore fit ſolùm per defluxionem; à melancholico verò & per congeſtionem, vt audiuiſtis, & per tranſmutationem calidorum in ipſum, quod nunquam accidit pituitæ, quia quantumuis calidi hnmores fluxi aſſentur, nunquam in pituitam vertuntur, ſemper autem in atrum humorem.

Atque hac ratione Auicennas cum Galeno conciliari videtur, ex his ergo habemus, quot, & quæ ſint pleuritidis cauſæ internæ, an modò ex vapore fieri poſſit pleuritis, videtur aliqua apparens coniectura; nam vapor ſurſum aſcendens ſuæque penetrationi obſtaculum inueniens, reuertitur inferiùs ad loca cordi vicina, & ibi apoſtemata generat, quare etiam & pleuritidem.

Sed huiuſmodi cognitio non videtur ſatis tuta, cùm impoſſibile ſit ex vapore fieri inflammationem, & minus febrem tam vehementem, quàm in pleuritide obſeruamus; nec tandiù perdurantem; quamobrem putamus à ſolis humoribus pleuritidem fieri, nequaquam à vaporibus: hæc de cauſis internis.

Accedamus ad externas, inter quas primò aer occurrit, qui vel immoderatè frigidus, aut intensè calidus eſt, vt frigidus exprimit materiam ad locum affectum, cutiſque meatus adſtringit, quo minus fuligines euaporare poſſint. Calidus verò humores fundit, atque attenuat, eoſque aptiores ad motum reddit.

Ad aerem reducitur anni tempus, vt autumnus, qui huius morbi ferax eſſe ſolet, ſi potiſſimùm auſtrinæ æſtati ſucceſſerit, & ratio eſt, quia per calorẽ diei attenuantur, funduntur que humores tam recenter geniti, quàm à præcedenti æſtate relicti.

Frigus verò noctis prohibet tranſpiratum, & ad internas partes impellit humores iam commotos, neque ſolùm ſucceſſione diei ad noctem, & è contra, ſed in ipſomet die tantùm ob maximam illius conſtitutionis temporis inæqualitatem, fit vt modò à calore fundantur humores, modò à frigore repente ſuperueniente ad intimas partes protrudantur, atque hac ratione hunc morbum producunt.

Autumno ſuccedit hyems, in qua ſolent perſæpè pleuritici affectus ſuſcitari, quia per id tempus ſpiritualia membra maximè lædi conſueuerunt, & à capite ad thoracem multæ fieri defluxiones ob expreſſionem ambientis aeris frigiditate factam, quod ab Hippocrate, & à Galeno habemus 3. aph. 27. hyeme verò dicebat Hippocrates morbi laterales, peripneumoniæ lethargi, grauidines fieri, & quæ ſequuntur.

Vere quoque ſolent huiuſmodi morbi laterales vagare, quia ſi corpus, & caput potiſſimùm excrementis ſcatent, illa hoc anni tempus fundens, attenuãs, & commouens motum promouet, cum præ hyemis frigiditate antea in penitioribus immota deliteſcerent: & hæc ſunt anni tempora, quæ huiuſmodi morbum procreare ſolent.

Inter conſtitutiones tum auſtrina, tum borealis, ſolent potiſſimùm hunc morbum gignere; nam expreſſis humoribus ab auſtrina commotis per borealem, neceſſarium eſt eorum fluxiones ad aliquas partes corporis fieri, quare vbi ad pleuram recubuerint, faciunt pleuritidem.

Succedunt inter cauſas externas alimenta, & potus: alimenta docente Auicenna, quæ ſint craſſi ſucci, in quibus enumerat alcanubit, hoc eſt, vt expoſitores dicunt, braſſicam capitatam, quam hic cauolo cappuccio appellant.

Sed

Sed ſtatim ex Auicennæ loco excitabitur ab ingenioſo difficultas, cum hęc affectio præſens, de qua tractamus, ex humorum defluxu proueniat, & craſſi ſucci inepti ad motum ſint, quomodo Auicennas ſcripſit cauendum eſſe ab alimentis craſſi ſucci, eò quòd pleuritidem generent?

Puto aliud eſſe conſiderare fluxum humorum; & aliud eſſe conſiderare occaſionem fluxus eorumdem. Alimenta enim craſſi ſucci proculdubio generant humores per ſe ineptos ad motum, ſed vſus frequens ipſorum, cum in corpore cacochymiam producat, fit cauſa fluxionis, quia talia alimenta ſunt difficilis concoctionis, & ſuccum excrementoſum generant.

Vnde ſi quis diu vtatur talibus alimẽtis, neceſſarium eſt, vt breui cacochymus fiat, ac inde natura irritata ad expulſionem rei inutilis, occaſio fluxionis præbetur, & quamuis humor eiuſmodi motui minus aptus ſit, quàm ſi ab alio genere alimenti ortum habuiſſet, nihilominus natura ſe conuertens ad redundantiam prauorum ſuccorum expellendam, vt ab ipſa exoneretur, ad debiliores partes ſemper protrudat.

Partes verò iſtæ ad magis debiles impellunt, quouſque ad omnium debiliſſimam ventum ſit, ad quam fit materiæ protruſio, quare & tales ſucci non ad fluxum apti, præbent tamen fluxus occaſionem, merito igitur Auicennas dicebat, talia alimenta producere pleuritidem.

Sed præter hæc alimenta, quæ cacochymiam in corpore inducunt, ſunt etiam alia, quæ multam ſanguinis copiam generant, à quibus poteſt fieri, & vt plurimùm fit pleuritis, ſi potiſſimùm copioſius aſſumantur: & ſępè aromatum quoque vſus poteſt inflammationem excitare.

Potus adhæc nimius vini meracioris, vel etiam aquæ frigidioris ex Ruffi ſentẽtia, primo continent. ſolet pręſentis af- A fectus eſſe occaſio, vinum quidem, quia humores commouet, & ebullire facit, vnde fluxionis initium affert; aqua verò frigidior, tum quia lędit nimis partes ad thoracem attinentes, eaſque tractu temporis imbecilliores reddit, tum quia excrementa, quæ ſunt in vicinis partibus ad locum, vbi inflammatio exoriri ſolet, exprimat.

B Pręter cibum, & potum meminit etiam Hippocrates motus immoderati, tanquam eius, qui humores fundere, & commouere maximè aptus ſit, cui ſi ſuccedat, vel potus aquæ gelidæ, vel repentinus occurſus aeris frigidioris, qui commotos iam humores à centro ad circumferentiã propellat, maximũ ſemper imminet periculũ, ne ſi fortè decumbãt ad pleuram, hunc effectum producant.

C Retentio quoque eorum, quæ ſtatutis temporibus exurgere ſolent, vt in mulieribus menſes; aut hæmorrhoides tam in mulieribus, quàm in viris. Immoderatæ vigiliæ, & etiam animi immoderatæ affectiones, validę cogitationes etiam poſſunt cum alijs pleuritidem inducere.

Iſtæ ſunt cauſæ exteriores neceſſariò nobiſcum verſantes, à quibus poteſt D pleuritis exoriri, conferentibus illis, quæ ſecundùm naturam ſunt, vt eſt ætas, tẽperamentum, & ſexus, quæ in hunc affectum procliuia eſſe ſolent.

Et quod ſpectat ad ætates, iuuentus, & qui ſunt in primo ſenio eſſe ſolent huic ægritudini magis obnoxij, quàm vel pueritia, vel ſenectus ipſa; nam per illas ætates humores calidi, & tenues E abundant magis, quàm in pueritia, & vltima ſenecta, imò in his, vel ob immoderatam alimentorum copiam, quod pueris accidere ſolet, vel ob caloris innati defectum (quod in vltimo ſenio accidit) crudi, & craſſi humores potiùs redundant, vt 3. aph. 30. ſcriptum eſt.

Quod ad temperamentum pertinet, calidum, & humidum maximè omnium huic morbo concipiendo aptum eſt, ſi-

ẽut ex aduerſo frigidũ, & ſiccum minimè omnium, ad quod reſpiciens Hipp. 6. aphor. 33. dicebat, qui acidum eructant, non valdè morbo laterali corripiuntur; nam acidum eructantes neceſſariò frigidis, & pituitoſis excrementis abundant, qui autem his ſcatent, non facilè in pleuritidem incidunt, cum mẽbrana, quæ in ipſa afficitur, eius ſit naturę, vt non facilè craſſos, & viſcidos ſuccos in ſe recipiat.

Idque potiſſimùm verum eſſe dicebat Galenus, quando redundanti illi materiæ acrimonia aliqua inhęret, quia hæc inteſtina mordens, ad expulſionem irritat, & tunc contingit non ſolùm pituitam, ſed plures etiam alias ſuperfluitates excerni, dicebat autem ipſe in primo de aere, aquis, & locis, qui habent ventrem humidum, minimè morbo laterali, atque alijs morborum generibus corripi.

Si reſpiciamus ſexum, viris magis, quàm mulieribus ſolet huiuſmodi affectus accidere, tum quod calidioribus ſuccis abundent, tum quod cauſis externis iam dictis magis expoſiti ſint. Mulieribus quoque quandoque ſuperuenire ſolet, ijs præſertim, quibus menſes ſupprimi conſueuerunt. His cauſis addatis, quæ extrinſecus euenire ſolent nobis, non tamen neceſſariò, ſed vt aiunt, fortuito, vt eſt caſus, percuſſio circa thoracem, vomitus ex Ruſſi ſententia, vulnera, & alia huiuſmodi plura, vt æſtus nimius, balneum calidum, à quibus pleuritis excitari conſueuit; & hæc de cauſis tam internis, quàm externis.

## DE DIFFERENTIIS PLEVRITIDIS

Differentiæ pleuritidis deſumuntur ab idęa, à cauſis efficientibus, à magnitudine, ſeu vehementia, à more, & à partibus affectis, & tandem ab eo, quod eſt per eſſentiam, & per conſenſum: per idæam intelligimus dolo-

A rem pungitiuum partium thoracis, cũ ſua cauſa coniuncta, à qua differentiæ accipiuntur, vt ab eo, quod eſt ſecundùm magis, & minus; nam dolor aliquando intenſiſſimus eſt, vt vix reſpirare poſſint ægrotantes punctionem percipientes, quemadmodum ſi pugione læderentur.

B Quandoque eſt mitis, & interdum medius, ſed in partibus thoracis, vt eſt organica corporis pars; inde eſt, quod alius in ſuperiori ad clauiculam, ſeu iugulum tendit, alter verò eſt in inferiori thoracis parte ad regionem diaphragmatis, & alius in medio, aliquando ad poſteriorem partem, nonnunquam verò ad anteriorem vergens.

C Rurſus huiuſmodi pleuritis vel eſt vera, & exquiſita, vel vera quidem, ſed non exquiſita; vel etiam neque vera, neque exquiſita, & notha appellatur à Galeno lib. de conſt.art.med.cap.16.& alibi. Præterea eſt in duplici differentia; nam vna interna eſt magis, altera verò externa.

D Vera exquiſita ea eſt, quæ membranæ coſtas ſuccingenti euenit: vera, ſed non exquiſita, muſculis intercoſtalibus internis accidit: notha verò & muſculos externos, & cutem occupat: fieri etiam poteſt, vt vno. & eodem tempore & membrana interna, atque externa, cum ſuis muſculis inflammentur, & fiat veluti compoſita pleuritis: & hæ poſſunt eſſe differentiæ à forma, ſeu idæa pleuritidis acceptæ.

E Secunda differentia accipitur à cauſis, quæ ſunt humores, qui ad duo capita reducuntur, ad calidos nempe, & ad frigidos: calidi ſunt ſanguis, & bilis, à primo inflammatio propriè dicta producitur, à ſecundo eryſipelas, ab vtroque ſimul mixto fit phlegmone, ſeu inflammatio eryſipelatoſa, ſi in mixtione ſanguis bilem ſuperet; ſi verò contingat bilem ſanguinem ſuperare, fit eryſipelas phlegmonoſum.

A frigidis verò fiunt quoque variæ pleu-

pleuritidis inflammationes, vt dictum fuit cap. de cauſis.

A vehementia, ſeu magnitudine deſumuntur quoque pleuritidis differentiæ, vehementiſſima ea eſt, quæ magna habet ſymptomata,& multa;parua quæ contrarias habet conditiones, mediocris, quæ inter has duas continetur.

A more quoque poſſunt deſumi differentiæ, vnde pleuritis alia maligna, alia benigna, alia tandem eſt in medio.

A partibus ſimiliaribus affectis differentiæ habentur; nam vel membranæ coſtas ſuccingenti euenit, vel muſculis intercoſtalibus internis, aut externis: ſi membranam inuadat, à Galeno appellatur pleuritis exquiſita,ſi potiſſimùm fiat ab humoribus calidis; ſi verò muſculis intercoſtalibus internis euenerit, vera quidem pleuritis, ſed non exquiſita appellatur.

Auicennas verò pleuritidem exquiſitam vocat illam, quæ membranæ interna accidit, tum illam,quæ ſeptum tranſuerſum, tum quæ mediaſtinum, ac muſculos intercoſtales internos obſidet, quamuis Galenus 5. de locis affectis cap.2.non appellet exquiſitam, niſi (vt diximus) eam, quæ membranam lædit, alias verò, quæ & mediaſtino, aut ſepto contingunt, non dignatur nomine pleuritidis vocare.

Habetis ex his mentem Galeni,& Auicennæ declaratam, quę in hoc parui eſt momenti. Hi quamuis differant in huiuſmodi veræ, & exquiſitæ pleuritidis differentijs aſſignandis, in notha tamen conueniunt, Gal. loco iam citato Auicennas verò fen x. lib.3.tract.4.cap. 1. ſed cum pleuritis notha ſit in duplici differentia, vt dictum ſupra fuit, vna in muſculis intercoſtalibus externis, altera, quæ ad cutem vſque extenditur, hinc interna vna, altera externa dici poteſt.

Rurſus exquiſita pleuritis, alia dicitur fieri per ſe primò, alia verò per conſenſum;exquiſita per eſſentiam eſt,quā-

A do inflammatio per ſe primò inuādit membranam coſtas internas ſuccingentem. Per conſenſum eſt, vel à partibus remotis, aut propinquis; à remotis quidem, vt à iecore, vel in mulieribus ab vtero; à propinquis, vt à muſculis intercoſtalibus, tam internis, quàm externis; iſtæ ſunt pleuritidis differentiæ.

B

## DE SIGNIS PLEVRITIDIS.

Inter alias affectiones præter naturam, quæ demonſtratiuis ſignis cognoſcuntur, ita vt à Galeno 5. de ſanitate tuenda cap. 12. methodi med.cap. 7. earum cognitio ſcientifica appellatur, vna eſt pleuritis, de qua nunc agimus.

C In cuius quidem ſignis afferendis primò tractabimus, quot numero ſint, & vnde deducantur, & cur neque plura, neque pauciora ſint. Secundo loco ſigna cauſarum diſtinctiua in medium afferemus. Tertio, quæ ſint illæ, quę magnam pleuritidem eſſe demonſtrant. Quarto, quę partes læſas diſtinguunt: & tandem quę dirimunt pleuritidem legitimam, & exquiſitam per eſſentiam ab

D ea, quæ fit per conſenſum.

Quo ad primum ſpectat, aliud eſt conſiderare inflammationem ſimpliciter,& aliud eſt eam conſiderare, vt pleuritidē facit. Si primo modo, multa ſunt ſigna, quæ ad præſentem ſpeculationem mini mè faciunt, quia non conſideramus hic inflammationē, niſi quatenus facit pleuritidem, quam quatuor, aut ad ſummum quinque ſigna declarant, quibus

E poſitis ponitur pleuriticus morbus,ijſq; ablatis omnibus etiam aufertur, & ipſe morbus.

Sunt autem ſigna hæc, dolor pungitiuus,febris acuta,tuſſis aliquando ſicca ſępè verò humida,difficultas anhelandi, ſeu reſpirandi, & pulſus ſerrinus. De his loquitur Galenus multis in locis 1. de locis affectis cap.9.5.eiuſdem cap.3.

2.de criſ.cap.1o.lib.de conſt. art. med. cap. 15. cap. 8. lib. 4. de vſ. part. his nec plura, nec pauciora ſigna requirun- tur ad idæam,& ſpeciem pleuritidis ex- quiſitæ declarandam.

Quod ſpectat ad dolorem, idem Galenus non ſolùm ſcribit, eum eſſe pungitiuum, ſed grauatiuum, & coſtis adhærentem, latèque permanentem, nec ſicut clauus affixus, & quamuis ap- pareat aliqua grauedo, id non eſt ratio- ne membranæ.

De febre verò loquens Gal. 2. de ratione victus in acut. 36. docuit eam eſſe magnam, vehementem, atque acu- tam, ſecundùm magis, & minus pro ſu biecti diuerſitate.

Quantum ad tuſſim 2. de criſ.6. Ga- lenus ait eſſe aliquando ſiccam, non- numquam verò humidam. Doctiſſimus Mercurialis lib.6. praxis de aff.thoracis ſcribit ex Galeni mente lib.5.de locis af fectis cap.3.in fine, tuſſim non eſſe per- petuum pleuritidis ſignum, quia Gale- nus, eo loco ſcribit, tuſſim euenire ma- gna ex parte pleuriticis, ergo nō ſēper.

Sed mea ſententia longè decipitur; nam aliud eſt dicere tuſſim in pleuritide magna ex parte euenire cum ſputis co- loratis, nonnunquam verò ſine his, & aliud eſt dicere tuſſim magna ex parte euenire pleuritidi.

Sermo Galeni eſt de tuſſi cum ſputis coloratis, quæ magna ex parte in pleu- riticis eueniunt, aliquando etiam abſq; his accidit tuſſis; quare tuſſis ex Galeno eſt vnum ex aſſidentibus ſignis, aliquan do in ſputis coloratis, aliquando ſine his: quare expuere non eſt ſignum ne- ceſſarium; ſed tuſſis.

Circa difficultatem reſpirandi, quod eſt quartum ſignum, Galenus 3. de diſ- ficul. reſpir. cap. 5. clarè docuit, qualiſ- nam ſit hæc difficilis reſpiratio pleuriti- cis propria, eam frequenter, ac paruam appellans, & hic eſt numerus omnium ſymptomatum, quæ pathognonomica dicuntur, quæ nec plura, nec pauciora eſſe poſſunt.

A Vnumquodque horum ad pleuritidē neceſſariò ſequi Galenus partim 2.de criſ. 10. partim verò lib. de conſt. art. med.cap.15. tam ex natura ipſius affe- ctus, quàm ex ipſiſſima parte affecta pul chrè collegit.

Affectus autem eſt inflammatio, pars verò affecta eſt membrana coſtas ſuccin gens, cum dico inflammationem intel- B ligo intemperiem calidam, & humidam cum præſentia materiæ. Cum dico mē- branam, opus eſt, vt intelligatis ſubſtan tiam nerueam, exactiſſimo ſenſu prædi- tam, & ratione extenſionis latè exten- ſam, ſuper omnes coſtas proximè hæ- rentem.

Porrò ſequitur dolor, qualem natu- ra partis requirit, quæ læditur, exactiſſi- mo ſenſu prædita neruea, extenſa, & C coſtis adhærens, ratione neruorū naturæ dolor quidem eſt punctorius, & ratio- ne extenſionis ipſius mēbranæ ad coſtas omnes poſſet dici extenſiuus, ſed quia lędit magis ratione pūctionis, vt ſupradi xi, merito appellatur dolor punctorius.

Quod ad febrem attinet, neceſſariò hæc ipſa pleuritidem ſequitur, tam ra- tione affectus, ſcilicet inflammatio- nis, quàm ratione membranæ, quæ pro D pè cor ſituata eſt; nam ſi non eſſet in- flammatio, ſed eſſet aliquis tumor du- rus, aut frigidus, vel eſſet quidem in- flammatio, ſed in parte à corde remotiſ ſima, puta in digito, non fieret febris, at vbi horum vtrunque ſimul iungitur, ſi- cut in præſenti affectu euenit, neceſſariū eſt non modò febrem fieri, ſed etiam ve- hementer acutam.

E Tuſſis verò neceſſariò, & ipſa ſequi- tur tam affectus, quàm partis affectæ cul pa; in primis enim pars affecta, quæ eſt membrana, & materia intus contenta, per eam reſudans, & in aſperas arterias cadens, tuſſim omninò adducunt, ſic- cam quidem, quando pauxillum mate- riæ reſudat aptum tantummodo irritare facultatem expultricem pulmonum; hu- midam verò quando, quod reſudat in- tan-

tanta copia inter pulmones colligitur, vt ſicut expultricem irritare poteſt, ita etiam impetum, & propulſionem eiuſdem ſuſtinere valet.

Ex his facilè poteſtis intelligere, dolorem pungitiuum, febrem acutam, & tuſſim neceſſariò ſequi pleuritidem.

Difficultas porrò reſpirandi, cum duobus modis conſideretur, in genere nempe, & in ſpecie, prima à Galeno lib. de conſt. art. med. cap. 15. & 2. de criſ. cap. 10. affertur, cuius cauſam referebat in partem affectam; alterius in ſpecie, cur ſcilicet parua ſit, & frequens, idem Galenus loco præcitato de conſt. art. medicæ cap. iam citato, & 3. de diff. reſpir. cap. 5. cauſam refert potiùs in affectionem, quàm in partem affectam.

Difficilis igitur redditur reſpiratio ratione membranæ, quæ reuera eſt pars ipſius thoracis, & inſtrumentum reſpiratorium, vt idem teſtatur Galenus lib. de conſtitut. art. medicæ iam dicto; vnde læſa ipſa membrana conſequenter, & thorax læditur, quod eſt inſtrumentum reſpirandi, quo læſo & ipſius actio, nempe reſpiratio læſa manet, & ratio eſt, quia liberè extendi non poteſt ob extenſam iam ab inflammatione membranam.

Parua verò, & frequens reſpiratio vi detur clarius fieri ab ipſo affectu, & ratio eſt, quia cum multo aere attracto ſit opus propter inflammationem, & febrē non poteſt tamen ob dolorem ab inflammatione cauſatum magna fieri inſpiratio, qua aer poſſet totus vnica inſpiratione trahi, vnde parua neceſſariò efficitur, & quia hæc parua inſpiratio non ſatisfacit neceſſitati, paruitati celeritatem, & frequentiam addunt, vt continuitate actionis aſſeruent æqualem aeris multitudinem magnis reſpirationibus, atque ita vſui planè ſatisfaciūt, quod enim paucæ, & magnæ pulſuum cauſę nō poſſunt, multæ paruæ poſſunt, & hac ratione reſpiratio difficilis redditur.

A Pulſus verò magnus, velox, frequens, durus, ac tenſus, eadem quoque ratione efficitur, magnus quidem, velox, & frequens ob neceſſitatem ab inflammatione, & febre inductam fit, neque aliquod inſtrumentum læſum eſt, ſicut in reſpiratione.

Quantùm verò ad duritiem, & tenſionem pulſus attinet, non poſſumus ipſius cauſam referre in affectionem, ſed

B potiùs in partem affectam, quæ eſt membrana, quæ duobus modis conſiderari poteſt, & vt eſt membrana, & vt ſuccingit coſtas.

Vt eſt membrana ratione ſimilitudinis, quam habet cum membranis arteriarum, quare inducta inflammatione in aliqua membrana ratione ſimilitudinis etiam, & arteriæ, quæ ſunt illius naturæ læduntur, ac tenſæ fiunt, non ſe-

C cus atque ipſiſſimæ membranę ſunt tenſæ ab inflammatione.

Vt eſt membrana ſuccingens coſtas, non ſolum quia eſt membrana, communicat ſuam læſionem membranis arteriarum, quod Galenus docet lib. de pulſ. ad tyrones cap. 11. hinc eſt, quod tenſionem ab ipſa habet membrana pulſus, quo nomine digitorum tactum, in mo-

D dum ſerræ percutiens, ſerrinus appellatur: vnde idem met Galenus dicebat pulſum pleuriticorum durum eſſe ad tactū, ex quibus durities à vehementia non diſtinguitur, poſſetq; illis facilè imponi, duritiem pro vehementia putantes.

Sed etiam, quia ſubtus membranam in muſculis intercoſtalibus, licet membrana ſit arterijs deſtituta, adſunt paruę arteriæ, quibus communicatur læſio, inde & omnibus alijs arterijs.

E His addo meliorem rationem, quæ eſt ad omnia viſcera, & partes, quæ ſunt in thoracis cauitate, membranam ab ipſa pleura, tanquam à tunica accipiunt, non ſecus atque partes in ventre inferiori contentæ à peritonęo inueſtiuntur.

Iam verò cum arteria magna continuatur in thorace, & ipſa tunicam à pleura

ſa recipiat, quæ vbi ab inflãmatione tendatur, neceſſariò etiam tenſæ remanent omnes corporis arteriæ cum ſuo trunco: quare non eſt mirum, ſi in pleuritide arteriæ tenſæ ſint, atque duræ.

Ex quibus habemus omnia ſigna eſſentialia, & ſcientifica pleuritidis, quæ nec plura, nec pauciora eſſe poſſunt præ dictis, eò quòd vnumquodque horum ab ipſa pleuritide omninò ortum ducit. Quæ omnia vbi ſimul concurrant, neceſſariò pleuritidem conſtituunt, ſi vnum horum deficiat, nequaquam conſtituitur pleuritis vera, ac legitima.

Hanc rem pulchrè explicat Galenus pluribus in locis potiſſimùm 5. de locis affectis cap. 7. caſumque proponit (in quo & febris, & difficultas reſpirationis, & dolor lateris ſimul concurrunt) quam ſimillimum quidem pleuritidi, quem ſine ſputo eſſe dicit, neque tamen vult eſſe pleuritidem, ſed appellat dolorem lateris, etiam ſi febrem adiunctam habeat.

Et ratio eſt, quia duo illi ſigna neceſſaria deficiunt, nempe tuſſis, & pulſus durus, ſeu ſerrinus; deinde quia ſigna, quæ adſunt, non ſunt talia, qualia requiruntur ad veram pleuritidem conſtituẽdam; neque enim febris acuta eſt, vt in illa, neque difficultas reſpirandi tanta, quanta eſſet, ſi vera pleuritis foret, neque dolor, vt ibi.

Libro quoque de ſubfiguratione empirica c. 6. proponit caſum, in quo & febris acuta, & difficultas anhelitus, & tuſſis, & ſputum coloratum ſimul concurrunt, quem tamen pleuritidẽ eſſe negat, cum hæc omnia peripneumoniæ cõmunia ſint, tum quia alia duo ſymptomata pleuritidis propria minimè concurrunt, lateris videlicet dolor pungitiuus, & pulſus ſerrinus.

Tandem lib. 2. de locis affectis cap. vltimo proponit alium caſum pleuritidi quam ſimillimum, in quo ferè omnia ſymptomata ipſius concurrunt; nam adeſt febris acuta, tuſſis, difficultas reſpirandi, & dolor lateris, quem dicit non eſſe pleuritidem, ſed hepatis inflammationem, hac vna ratione, quod deſit durities in pulſu, quæ ſimul cum alijs neceſſariò concurrere debet ad pleuritidẽ conſtituendam.

Et hæc ſunt ſigna, quæ à Galeno ſcientifica dicuntur; nam vbi omnia ſimul conſpirent pleuritidem ex neceſſitate producunt.

His conſideratis apparet facilè, quibus pleuritis exquiſita diſtinguatur à à pleuritide notha; vera enim, & exquiſita illa eſt, quæ habet ſemper quinque huiuſmodi ſigna, quorum vno deficiente, non poteſt dici vera pleuritis.

Dicunturque pathognomonica, quia ad vnguem declarãt ipſam affectionem, vbi maximè intendãtur, quia vbi remittuntur, dicuntur eſſe aſſidentia, quæ pleuritidi nothæ conuenire poſſunt, quamuis non ſint in ipſa omnia neceſſaria.

Nam notha pleuritis habet alia ſigna à vera ipſam diſtinguentia, & ſunt tuſſis, & ſputi carentia, quia materia, quæ eſt extra thoracem, non poteſt intus penetrare, & tuſſim cauſare, multo minus poteſt inducere ſputum.

Rurſus cum inter ſputum, & ſputamen ſit ex Galeno 1. de criſ. cap. 5. magna differentia; nam ſputum illud eſt, quod nihil bilis, aut ſanguinis, vel alterius humoris admixtum habet, ſed eſt pura ſaliua; ſputamen è contra eſt illud, cui vel ſanguinis, vel bilis aliquid admixtum eſt, fieri poteſt, vt in notha pleuritide fiat ſputum, nunquam tamen ſputamina appareant; tandem aliquando in notha dolor ad tactum in cute percipitur, quod nunquam in vera, aut exquiſita contingit.

Magnitudo, & vehementia pleuritidis exquiſitæ à ſymptomatum vehementia, & multitudine cognoſcitur. A vehementia quidem prædictorum omnium ſymptomatum iam dictorum; nam

nam febris vehementiſſima, dolor quoque vehementiſſimus, magnitudinem inflammationis demonſtrat; nam membrana coſtas ſuccingens inflammata, continua eſt per totam thoracis cauitatem, ita vt non modò coſtas omnes ad ſpinam vſque ſuccingat vtrinque, ſed omnibus viſceribus in thorace contentis tegumentum offerat.

Et quod magis eſt, ab ipſa duæ illæ membranæ thoracem in duas partes dividentes ortum ducunt, quas Græci διαφράγματα appellant, & barbarolatini dicunt mediaſtinum, tandem ab eadem membrana tegitur ſuperficies diaphragmatis, quæ thoracem reſpicit.

Cum igitur inflammatio fiat in hac membrana, prout ipſa ſe extendit, maiorem, aut minorem huius quantitatem occupans, dicitur magna, & parua, vnde aliquando expanditur ſurſum ad vocatam clauiculam, aut iugulum vſque, nonnunquam deorſum ad diaphragmatis regionem, & ratione huius extenſionis appellatur magna, ac vehemens, & eo magis ſi ad homoplatas, & ad humeros extendatur dolor, & vt Aretæus ex Hippocrate notat, ad dorſum vſque.

Immo Hippocrates lib. 3. de morbis 21. ſcriptum reliquit ex dorſo pleuritidem fieri aliquando, etiam eodem docente Galeno lib. de conſt. art. med. cap. 15. & alijs in locis: quæ extenditur non modò ad internam membranam, ſed ad externam, muſculos intercoſtales exteriores ambientem, maximam pleuritidem appellant; è contra, quæ mediã coſtarum regionẽ tantũmodo attingit, ita vt neq; ad iugulum, neque ad diaphragma pertingat, parua pleuritis appellatur.

Ex decubitu quoque eius magnitudo, ac vehementia cognoſci poterit; nam ſi ægrotus decumbit faciliùs ſupra latus oppoſitum, tunc inflammatio eſt in exteriori membrana, neque poteſt ſupra idem decumbere; è contra ſi faciliùs decumbit ſupra latus affectum, neque poſſit ſupra oppoſitum decumbere, magna, ac vehemens eſt pleuritis.

Atqui ſi in neutram partem poſſit decumbere ob maximum dolorem, tunc maxima eſt pleuritis, & vehementiſſima; nam ſi exterior eſt inflammatio, vbi ſupra idem latus reuoluitur, comprimit membranam inflammatam, neque poteſt ibi permanere.

E contra ſi interna ſit, vbi in oppoſitum latus decumbat, à põdere inflammationis membrana trahitur, atque diuellitur à ſubiectis partibus, neque ibi perſiſtere poteſt æger, & hæc magna, ac vehemẽs eſt pleuritis, & eò maior, ac vehementior, ſi ſuperueniant alia ſymptomata, vt nihil expuere, quod ſignum in pleuritide exiſtens magnam ſignificat læſionem, cum eodem Galeno docente lib. 1. de criſ. 18. proportione correſpondeat cruditati in vrinis, ſitis immoderata, vigiliæ, delirium, & huiuſmodi alia ſigna apparent a.

At vbi pathognomonica ſigna non ſint adeo magna, neque dolor ſe extendat vltra mediam partem thoracis, nullumque aliud ex prædictis ſignis appareat cum facilitate expuendi, ſputaque ſint colorata, non eſt magna pleuritis.

Quod ſpectat ad morem, cùm poſſit eſſe benigna, atque maligna, benignam eſſe facilè cognoſcitur: at de malignitate non clarum eſt; nam cùm malignitas ſit quid præter naturam, non refertur ad morbum, neque ad cauſam, ſed ad ſymptoma non actionis, aut excreti, ſed ad qualitatẽ mutatam ipſius humoris facientis inflãmationem, inde febrem malignã, quam mutationem qualitatũ dicũt: nõ omnes ſcriptores de hac malignitate eueniente ad eundẽ modum intelligũt.

Sunt enim, qui dicunt humores mutari ſecundùm totam ipſorum ſubſtantiam, hoc eſt huiuſmodi vitium prouenire à tota ſubſtantia, nullo interpoſito primarum qualitatum opificio; ſed primò, & per ſe à tota eorum ſubſtantia, tanquam ab agente præcipuo emanare, illaque ſit, quæ potentiam agendi for-

tiatur abſque qualitatum medio.

Vnde eſt etiam, quod huiuſmodi affectionem in humoribus dicunt eſſe totius, & ſolius ſubſtantiæ;totius quidem, quia tota ſimul operatur, cùm ſit ſimpliciſſima; ſolius verò, quòd operandi, & agendi potentiam habeat abſque qualitatum medio; hinc addunt eam eſſe proprietatem quandam totius ſubſtantiæ, taleſque febres appellant morbos à forma, quæ habet operandi abſque qualitatibus facultatem, talemque proprietatem ſtatuunt in prædicamento ſubſtantiæ.

Quam opinionem non ſolùm Galeni authoritatibus plurimis, ſed etiam rationibus comprobare contendunt: de quibus etiam addunt Galenum tractaſſe quidem, ſed non methodicè, quod ſciret eorum tractationem non pertinere ad methodum; inuentionemque medicamentorum tales morbos fugantium ad experientiam attinere, quæ quoque à tota ſubſtantia operantur, vt ſunt alexiteria, ſeu alexipharmaca.

Alij è contra ſunt authores exiſtimantes nullam poſſe fieri actionem, aut paſſionem, niſi per contraria, nihilque eſſe, quòd contrariari poſſit ſubſtantię, proinde dicunt mutationem hanc eſſe qualitatem quandam occultam,quæ ad cathegoriam qualitatis, non ſubſtantiæ referri debet; huiuſmodi autem qualitates ex infinitis elementorum alterationibus fieri affirmant,à quibus ita alteratis modus quidam componitur, qui incognitus eſt.

Prioris opinionis fautores actionem à ſola ſubſtantia fieri putant, nempe à forma; ſecundæ ſententiæ aſſertores dicunt non poſſe fieri operationem, niſi qualitatibus medijs, & tam ex vna, quàm ex altera parte non deſunt rationes, & authoritates, quas nunc in medium afferre inutile, atque tædioſum eſſet.

Habetis multos authores vnam, & alteram partem defendētes; inter quos eſt Rudius libro de occultis morbis c. 3. Gerardus à Columba lib. de febre peſtilenti capit. 23. tutari conatur partem de actione ſubſtantiæ, & de morbis à tota ſubſtantia; è contra habetis Sanctorium lib. 8. meth. cognoſcendorū errorum pluribus capitibus.

Sed cum eorum controuerſia ſit potiùs verbalis, quàm realis, & in curatione huius malignitatis ſimul conueniant, quòd in inuentione medicamentorum refugiunt ad experientiam, non ad indicationem,videtur mihi fruſtra tempus conterere.

Nam quid refert cognoſcere malignitatem prodire à tota ſubſtantia, aut qualitatibus occultis, cum à neutro horum indicatio medendi aſſumatur, opuſque ſit ad putredinem, vel corruptionem, aut etiam excellentem putredinis gradū refugere, nec aliunde medicamenta accipere, quàm ab experientia, aut etiam analogiſmo; quæ ſunt duo inſtrumenta à medendi methodo aliena; ſed de hac materia fuſius tractabitur,vbi ſermo fuerit de febribus, & ſignanter de maligna febre.

Verùm quomodocumq; liceat malignitatem appellare, hoc loci tantùm inquirimus, cum pleuritis eſt maligna, quibus notis deprehendi poſſit ipſius malignitas.

Sed hoc loci difficultas quædam excitari poteſt; nam cum determinatum ſit malignitatem prouenire ab humoribus, & humor malignus duobus modis conſiderari poſſit, & vt habet rationem antecedentis, & coniunctæ cauſæ, ſi concedatur malignitatem pertinere ad coniunctam cauſam, & ipſa ſit de eſſentia ipſius morbi,dicendum quoque erit morbo conuenire malignitatem.

Conſequenter aſſerendum eſt ſuperfluè Galenum dixiſſe lib. 4. meth. med. cap. 6. magnitud nem morbi eſſe deſumendam à trip'ici capite, nempe ab excel-

cellentia partis affectæ, ab eſſentia mor bi,&à malignitate,quia cùm malignitas ſit de eſſentia morbi, vt dictum eſt, iam malignitas,& eſſentia morbi erit vnum, & idē, quare magnitudo morbi nō erit deſumenda ab eſſentia, cùm malignitas nō ſit diſtincta ab ea, ſat igitur erat Gal. dixiſſe magnitudinem morbi deſumi à parte affecta,& à malignitate;nam in ma lignitate includitur morbi eſſentia ; fru- ſtra igitur appoſuit magnitudinem ab eſ ſentia morbi eſſe deſumendam.

Reſpondetur, quòd quamuis cauſa coniuncta ſit de eſſentia morbi, non ta- mē malignitas eſt de ipſius eſſentia, quā dequidem diuerſa eſt ratio formalis ma lignitatis,& alia eſt ratio ipſius cauſę cō iunctæ,&alia denique eſt eſſentia morbi cauſa enim coniuncta ea eſt, qua poſita ponitur morbus,&qua ablata ipſe quoq; aufertur ; malignitas verò eſt qualitas quædā occulta ſuperueniēs humori ha- benti rationē cauſæ coniunctæ ; & eſſen tia morbi eſt receſſus à ſtatu naturali.

Cùm igitur malignitas,& eſſentia mor bi inter ſe ſint diſtincta, mirum eſſe non debet,ſi Galenus magnitudinem morbi ab ipſius eſſentia diſtinctam acceperit, & à magnitudine proueniente à ma- lignitate,necnon à magnitudine deſum pta ab excellentia partis affectæ,non igi tur ſuperfluus eſt Gal vbi affert tres ma gnitudines morbi ab inuicem diſtinctas.

Nam magnus ille eſt morbus,qui eue nit parti nobiliſſimæ,vt capiti, cordi, & huiuſmodi alijs, quæ pręcipuas in cor pore edūt operationes;magnus deinde eſt morbus, qui à natura multùm rece- dit,vt pleuritis dicitur magnus,quia in- flammatio eſt magnus tumor;deniq; ma gnus eſt morbus, qui eſt malignus, non igitur ſuperfluus eſt Galenus.

Sed iam accedamus ad ſigna demon- ſtrātia pleuritidem malignam, quæ Gal. authore lib.1.de criſ.c. 5. & lib. 1. aph. 12.deſumūtur ab exeūtibus per ſputum, & à modo exeundi. Ab exeuntibus qui- dē,quia ſi quę expuūtur,ſint nigro,autvi

A ridi colore pręd ita,maligna eſt pleuritis. Deinde, ſi vel non exeant ſputa, vel ſi exeant,id contingat cum magna difficul tate:ē cōtra benigna eſt pleuritis,ſi quæ expuuntur, rubicūda ſint, aut flauo colo re prædita;præterea ſi facilè,&citò expu antur:malignitatē etiam demonſtrat diffi cilis tolerantia, totius corporis iactatio, inappetentia, malè ſe habere ad oblata, delirare, ſæpè in animi deliquium incide

B re: hæc omnia malignitatem arguunt.

Circa partem affectam, cùm dictum ſit pleuritidem vnam eſſe veram, & ex- quiſitam, alteram veram, ſed non exquiſitam, & tertiam notham, in ex- quiſita, membrana coſtas ſuccingens læ ditur: in non exquiſita muſculi interco- ſtales interni; deinde in hac pleuritide percipitur motus pulſatiuus, quia in muſculis arteriæ inſunt, in quibus, vbi

C inflammati ſunt, percipitur motus pul- ſatiuus, qui nunquam in vera, & exqui ſita ſentitur; nothæ verò pleuritides co gnoſcuntur, vt antea diximus.

Demum adeſt pleuritis. per eſſen- tiam, quę diſtinguitur ab illis, quæ ſunt per conſenſum; nam vbi dolor fuerit a- cutiſſimus, nunquam remittens, neque aliqua ſit affectio totius corporis, aut

D partis alicuius, in quam referri poſſit cauſa doloris, tunc eſt pleuritis per eſ- ſentiam in ipſa pleura; quando verò ſit per conſenſum à toto, cognoſci poterit, quod aderunt ſigna, vel plenitudinis, aut cacochymiæ in toto corpore.

Sed ab aliqua parte fieri cognoſce- tur ex læſione partis præcedente, vt ſi in muliere retineantur menſes, inde ſub ſequatur pleuritis,dicitur eſſe per cōſen ſum ab vtero, ſic per partes affectas pro

E cedendum eſt ad ipſorum affectuum co- gnitionē,nempe ab actione,à ſymptoma te proprio,& à proprio morbo, & ex his concludetis partem hanc affectam fuiſſe.

Hac ratione procedentes, cognoſce tis non modò idæam pleuritidis, ſed magnitudinem, morem, ac partes af- fectas; nec non quando eſt per eſſen-

tiam, aut per conſenſum.

Modò cauſæ ſuis indicijs veniunt recognoſcendæ, quæ deſumi poſſunt à qualitatibus corporis mutatis, ab exeuntibus, ab anteacta vita, ab ætate, à complexione, & à iuuantibus, ac nocentibus medicamentis,

Qualitates faciei mutantur, ſi ſanguis ſit humor peccans, ad rubedinem vergit, venæ oculorum turgidæ apparent, ſapor in ore eſt dulcis, dolorque magis in aurora exaſperatur, complexio eſt calida, & humida, totius corporis habitus ſanguineus, ætas florens. Exeuntia cum alia per ſputum, alia per vrinam, & alia per ſeceſſum exeant, cōſideranda ſunt, maximè ſputamina, quæ rubicunda apparent ſanguine colorata, vrina quoque craſſa, & rubicunda, iuuantur ab his, quæ ſanguinem mittunt, & euacuant, victus ratio præceſſit, quæ apta fuit ſanguinem in corpore copioſum cumulare.

Bilis quoque recognoſcenda eſt ab iiſdem rebus; nam qualitates faciei ad pallidum, aut flauum colorem mutantur, in ore ſapor amarus percipitur, exaſperatur magis tertio quoque die, & ſignanter à meridie, habitus corporis gracilis eſt, & bilioſus, complexio calida, & ſicca, excreta omnia ſunt bili referta, vt ſputamina, vrinæ, fæces.

Iuuatur ab ijs, quæ bilem euacuant, aut ſaltem refrigerant, atque alterant; victus ratio fuit talis, vt bilioſum humorem colligere potuerit in corpore copioſum, hoc modo humores in corpore collecti recognoſci poſſunt, ſiue ſit ſanguis, aut bilis, ſiue alter humor, qui omnes proprijs notis deprehendi poſſunt, de quibus non eſt opus in præſenti longiorem habere ſermonem.

## DE FVTVRO EVENTV *pleuritidis*.

Nomine futuri euentus tria veniunt intelligenda, nempe euen-A tus, tempus euentus, & modus: euentus enim poteſt eſſe bonus ſimpliciter, & bonus ſecundùm quid, & malus ſimpliciter, & ſecundùm quid. Bonus euentus ſimpliciter eſt, ad ſalutem; bonus ſecundùm quid, eſt ad morbi alicuius trāſmutationem; malus ſimpliciter ad mortem, malus ſecundùm quid eſt ad mutationem in aliam morbi naturam.

Vt igitur rectum, quantum humano B ingenio permittitur, de futuro pleuritidis euentu iudicium facere poſſitis, opus eſt in primis conſiderare vires, quomodo ſe habeant, & morbi vehementiam: vires noſtrum corpus regentes cognoſcuntur ex facultatibus, vitali nempe, naturali, atque animali.

Ita quoque & vehementia huius morbi cognoſci poterit ex cauſis, & ſi- C gnis, tam pathognomonicis, quàm cōcomitantibus, & ſuperuenientibus, ab excretis, necnon à iuuantibus, & nocentibus medicamentis. Facultates verò cognoſcuntur ab operationibus; vitalis autem à pulſu, qui cum in pleuritide ſemper ſit ſerrinus, ideo Galenus 4. de præſag. ex pul. conſiderans illam ſerreitatem, vt ita loquar, dicebat eam vel remiſſam eſſe, vel non remiſſam, D ſed magnam.

Si primo modo indicium eſt inflammationem mollem eſſe, & ad mutationem tendere; ſi ſecundo modo ſignificat eam fore difficilem, & admodum crudam, quæ vel adiuncta eſt robori virium, vel cum earumdem languore: ſi cum virium robore, vel tardè coquetur, aut ſuppurabitur, vel tabidus factus æ- E ger in marcorem cadet: at ſi ſecundo modo fuerit, nempe cum languore virium, æger morietur, lib. de pul. ad tyrones.

Si verò pulſus magnopere durus fuerit, paruus, & creberrimus, nunquam poterit habere bonum euentum; vnde ait Auicennas, qui tales pulſus habent, ad mortem neceſſariò tendere, vt lib. 3. tex. x. tract. 4. cap. 7. ſcriptum clarè relinquit.

Ani-

Animalis facultas, quæ læſionem habet in rectricibus deprauatè, aut diminutè cum alijs prauis ſignis mortem prę nuntiat proximam; è contra verò ſi cum bonis ſignis adfuerit, ſanitatem, vnde habetis illud Hippocratis dictum, mente conſtare, & ad oblata benè ſe habere eſſe bonum.

Naturalis tandem ab excretis, quæ per ſeceſſum, & vrinam exeunt, cognoſcitur, de quibus paulo infrà; nam ſi bona, bonum euentum; ſi mala fuerit, malum prænunciat.

Ab excretis quoque accipitur futuri euentus certiſſimum indicium, & potiſſimùm ab ijs, quæ per ſputa excernuntur; in quibus conſideranda ſunt quatuor, nempe ſpecies humoris, qualitas, modus, atq; tempus exeundi. Quod ad humoris attinet ſpeciem, is vel venenatus eſt, ac malignus, vel minimè venenatus, & malignus: primo modo ſi fuerit humor exiens per ſputum, non poteſt eſſe bonus euentus; ſecundo modo vel ſanguis, aut bilis eſt, vel melancholia, aut pituita, quorum ſi primi humores fuerint, ſiue ſeiunctim, ſiue coniunctim, bonum euentum demonſtrant, at ſi pituita, aut melancholia cum ſputo exeat, vix bonum euentum habere poterit.

Vnde Galenus libro 1. de criſ. c. 5. dicebat, nigrum ſputamen in pleuritide malum euentum indicat, & mortem; quare ſanguis in pleuritide per ſputum exiens bonum euentum, nempe ſalutem ſignificat, at vbi bilis, aut pituita ſputo admiſceatur, poſſūt bonum, & malum prædicere euentum, prout alia ſigna concurrentia fuerint bona, aut mala.

Circa qualitatem, vel tenue eſt, aut craſſum excretum, quod exit, vel coctum, vel crudum, ſi coctum, euentus erit bonus, ſi crudum malus.

Modus quoq; exeundi conſiderandus eſt; nā vbi promptè, & facilè fit, bonū euentum denotat; è contra malum; vnde

A Hippocr. 2. prognoſticorum 43. dicebat ſcreationem in omni dolore circa pulmones, & coſtas, ſi promptè, & citò fiat, eſſe bonum; oſtendit enim dominium naturæ tam in digerendo, quàm in ſcreando.

Tempus quoque ſcreandi aliquid de futuro euentu demonſtrat, iuxta illud Hippocrates 1. aphor. in morbo laterali, ſi circa initium ſtatim ſputum
B appareat, bonum manifeſtat euentum.

A cauſis internis potiſſimùm euentus futurus quoque accipitur; ſunt enim cauſæ, vel ſanguis, vel bilis, vel pituita, aut melancholia; Galenus loquens de pleuritide ſanguinea lib. de conſtit. art. med. cap. 16. dicebat ſanguinem omnium humorum mitiſſimum eſſe, &
C ad concoquendum faciliorem: è contra pleuritis, quæ ab humore melancholico ortum duxerit malum euentum prędicere.

Nam vt dicebat Galenus 1. de criſ. 5. ſuccus atrabilarius, vbi alios ſuperauerit concoctu difficillimus, & ad purgationē ineptiſſimus eſt, vnde pleuritis ab hoc humore facta peſſimum euentū habet. Illa verò, quæ à bile, & pituita
D ſit, medium locum obtinet; poteſt enim habere, & bonum, & malum euentum; bonū quidem, ſi adſint alia bona ſigna, malum ſi hæc mala fuerint.

Accipitur etiam prædictio à ſymptomatibus, quæ vel ſunt pathognomonica, hoc eſt neceſſaria, vel concomitantia, vel ſuperuenientia, quæ ab Hippocrate mox apparentia dicuntur; vbi prima ſymptomata ſunt vehementiſſima, quæ
E aſſocientur à multis, & prauis concomitantibus, vt ſunt ſitis, immoderata vigilia, dolor capitis, delirium, & huiuſmodi, euentus malus prædicendus.

Si præcipuè ſuperuenientia ſint praua, vt cruditas tam in ſputis, quàm in alijs excretis, in vrinis nempe, & in fæcibus; ſi contrariæ ſint conditiones, ita vt ſymptomata neceſſaria ſint mitia,

aut

aut non ſint tam vehementia, neque concomitantia adſint, vel mitia ſint, appareantque coctionis ſigna in omnibus excretis, tunc eſt ſperandus optimus euentus.

Sed vnum adhuc conſideratione dignum videtur, ex Auicenna lib. 3. fen.x. tract.4.cap.1. quæ nam, ſcilicet pleuritis ſit peior, quæ dextrum, an quæ ſiniſtrum latus occupat? Verùm author hic, non ſolùm proponit pleuritidem dexteri, aut ſiniſtri lateris, ſed etiam peripneumoniam.

Sed quoniam argumenta, quę in medium adducit, non tam de cordis propinquitate, quàm de caloris vigore loquuntur, non minus vni, quàm alteri parti fauere videtur, proinde rem in vtroque caſu non vacare periculo certum eſt, & per conſequens vix determinari poteſt quæſiti veritas.

Nolo ampliùs tempus conterere, vos remittens ad eundem Auicen. locum, & ad Conciliatorem diff. 99. vbi pluribus oſtendere conatur in vtroque latere periculoſam eſſe, alia tamen, atque alia ratione, & id quod magis accuratè, & ſtudioſè inquirendum eſt, examinare me accingo, caput nempe de curatione, quod ſecundo loco propoſitum fuit.

## DE CVRATIONE PLEVRITIDIS, *per ſanguinis miſſionem.*

INdicationes deſumuntur à morbo, cauſa, & ſymptomate: dolor qui eſt ſymptoma, indicat ſui ablationem quã citiſſimam, qui auferri non poteſt, niſi morbus, à quo dependet auferatur; ille verò non poterit tolli, niſi ablata cauſa & coniuncta, & antecedente: ordo igitur curationis eſt, vt exordiamur à cauſæ ablatione, & primò auferenda eſt antecedens, & poſtea coniuncta, quæ eſt humor faciens inflammationem.

Cauſa antecedens, qui eſt humor ſanguineus, vel ſolus habet rationem cauſæ præcipuæ, vel ſimul cum bile, aut pituita, vel melancholia, hoc vt dictu, ſanguis bilioſus, vel pituitoſus, aut melancholicus, qui nequit alia ratione auferri, quàm per ipſius extra corporis euacuationem; euacuatur autem tam per pharmaciam, quàm per chirurgiam, nec non per diætam.

Auſpicemur ab euacuatione, quæ ſit chirurgiam, & inquiramus primò, an conueniat, deinde inuento, quod euacuandum ſit, deuenire oportet ad ipſius rectam adminiſtrationem, quæ conſiderat locum ex quo, quantum conueniat, quo modo, & quo tempore ſit emittendus ſanguis.

Quod ad primum ſpectat, an agendum veniat, hoc eſt, an ſanguis in pleuritide mittendus ſit; pauciſſimi ſunt authores exiſtimantes non eſſe adminiſtrandum hoc auxilium venæ ſectionis, & forſaſſe vnus inter dictos viros reperitur ſolus, qui neget ſanguinis miſſionem, eſtque Curtius Papienſis.

Sed temerarij huiuſmodi dogmatis pœnas ſuo rubore quandoque luit; nam dum Medicinam in almo Bononienſi Gymnaſio publicè interpretaretur, incidit in pleuritidem, & ad ſui curationem vocauit Benedictum Victorium Fauentinum, & alios illius temporis medicos, qui cognoſcentes ipſum eſſe in pleuritide, neque perincioſam illius opinionem ignorantes, apertè illi ſignificarunt morbum ſuum eſſe pleuriticam affectionem, veniſſeque omnes in hanc opinionem, quod mittendus eſſet illi ſanguis, nolle tamen id abſque ipſius conſilio exequi. Reſpondit ſe tunc non medicum, ſed ægrotantem agere: miſerunt illi ſanguinem, quo auxilio fuit liberatus: legite ipſum de curandi ratione per ſanguinis miſſionem.

Omnes igitur, & celebriores authores conueniunt in pleuritide eſſe mittendum ſanguinem, ſi adſit indicans, ac permittens. Sed circa rectum vſum non omnes conueniunt.

An-

Antequam de recta adminiſtratione verba faciamus, de medio tollendus eſt ſcrupulus quidam, qui exoritur ex ter- tio com. lib. 6. epid. tex. vltimo, re- ferente etiam Mercuriali lection. Piſa- narum ægroto 34. necnon ex lib. de hu mor. tex. 33. vbi ſcriptum eſt ſangui- neam pleuritidem prohibere ſanguinis miſſionem.

Reſpondet Galenus in com. pleuriti- dem aliam eſſe cum paruo ſanguine, a- liam cum multo. Prima eſt, quæ prohi bet ſanguinis miſſionem, cum ſit exi- guus, & paruus morbus; alia verò eſt, in qua mittendus erit ſanguis, & de hac in præſenti loquimur, necnon de alijs, in quibus adeſt ſanguinis biliofi, aut pi- tuitoſi, vel melancholici copia.

Determinandum igitur eſt, in pleuri- tide eſſe mittendum ſanguinem, propte- rea quod adeſt indicans, hoc eſt, vitiũ in ſanguine, vel in copia, aut in motu, vel in vtroque, ſi permittens adfuerit.

Circa rectam huius inſtrumenti ad- miniſtrationem verſandum nunc eſt, & primò circa vbi, hoc eſt, ex qua vena ſit mittendus ſanguis, eiuſdem ne lateris læ ſi, an oppoſiti?

De hac re multum certatum eſt non ſolùm inter Græcos, & Arabes, verùm etiam inter Latinos, tam antiquiores, quàm iuniores. Græcorum ferè omniũ ſententia, vno excepto Aetio ſer. 8. cap. 68. eſt, vt mittatur ſanguis ab eodem latere dolente.

Hippocrates totius medicinæ parens 2. acut. t. 10. apertè ſcripſit internam cubiti venam eſſe ſecandam; hancque internam eiuſdem lateris affecti Galen. in comment. eſſe determinat, quod idem pluribus in locis confirmat.

Hippocratem, & Galenum pleriq; & ferè omnes eruditiores ſectati ſunt. Auicennas verò fen x. lib. 3. tract. 5. cap. 1. ſcribit mittendum eſſe ſanguinem ex oppoſito latere, videlicet ex baſilica op- poſiti brachij, modò ex ſaphena lateris e- iuſdem, nonnunquam verò ex brachio la- teris læſi.

A Inter alios authores, qui de hoc ar- gumento ſcripſerunt, duo ſunt, qui ab alijs tam Græcis, quàm Arabibus, & Latinis, recedunt, & primùm eſt Veſſalius inſignis medicus, & Anatomi- cus lib. 3. cap. vij. de humana fabrica, & epiſtola quadam ad Philippum In- graſſiam, vbi ſcriptum reliquit ſemper mittendum eſſe ſanguinem à dextero la tere, & à vena baſilica, ſiue dolor ſit in B ſiniſtro, aut in dextro latere.

Amatus verò Luſitanus lib. 1. cen- turiarum, ſcholio 52. vult mittendum quidem ſanguinem eſſe à latere affecto, ſed ex vena quadam, quam ſe primùm obſeruaſſe profitetur, quæ propè iugu- lum inter axillarem, & iugularem ena- ſcitur media, ſed magis ab axillari ori- ri videtur, quæ inde obrepens in mul- C tas finditur venas, & in totũ corpus, cũ ramuſculis venæ ſine pari communica- tur, ab hacque vena ſemper mittendus eſt ſanguis, modò à dextris, modò à ſi- niſtris, prout dolor eſt, vel in ſiniſtro, aut dextero latere.

Vtriuſque authoris fundamentum vi detur acceptum à venæ cauæ inſigni, & famoſo ramo, qui azygos, hoc eſt, ſine pari, dicitur. Sed tamen diuerſimodè ſen D tiunt; nam Veſſalius, licet non ſit ſemper cõſtans, libro aduerſus Falloppianas ob- ſeruationes videtur ab hac ſententia recedere, ſed quia diuulgata magis eſt apud ſcriptores opinio illa, in qua dicit in dextero latere ſemper ſe- candam eſſe venam, opus eſt, vt afferamus ipſius fundamentum, quod ana- tomicæ adminiſtrationi innititur.

Hæc autem eſt, ſuppoſitum tanquam E veriſſimum, nẽpe venam magnam, quam cauam appellant à iecore tanquam à principio, ſanguinis ortum ſuum du- cere, deinde in duas portiones inſignes diuidi, quarum vna deorſum, altera verò ſurſum ſcandit.

Relicta illa parte, quæ deorſum de- ſcendit, quia ad propoſitum noſtrum m- nimè facit, accipio illam, quæ ſurſum aſcen-

aſcendit, quæ in plures ramificationes eſt diſtributa, quarum duæ, & primę in diaphragma ſunt diſtributæ, vtrinq; vna à lateribus venę cauę.

Deinde magis aſcendens ramum vnũ offert baſi cordis eam coronæ in modũ cingens, vnde coronalis dictus eſt huiuſmodi ramus, qui exiguus eſt.

Tertium ramum cæteris omnibus maiorẽ, dextero cordis ventriculo præbet, qui adeo magnus eſt, vt videatur magnitudine ſuperare venæ cauæ trũcum, quem conſiderantes grauiſſimi Anatomici, inter quos fuit Veſsalius, in eam ſententiam venerunt, vt exiſtimauerint hunc ramum eſſe truncum totius venę, & cum Ariſtotele crediderunt venam cauam ortum ducere à corde, cùm tamen ſit ramus ipſius venę, aut potiùs hiatio quædam inſignis in interna ventriculi cordis capacitate.

Sed hæc ſunt alterius conſiderationis, reuertor ad venæ diſtributionem, quæ eſt, quod poſtquam vena caua hunc magnum ramum in cordis dextrũ ventriculum inſertum reliquerit, quartum ramum à latere dextero emittat, tum alium, quem ſine pari appellant, & ab huiuſmodi ramo tam Veſſalius, quam Amatus maximè ſunt decepti.

Veſſalius quidem, eò quòd exiſtimauerit venam agygos, quemadmodum ortum ducit tota à dextris venæ cauæ, ita etiam diſtribui per thoracis partem dexteram, non autem ramos offerre ſiniſtræ parti, niſi pauciſſimos, & inferius, quare à venæ agygos ramis nutritur tantùm dextra pars, minimè ſiniſtra.

Quæ res cùm ita ſe ſe habeat, vena caua, poſtquam ramum ſine pari in dexterum latus deſtribuerit, ſurſum ad iugula aſcendens in duas inſignes ramificationes diuiditur, vtrimque ad brachia ramos diſtribuens.

Horum vnus tam à dexteris, quàm à ſiniſtris ſub axilla tranſit, & ad brachiũ permanat, à qua quidem ramificatione oritur in brachij cubito illa vena, quæ

A iecoraria, & baſilaris appellatur; alter verò ramus per iugula aſcendens in brachium diſtribuitur, & ab ipſo exoritur vena cephalica in cubito.

Reliqua verò venæ cauæ pars, poſt quam iugulum ſuperauerit, diſtribuitur in plures ramificationes, quæ ſurſum per ceruicem aſcendunt, & venæ iugulares externæ, & internæ dicuntur.

B Cùm igitur vena ſine pari à dextero latere oriatur, & in ipſum latus dextrũ magis diſtributa ſit, ſequitur, quod vena baſilaris brachij dexteri maiorem habeat cum vena ſine pari conſenſum, quã vena baſilaris ſiniſtri lateris; deinde quod ſit magis è directo: quare & ratione conſenſus, & ratione rectitudinis conuenit mittere ſanguinem ſemper à dextero latere, & à vena baſilica, ſiue

C dolor ſit in dextera, ſiue in ſiniſtra parte thoracis.

Hanc Veſſalij opinionem, vt erroneã multi reprobarunt: & ſignanter Luſitanus iam citatus, & ratio deſumpta eſt ab anatome, quæ demonſtrat venam ſine pari ortum ducere à dextero latere, vt Veſſalius ſcribit; quæ tamen æquè diſtributa eſt in duas partes æquales, vna ad dexterum thoracis latus;

D altera in ſiniſtrum in quamplures, & quaſi infinitas venas diuiſa, & ab vtraque parte plures ſurculi prodeunt nutrientes tam ſiniſtrum, quàm dexterum latus thoracis, quæ omnes à vena agygos ſanguinem recipiunt, & in totum thoracem diſtribuunt; neque alia in thorace reperitur vena, à qua ipſe poſſit nutriri.

E Et quamuis maior ſit conſenſus, & rectitudo venæ iecorariæ dexteri brachij cum vena agygos dicta, non propterea concludit, quod ſit mittendus ſanguis ex dextero latere, quando inflammatio fuerit in ſiniſtro, & ratio eſt, quia à venæ cauæ trunco, quà ad iugula in duas partes eſt diuiſa, ad vtrumque brachium totidẽ venas diſtribuit æqualiter; quare ſecta vena baſilari ſiniſtri lateris euacuat ſanguinem à trunco venę cauę, illa verò ab

agy-

agygos, & hæc à ſuis ramis maioribus, hinc ab alijs minoribus, vt tandem ab il-lis, quæ ſunt tam in pleura, quàm in mu-ſculis internis intercoſtalibus.

Atque hi ſunt, qui ſanguinem in has partes deponunt, à quo fit pleuritis; qua-re ſecātes venam iecorariam euacuamus venam agygos, & omne ſuos ramos, quamuis non adſit tanta affinitas ipſius agygos cum vena iecoraria cubiti ſini-ſtri, quanta eſt inter ipſam, & venā iecorariam dextri cubiti; habet tamen maio-rem conſenſum, cū venis ſiniſtri lateris, per quas fertur ſanguis inflammationem faciens, quam habeat iecoraria dextri lateris, & per conſequens citior, & fa-cilior ſequitur euacuatio, quā ſi ex dex-tero latere fieret ſanguinis miſſio: quan do igitur in latere dextro fit pleuritis, ex brachio dextero mittēdus eſt, & è cōtra.

Quod ad Amatum Luſitanum ſpectat, is duo ſupponit, quæ ambo falſa ſunt. Primum eſt, quod ad os venæ agygos re periatur valua, aut, vt dicunt, hoſtiolum, quod prohibeat ſanguinem à caua in a-gygos delatum in eandem cauam remea re; omnes enim Anatomici, qui poſt Amatum ſcripſerunt, huiuſmodi inuentū potiùs irrident, quàm reprehendant, quę valuula, cùm non adſit ex ſectione ve-næ iecorariæ euacuatur vena caua, & ip ſamet agygos.

Secundum eſt de inuentione illius ve-næ coniunctionē habentis cum ramulis venæ agygos, quàm à natura factam eſ-ſe dicit, ad hoc vt ex ipſius ſectione ho-mines liberentur à pleuritide, de qua ve-na nemo eſt, qui faciat mentionem, cùm nullo modo reperiri poſſit, & dato etiam, quod daretur, dico quod ex ſectio-ne ipſius, non poſſet euacuari ab agygos propter illam valuulam, quam ſupponit ad eius orificium eſſe.

Sed cum coniungatur illa vena ramu-lis agygos, eſſet neceſſarium, vt euacua-ret ab illis ramulis paruis, per quos ſan-guis fluit in pleuram, & tunc periculum eſſet, ne inflammatio augeretur, quia fie-

A ret attractio à vena agygos ad inflamma-tam partem; non eſt igitur, vt quæramus hanc venam, ſed ſecemus illam, quam iecorariam appellauimus.

Determinatum igitur fit ex Hippocra te, & Galeno in pleuritide eſſe ſecandam venam internam cubiti partis dolentis; nam ab ipſa fit euacuatio, reuulſio, & de-riuatio ad propinquam partem.

B Sed ad Aetium dicentem eſſe mitten dum ſanguinem ex latere oppoſito, dici-mus opus eſſe conſiderare inflammatio-nis conſtitutionem, necnon & partem demandantem, hoc eſt, à qua humor fluit in partem affectam. Conſtitutio, hoc eſt, quo tempore reperiatur inflammatio, an in principio, vel augmento, vel ſtatu: pars demandans eſſe poteſt caput, vel ie-cur, vel in mulieribus vterus.

C Si igitur fluxus ſit à capite, aut iecore, inflammatioque à principio, tunc ſan-guinis miſſio fieri debet ab oppoſito late re partis dolentis; idque docet Aetius, & ipſemet Auicennas, eritq; ſanguinis miſ-ſio reuulſiua.

At ſi ab hæmorrhoidibus obſtructis ſanguis feratur in thoracem, tunc mit-tendus eſt ex talo, aut poplite, quem-admodum ſi contingat inflammatio-

D nem fieri in muliere ob menſium ſup-preſſionem, & hoc eſt, quod Auicennas voluit præcitato loco.

Si verò inflammatio fuerit in aug-mento, aut ſtatu, tunc oportet mittere ſanguinem ex eodem latere affecto, vt dictum eſt, vnde Galenus de cur. rat. per ſanguinis miſſionem cap. 16. dice-bat, quibus pleuriticis adhibita fuit ſan

E guinis miſſio è directo lateris laboran-tis, clariſſimam ſæpè vtilitatem eueniſ-ſe, quibus verò facta fuit ex oppoſito la-tere, aut omninò obſcuram, vel tardam eueniſſe vtilitatem: & hæc de loco mit-tendi ſanguinis in pleuritide.

Quod ad quantitatem ſpectat, vide-tur aliqua difficultas; nam adeſt Hippo-cratis diuulgatiſſima authoritas lib. 2. acutorum tex. 10. vbi ſcriptum eſt, tan-

tum ſanguinis mittendum eſſe quouſq; multo rubicūdior,aut ex rubicundo factus ſit liuidus, & ratio huius mutationis adducitur à Galeno in comm. quæ eſt, quod cum ſanguis exiſtens in omnibus venis corporis ſit diuerſus ab illo, qui in parte affecta continetur, ex mutatione coloris apparet euacuationem attingere partem inflammatam, in qua ſanguis mutatur ob caloris abundantis actionem, reliquo ſanguine totius corporis intacto, atque immutato remanente.

Nam docente Galeno, ſi ſanguis pituitoſus fuerit in venis corporis; in parte inflammata rubicundior fiet; è contra ſi rubicūdior ſit in toto corpore, in parte inflammata, quia aduritur, & aſſatur ad nigrum mutatur, & in mutatione ad liuidum primò tranſit; nam Galeno authore, liuiditas eſt diſpoſitio inter nigrum, & rubrum colorem.

Ex altera parte eſt Aurelianus 2. acut. cap. 19. dicens hanc ſanguinis expectationem eſſe omninò inutilem, quod experientia comprobari poteſt; ſæpè enim obſeruatur, quod ſanguis primus, qui emittitur poſt ſectam venam, prauus eſt, ita vt primi vaſculi ſanguis totus corruptus appareat, è contra verò ſecundi vaſculi ſanguis melior ſit, quare hoc ſignum quod affert nobis Hippocrates non videtur eſſe certum.

Deinde eſt idem Hippocrates 3. de morbis, referente etiam Augenio libro de ſanguinis miſſione cap. 27. qui ſcriptum reliquit, quod, quando quis plagis percuſſus fuerit, vehementer ſanguis ſub plagam percurrit, & carnes eo implentur ſpongiæ in modum, quem non amplius remittunt, quod idem in inflammationibus contingere ait Galenus 13. meth. med. cap. 3. & 1. ad Glauc. cap. 1. quia ſanguis à magnis vaſis in minora fertur, ab his in minima, & tandem in carnes recipitur, qui vbi receptus fuerit, inflammationem gignit,

A nec amplius in venas remeare poteſt; quia nec rationi conſonum videtur; vt poſſit deinde in venas reſtagnare, à quibus iam exiuit, fruſtra igitur, & præter rationem eſt Hippocratis ſententia allata de expectatione mutationis ſanguinis in pleuritide, cum ſit inflammatio.

B Sed huiuſmodi obiectiones pauci ſunt momenti, & primò Aurelianus videtur deceptus, nec ſatis Hippocratis conſilium ſeruauit; nam nos conſiderantes experientiam, & actum miſſionis ſanguinis, videbimus veriſſimam eſſe ſenis authoritatem; quandoquidem ſanguis, qui inciſa vena è corpore exit, vel præſeruationis, aut curationis gratia mittitur. Si primo modo, nulla eſt expectanda mutatio, quia ſanguis

C euacuatur, ne temporis progreſſu ita in corpore augeatur, vt non poſſit à natura regi, & conſequenter corrumpatur.

Si ſecundo modo, vel adeſt febris abſque partium internarum inflammatione, aut cum inflammatione earundē: ſi adeſt febris, ſāguis corruptus primùm exit, eò quòd natura ad partes corporis ſuperficiales ſemper tranſmittit, quantum poteſt humores putrefactos, ac cor

D ruptos; ideo ſanguis, qui exit, putridus, & corruptus eſt; deinde exit mutatus, & minimè corruptus, & ad meliorem colorem conuerſus.

Vnde eſt, quod videtis ſæpè peritos miſſionis ſanguinis, vbi mittunt in febribus ſanguinem, dicere eſſe expectandam eius mutationem ad meliorem ſubſtantiam, & colorem, obſeruantque; quod vbi is exiens non mutetur ad me-

E lius, rem eſſe in difficili poſitam, & caſum ferè deploratum.

Si ſecundo modo, hoc eſt, ſi febres ſint cum alicuius viſceris inflammatione, tunc vel febres ſequuntur ad inflammationes, aut inflammationes ſequuntur febres. Si primo modo, vel inflammationes remotæ ſunt ab illa parte, à

qua

qua debet mitti ſanguis; vel admodum propinquæ.

Si remotæ ſint inflammationes à brachio, & à vena, quæ ſecanda eſt; non expectetur mutatio in ſanguine, quia nimia copia ſanguinis euacuaretur, antequam poſſet mutari color illius, & hoc modo Aurelianus rectè dixit inutilem foré mutationis expectationem.

At ſi ſecundo modo res conſideretur, hoc eſt, inflammatio propinqua ſit venæ ſecandæ, quemadmodum in præſenti propoſito caſu, in quo antequàm exeant octo vnciæ ſanguinis, mutatio ipſius animaduertitur; nam ſecta vena baſilica lateris affecti, breue adeo eſt ſpacium inter partem affectam, & venam iecorariam, vt facilè obſeruetur mutatio, & breui tempore; quia ſanguis, qui in parte inflammata eſt, à ramulis paruis, ad maiores, inde ad truncum agygos, ab ipſo in venam cauam, & ab hac ad venam ſectam fluit, poteſt expectari mutatio.

Quare Hippocratis conſilium in hoc caſu veriſſimum eſt, quia tam breue eſt ſpacium ab inflammatione ad venam brachij iecorariam, vt facilè ſanguis, qui eſt in parte inflammata, ad ipſam venam ſectam, abſque vlla ſui mutatione feratur, hoc eſt dictu, quod qualis eſt in parte affecta, talis per venam ſectam exit. Rectum igitur eſt conſilium Hippocratis, vt expectetur ſanguinis mutatio, tantumque ſanguinis mittamus, vt ex rubicundo rubicundior, inde & liuidus fiat.

Atq; ideo Aurelianus reprehenſione dignus eſt, quòd ad pauca reſpiciens, tam facilis fuerit in reprehendendo Hippocrate, qui omni eſt laude dignus.

Tandem ſi febres ſint eſſentiales, ad quas ſequantur partium internarum inflammationes, quacunque in parte fuerint, indicium eſt, in penitioribus partibus adeſſe ingentem in humoribus putredinem, quæ ex ſanguinis miſſione euacuari nequit; ideo non eſt expectanda mutatio.

Ad Hippocratem de morbis facilis eſt reſponſio; nam ſanguis, qui eſt in loco inflammato, vel in venis adhuc conſiſtit, vel extra venas, qui vel nondum impactus eſt, vel iam impactus.

Si adhuc in venis eſt, dico, quod ſucceſſione quadam ad id ſanguinis, quod exit, poteſt & ipſe ſuccedere, & eſt, qui mutationem à colore inflammatorio ſuſcipit pro varia ſui diſpoſitione, & caloris maiori, & minori actione.

Si verò exierit ſanguis extra venas, neque adhuc impactus, tunc poteſt in venas reſtagnare, & ad venam ſectam fluere; at ſi impactus fuerit, nequit amplius venas ingredi, quinimo à parte ipſa amplius remoueri non poteſt, & de hoc ſanguine venit intelligenda illa Hippocratis ſententia 3. de morbis, recte igitur ab ipſo ſtatutum eſt, oportere mittere tantum ſanguinis, quouſque mutatus fuerit colore.

At inuento, quod mutationem in ſanguine expediat expectari, opus eſt, vt videamus, quid de modo mittendi ſanguinis ſit determinandum? An ſcilicet totus ſemel, an pluribus vicibus ſit euacuandus?

Reſpondendum eſt, quòd debemus conſiderare robur virium, & ſanguinis peccantis copiam, ac ſi vires ita valeant, vt poſſint vnica vice ſufferre totius ſanguinis euacuationem, tunc totus auferendus eſt, ſi verò non valeant, tunc facienda eſt illa ſanguinis repetitio; quam Græci epaphæreſim vocant, eaque toties repetenda, quouſque ſatisfactum ſit ſanguinis peccantis multitudini.

De tempore agendum vltimo loco occurrit, hoc eſt, quando ſit mittendus ſanguis, de qua re videtur inter grauiſſimos authores diſcordia; nam omnium præceptor Hippocrates 2. acutorum text. 1. voluiſſe videtur primùm eſſe applicanda in parte externa fomen

ta. Idem videtur voluiſſe Trallianus: & Auicennas lib. 1. fen. 4. doctrina 5. cap. 2. ſcriptum reliquit ex ſcriptorum quorundam authoritate, vbi volueris euacuare, primò ſeda dolorem.

E contra verò ex Galeni authoritate dicunt eſſe primò mittendum ſanguinem, quia dolor eſt vehemens, in quo auferendo ait ipſe lib. 2. aph. 23. nullum poſſe præſtantius reperiri præſidium; at in pleuritide dolor eſt vehementiſſimus, ergo primùm mittendus eſt ſanguis.

Deinde vbi adeſt indicans præſens, atque permittens, ad ſanguinis miſſionem deueniendum eſt. His adde, curationem ſemper eſſe incipiendam ab vniuerſaliori, cui addenda eſt particularis adminiſtratio; atqui ſanguinis miſſio eſt medicamentum vniuerſale; & fomentorum applicatio eſt particularis, ergo ſequitur eſſe primò ad ſanguinis miſſionem deueniendum.

Hæc difficultas eſt alicuius conſiderationis, quam Capiuaccius conſiderans dicebat oportere dolorem comparare cum ſanguine mittendo; nam ſi dolor magis vrget, pluſque poſſit, quàm ſanguis mittendus, tunc prius auferendus eſt dolor; & è contra ſi magis poſſit ſanguis, quàm dolor, tunc primò mittendus eſt ſanguis.

Et ſubdit, quãdo vena, à qua ſanguis mittendus venit, ſit longè diſtans à dolore, dicitur dolor magis poſſe, quàm ſanguis ille, qui tam remotus eſt; nam à tam longis partibus emiſſus, vel nullum, aut tardum affert auxilium.

Sententia Auicennæ intelligenda venit de ſanguine illo, qui à longinquis partibus eſt mittendus, qui cum dolori nullum afferat iuuamentum, melius eſt, vt auferatur dolor, antequàm ſanguis mittatur: è contra verò vbi ſanguis à vena proxima eſt mittendus, tunc plus poteſt ſanguis, quàm dolor; nam per venam illam proximam euacuatur ſanguis faciens dolorem.

Quando igitur Galenus ſtatuit eſſe mittendum ſanguinem, intellexit de illo dolore, in quo magis ſanguis vrget, hinc iubet mittendum ſanguinem eſſe in vehementiſſimis doloribus à proximiori vena.

At huiuſmodi reſponſio non tollit difficultatem; nam Hippocrates, & Auicennas non conueniunt, ſi tamen Auicennæ hæc ſit opinio, quæ mihi admodum ſuſpecta videtur, ſiquidem cap. 5. fen. 4. libri primi de hac re nihil loquitur, nec in 4. capite verbum habet, in quibus loquitur de regulis euacuandi per omne medicinæ inſtrumentum.

Sed ſupponamus Auicennam ita loquutum fuiſſe; dico non eandem habere ſententiam cum Hippocrate, quandoquidem mens huius hoc in loco, non eſt perſuadere medicis, vt antequàm mittant ſanguinem, velint prius ſedare dolorem.

Sed intendit ſolummodo docere medicos, vt quando dolor non eſt vehementiſſimus, neque ſigna adſint ingentis plenitudinis in corpore, tunc apponenda in primis eſſe fomenta thoraci; nam ſi adfuerint, ex appoſitione horum augebitur dolor, ſi non adfuerit ſedabitur, aut ſaltem diminuetur.

Dolor, ſi adſit, & plenitudo, ſanguis tunc mittendus venit; at ſi non adſit, fruſtra tentatur ſanguinis miſſio, cum poſſit dolor ſolis fomentis auferri. Auicennæ verò ſenſus eſt, vt auferatur dolor, antequam ſanguis mittatur: quare diuerſa eſt Hippocratis ſententia ab ea Auicennæ. Hippocrates enim vult, vt fomentis exploretur, an adſit plenitudo magna in corpore, quæ ſi inueniatur, mittendus eſt, Auicennæ verò eſt, vt primò auferatur dolor, deinde mittatur ſanguis.

Itaque vbi adeſt ingentiſſimus dolor ex Hippocratis mente abſque fomentis eſt mittendus ſanguis, id quod tex. 10. apertè indicat vbi dicit, ſi dolor ad clauiculam feratur, ſtatim ſanguinem mit-

mittendum, quod eſt id, quod Galenus docuit, nempe in principio ſtatim ad ſanguinis miſſionem deueniendum eſſe, quia tunc adeſt in ſanguine vitium, nempe reſpectu quantitatis, & motus, quæ ſunt indicantia ſanguinis mittendi, quibus præſentibus, nulla facta fomentorum experientia, ſanguis mittendus eſt virtute conſentiente: deinde fomenta, & alia auxilia exteriora ſunt applicanda, potiſſimùm in exquiſita pleuritide, & maximè ſi à ſanguine ortum ducat.

Atqui ſi dolor ſit lateralis, non exquiſitus, & externus magis, eueneritq; ab aliqua alia cauſa, quàm à ſanguine, aut ſanguine bilioſo, vt à pituitoſa aliqua materia grauante, aut etiam extendente, non exiſtente in corpore ſanguinis plenitudine magna, nihil prohibet, quin applicentur fomenta ad diſcutiendam materiam, quæ tamen ſi diſcuti nequeat, augeaturque dolor, ſanguis mittendus eſt.

Itaq; dicendum eſt pleuritidem aliam eſſe exquiſitam, aliam notham. In exquiſita, exiſtente plenitudine cum vehementiſſimo dolore, primò ad ſanguinis miſſionem deuenire oportet, at vbi non appareat adeſſe tantam plenitudinem, fomenta adminiſtranda ſunt tentandi cauſa.

Si verò non fuerit exquiſita, ſed notha, neque ortum ducat à plenitudine ſanguinis, ſed vel à pituitoſo humore, aut à flatu, nihil prohibet, quin fomenta adminiſtrentur diſcutiendi cauſa, ad doloremque auferendum: & hæc de inſtrumento chirurgico, deque eius recta adminiſtratione.

## DE CVRATIONE PLEVRITIDIS, *per Pharmaciam.*

DE adminiſtrando pharmaceutico inſtrumento ſunt etiam lites inter ſcriptores, quæ ab Hippocratis, & Galeni verbis ortum ſuum duxerunt;

A Hippocrates enim 2. acutorum ij. ſcriptum reliquit, dolore deſcendente ad hypochondria ad medicamentum purgans confugiendum eſſe, ſed quia Galenus non admodum facilis eſt in hac materia determinanda, opus eſt, vt videamus, quid faciendum, tam ex Hippocratis, quàm ex illius mente.

Aliqui ſunt non ſpernendi authores exiſtimantes Hippocratem, vbi dicit
B deſcendente dolore ad hypochondria, purgandum eſſe elleboro, aut peplio, vel vtroque ſimul, non eſſe loquutum de pleuritide, ſed de alio dolore, quare non poſſumus inquirere, an purgandum ſit, niſi priùs determinemus intentionem Hippocratis eſſe loqui de pleuritide.

Deinde vbi inuentum fuerit opinionem eorum eſſe falſam, Hippocratis
C verò eſſe veram, inquirendum erit, an agendum veniat per hoc inſtrumẽtum, & vbi inuentam fuerit eſſe purgandum, tunc ad rectum vſum, & rectam adminiſtrationem pergemus, an ſcilicet purgandum ſit cruda adhuc exiſtente materia, an debeamus expectare coctionem.

Vbi verò id determinatum fuerit, inquiremus adhuc, num quemadmodum
D Hippocrates determinat eſſe purgandum, deſcendente dolore ad hypochondria, liceat quoque eodem deſcendente dolore mittere ſanguinem; & è contra aſcendente dolore ad iugulum debeamus purgare?

Hippocrates enim prebuit nobis hanc inquirendi occaſionem, quia tantummodo dicit aſcendente dolore eſſe mittendum ſanguinem, nihil de purga-
E tione loquutus, pari ratione ſcribit, deſcendente dolore eſſe purgandum, nihil de sãguinis miſſione addẽs, meritò igitur vtrumq; inquirẽdum à nobis eſt.

Venio ad authores exiſtimantes Hippocratem hoc in loco, aſſerere eſſe purgandum elleboro, aut peplio, vel vtroque, non in dolore pleuritico, ſed hy-

po-

pochondrij alicuius. Primus horum eſt Franciſcus Valleſius 2. acutorum tex. 11. alter Horatius Augenius lib. 2. epiſt. & conſult. medicarum epiſt. & cap. 2. 3. & 4. ratio eorum eſt, quia dolor deſcendit ad hypochondria, quæ ſunt extra thoracem, nempe in abdomine, cum igitur dolor tranſcendat thoracis regionem, non poteſt dici, quòd ſit dolor pleuriticus, qui fit in membrana coſtas ſuccingente.

Puto eſſe reſpondendum duobus modis, primò aliud eſt dicere dolorem tendere ad hypochondria, & aliud eſt dicere ipſum eſſe extra thoracem in hypochondrijs. Sermo Hippocratis eſt, quod dolor ſit quidem in pleura, ſed in ea parte, qua hypochondria reſpicit, quę adhuc eſt in thorace ſupra ſeptum tranſuerſum, non autem dixit dolorem eſſe in hypochondrijs ſub thorace, tunc vera eſſet horum doctorum ſententia, quæ falſa ex dictis apparet.

Secundò modò dici poteſt pleuram amplecti totam thoracis capacitatem, & ſuperius, & inferius: in ſuperiori parte terminatur ad iugula, inferiori verò extenditur ad internam muſculi diaphragmatis ſuperficiem, quæ cùm magno ſuo ambitu deorſum deſcendat per omnes vertebas lumborum, ad os ſacrum vſque, & cùm membrana iam dicta, mirum eſſe minimè debet, ſi vbi inflammata ſit, doleatque, dolor ipſius ad hypochondria vſque extendatur.

Quare non eſt neceſſarium, quod dolor ſi communicetur hypochondrijs, ſit in illis, & per conſequens extra thoracem, ſed eſt in thorace, & extenditur ad hypochondria vſque, dicimus igitur cum medicorum communi opinione Hippocratem in hoc tex. loqui de dolore pleuritico tantùm.

Circa pharmaceuticum inſtrumentũ Hippoc. rem determinat, dicens oportere corpus purgare dolore deſcendente, & eandem confirmat ſententiam 4.

A acutorum contextu 76. vbi etiam quartum diem deſignat, quare ex Hippocr. mente purgandum eſt, ſed tempus ſpectat ad rectam adminiſtrationem, nunc an agendum ſit, proponitur, & ex Hippocrate affirmatur agendum eſſe.

Verùm hæc Hippocratis ſententia aliquas habet difficultates à Galeno primùm excitatas in commentario, vbi B inquit ab operatione eſſe abſtinendum, quæ periculis plena ſit, quemadmodum purgatio eſt; nam alij ſunt, qui difficillimè à medicamento purgantur etiam validò, alij è contra à debili medicamento facilè, & nimium purgantur, quare à medicamento abſtinendum.

Succedit, quod in pleuritide febris eſt vehemens, in qua à calorificis medicamentis cauendum, cum poſſint febrem ſuo calore augere.

C Tertiò videtur adeſſe contrarietas in dictis Hippocratis; quia 1. aphoriſmorum 24. ſcribit raro in acutis morbis, & in principio purgandum eſſe; pleuritis eſt acutus morbus, ergo raro in principio purgandum.

Addo, quod Galenus in commentario ſcriptum reliquit, quod præcepta, quæ ab Hippocrate traduntur in exhibendis præſidijs in pleuritico morbo, D ſunt quidem ad memoriam mandanda, non tamen ijs perpetuò vtendum, cùm ſimus in acuto morbo, in quo raro purgandum eſt, vt dictum fuit, non igitur vera eſt Hippocratis ſententia 2. acutorum.

Sed breuiter dicendum eſt purgationem inſtituendam eſſe, quando adeſt indicans, & permittens. Indicans in E hoc caſu eſſe poteſt, vel cacochymia biliosa, vel pituitoſa, vel melancholica, aut mixta: hæcque peccare poteſt dupliciter, vel quantitate, aut motu, hinc purgatio inſtituenda venit cauſa euacuandi, aut reuellendi, vel deriuandi: hæc eſt triſtiſſima Galeni doctrina.

Si quantitas nimia ſit, quæ à natura euinci nequeat, è corpore eſt deturbanda,

da, verùm cum hac præmeditatione, & conſilio, vt animaduertamus, an tenuis ſit, an verò craſſa, lenta, & difficilis ad ſequendam medicamenti purgantis attractionem. Si primo modo medicamento purgante ſtatim eſt educenda, atqui ſi vel craſſa, vel lenta fuerit, tunc præparanda eſt auxilijs idoneis, deinde expurganda.

Si eadem materia quantitate peccans maligna fuerit eò citius eſt purganda.

Si verò mouetur; vel turget propriè, vel impropriè: turgere propriè eſt, quando materia ita impetuosè fertur, vt periculum adſit, ne præceps in aliquam partem labatur. Non propriè turgere eſt, quando materia mouetur ab vna parte determinata in alteram, tamquam à termino à quo in terminum ad quem. In vtroque caſu purgandum eſt, ſiue propriè, ſiue impropriè turgeat materia.

His ſtantibus fundamentis materia faciens pleuritidem poteſt eſſe cocta in principio, vt ex Galeno apparet lib. 1. de criſibus 1. & 1. aphor. 12. in quibus locis dicitur ſputum facilè exire, & promptè, quod indicium eſt coctionis, quare à principio in pleuritide euacuanda eſt materia, quia concocta.

Hinc eſt, quod non ſine apparente ratione multi authores dicunt Hippocratem inſtituiſſe purgationem deſcendente dolore ad hypochondria, quia iam concocta eſt materia, aut ſaltem aliquæ eius portiones, quarum gratia inſtituitur purgatio, vt Capiuaccius, & Syluanus dicunt abſq; turgentia.

Quando materia cocta eſt purganda venit; nunc materia, quæ facit morbum cocta eſſe poteſt, ideo per ſputum eſt educenda, ſed ſermo purgationis eſt de cauſa antecedente, non de coniuncta.

Iſti duo viri æquiuocant in cauſis; nam antecedens à principio non poteſt eſſe cocta, quamuis coniuncta poſſit eſſe.

A Meritò igitur euacuandi cauſa in pleuritide inſtituenda eſt purgatio, per ea medicamenta, quæ per ſputum ducunt, expectorantia vocata. Neque eſt inconueniens, quod in principio potiſſimùm, quando extenditur ad quartum vſque diem, materia benigna ſit concocta in thorace, in quo adeſt fons caloris naturalis, & quo breui fiunt coctiones; id quod etiam obſeruatur in B inflammationibus veris factis à ſanguine, quæ ſpatio bidui ſuppurantur, licet in pleuritide à principio expurgare oporteat, vt materia iam cocta euacuetur non per ſeceſſum, verùm per ſputum.

De materia autem maligna nihil eſt, quod dicamus, cùm aliàs à nobis in regulis vniuerſalibus demonſtratum fuC erit ex omnium ferè conſenſu ſtatim purgandum eſſe, quod fuſiùs oſtenſum libro Miſcellaneorum Decade 7. cap. de febre maligna.

Neque loquimur nunc de materia maligna, ſed de pleuritide, in qua adeſt cacochymia, ſiue biliosa fuerit, ſiue pituitoſa, ſiue melancholica, quæ eſt in continuo fluxu, & turgere dicitur impropriè, in qua quidem Galenus 4. acutorum tex. 76. reprehendens Autho- D rem huius libri dicentem purgandum eſſe in quarto die, ſtatuit indicationem purgandi non eſſe accipiendam à dierum numero, ſed ab humorum fluxu, hinc eſt, quod primo quandoque die, & ſecundo, & quarto, & etiam quinto die apertè ſe purgaſſe ſcripſerit.

Quare in purgatione inſtituenda ex Hipp. & Gal. duplex eſt indicans, quan- E titas nempe materiæ, & motus humoris à termino à quo ad terminum ad quem, quare purgatio vna eſt euacuatiua, altera reuulſiua, aut deriuatiua. Reuulſiua quidem, quia à thorace ad ventriculum à medicamento trahitur humor, inde ad inteſtina expellitur.

Poteſt etiam dici deriuatiua ob pro-

pin-

pinquitatem ventriculi attrahentis cum ipſo thorace; nam vbi medicamentum in ventriculo ad actum redactum fit, trahit à venis meſeraicis, iſtæ à porta, hæc à iecore, iecur à trunco venæ cauæ, vena caua à ramo agygos, at agygos à ramis ſuis trahit, qui per pleuram,& muſculos intercoſtales ſunt ſparſi; hi denique ab inflammatione.

Quare hæc materia attrahitur ad ventriculum, tanquam ad partem ſibi propinquam, quia verò inferior eſt thorace, ideo poteſt dici, quod fiat reuulſio à parte ſuperiori ad inferiorem: rectè igitur ab Hippocrate dictum eſt deſcendente quidem dolore eſſe expurgandum.

Ad Gal. rationes in oppoſitum allatas dicimus, quod non omnis purgatio periculoſa eſt; ſed illa, quæ fit ſine conſideratione, ac neceſſitate; nam vbi adſit indicans,& permittens, ſitque medicamentum ſæpiùs probatum, nullum vnquam ſequi poterit inconueniens, maximè ſi conſiderauerimus anni tempus, regionem, ætatem, habitum, conſuetudinem,& etiam indiuidui aliquam proprietatem.

Ad ſecundum dicimus, quod quamuis pleuritis ſit acutus morbus, in quo calorifica medicamenta non debent adminiſtrari, ſunt tamen noſtris temporibus medicamenta valde benigna tam ſimplicia, quàm compoſita, quæ euacuant ſine calore, imo quædam habentur frigida, vt eſt mirob violatum, caſſia, manna,& alia, quorum frequens eſt vſus.

Ad tertium, vbi dicitur raró eſſe purgandum in acutis, reſpondeo, quod acuti morbi alij ſunt, qui ſiunt à defluxu humorum, alij minimè. In prioribus purgandum eſt reuulſionis, & deriuationis gratia, vt dictum eſt; in alijs verò non, niſi quando turget materia, aut maligna eſt, aut nimia quantitate peccans, vt ſuperari à natura minimè poſſit, aut quando eſt cocta, quæ raró contingere

A conſueuerunt. In hoc caſu ſumus in morbo ex defluxu, in quo purgandum eſt, vt dicebat Gal. antequam materia quieſcat.

Vbi verò dicitur Hipp. non eſſe ſemper imitandum in morbis pleuriticis; id intelligendum eſt de materia medicamentorum, quæ ſuis temporibus erat vehemens, & valida, nec vſurpanda, niſi maxima vrgente neceſſitate.

B Sed cùm determinauerit Hippocrates aſcendente dolore ad clauiculam eſſe mittendum ſanguinem, dolore verò deſcendente ad hypochondria eſſe purgandum, percontabitur me quiſpiam, veſtrum, vtrum aſcendente dolore ad clauiculam ſit purgandum, & è contrario deſcendente eadem materia ad hypochondria veniat mittendus ſanguis?

C Multi ſanè authores exiſtimant iuxta Hipp. & Gal. mentem, dolore aſcendente non eſſe purgandum, ſed tantùm deſcendente, quia dicunt humores tenues, qui ſurſum tendunt, magis idonei ſunt, vt per ſanguinis miſſionem vena ſecta ferâtur; è contra verò deorſum deſcendentes frigidi, atq; craſſi, magis ad expurgandum apti ſunt, ideoque nunquam audent mittere ſanguinem

D deſcendente dolore ad hypochondria, ob venam agygos, quam dicunt eſſe inter cor, atq; iecur.

Cum enim ab illa vena agygos fluxus materiæ facientis pleuritidem procedat, ſi mitteretur ſanguis ex brachio, primùm vena caua traheret à corde, cor à vena agygos, inde ſequeretur illam repleri ab hoc prauo ſanguine, & inde ſyncope, & mors ſequeretur.

E Sed priores decipiuntur; quia humores tenues non ſunt illi, qui indicant ſanguinis miſſionem, ſed copia ſanguinis, aut eiuſdem motus, quare cum vnum ex his adſit, virtuſq; permittat, nihilque ſit, quod contra indicet, ſanguis mittendus eſt, ſiue aſcendat, ſiue de-

deſcendat dolor; quemadmodum etiam præſente indicante, & permittente, purgandum; quia non ſolùm humores craſſi, & frigidi, ſed etiam tenues, vt patet ex ſupra allatis, purgandi ſunt.

Secundi etiam maximè decipiuntur, exiſtimantes agygos eſſe infra cor, cùm ſit primus ramus, & ſolus venæ cauæ poſt cor, vnde etiam Galenus in hoc allucinatus eſt putans venam agygos in homine eſſe infra cor, & ſupra iecur, vt in brutis contingit.

Cùm res ita ſe habeat, vt vena agygos ſit ſupra iecur in homine; miſſo ſanguine à cubitali aliqua vena (à iecoraria potiſſimùm, vt ſupra dictum eſt) fit, vt attrahatur ſanguis à trunco venæ cauæ, qua deinde ab agygos, vnde inflammatio in thorace ortum ducit, ſiue materia ſurſum, ſiue deorſum tendat, euacuata, ſui quoq; rami ad latera thoracis extenſi euacuantur neceſſariò: poteſtq; etiam trahi à cordis dextro ſinu, & ſucceſſiuè ſanguis.

Atqui ſi eſſet infra cor, inter ipſum, & iecur, vt dicebat Galenus, & pleriq; alij, non euitaretur difficultas propoſita: quamuis dici poſſet cordis facultatē validam eſſe ad expellendum, quod illi euenit præter naturam.

Nam vbi agygos ſupra cor ſit, medicamentoq; vtamur purgante, fit, vt medicamento ſucceſſiuè trahente à vena porta, deinde à iecore, mox à vena caua, quæ trahit à corde primùm, cor verò ab agygos, periculum quidem exurgat, ne cor trahat humorem illum ab agygos; nam primò cor euacuaretur, deinde vena agygos, periculumq; eſſet, ne materia ab agygos euacuata in cor traheretur, id quod fieri minimè poteſt ipſa ſupra cor è dextro venæ cauæ latere exiſtente.

Cum igitur iſtud inconueniens euenire nunquam poſſit, fit, vt in medicina facienda, indicante præſente ſanguinis mittendi, ſimulque permittente ſiue dolor aſcendat, ſiue deſcendat, ſanguinem neceſſariò mittamus.

Idq; de purgatione dicendum quoque eſt; nam vbi adſit indicans, permittatq; virtus ad medicamentum purgans eſt deueniendum; & hæc eſt Hipp. Gal. & Auicennæ, & omnium meliorum authorum vera, & legitima determinatio.

De hoc argumento plerique medici tractarunt, quorum maior pars tenet, quod aſcendente dolore ad claiuculam, pectus, manum, & brachium eſſe deueniendum ad ſanguinis miſſionem, eo verò deſcendente ad hypochondria, & ventrem inferiorem eſſe vtendum pharmaco expurgante, quorum aliqui exiſtimarunt ad mentem Hippocratis, & Galeni numquam eſſe ad purgationem deueniendum, quando materia ad prædictas ſuperiores partes aſcendit, quod ſucci calidi, magiſq; vt per ſanguinis miſſionem educantur apti, ad haſce ferantur; è contra autem deorſum magis illi, qui frigidi ſunt, atque craſſi, aptique, vt per expurgationem à pharmaco factam deſcendant.

Quare iure merito illi ſanguinem mittunt, iſti verò purgant; nunquam enim in pleuritide dolore deſcendente ad hypochondria ſanguinem mittunt propter venam agygos, quam dicunt eſſe inter cor, & iecur, ideo à venis brachij putant primùm trahi ſanguinem à corde, antequam à vena agygos ſanguis euacuari poſſit, quare nullum exiſtimant inde poſſe haberi auxilium.

Sed valde decipiuntur; nam vena agygos à vena caua erumperet ſtat m, poſtquam hæc de ſe emiſiſſet venas illas duas, quas offert ad diaphragma, cum ſint iſtæ duæ priores ramificationis venæ cauæ ſurſum aſcendentis, deinde ſubſequeretur agygos, ſed non ita ſe res habet in homine, ſed vt ſupradictum eſt; venæ enim ad diaphragma ſunt primæ, deinde ſequitur coronalis, tertiò vena, quæ hiat in cor, & quartò ſuccedit vena agygos, ideſt ſine pari.

Non deſunt alij, qui Galeni authoritate innixi dicant, quòd quando dolor ad præcordia, ſiue, vt illi dicunt, ad hypochondria deſcendit, vena ſit ſecanda; quia ſcribit 2. acutorum 11. minus periculoſam eſſe ſanguinis miſſionem, quamuis minus ſequatur inde auxilium.

E contra purgatio, licet maius ferat ægrotis emolumentum; nihilominus plena eſt periculis; nam ex cathartico alij difficulter natura purgantur; alij modico aſſumpto medicamento purgantur copioſè; quo magis abſtinendum eſſe dicunt, quòd febris ſit vehemens.

Alij verò arbitrantur eſſe in vtroque caſu tam aſcendente, quàm deſcendente dolore, & ad ſanguinis miſſionem, & ad purgationem (pro indicantis naturæ diuerſitate) deueniẽdum; nam vbi adſit indicans ſanguinis mittendi, & vbi adſit indicans purgandi cum permittente, vnum, vel aliud, vel vtrumq; fieri debet.

Verùm adeſt Hippocratis authoritas tum lib. 2. acutorum tex. x. & xi. nec non 4. eiuſdem 73. 74. 76. vbi videtur de vtraque hac operatione determinare, nempe aſcendente dolore ad iugula eſſe ſanguinem mittendum, deſcendente ad hypochondria eſſe peplio, & veratro corpus expurgandum, & lib. de indicat. vtrumque remedium huic affectui connenire ſcribit.

Hinc exorta eſt lis inter magis famigeratos authores medicinæ, quomodo Hippocratis hæc authoritas ſit intelligenda; nam 1. aphor. ſcripſit in acutis morbis raro, & in principio purgantibus medicamentis eſſe vtendum, quemadmodum etiam Galenus in comment. notat, dicens, oportere ea, qua ab Hippocrate de medicamentis in pleuritica affectione exhibendis aſſignantur, ad memoriam mandare, non tamen ijs perpetuò in pleuriticis vti, quia ſumus in acuto morbo, alioquin præceptum erit falſum ex aphoriſmis allatum.

Succedit, quod idem Hippocrates 4. acutorum 22. videtur per initia inflammationum omne genus purgationis reprobare, iam verò pleuritis eſt inflammatio, quare in pleuritide non eſt expurgandum à principio.

Huius rei determinatio paulò difficilis eſt; ſed quoniam ex ipſius reſolutione, quid facto opus ſit in praxi, dependet, ideo videndum eſt, quomodo meliores practicantes hoc in caſu aphoriſticum præceptum obſeruent.

Iſti autem mihi videntur eſſe in duas claſſes diuiſi; nam alij putant Hippocratis dictum de purgatione in pleuritide eſſe intelligendum de vera, ac legitima; alij è contra de omni lateris dolore, & quamuis priores conueniant in hac opinione, tamen maximè inter ſe diſcrepant in modo.

Alij enim dicunt, in principio morborum acutorum nulla expectata coctione humorum deueniendum ad purgationem eſſe. Huius opinionis author fuit Manardus, quem ſequutus eſt Lemoſinus Hiſpanus alij.

Alij è contra dicunt nunquam licere expurgare per medicamentum à principio, niſi turgente materia, ſed ſemper expectandam eſſe coctionem humorum. In hoc cenſu ſunt Capiuacius, Sylueſter Syluanus Romanus, Maſſarias, & plures alij.

Sed quamuis teneant hanc opinionem, inter ſe neque conueniunt in ſoluenda difficultate; nam Maſſarias lib. de purgatione morborum à principio, & in apologetico aduerſus Augenium ſcribit, concedere Hippocratem in pleuritide medicamentum à principio, quia materia turget; in turgente enim materia licet ex communi medicorum conſenſu, nulla expectata coctione ad medicamentum purgans deuenire.

Nam ipſe, vt alibi vobis demonſtraui, huius ſententiæ eſt, humorem fluentem ad aliquam partem determinatam poſſe appellari turgentem, quæ opinio à Ga-

leni

leni mente minimè abhorrere videtur; cum is lib.4. acutorum comm. 74. ſcribat ſtatim ab initio, prius quàm in parte aliqua firmati ſint humores, medicandum, vel poſteà cum concocti fuerint.

Idem Galenus 1. aphor. comm. 22. eandem ſententiam ad verbum habuit dicens eos humores euacuare conuenit, qui ſunt in motu, & latione, & fluxu, eos verò, qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio vllo auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem, ita vt ſit dicendum ex Galeni ſententia eſſe opus à principio expurgare, ſeu purgante medicamento euacuare hos humores in fluxu exiſtentes, & quando iam ſunt concocti.

Nonnulli dicunt Hippocratis dogma in aphoriſmis eſſe ab hoc loco confirmatum; nam mens eius in 2. acutorum confusè tradita, ab eodem in lib. 4. eſt dilucidè explicita, cum tempus determinet, quo medicamentum exhiberi debet, quartum diem aſſignans his verbis.

Purgans medicamentum miniſtrabis quarto die; in ſecundo enim libro tantummodo dixit medicamentum purgans, nempe vel peplium, aut elleborum, vel vtrumque ſimul, nulla facta de tempore mentione eſſe adminiſtrandum.

Quare propoſitio indefinita 2. acutorum ex illa 4. lib. eſt limitata ad quartum diem, in quo iam materia eſt cocta, quam educere oportet, quocirca ſententia acutorum eadem eſt cum illa, quæ in 1. aph. 22. eſt ſcripta, quæ opinio Galenum habet contrarium; nam in comment. 2. acutorum, quaſi aduerſus eum obijciēs illam aphoriſticam ſententiam, in qua ſcribit raro à principio eſſe purgandum, apertè declarat Hipp. mentem eſſe, vt ſit opus purgare à principio in pleuritide ad partes inferna sdolore deſcendente.

Succedit, quod idem Galenus in comm. 41. acutorum præcitato, poſtquam dixit eſſe purgandum in pleuritide, quando humores ſunt in fluxu, addit ſe non ſolùm medicatum fuiſſe in quarto die; quemadmodum admonet Hippocrates, ſed primo, ſecundo, & quarto, & interdum etiam in quinto die.

Ex quo apparet certiſſimè in quarto die, & in quinto pleuritidem adhuc eſſe in principio, in quo fluit ad locum affectum materia, quo nomine purgandum eſſe ſcribit, quia vbi firmata eſt materia, quieſcendum eſt, ac permittendum, vt coquatur; quamobrem huiuſmodi determinatio nulla eſt, cum in quarta die non poſſit dici concoctam eſſe materiam.

Capiuaccius, cui aſſentitur Saluianus, videtur velle ſemper in corpore adeſſe aliquam humoris concocti copiam, quæ educi debet à principio; eius ratione inſtituitur purgatio, quamuis capite de pleuritide ſit alterius ſententiæ; nam inquit Hippocratis ſermonem eſſe de pleuritide, in qua vehemens eſt dolor, qui non potuit per fomenta tolli.

Ne igitur ob impetum materiæ magis augeatur dolor, occurrendum eſt per medicamentum purgans; & quamuis concedere nolit materiam hanc eſſe turgentem, nihilominus conſiderat eam quatenus habet impetum, cuius impetus magis poteſt ad indicandum, quàm febris, aut aliud ad prohibendum.

Cum itaque ratione motus, & fluxus materiæ expurgandum ſit, vt inhibeatur, iam clarum eſt ipſum cum priori ſententia Maſſariæ conuenire, videlicet eſſe expurgandum ratione impetus humoris, ſiue modò dicatur turgere, ſiue non: res eadem eſt differens ſolùm verbis.

Ludouicus Mercatus vir maximæ authoritatis videtur velle Hippocratem hoc loci medicamentum concedere præcautionis gratia, ſed cum iam morbus,

bus, nempe dolor vrgeat, non eſt hæc opinio vera, cum potiùs curationis ratione dictum verum eſſe appareat, quia quemadmodum vbi dolor eſt in ſuperiori thoracis parte, ſanguinis miſſio iubetur, vt à parte affecta fiat euacuatio; ita quoque etiam apparet mentem Hippocratis talem eſſe, vt ſit euacuandum à parte illa, in qua eſt dolor: vt igitur pars ab actuali dolore liberetur, purgans medicamentum propinandum eſt.

Sunt quamplures alij authores ſequentes hanc Mercati opinionem, quã falſam exiſtimamus, vt audiuiſtis: & iſtæ ſunt omnes cogitationes, & huius loci interpretationes eorum, qui cenſent Hippocratem loqui de vera pleuritide.

Pro cuius ablatione cauſa antecedens primò euacuanda, quæ vel bilioſa eſt, aut pituitoſa. Si primo modo primùm medicamento eſt educenda, quod ſit, vel ſub forma potus, aut boli: ſub forma potus nihil præſtantius manna, quæ ad hunc modum parari poteſt.

℞. mannæ fortis, vnc. vj.
Seri diſtillati, aut aquæ hordei, quantum ſufficit.

Hoc in loco valet pro diuitibus vel manna frondis, aut manna corporis, quamuis magis probem mannam forté, vt aliàs probaui, quibus fiat potus, ſiue in frigidum, ſiue in calidum diſſoluatur pro varia ætatum complexione, anni tempore, regione, aut conſuetudine, & alijs circumſtantijs.

Vel poteſtis deuenire ad ſyrupi roſati recentis ſol. vnc. vj cum aqua violarum, f. p. b.

Valet etiam ſyr. viol. qui mirob dicitur violatum ad vnc. vij. aut viij.

Vel etiam paretur decoctum ad hunc modum.

℞. foliorum violarum,
Capillorum veneris, ana manip. j.
Hordei mundati, vnc. j.
glycyrrhizæ raſæ, drach. j.

A Sebeſteā,
Iuiubarum, ana num. 10.

Bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ad tertias.

℞. huius decocti q. ſ. ad diſſoluendas mannæ vnc. iij. aut iiij. pro pauperibus diſſolue caſſiæ nouiter extractæ, vnc. j. ſſ. fiat potus.

B Vel poteſtis aliud accipere medicamentum ex benedictis vocatis cum ſaccharo, & fiat bolus iuxta canonem à Meſue perpetuò in cura pleuritidis obſeruandum, & eſt, quod ſemper euacuemus materiam peccantem lenientibus medicamentis, quæ tempore Hippocratis non erant in vſu, ideo ipſe proponit elleborum nigrum, veratrum, atque peplium, vel ambo ſimul; nam veratrum habet facultatem educendi bilioſam materiam, & melancholicam, C ſed ipſorum vſus apud noſtrates medicos ex toto aboleuit.

Sub forma boli.

℞. pulpæ caſſiæ extractæ per ſetaceum cum oleo amyg. dul. vnc. j. ſſ.

Vel

℞. diapruni lenitiui,
Diacatholici, ana drach. vj.
Pulueris glycyrrhizæ, drach. j.

D Cum ſaccharo, quantum ſufficit, fiat bolus.

Poſt aſſumptum medicamentum, duo ſunt tentanda, vnum eſt, vt humoris acuitas ita temperetur, vt non poſſit ampliùs ferri in locum affectum. Ad hanc intentionem valet ſaponea liquida, vel in tabellis, quæ ad hunc fit modum.

℞. amygd. dulc. mundatarum, vnc. ij.
E Amyli puriſſ. & recentis, vnc. ſſ.
Sacchari albi, cum aqua farfaræ clarificati, lib. j.

Contundantur amygdalæ cum ſacchari, vnc. ix. deinde per denſum cribrum percolentur, & cum amylo igni admoueantur, & cum amylus inſpiſſari cœperit, adde ſacchari, vnc. iij. vt remaneat in forma electuarij parum co-

coquatur, at vbi in formam tabellæ reducere volueris, magis coquatur.

Alia ſaponea,

℞. ſacchari optimi pulu. lib.j.

Amyli cum aqua violarum diſſoluti, vnc.ij.

Ol. amyg. dulc. recentis vnc.j.ſſ.

Miſce, & a d ignem lentum fiat ſaponea ſub forma elect. aut tabellę, ſ. a.

Valet etiam diacodion in tabellis,

Diapapau. videlicet loch de papauere.

Sunt etiam aliqui ſyrupi ad hanc intentionem, qui ſingulo mane ægrotantibus offerantur, quemadmodum eſt ſyrupus de papauere, capillorum veneris, de ſucco endiuiæ, cum aquis endiuiæ liquiritiæ, capillorum veneris.

Vel loco huius ſyrupi.

℞. Aquæ hordei excoriati cum modico liquiritiæ raſæ factæ ad vnc. iiij.

Succi hordei, hoc eſt cremoris ptiſanæ.

Diapenidij ſine ſpeciebus ana vnc. j. ſſ. miſce.

Et curate, vt in aurora æger bibat huiuſmodi medicamentum, ex quo facilè ſperabitur, vt humor attenuatus nimis paulò incraſſatur, & refrigeretur.

Simul ad ſecundam intentionem eſt properandum, nempe ea ſunt propinanda ſtomachica medicamenta, arteriaca, quæ poſſint totam expectorare materiam. Inter alia iſtud mihi probatur.

℞. Diatracaganthi frigidi,

Diapenidij ſine ſpeciebus, ana vnc.j.

Diacodij cum ſaccharo, vnc.j.

Cum ſyrupo violaceo fiat loch.

Ad idem valet huiuſmodi ſyrupus.

℞. ſyr. de iuiubis,

Violati, ana vnc.j.

Miſce, & ſemper teneat in ore aliquod horum æger,

Vel

℞. pil. bechicarum albarum.

Sacchari candidi,

Penidiarum, ana drach. iij.

A Diatracaganthi frigidi, drach. vj.

Syrup. violati, quantum ſufficit, fiat eclegma.

Si materia ſanguinea fuerit, non eſt opus ſic refrigerare, & incraſſare, quemadmodum in bilioſa materia; confert tamen diapenidion ſine ſpeciebus, & diatracaganthum frigidum, ana vnc.j. cum ſyrupo violato reformetur lambitiuum: vel oleum amyg. dulc.

B cum quo diacodion diſſolutum ſit, vel ſyrupus de papaueræ cum aqua capillorum veneris cum modico cremoris ptiſanæ: hoc medicamentum valet ad materiam expectorandam.

Pro pituitoſa materia.

Quamuis cum pituita adſit ſanguis, nihilominus poſt emiſſionem ſanguinis non eſt tam citò deueniendum ad pharmacum purgans; ideo concoctio ex-

C pectanda, atque ſyrupis idoneis materia præparanda, quemadmodum eſt ſyrupus de hyſſopo, de farfara, de liquiritia, aquarum capillorum veneris, farfaræ, hyſſopi, ana vnc. j.ſſ. miſce pro alteran te, quod ſingulo mane ad ſeptimam vſq; ægrotanti eſt porrigendum, deinde ad purgans deueniendum eſt.

Sub forma potabili.

℞. hordei mund. vnc. iij.

D Florum borraginis,

Violarum, ana drach. ij.

Radicis glycyrrhizæ, vnc. j.

Vuarum paſſarum, vnc. ij.

Adianthi, vnc. j.

Iuiubarum, num. iiij.

Hyſſopi, vnc. ij.

Palmularum, num. ij.

Fiat decoctio ſecundùm artem.

℞. huius decoct. vnc. iiij.

E Infunde agarici trochiſc. ſcrup. iiij.

Facta forti expreſſione diſſolue.

Diacatholici, vnc. ſſ.

Caſſiæ, vnc. j.ſſ.

Elect. indi. drach. ij. ſſ.

Sub forma boli.

℞. floris caſſiæ nouiter extractæ, vnc. j. ſſ.

Dia-

Diacatholici,
Agarici trochiſc.ana drach.j.ſſ.
Miſce pro medicamento exhibendo tribus horis ante prandium.

Hæc ſunt medicamenta pro materia pituitoſa totius corporis educenda. Verum ad particularia attinet, quæ materiam expectorare valet, id eſt loch ſanũ, & expertum, quemadmodum cap.de tuſſi à materia frigida diximus; loch de pino etiam prodeſt; & ſyrupus de praſſio, & de liquiritia.

Cæterùm poteſtis accipere caricas, hyſſopum,& marrubium, & efficere decoctionem, cuius ad vnc.iij. exhibete, atque intus ponite vnius ex prædictis electuarijs ad vnc. j. vel ij. pro lambitiuo,quod æger ſemper,quantum poteſt,in ore detineat,vt inde deorſum, lambendo cadat,

Vel ſic.

℞. caricarum pinguium,
Sebeſten, ana num.vij.
Foliorum praſſij,
Hyſſopi, ana manip.j.
Hordei cum cortice, vnc.j.
Bulliant in mulſa ad caricarum coctionem.
℞. huius decoctionis, vnc iiij.
Loch. de farfara,
Loch. ſanum, ana vnc.j.
Miſce,lambendo in ore teneant.

In materia autem melancholica præparate eam cum ſyrupis de hyſſopo, de pomis, de fumaria, cum decoctionibus prædictis, addentes aliqua, quæ melancholicum reſpiciunt humorem, vt ſunt radices enulæ campanæ.

Vbi vultis expurgante medicamento vti,
℞. decoctionis prædictæ vnc.j.
Foliorum ſene, vnc.j.
Syrupi D.Auguſtini,
Mannæ fortis, ana vnc.iij.
Confect. hamech.ad drach.j.ſi vobis opus fore videbitur.

Si verò æger magis delectetur forma boli.

A ℞. diaſenæ lenitiui,
Diacatholici, ana drach.iiij.
Confect.hamech.drach.iij.
Cum ſaccharo efficite bolum,

Valent prædicta in materia pituitoſa, cum quibus poteſtis addere aliqua, quæ proportionata ſint humori melancholico; ſed rarò fit pleuritis à materia melancholica, vt ſupra dictum eſt. Et hæc
B ſunt medicamenta, quæ interius exhiberi debent in omni cauſarum genere, tam vniuerſalia, quàm particularia.

Eſt tamen animaduertendum in lambitiuorum exhibitione,quòd ſi ea concedatis adhuc repleto corpore, periculum eſt, ne materiam ad thoracem trahant: vnde ſæpè videtis, quòd mulieres aliquæ, aut ignari medici nulla facta vniuerſali purgatione concedentes
C lambitiua,ſæpè ſunt cauſa mortis ægrotantium. Quare poſt ſanguinis miſſionem, & purgationem, quæ ambæ vno die fieri poſſunt pro ægrotantis robore, debent, & poſſunt exhiberi.

Sępè etiam contingit lambitiuorum actionem impediri à materia contenta in ventriculo, hinc practicantes ea concedunt ante cibi aſſumptionem, & per tres, aut quatuor horas ab aſſumpto
D cibo.

Sed tempeſtiuum eſt, vt ad localia deueniamus, quæ vel materiam reſpiciunt, quæ poſſit in vaporem duci, & per inſenſibilem viam euacuari, vel apta nata ſunt ſuppurare materiam intus contentam, primò modo, vel in principio ante aliorum medicamentorum adminiſtrationem applicantur, vel poſt
E vniuerſales euacuationes.

Hippocr. lib. 2. acut. vtebatur ijs ad explorationem morbi,quæ vel iuuabãt, vel non ſi iuuabant,tunc ſignũ erat pleuritidis exiguæ admodum, & quæ facilè ſolis localibus tollebatur:at ſi non iuuabant,tunc ijs relictis ad generoſiora illa remedia deueniebat, vt audiuiſtis.

Verum autem eſt, quòd poſſumus vti à principio via tentatiua, quando non

non adſunt ſigna in toto corpore ſummæ plenitudinis, quia ſi exiſtente corpore repleto applicaretis medicamenta localia, eſſet periculum hominem interficere; quandoquidem fieret tractio humoris ad affectam partem, inde ſuffocatio; quare ſtatim nulla interpoſita mora ad generoſã medicamenta eſt refugiendum.

Ex medicamentis igitur ab Hippocrate, & Galeno poſitis quædam ſunt actu humida, vt fomenta, ſeu fotus, quædam verò ſicca, quamuis eandem habeant diſcutiendi facultatem; ac ſecundùm magis, & minus limitatam, de qua adminiſtratione Capiuaccius confuſè admodum egit, non minus ac faciat Hippocrates noſter ſecundo acutorum.

De cuius explicandi modo tractans Galenus comment. 2. rectè loquutum fuiſſe Hippocratem ait, vbi attulit differentias fotuum, ſeu fomentorum, alia dicens eſſe humida, alia ſicca, alia ex vtriſque mixta, deinde quædam horum eſſe mordentia, quędam morſu carentia, & tandem ex ijs commixta, at longè meliùs loquutus fuiſſet, & clariorem doctrinam nobis attuliſſet, ſi enumeraſſet affectiones illas, quibus prædictæ fotuum differentiæ competunt.

Quamuis idem Galenus dicat ſe non proſequi aliorum doctrinam, neminem Hippocratis, nec teneri explicare, quid velit ille, addit tamen huius ſententiæ fuiſſe, vt exiſtimet voluiſſe humida fomenta eſſe applicanda tentandi cauſa, quæ vbi nihil proficiant applicata ſignum dare materiam craſſam eſſe, indeque ad acria deueniendum.

At certè in localibus hiſce explicandis non omnes conueniunt authores, ideo noſtrum erit declarare, quomodo ijs vti liceat in praxi, quæ ſi ab indicantis natura ſumi debent, videtur à principio eſſe accipienda medicamenta, quæ inhibeant, & compeſcant fluentem humorem, fluxum verò in vaporem A tamen redigant.

Hæc eſt communis regula curandarum inflammationum à principio, quia ſemper maior adeſt copia humoris fluentis, quàm fluxi; vnde etiam opus eſt medicamenta reſoluentia cum reprimentibus admiſcere, vt fiat reſolutio parua, & multa repreſſio.

Benedictus Victorius, qui praxim B tam in Patauino, quàm in Bononienſi gymnaſio publicè eſt interpretatus, medicinamque clinicam exercuit feliciter, proponit hoc genus medicamenti poſt ſanguinis miſſionem à principio vſque ad quartam.

℞. mucilaginis ſeminum cydoniorum.
Olei violati, ana vnc. j.
Amygd. dulc. vnc. ß.

Cum modico ceræ fiat vnguentum, C quod calidum applicetur lateri dolenti. Deinde componit emplaſtrum, quo ſe plures ante quartam liberaſſe ait, conficitur ad hunc modum.

℞. foliorum maluæ m. j.
Violarum, m. ij.
Bulliant in ſ. q. aquæ, vſque ad aquæ conſumptionem, deinde adde
Farinæ hordei, vnc. j. ß.
Olei violati,
Amygd. dulc. ana quantum ſufficit, D ad emplaſtrum impinguandum.

At tráſacta quarta, quia magis eſt reſoluendum, quàm reprimendum, multa proponũtur à ſcriptoribus. Hippocrates fomenta ex aqua calida commendat, vel in vtre, aut in veſica, vel in vaſculo æneo, aut teſtaceo. Verum quidem eſt, quod apud modernos practicantes non ſunt hæc admodum vſitata, quamuis ſcribat Hippocrates, vt aliquid mol-E le ſubtus ponatur, ne ab huiuſmodi vaſorum duritie cutis lædatur.

Licet veſica, in qua oleum aliquod adſit, quod facultatem habeat reſoluendi, vt chamæmelinũ, aut ex ſemine lini, aut huiuſmodi, aut ſpongia etiã madefacta in aqua noſtris temporibus ſit in vſu imbuta aqua ſimplici calida, aut oleo ſimpli-

ſimplici, vel in quo aliquid ebullierit; quod vim reſoluendi habeat.

Hoc medicamento frequentiſſimè vti equidem ſoleo.

℞. Vnguenti dialthææ vnc. ij.

Olei amygd. dulc. vnc. ſſ. miſce,

Cumyni ſ.p. & cribrati, inſperge, poſtquam vnguento prędicto inunctum ſit latus dolore affectum. Puluis quoque radicis enulæ commendatur.

Deinde accipe folium ingentis braſſicæ ad cineres calidos calefactum, ipſumque inunge butyro antiquo non ſalito, & loco dolenti calidum applica, & videbis mirabilem operationem, quia breui tempore ſedabitur dolor, & in omni pleuritide à quacunque cauſa iuuat. Sed ſi materia ſit pituitoſa, aut melancholica, accipias oleum chamæmelinum loco amyg. dulc. & cumyni plus inſperges.

Sicciora autem fomenta magis faciunt ad craſſam, nempe pituitoſam, & melancholicam materiam, vt ſunt ſacculi facti ex orobo, anetho, hyſſopo, floribus chamæmeli, origano, milio, ſale, alcyonio, ſinapi, & id genus, quæ poſſunt in ſacculo reponi, & parti dolenti applicari: poſſunt etiam ſimplicia hæc coqui in aqua, vel vno ex dictis oleis, atque humida applicari: & hæc de localibus, vbi materia poteſt per halitum inconſpicuum reſolui.

Rondeletius cap de pleuritide duo medicamenta ait eſſe efficacia, & maximè conuenientia, ſi ſuo tempore exhibeantur, raſura dentis apri, & cinis priapi tauri; nam quod fluxum eſt, exiccando curant: vnde nunquam à principio conueniunt, ſed vbi exiccare debemus. Vidimus medicos admiſcere puluerem papaueris, quæ ſibi contraria ſunt, ijſque indifferenter vti.

Ioubertus quoque libro de pleuritide his addit terram ſigillatam, & carduum benedictum, ſiue argentatum, florem papaueris rubri, non albi, cuius puluere aliqui vtuntur, qui non conue-

A nit niſi in materia calida, & fluente à principio, ideo puluis huius floris, vt decet factus ad drach. ij. cum decoctione caricarum commendatur.

Sed quoniam, (vt dictum eſt) cap. de præſagijs, tanta eſt humoris copia, vel mala qualitas, aut cutis denſitas, vt nequeat reſolui, ſed conuertatur in pus, ideo medicus non poteſt aliud efficere, niſi naturæ ſuppuranti opem ferre cum
B medicamentis exterius applicatis, quæ habeant ſuppurandi facultatem.

At hæc applicanda ſunt poſt decimã quartam, & licet ſuppuratio periculoſa ſit, quia tamen materia intus contenta non poteſt per reſolutionem exire, opus eſt, vt educatur per ſenſibilem viam, quod fieri à medico nequit, niſi materiam ſuppurare, aut vt (barbari dicunt)
C maturare faciat; primò igitur materia ſuppuretur, educatur, abſtergatur locus, & tandem agglutinetur, primò itaque, ad maturandum.

℞. foliorum maluæ cum radicibus,
Violariæ, ana m. ij.
Radicum althææ mũdatarum, vnc. ij.
Liliorum alborum, vnc. j.
Enulæ, vnc. ſſ.
Flor. chamæmeli,
D Meliloti, ana m. j.

Bulliant in ſ. q. aquæ ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, colaturæ adde

Farinæ fœnugræci,
Farinæ triticeæ, ana pug. j.
Fermenti, drach. ij.
Pinguedinis ſuillæ,
Butyri recentis, ana vnc. j.
Olei amyg. dul.
E Communis, ana q. ſ.

Ad reformandum emplaſtrum, quod applicetur ter in die,

Vnguentum ad idem.

℞. mucilaginis ſeminis caulium,
Althææ, ana vnc. ij.
Ficuum, vnc. j.
Lactis vaccini, vnc. iij.
Butyri recentis, vnc. j.

Olei amyg. dulc. vnc. ij. ſſ.

Omnia ſimul miſceantur, & leui igni benè ducantur, & cum cera q.ſ. fiat vnguentum molle, quod extendatur ſupra lanam ſuccidam, atque loco dolenti applicetur ter, & quater in die naturali.

Cæterùm quia materia ſuppurata educi debet à pleura per pulmones ad aſperam arteriam, lambitiua medicamenta abſtergendi facultatem habere eſt opus, ideo in hoc caſu mihi probatur, id genus medicamenti.

℞. Aquæ hordei, lib. j.
Mellis roſati, vnc. iij.
Radicum althçæ, vnc. ſſ.

Miſce, & bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, deinde colentur, & de colatura calida ſæpiſſimè ægrotus in ore habeat.

Sunt, qui pro ſecreto habent, ſi quater in die naturali æger bibat vnc. iiij. aquæ hederæ terreſtris, non modò mundificatur pleura, ſed ægrotus ſeruatur ab empyemate, & phthiſi: & hæc dicta ſint de curatione, quæ debetur pleuritidi, per pharmaciam, & chirurgiam.

## DE CVRATIONE PLEVRITIDIS per victus rationem.

IN omnibus ſex rebus non naturalibus moderandis medicus accuratus eſſe oportet; nam in primis aer debet eſſe temperatus, qui tamen magis ad calidum, quàm ad frigidum vergat, magiſq; ad luciditatem, quàm ab obſcuritatem tendat, ideo cubiculum amplum, & lucidum ſit, mollibusq; ſtramentis ægrũ iacere oportet. Nec de ſomno aliud dicendum eſt, quia, qui dolore ſunt affecti, dormire nequeunt.

Animi affectiones ſunt omninò euitandæ, quare ne ferantur triſtia al qua nuntia, cauere oportet ab hominum multitudine, & conſuetudine. Aluus mollis, & lubrica ſeruanda eſt leuibus

A clyſteribus factis ex iuſculo pulli, oleo violaceo, amygd. dulc. ſaccharo optimo, vitellis ouorum, & modico ſalis. Vehementiores clyſteres ſunt euitandi. Exemplar idonei ad hunc affectum.

℞. iuris pinguioris lib. ij.
Olei violati,
Amygd. dulc. ana vnc. j.
Sacchari optimi, vnc. j.

B Quod ad victum ſpectat, quantitas alimenti determinari vix poteſt ob ætatis, virium, temperamenti, regionis, conſuetudinis, & aliorum huiuſmodi varietatem.

Sumus in acutiſſimo morbo, ideo vtendum eſt tenuiſſimo victu, quouſque tranſiuerint extremi labores, qui in hac affectione à dolore proficiſcuntur. Hinc Hippocrates 1. acutorum 44. laudat ſorbitionem, quæ non ſit admodum craſſa,

C nec multa ad ſeptimam, & ad nonam vſque, ſi virtus valeat.

Alexander Trallianus ptiſanæ ſuccũ, ſeu cremorem commendat, cui ſolemus admiſcere lac amygdalarum dulcium. Cæterùm ex Alexandri conſilio cremorem ptiſanæ de mane ad prandium, veſperi verò pro cęna cremorem amygdalarum offerre debemus, ac pomum dulce ſub cineribus coctum, cui talem ſupra inſpergimus puluerem.

D ℞. ſucci glycyrrhizæ,
Amyli,
Penidiorum, ana drach. j.
Miſce, & fiat puluis ſubtilis.

Solemus noſtris temporibus cum pane cocto prædictas amygdalas permiſcere: ſæpè cum ſaccharo lac amygdalarum paramus. At ſi vires imbecillæ ſint, cum iure gallinarum panis triti fer-

E culum offerimus.

Si materia craſſa fuerit, curamus, vt cum ptiſana ebulliant vrticæ ſemina cum aliquibus folijs hyſſopi, addentes ſæpè modicum mellis.

Loco ptiſanæ cremoris Alexander admonet, vt auenæ cremorem accipiamus, atque bis in die ferculum vnius

ex prædictis ſorbitionibus permittamus vſque ſeptimam, poſt quam, quia remitti conſueuit dolor, paulò vberius nutrire oportet, interq; ſorbilia oua, recentia, tremula vt pote boni ſucci ea, quæ ſunt idonea habentur.

Hippocrates conſulit, vt quando ægrotantes multum expuunt, plus cibi concedatur, hac diuiſione nos admonens iam pleuritidem eſſe in declinatione, per quod tempus reſtaurationi virium quam maximè ſtudemus, at vbi iam declinata eſt febris, remiſſaque ſunt omnia ſymptomata, ad carnes eſt tranſeundum.

Pro potu toto morbi decurſu aqua hordei, vel aqua, in qua hordeum excoriatum ſimul cum glycyrrhizæ radice ebullierit, concedatur. Aqua pectoralis, quæ fit communiter, maximè valet.

At vbi morbus in fine ſit, vinum oligophorum, ſed quod dulce ſit, ab omnibus permittitur, quamuis etiam Trallianus illud, vbi vires langueant, in morbo concedit.

Cauendum tandem eſt ex Aretæi ſummi inter Græcos medici præcepto, ab omni genere potus frigidi actu, vnde Trallianus ad tepidum vergens potum magis in hoc caſu laudat: & hæc de victus ratione.

# DE PERIPNEVMONIA.

## CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Poſt tractatum de pleuritide, Raſis noſter immediatè ſubiungit caput de peripneumonia, quam à pulmone affecto noſtrates pulmoniam appellarunt; eo enim tempore pulmo inflammationē patitur, non quidem verā, & exquiſitam, niſi rarò, vt bilioſam, ſed phlegmonem eryſipelatodem non rarò, & ędematoſam incurrit; non tamen nomen ab inflammatione id genus affectionis aſſumpſit, ſed vt Galenus ait, à particula affecta.

Verùm cùm ad pulmoniam ſubſtantiam faciendam plures concurrant partes, nempe parenchyma, vena arterialis, arteria venalis, & aſpera arteria, necnon, & membrana totum hoc membrum ex prædictis compoſitū inuoluēs, diſputatum iam dudum eſt à quamplurimis ex antiquis, Celio Aureliano referente, quænam harum eſſet pars affecta in præſenti propoſito morbo.

Sed ne circa has inutiles verſemur quæſtiones cum Galeno, & Celſo tenemus totum pulmonem, aggregatum ſcilicet prædictarum partium, eſſe partem, quæ afficitur, vnde affectio dicta eſt peripneumonia, & pulmonia.

Eſt autem affectio hæc, quemadmodum Aegineta lib. 3. cap. 30. ſcribit, nihil aliud, quàm inflammatio pulmonis, & Aetius lib. 8. cap. 66. addidit adeſſe febrem acutam.

Galenus lib. 4. de locis affectis cap. 23. ad hunc modum ſcribit. Quando cum ſpirandi difficultate, cui & angustia, & grauitas circumiuncta eſt, acuta quoque febris inciderit, is affectus inflammatio pulmonis eſt, ita vt ex ipſo ſit dicendum peripneumoniam eſſe pulmonis inflammationem cum febre acuta, difficultate ſpirandi, anguſtia, & grauitate. Idem confirmat 2. de locis affectis cap. 9. 4. de cauſis pulſuum.

Verùm inflammatio fieri poteſt non modò à ſanguine ſolo, vt capite præce-

denti

denti diximus, ſed ab omnibus humoribus cum ſanguine mixtis, nempe à ſanguine bilioſo, pituitoſo, & melancholico, vnde oritur non vulgaris difficultas, quia Galenus lib.4. de locis affectis cap. 8. ſcribit inflammationem fieri ex bilioſo humore; nam inquit, quod quando adeſt intolerabile incendium, minorque ſenſus grauitatis, & anguſtiæ, tunc adeſt eryſipelas, illud autem, vt notum eſt, fit à bilioſo humore.

At lib.4. de cauſis pulſuum cap. 12. loquens de pulſibus peripneumonicorum, dicebat pulmonem laxum, ac mollem, vndique vacuum, & locis inanibus plenum, ideo à ſanguine craſſiori, & pituitoſiori inflammari, nequaquam à ſubtili, cum ſubtilis, bilioſuſque fluat ferè, nec in viſcere vlla ratione conſtringi poſſit, ex quibus apparet contradictio in Galeni dictis.

Sed nulla profectò eſt, quia aliud eſt dicere, quod inflammatio ſæpè fiat in pulmone ex craſſo, & pituitoſiore ſanguine, & aliud eſt dicere, quod ſolummodo fiat ex ipſo, non autem ex alio; nam ob raram pulmonum ſubſtantiam, certè frequentiùs fit inflammatio à craſſo ſanguine; rarò autem fit ex ſanguine bilioſiore propter humoris tenuitatem, qui ſtatim præterfluit.

Contingit tamen etiam fieri ex materia bilioſa, vnde fit phlegmone eryſipelatoſa inde eſt etiam, quòd rarò eueniat pulſus in hac affectione eſſe duros, quia rarò fit ab bilioſo humore, cuius proprium eſt cogere, ſiccare, tendere, atque indurare, frequenter autem ſunt magni, vndoſi, atquè languidi, vt Galenus præcitato loco docet, propriũ munus ipſius humoris pituitoſi, quòd arteriæ à craſſiore humore comprimuntur, ac degrauantur, vnde debiles ſunt pulſus, ac magni.

Sit igitur concluſum peripneumoniam eſſe pulmonum inflammationem, vel exquiſitam, vel eryſipelatoſam,

A vel œdematoſam; itaque poſſumus dicere duplicem eſſe peripneumoniam, vnam exquiſitam, aliam verò minimè exquiſitam, ſed ſpuriam;

Prima fit à ſanguine, alia ab alijs humoribus, quæ triplex eſſe poteſt, pro vt humores inter ſe ſunt trifariam diſtincti. Eſt tandem omnis peripneumonia, morbus in compoſitione, magnitudinem pulmonum adaugens, ſub ſe B includens intemperiem, & ſolutionem continui.

## DE CAVSIS PERIPNEVMONIAE.

Cauſæ ſunt quæcunque humores prædictos in pulmones irruere faciunt. Primò quidem ab angina, & à pleuritide humor tranſmitti poteſt, C ideſt à faucibus ad pulmones, & à pleura, vt audiuiſtis. Cum autem videri mus prædictas affectiones poſſe fieri ab omnibus humoribus, ita quoque dicendum eſt præſentem morbum à quocunque humore fieri poſſe.

Verum quidem eſt, quod frequentiùs pleuritis fit à materia bilioſa, peripneumonia verò à pituitoſa ob prædictas rationes. Poteſt etiam eſſe, vt à D ſinu cordis ſiniſtro materia per arteriam venalem feratur, quando ſcilicet aliqua inſignis euacuatio retenta fuerit, vt in muliere menſes, aut hæmorrhoides, quæ conſueuerunt effluere.

Tunc enim ſanguis ille, qui expurgari debebat, retentus in corpore in venas primùm, deinde in iecur regurgitat, & tandem ſurſum per venam E cauam in dextrum cordis ventriculum receptus per venam arterialem in pulmones illabatur.

Nonnulli exiſtimant catarrhum aliquando tenuem, & acrem à capite deſcendentem, atque irruentem in pulmones poſſe facere peripneumoniam, quam tandem veram minimè eſſe dicunt, in qua & tuſſi, & ſpirandi difficultate, ac lenta febre æger ſine vlcere in

in pulmone ſenſim conficitur,& abſque expuitione.

Hoc loci Meſues lib,2.cap.10. videtur aduerſus Galenum dubitare de vera peripneumonia, quænam ex eius decreto ſit, dicens eum voluiſſe veram illam eſſe, quæ ortum ducit à pituitoſa materia.

Sed ijs relictis, quæ (mea opinione) præter neceſſitatem afferuntur à Dominico Leone, dico, quod aliud eſt dicere frequentiùs pulmoniam euenire à materia pituitoſa, rariùs à biliosa, & aliud eſt dicere veram prouenire à pituita.

Galenus præcitato loco non dicit ſimpliciter, & abſolutè peripneumoniam veram eſſe illam, quæ à pituita euenit, ſed frequenter ob raritatem pulmonum, qui materiam hanc facillimo negotio admittunt. Non tam frequenter fit à materia tenui ob rationes dictas. Si licet igitur vocare hanc affectionem veram, eò quòd frequentiùs eueniat, à pituita quidem fiet vera,non vera autem erit illa, quæ à bile producitur.

Secundò poſſumus conſiderare peripneumoniam reſpectu magnitudinis, ſymptomatumque vehementiæ, eamque veram appellare, quæ vehementiora habet ſymptomata,quare nemine refragante,ipſoque Meſue dicente vera erit biliosa, quia longè habet peiora ſymptomata, quàm pituitoſa.

Sed vera,& non vera non conſideratur ratione rerum prædictarum, ſed ratione eſſentiæ;nam cum illa ſit phlegmone,vera autē phlegmone eſt illa,quæ ortū ducit à sāguine,procul dubioquod illa,quæ à ſanguine fiet,appellabitur vera,& legitima peripneumonia; aliæ verò ſecundùm admixtionem humoris vocabuntur, vt ſupra audiuiſtis, ex quo apparet nec pituitoſam, nec biliosam peripneumoniam appellari poſſe veram.

Relinquo modò diſputationem illam de proportione, quam biliosa cum pulmonum natura, & de improportione, quam pituitoſa habet. Legatis Meſuem, & Conciliatorem differentia 100. Meum nunc eſt agere de indicijs, quibus peripneumoniam poſſitis dignoſcere.

## DE SIGNIS PERIPNEVMONIAE.

Redigo omnia ſigna ad quatuor capita. Primum deſumo ab actione thoracis, nempe à reſpiratione læſa, & ab arteriæ actionis læſione: ſecundum à qualitatibus mutatis: tertium ab excretis: poſtremum à ſymptomatibus.

Quoad primum, dicebat Galenus 4. de locis affectis cap.8.& 2. cap.9. reſpirationem eſſe admodum læſam, & longè magis, quàm in pleuritide, quia maior eſt neceſſitas caloris euentandi;adeo enim anguſtatur pectus eorum, qui affectionem hanc patiuntur, vt ſæpè nequeant ſupini reſpirare, ita vt niſi velint ſuffocari, opus ſit, vt ſedeant: ſæpè contingit ipſos non poſſe bibere, & malè etiam loqui.

Verum quidem eſt, quod quemadmodum docet Galenus præcitato loco, hæc anguſtia thoracis minor eſt,quando materia eſt tenuis, & biliosa; ita maior quando craſſa. Pulſus horum eſt magnus, mollis, & debilis, aliquando dicrotus, id eſt bis pulſans, 4. de cauſis pulſuum cap.12. magnus eſt pulſus, & vndoſi quid habens, languidus, molliſque ſimiliter, ſicuti eſt lethargicorum pulſus.

Qualitates corporis ſunt mutatæ, nempe ad rubedinem: lingua colorem præſefert humoris peccantis, quamuis vt plurimum videatur viſcida. Contingit aliquando totam ceruicem ventris cuiuſdem in modum tumeſcere: facies ferè rubicunda eſt: oculi pleni, quaſi rubicundi.

Quod ad excreta attinet,ſputum non ſemper à principio, ſed temporis progreſſu

greſſu pro materiæ diuerſitate, redolet naturam apoſtematis intus contenti.

Vrinæ, quamuis non demonſtrent præſentem affectionem, nihilominus ſunt indicia humoris peccantis in venis. Sæpè ſolent eſſe ſpumoſæ, & aliquando etiam ſub ugalis vrinę in modum.

Circa ſymptomata, hic eſt dolor, & febris acuta; verùm dolor differt à pleuriticorum dolore, tum intenſionis, tum extenſionis ratione, quia hic non percipitur dolor acutus, ſed grauatiuus, & quaſi per totum thoracem extenſus, & magis, vbi apoſtema magis vrget.

Febris acutiſſima eſt, & ſępè magis quàm ſit febris pleuriticorum, & certè non ſine ratione, quia cor continetur in medio pulmonum, ad quorum inflammationem neceſſe eſt, vt ipſum quoque inflammetur.

Tuſſis inſuper adeſt, ſed à principio ſicca, & fortè magis moleſta, quàm in pleuritide. Vix poteſt ęger niſi ſupinus decumbere, nunquam ad latus; ſæpè ſedens dormit, vbi malum grauius eſt: adſunt alia ſymptomata morbi prauitatem demonſtrantia, quemadmodum eſt vigilia immoderata.

Aliqui ægrotantes ſoporoſi fiunt, vt pote quando materia eſt pituitoſa, vigilant verò quando eſtślioſa: hæc ſunt, quæ vobis animaduertenda veniunt.

## DE FVTVRO EVENTV.

Prædictiones modò afferendæ ſunt de futuro huius morbi euentu, qui non eſt vnicus; nam huiuſmodi affectiones ſolent terminari per reſolutionem, aut ſuppurationem, vel indurationem, vel etiam partis ſphacælum.

Ex prædictis mutationibus poſſumus nos cognoſcere, an ad ſanitatem, vel ad mortem, vel ad neutram diſpoſitionem æger peruenire poſſit; an verò morbus tranſmutetur in aliam naturam morbi.

Redigo igitur huius affectionis præſagia ad iſtud caput, nempe ad materiæ diſpoſitionem, & inclinationem; nam ſi ipſa inclinat ad reſolutionem, euentus bonus eſt ſperandus, ſi ad ſuppurationem euentus ambiguus, quia pro diuerſitate caloris dominij poterit, & curari, vt in aliud genus morbi tranſmutari.

Si ad indurationem tendat, tunc fiet neutra quædam conſtitutio, in qua æger neque morietur, neq; ſanus erit; ſi verò hæc ipſa tendat ad partis gangrænam, aut ſphacælum, tunc caſus omninò deploratus eſt.

Cognoſcemus autem talis materiæ diſpoſitionem à duobus capitibus, ab excretis, ac ſymptomatibus, nempe ab eorum vehementia, aut clementia, hoc eſt à remiſſione, & intenſione eorundem; hæc enim duo comparanda ſunt cum virium robore, proq; dominio ipſarum concludemus, quid ſperare de euentu nobis liceat.

Vnde Galenus ait 10. meth. med. cap. 5. vna ſalus tùm pleuriticis, tum peripneumonicis eſt robur virium, quia huiuſmodi morbus, vt dicebat Celſus lib. 15. cap. 7. plus periculi, quàm doloris habet; & quamuis dictum ſit inflammationes omnes quatuor modis prædictis terminari, nihilominus hac ob copiam materiæ vix poteſt per inſenſibilem halitum reſolui, ſed ſemper materia per ſputum exit, aut hominem ſuffocat, & hoc breuiſſimo tempore.

Ideo ſputum animaduertendum eſt, an citò, & à principio exeat cum actione thoracis validiori, cum virium robore, vitalis præſertim. Hippocrates 2. progno. 47. dicebat, quòd ſi ſcreatio flaua fuerit, non multo permixta ſangui ne inter initia, ſalutaris admodum eſt pulmonum inflammatio, ſi ſeptimo die, aut pigrius, minus ſecura; ſi ad hæc remittatur calor, atque incendium thoracis, ſi liberius expirent, minorque anguſtia, & grauitas reddatur, tunc po-

poteſt prædici futura ſalus.

Dicebat idem Hippocrates, quod ſi pulmo in diebus iudicatorijs non fuerit expurgatus, homines incidunt in ſuppurationem pectoris: breuiſſimus terminus eſt ſeptimus dies, longior decimuſquartus, longiſſimus vigeſimus ſecundus, ſi expurgatur hiſce diebus pulmo, ſanatur, & poſt vigeſimum ſecundum diem tunc pus expuit, & periculũ eſt, ne cadat æger in empyema; poteſt etiam aliquando per fluxum ſanguinis è naribus reſolui, ſed raro.

Peripneumonia in pus conuerſa aliquando per ventrem, aliquando per vrinam excernitur, ſtatimque ægrotantes liberantur.

Symptomata praua mortem prænunciant certiſſimam, quemadmodum eſt vigilia continua, delirium, ſopor, cataphora, extrema frigida, vngues liuidi, atque incuruati, maximè ſi cum virium languiditate euenerint.

Vnde ab Hippocrate habemus 7. aph. 12. à pulmonum inflammatione phrenitis malum. Idem 5. aph. 10. dicebat eos, qui ex angina fiunt peripneumonici, intra ſeptem dies perire: quos ſi effugiebant, ſuppurari 7. aphor. ſcripſit.

In pulmonia vehementi, & periculoſa abſceſſum erumpi in cruribus prorſus bonum, ſi accidentia remittantur: at ſi non remittantur, ſed perſiſtant cum virium debilitate, mortis ſignum certum eſt.

Non erit igitur difficile ex accidentibus prædictis, & ex actione cum viribus comparata cognoſcere, an euentus bonus ſit futurus, an vero malus. Modò videamus, quibus auxilijs opem ferre poſſimus naturæ aduerſus morbum pugnanti, vt inde bonum deBeamus ſperare euentum.

A

### DE CVRATIONE PERIpneumoniæ per Chirurgiam.

NOn multum euariat curatio peripneumoniæ à curatione pleuritidis tam in victus ratione, quàm in pharmacia, & chirurgia, vnde Meſues nullam inſtituit ipſius curationem remittens lectorem ad pleuritidis caput. Sed quamuis in genere conueniant,

B

ſunt tamen aliqua in omni inſtrumento magis propria ipſi peripneumoniæ; vnde à nobis inſtuenda eſt peculiaris curatio.

Primò auſpicemur à chirurgia, in qua adminiſtranda cautius eſt agendum, quia etſi ſemper conueniat in pleuritico morbo, non ſemper in hoc vſurpanda, tum quia aliquando morbos conſequitur peripneumonia, in quibus

C

antea miſſus eſt ſanguis, quemadmodum quando anginam, aut pleuritidem comitatur: ſecundò quia vt plurimum generatur à materia pituitoſa, in qua non eſt mittendus ſanguis.

Hinc eſt, quod videtur aliqua diuerſitas inter Paulum Aeginetam lib. 3. cap. 30. Aetium lib. 15. cap. 66. & Celſum lib. 4. cap. 7. in inſtituenda in hoc morbo ſanguinis miſſione; nam Celſus,

D

& Aetius dicunt à principio à quacunq; cauſa, & quouis modo genita ſit peripneumonia debere mitti ſanguinem ex brachio; Paulus verò videtur excipere eas, quæ ab alijs morbis proueniunt, & maximè ſi diu in hac diſpoſitione perſeuerauerint, aut in illius principio ſanguis miſſus ſit.

Altimarus videns hanc diuerſitatem, conciliat ipſam argumento deſumpto à

E

permittente, quia inquit Aetius, & Celſus dicunt eſſe mittendum ſanguinem, ſi vires permittant, ſed hæc non eſt formalis ratio mittendi ſanguinem, ſed cauſa, & conditio ſine qua non, quia quamuis adſit permittens, niſi etiam adſit indicans, non eſt ad ſanguinis miſſionem deueniendum.

Idcirco

Ideircò quia à principio peripneumoniæ ſupponitur adeſſe indicans, ea propter eſt deueniendum ad ſanguinis miſſionem, ſi tamen adſint vires, quæ ſunt neceſſaria conditio, ob quam Celſus, & Aetius addunt,ſi vires valeant. At Paulus conſiderans non adeſſe indicans, vt plurimum in peripneumonia ab alio morbo enata,quamuis adſit permittens, ideo inhibuit ſanguinis miſſionem, cum præcipuè morbus fuerit antiquatus, aut iam miſſus ſit ſanguis à principio morbi,qui iam degenerauit in peripneumoniam.

Quare hoc modo diuerſitatem tollimus, quod Aetius mitti ſanguinem ex vtroque brachio, vbi ingens ſit inflammatio, & vires valeant, non tamen vſq; ad animi deliquium, vt pulchrè idem Aetius admonet, ſed vno die ex vno, alio ex altero brachio: at ſi ad virium languorem accedat, certum eſt non poſſe phlebotomiam celebrari. Paulus iubet & thoraci, & lateribus applicari cucurbitas.

## DE CVRATIONE PERIpneumonia per Pharmaciam.

Facta ſanguinis miſſione, ſi morbus non cedat, quod veriſimile eſt,ad purgans medicamentum accedere oportet, ea ratione, qua dictum eſt in pleuritide,neq; pe cum prædictis decoctionibus pectoralibus, vel mannam, aut caſſiam, vel diacatholicon, aut diaprunum diſſoluere poteſtis, & ægroto offerre.

In materijs præparandis eadem methodo vtemur, quam in pleuritide diximus.

Et quemadmodum in illa docuimus medicamentis particularibus expectorandam eſſe materiam, localibuſque thoraci applicatis reſoluendam, ita quoque & in præſenti affectione eadem conueniunt expectorantia, ſed maior requiritur ſedulitas in pulmonis expurgatione, & in ſputaminibus educendis in hac affectione, quàm in pleuritide.

Pro bolo.

℞. Diamannæ,
Diacaſſiæ, ana drach. v.
Diagridij, gr. v.
Cum ſaccharo fiat bolus.

In materia craſſiori.

℞. Diaſebeſten,
Trochiſcorum alhandal, ſcrup.j.
Cum ſaccharo fiat bolus.

In forma potus.

℞. caricarum pinguium,
Sebeſten, ana num.vj.
Iuiubarum, num. x.
Liquiritiæ raſæ,
Paſſularum, ana vnc.ſſ.
Hordei mundi, vnc.j.
Capillorum veneris, pug.j.
Bulliant ſecundùm artem in aqua fontis vſque ad medietatem.

℞. huius decocti, vnc. iij. cui infunde
Rhabarb.
Agarici, ana drach.j.
Facta expreſſione diſſolue
Mannæ, vnc.vj.
Vel fiat potus hoc modo.

℞. mirob. violati,
Mannæ fortis, ana vnc. iiij.
Cum decoctione pectorali, fiat potio breuis.

Localia etiam debent habere vim maiorem penetrandi in peripneumonia, quàm in pleuritide.

Poteſtis igitur accipere prędicta medicamenta ad materiam expectorandam, quæ cap. de pleuritide ſunt dicta, pro materięque diuerſitate ea exhibeatis, curetiſque, vt ſemper aliquid ex illis in ore detineant ægrotantes, vt diapenidium, ſaccharum violatum, vel diacodion cum pſyllij mucilagine, & huiuſmodi, vt ſuprà.

Localia medicamenta debent cótinere aliquid, quod rationem vehiculi habeat; hoc eſt Gal. communiſſimum præceptum, vt vbi ad penitiores partes medicamenti virtus ferri debet, appo-

natur

natur aliquid, quod tenuium partium fit.

Inter alia, quæ refrigerant, vnicum eſt acetum, quod huiuſmodi ſit, ideo à principio curate, vt & olea, & vnguenta, aut emplaſtra, vel ſimplicia, ex quibus componuntur, ſint in aceto madefacta.

Poſſunt etiam fomenta fieri, quemadmodum cap. de pluritide eſt dictum pro peccantis humoris diuerſitate.

Sed vobis enarro duos caſus in hac affectione notabiles. Vnus à Galeno lib. 4. de locis affectis, cap. 4. eſt ſcriptus; alter à Matthiolo lib. 5. Dioſcoridis ad caput 59. Prior hic eſt, quidam ex vehementi peripneumonia conualeſcens incidit in brachij totius, atque digitorum, non modò ſenſus, ſed etiam motus difficultatem, cui Galenus medicamenta applicauit ei parti, à qua nerui enaſcuntur, nempe primæ, & ſecundæ thoracis vertebræ, & ſtatim fuit ſanitati reſtitutus.

Secundus caſus eſt quaſi deploratus. Medicus quidam Gallus non modò pulmonum, ſed cordis, & ventriculi inflammationem patiebatur, eaque ſiti cruciabatur, vt nullo potu ea extingui potuerit, cui acceſſit capitis vehemens deſtillatio, maximaque palpitatio cordis, vt ne tempore nocturno dormire poſſet.

Ad hæc, ſi ob laſſitudinem aliquando modicum ſomni arripuiſſet, ſtatim expergefactus videbat aliquem deambulantem per cubiculum. Deſperatus propterea de ſalute, & malens mori, quàm ita miſerè viuere, refugit ad antimonium, cuius grana tria in puluerem redacta cum ſaccharo roſato accepit, quo valido vomitu, & fluxu alui concitato, tandem euaſit.

Volui hos caſus, & Authores ſignificare, vt inde agnoſcatis, præter ea, quæ à nobis dicta ſunt, aliquando caſus occurrere, qui animum cogunt medici deuenire ad medicamenta minimè indicata à morbo, ſed à cauſa cogente.

## DE CVRATIONE PERIpneumoniæ per victus rationem.

A

A Principio in hoc affectu vſque ad ſeptimam tenuiſſimo victu eſt vtendum, ſi præſertim inflammatio fiat à ſanguine, aut bile, qui & paulum refrigerans. Si vires valent, vſque ad quartam vti poteſtis ſola aqua hordei, aut iuſculo carnis pullorum, in quo ebullie-
B rint atriplex, malua, blitum, lactuca, oxylapathum, capita papauerum, & id genus.

Vel ex eo iure ſi vires non valeant, parentur fercula panis triti, aut cremor ptiſanæ. Deinde poſſumus panem concedere in aqua calida lotum, amygdalas dulces, ſemina melonum ſaccharo condita. Pro ferculis item conce-
C dimus cucurbitam, melonem melopeponem, & huiuſmodi: tandem paulatim ad oua ſorbilia, & ad carnes eſt accedendum prætermiſſis ſtypticis, & quæ humores craſſos, viſcidos, & acres generare ſunt apta.

Si materia fuerit pituitoſa, poteritis iuſculum parare ex carne prædicta, & oleribus huiuſmodi, nempe ſpinacijs, blito, fœniculo, ciceribus. Ius quoque caulium cum oleo amygdalarum dulci-
D um confert, ptiſana quoque hordeacia ex decoctione prædicta, aut ex paſſularum myxorum decocto parata.

Maximè probatur panis etiam in iure coctus, ſed qui ſit benè fermentatus; inde ad auicularum, montanarum: carnes eſt paulatim accendendum ea ratione tamen cibus erit præſcribendus, vt in ſtatu morbi ſit tenuiſſimus, dummodo reſpiciatis, an æger poſſit
E cum victu vſque ad morbi ſtatum perdurare.

In materia melancholica, quia morbus eſt chronicus, poterit æger ali lautius, ideò à principio Aetius proponit ferculum alicæ decoctæ, cuius loco dare poteſtis ptiſanam, aut amygdalarum cremorem, vel ſeminum melonum, in pro-

progreſſu verò mutare, prò vt opus fo- re iudicabitur:ſemper cibis addit,quod extenuandi facultate pollet tam in me- lancholia, quàm in pituitoſa materia.

Ideo cum ptiſana, origanum, aut hyſſopus, vel porrum, aut etiam modi- cum piperis ſunt ex vſu. Poſſunt etiam concedi fructus, vt eſt pomum probè ſub cineribus coctum cum ſaccharo, & paſſulis. Nuclei pinei in aqua capillo- rum veneris per totam noctem immerſi conceduntur, aliquando etiam dama- ſcena pruna laudantur.

Potus eſſe debet aqua hordei mulſa diluta, aqua ſacchari, oxymel longum, aqua cũ modico vini granatorum dul- cium. De vino nihil dicẽdum, quia cum calidum ſit, non conuenit inflamma- tioni pulmonum, & minus conuenit à principio, & in materia bilioſa.

Quæres, cur pleuriticis, & peripneu- monicis vinum tantopere diſderent? Huic quæſito reſpondet Ariſtoteles 27. probl. 4. & Plutarchus 7. ſympoſiacon, q. 1. referente Mercuriali 2. ſuæ praxis cap. 7. ſed is non reddit quæſiti propo- ſiti rationem; nam à pulmone oriri ſitim peripneumonicorum exemplo, qui perpetuò ſitiunt, præter alia argumenta probat; defendit enim ibi Platonis opi- nionem exiſtimantis potum non ad ven triculum, ſed ad pulmones deſcendere; quare ex Plutarcho elici minimè po- teſt quæſiti propoſiti ratio.

Videamus modò, an ex Ariſtotele poſſimus colligere reſolutionem. Mer- curialis dicit, quod pulmones ſunt in- flammati, & cum ſitis proueniat ex in cendio pulmonum, vbi calidiores pul- mones ſunt, maior excitatur ſitis, ſed in his caſibus incendio flagrant, hinc ſiti maiori affliguntur.

At cum ſitis ſit appetitus frigidi. & humidi non cuiuſuis, ſed illius, qui po- teſt explere potus deſiderium, id autem eſt vinum, ergò meritò à pleuriticis, & peripneumonicis deſideratur tam an- xiè, quia eſt actu humidum, ac maximè penetrans, vnde poteſt magis pulmones irrigare, quàm faciat aqua, ideoque magis vinum, quàm aqua deſideratur.

Sed illi, qui deſiderant vinum, vi- dentur magis imaginatione, quàm ratione moueri, quia ſi ratione vteren- tur, animaduerterent vinum eſſe cali- dum, à quo poſſent potiùs lædi, quàm iuuari, & quia mouentur imaginatione, putant ſitim vehementem poſſe vinum compeſcere. Et iſti ſunt illi, qui con- ſueuerunt vinum bibere, vt idem Ari- ſtoteles dicit in hoc eodem 4. proble- mate.

Tandem vt concludam; in reliquis alijs rebus non naturalibus eſt æger re- gendus, quemadmodum cap. de pleu- ritide diximus. Verum quidem eſt, quod aluus eſt ſolicitanda validioribus clyſteribus, vt ſupra ex Aetij ſententia notauimus, ideo in hoc caſu.

℞. Fol. maluæ,
Violariæ,
Altheæ, ana manip. j.
Fol. hyſſopi,
Rutæ, ana manip.ſſ.
Pulpę colocynthidis, drach.j.
Seminum aniſorum,
Dauci, ana drach.ſſ.
Fiat decoctio in ſufficienti quantita- te aquæ.

℞. huius decoctionis lib.j.
Hieræ colocynthidis, vnc.ſſ.
Mellis roſati,
Olei communis, ana vnc. ij.
Diacatholici, vnc.j.
Miſce, & cum vitello vnius oui, ſa- liſque ſcrup.j.
Fiat clyſter. Hactenus de peripneu- monia.

# DE EMPYEMATE.

## CAPVT QVINQVAGESIMVMSECVNDVM.

Quamuis Raſis nullam habeat mentionem de morbo illo à Græcis vocato empyema, nihilominus cùm ſit neceſſarius ſcitu ad perfectam habendam morborum thoracis cognitionem, frequenterque accidat, ideò & nos antequam ad ſputi reiectionem deueniamus, more aliorum practicantium ipſum examini ſubijciemus, exorſi ab ipſius definitione.

Hunc affectum Græci ἐμπύημα, Latini ſuppurationem, & purulentiam appellant, quare & qui hoc morbo laborant, ἐμπύοι Græcè dicuntur, Latinè verò purulenti, & ſuppurati, ſed huiuſmodi nomen non vnicam apud Hippocratem, & Galenum habet ſignificationem.

Nam Hippocrates 1. prognoſt. tex. 40. & Galenus 5. aph. 17. & 44. lib. 7. appellant ſuppurationem tranſmutationem illam, quæ fit ad pus in omnibus tumoribus, inflammationibuſuè, quacunque in parte corporis fuerit: vnde Galenus 60. com. 2. prædictionum in initio dicebat, quicunque pus obtinent in corpore, ſiue contentum ſit in parte affecta ante inflammationem, ſiue etiam poſt inflammationis eruptionem, ἐμπυϊκοὺς, ideſt purulentos, & ſuppuratos appellant.

Sed magis propriè loquendo medici ſolos empycos appellant, aut potiſſimũ eos qui in thorace, ac pulmone talem habent affectionem; quare nos de empyemate tractantes non intelligimus de ſuppuratione, hoc eſt, conuerſione in pus inflammationis in pulmonum ſubſtantia, aut in pleura, ſed intelligimus collectionem puris in ſpatio thoracis, atque pulmonis intermedio poſt prædictæ ſuppurationis eruptionem.

Erit igitur empyema à nobis propoſitum, ſaniei, aut puris collectio in vacua thoracis cauitate, inter pulmones, & thoracis limites contenta, vndecunque fluxerit, & quomodocunque collecta, ſiue totum occupet thoracem, ſiue partem.

B Et ne immoremur circa quæſtiones de nomine, dico, quod quando verum pus collectum eſt, tunc appellatur propriè, & verè empyema, quando verò vel ſeroſus humor, aut materia pituitoſa à capite fluat, & ibi colligatur, impropriè appellabitur empyema.

Eſt autem tam propriè, quàm impropriè empyema morbus in numero, nempe à toto genere præter naturam, C quia cauitas thoracis continet in ſe materiam extraneam, quam ſecundùm naturam continere non debet; vnde pars affecta eſt thoracis capacitas, quia thorax patitur ſecundùm ſui cauitatem, dicique poteſt morbus in mala compoſitione ad figuram ſpectans; nam cauitates ad figuram referuntur, vt notum eſt apud omnes.

## D DE CAVSIS EMPYEMATIS.

Cauſę empyematis aliæ ſunt externæ, aliæ internæ. Externa poteſt eſſe contuſio violenter facta ab extra in thoracem à telo contundente, aut ab ictu, vel ex caſu alioquo ab alto, vel quidquid habet vulnerandi, contundendi, & lædendi facultatem; vnde vulnera, contuſiones, & id genus alia E poſſunt eſſe primitiuæ cauſæ, vt cibi vaporoſi, aut craſſi, aut flatulenti nimius vſus, nimiæ crapulæ, nimia vini compotatio, & tandem mala victus ratio.

Cauſæ verò internæ ſunt in primis à capite materiæ effluuium, quemadmodum Aetius, & Paulus docent, & ab Hippocrate, & Galeno colligitur lib.

lib. 7. aph. vbi dicitur, deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurari intra 20 dies, quod clarius habetur ex lib. de morbis ab Hippocrate dicente: ſuppuratos fieri cum pituita de capite copioſè, & aceruatim in ſuperiorem ventrem effluxerit, putreſcit, & in pus vertitur.

Sed hoc loci notate Altimarum inquirentem, quomodo ex materia illabente à capite poſſit generari pus, cum puris generatio, vt alias etiam ex Galeno vobis demonſtraui, fiat ex ſanguine, & carne contuſa, 4. meth. med. 5. & 1. de diff. feb. 6.

Sed non animaduertit, quod pus capitur duobus modis, vel communiter, vel propriè; primo modo ſumitur pro quacunque ſanie in corpore exiſtente, & fit etiam ab omni materia, quæ apta ſit putreſcere, ſecundo modo fit à ſanguine, & carne contuſa.

Ne igitur incidamus in huiuſmodi quæſtionem, vel vt incidẽtes ſtatim ſubleuemur, dicimus empyema propriè dictum eſſe illud, in quo pus verè colligitur; impropriè verò, in quo fit cuiuſcunque materiæ putreſcentis collectio, de quo Aetius, Paulus, & ipſemet Hippocrates locis præcitatis loquuntur, non autem de vero, & proprio. Veri autem, & proprij cauſæ internæ ſunt materia ab angina, aut pleuritide, vel peripneumonia huc tranſlata.

Poteſt etiam eſſe vlcus in cruenta expuitione, quod in pulmone conſolidatum non perfectè fuerit, à quo ſanguis emanans, & collectus in thorace computreſcat, vt cap. de ſanguinis ſputo intelligetis. Igitur concludendum à nobis eſt, quod veri, & legitimi empyematis cauſa immediata ſit pus in thorace collectum; non veri autem ſit quæcunq; materia apta putredini.

Cum vt plurimum empyema ſequatur alios morbos, anginam, ſcilicet, pleuritidem, atque pulmoniam, & aliquando capitis deſtillationem,

A ideo eſt opus ſigna afferre, quæ indicent ipſum, deinde quando, & quem ex prædictis morbis ſequatur; nam quando à cauſis procatarcticis proficiſcitur, ægroti ipſi eas manifeſtiores medicis faciunt, vnde non eſt, vt circa ipſarum inueſtigationem tempus conteramus.

## DE SIGNIS EMPYEMATIS.

B Vix certè fieri poteſt empyema, niſi præcedente aliqua inflammatione, aut vlcere, vt dictum eſt, quare non poſſumus habere ſigna ipſum nobis demonſtrantia, niſi ab actione ſpirandi læſa, & ab accidentibus quibuſdam; nam qui materiam collectam in cauitate thoracis habent, vt difficultatem reſpirandi percipiant, eſt neceſſe, quia pulmones non poſſunt ad haurien-

C dum aerem dilatari, quantum ſatis ſit, vt quandoque tantam habeant euentandi neceſſitatem, vt ſuffocari videantur.

Secundò percipiunt in cauitate thoracis, quando decumbentes, ac iacentes in latus reuoluuntur, manifeſtam fluctuationem. Addatis, quod poſſunt percipere, quandam grauitatem in ea parte, ad quam fluitat materia.

D Auicennas addit adeſſe tuſſim, in qua nihil expuunt ægrotantes; tandem & in anhelitu fœtor ſentitur inſuauis: ex his comprehendere poſſumus empyema, hoc eſt, collectam eſſe materiam in thorace.

Verum ex aph. 17. ſect. 5. opus eſt deuenire ad illud empyema, quod frequentiſſimè accidit, quando igitur quis anginam patitur, illaque citra euidentem euacuationem reſoluitur, deinde

E dolor ad thoracem fertur cum grauitate, ac reſpirandi difficultate, & cum tuſſi ſicca, iam ſignum eſt materiam, quæ erat in faucibus, in cauitatem thoracis prolapſam fuiſſe.

Vnde Hippocrates 5. aphoriſ. 10. dicebat, quicunque ab angina liberantur,

tur, his ad pulmoniam vertitur; & ſeptem diebus pereunt; ſi verò hos effu-gerint, ſuppurantur, vbi igitur ſeptem dies tranſacti fuerint, certiſſimum indi-cium eſt ſuperſtite remanente ægro ad ſuppurationem eum venturum eſſe.

Poteſt autem facilè cognoſci ſuppu-ratio à pleuritide ortum ducere; nam Hippocrates aph. 8. 5. ſectionis ſcriptum reliquit, quod quicunque morbo late-rali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur.

Quam tamen propoſitionem non ſemper veram eſſe nobis demonſtrat apud Hippocratem Anaxionis hiſtoria, qui ad tertiam diem peruenit, in qua à pleuritide fuit per ſudorem liberatus; & iuuenis apud Valleriolam ab inconco-cta pleuritide, per alui fluxum poſt de-cimam quartam diem liber euaſit.

Hæc Anaxionis hiſtoria eſt de raro contingentibus, nec exemplum poteſt facere. Verum opus eſt ad Hippocra-tem recurrere 2. prognoſt. vbi affert ſigna ſuppuratorum incipientium, & eorum, qui iam in ſuppuratione ſunt confirmati; præcognoſcimus enim ſup-puratos in fieri tribus potiſſimùm ſym-ptomatibus, nempe maiori febre, quàm eſſet antea, rigore, nec non & grauitate ponderoſa loco doloris, quam percipi-unt ægrotantes.

Augetur febris, quia materia in pus conuertitur; percipitur rigor, quia ma-teria per partes neruoſas transfertur, vt aliàs audiuiſtis, dum de natura rigo-ris eſſet ſermo; pondus pro dolore percipitur, quia iam collecta eſt mate-ria tota diſtendens membranam, & partes circumuicinas.

Præterea adeſt oculorum cauitas, aliquando deiectio appetitus; mentiſq; alienatione comprehenduntur ægri, & difficiliùs, quàm antea reſpirant, tem-pore videlicet diſruptionis.

At vbi iam in cauitatem delapſa eſt materia, ſiue à pulmonibus, ſiue à pleu-A ra, vehementes febres quieſcunt per aliquod temporis ſpatium; nam vt lo-quuntur Arabes, diſruptum eſt apoſte-ma, aut vomica à materia putrefacta, quæ translata in amplam thoracis ca-pacitatem, temporis progreſſu altera-tur denuò à calore, & febres non qui-dem vehementes, ſed cum aliquo rigo-re, & mites adeò ſunt, vt hecticarum naturam omninò imitentur.

B Eſt autem hoc loci animaduerten-dum in duobus locis, ſuppurari mate-riam, nimirum in pulmonibus, & pleu-ra, ideo ex Galeni ſententia 2. progn. 39. quando fit in pulmone ex vtroque latere, expanditur materia in thorace, quando verò fit in pleuritide, in vno tantùm latere continetur, quæ à dolo-re cognoſcitur; nam dolor, ſeu grauitas percipitur in illa parte, ad quam tranſ-C miſſa eſt materia.

Auicennas docet modum cogno-ſcendi partem læſam, ex oppoſitione lintei madefacti ſupra thoracem, quod in illa parte, quæ læſa eſt, citius exic-cabitur. Si empyema fiat à deſtilla-tione, cognoſcetur ex eadem deſtilla-tione, quæ præceſſit, & ab eo, quod per ſputum exit; nam ſi empyema à mate-ria fiat pituitoſa, quæ à capite deſcen-D dat, ſi eam in vaſe aqua pleno impo-natis, videbitis ſupernatare, dein-de appoſita prunis ardentibus nullum fœtorem, aut grauem odorem de ſe emittit.

At quando eſt pus ab aliqua inflam-matione proueniens, ſi in prædicto va-ſe expuatur, videbitis ipſum ima pe-tere, & huiuſmodi ſignum communiter à practicantibus eſt vſitatum; deinde ſi E ſuper prunas ſputum cadat, graueolens eſt.

Hæc experimenta à Serapione tradi ta fuerunt, quæ mea opinione, parum faciunt ad cognitionem, & multo mi-nus ad curationem, quia vnuſquiſque agnoſcit empyema ſubſequens, vel pleuritidem, aut inflammationem pul-monum,

moniūm; quia iam vna ex his, vel ambę præceſſerunt. Non faciunt ad curationem, quia quæcunque contineatur materia, indicat euacuationem, quæ fit vel per ſputum, vel per vrinam, vel per thoracis ſuffionem.

Cæterùm idem Hippocrates 62. progn. ſect. 2. plura affert ſymptomata, quibus valeamus confirmatos ſuppuratos dignoſcere, quæ à Galeno in comm. non modò confirmantur, ſed talia eſſe rationibus demonſtrantur, & per vos legere poteſtis.

Iam meum nunc eſt afferre ſigna, quibus hæc dignoſcere valeatis, ſed quemadmodum dictum fuit, quod quando pleuriticus morbus, & peripneumonicus non rectè expurgantur, degenerant in ſuppurationem, ita ſuppuratio inueteraſcens ad phthiſim degenerare poteſt. Hoc igitur cognoſcere hiſce docet Hippocrates.

Primò ſi febris eos non dimiſerit, verùm interdiu vehementer afficiat, noctu verò magis: ſecundò ſi plurimi ſudores ſuperueniant: tertiò tuſſiendi cupiditas ineſt, nihil tamen excreant, quod conſideratione dignum ſit; oculique eorum magis excauantur: quartò malæ rubent: quintò manuum vngues incuruantur: ſextò digiti incaleſcunt, precipuè ad extremitates: ſeptimò ad pedes ędemata fiunt: octauò cibos minimè appetunt: tandem phlyctenæ per corpus erumpunt.

Iſthæc ſunt ſigna demonſtrantia ſuppuratos eſſe confirmatos, & ad phthiſim propenſos; Hinc apparet, quantum allucinatus ſit Puluerinus in ſua praxi, vbi tradens de ſigna ſuppuratorum, ſolummodo examinat hoc Hippocratis prognoſticum, quod eſt de confirmatis, non autem de omnibus ſuppuratis: & hæc de ſignis: veniamus ad prædictiones.

A DE FVTVRO EVENTV
*Empyematis.*

Tria ſunt capita, à quibus futurus
euentus prædici poteſt in ſuppu-
ratis. Vnum eſt actio læſa, Secundum
qualitas faciei, & corporis mutata.
Tertium ſunt exeuntia.

Ab actione igitur tam thoracis, quā
arteriæ deſumere poteritis futura ſalu-
B tis, aut deſperationis pręſagia; nam ſi
virtus pulſifica valens eſt, difficultaſque
reſpirandi admodum exigua, appe-
titus bonus, benè ad oblata ſe habet,
color faciei parum à naturali colore
mutatus, tunc poteritis ſalutem indu-
bitatum prædicere.

Si per vrinam, aut per ſeceſſum vi-
detis empyematicos ſponte expurga-
ri, in diebus à medicis contemplatiuis
C appellatis, excretioneſque commodè
prodire, ſequaturque bona tolerantia,
poteſtis bonam ſpem de euentu morbi
prædicere. At vbi virtus labatur, nul-
lamque ægrotantes ex his percipiant
conferentiam, quinimò potiùs nocu-
mentum, res in anguſto eſt poſita.

Ab exeuntibus, præcipuè à ſputo,
indicium ſalutis colligere poteſtis; nam
ſi pus leue, & album ſine fœtore, atque
D æquale exeat, nota eſt futuræ ſalutis.
Si verò ſubcruentum fuerit, aut mala
qualitate affectum, periculum eſt, ne
ægrotantes moriantur.

Vnde Hippocrates 7. aph. 44. dice-
bat. Quicunque ſuppurati vruntur, vel
ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album,
euadunt; ſi verò ſubcruentum, & fœcu
lentum, ac fœtidum, pereunt.

Si ſanies exeat ſubnigra; graueolens
E cum virtutis languore mortem proxi-
mam arguit. Quamuis empyema poſt
peripneumoniam, aut pleuritidem, vel
vlcus in pulmone, nequaquam, aut ra
rò ſanetur; vidimus tamen nos iuuenē
quendam tandem ad ſuppurationē ve-
niſſe, & poſt ſectionem inter vnam, &
alteram coſtam factam ſuperſtitem re-
man-

manſiſſe, qui adhuc ſanus viuit.

Ideo quando iuuenem habemus validæ virtutis, poſſumus omnia moliri cum ratione, atque inde bonum ſperare euentum.

Niſi in quadraginta diebus empycus mundificetur, in phthiſim cadet, aph. 15. 5. particulæ; at in ſenibus oportet ſemper timere prauum euentum: ſed tempeſtiuum eſt, vt quibus morbus hic tam ſæuus à corporibus expelli poſſit, in præſenti edoceamus.

## DE CVRATIONE EMPYEMATIS *per victus rationem.*

NOs ſumus in morbo difficili admodum ad curandum, & qui pro ſui ablatione validiſſimis eget præſidijs; nam materia, quæ continetur in cauitate, eſt à toto genere præter naturam indicans ſui ablationem aptis præſidijs, quæ debet fieri per ſenſibilem viam, nempe per ſputum, aut inter coſtas ſectionem, aut aduſtionem, vel vrinam.

Sed huiuſmodi euacuationes fieri non debent, niſi præmiſſis vniuerſalibus, quæ eadem omninò ſunt, ac illa, quæ diximus cap. de pleuritide, videlicet opus eſt mittere ſanguinem ex baſilica, aut communi ex vtroque brachio, & pro virium robore euacuationem amplam, aut exiguam moliemur.

Victus ratio tenuis à principio eſſe debet, temporis progreſſu verò paulò plenior, vt in pleuritide dictum eſt: ſorbitiones itaque fiant ex hordei, vel fabarum farina. Amatus Luſitanus centuria 2. curatione 1. ad ſcholium probat fabam friſam ſummè valere pro expultione, vel etiam ius cicerum.

Commendatur, & lac chalybeatum, ſeu in quo lapis molaris ſit extinctus. Ius caulium ex vſu eſt, in reliquis cibus ſit, vt in pleuritide.

Pro potu aqua hordei, aqua chalybeata, vinum tenue, ſed quod dulcedi- A ne quadam ſit affectum, ſunt idonea.

In alijs rebus non naturalibus moderatè agere oportet. Aer magis ad calidum, & ſiccum vergat, omnique prauo odore carere, & remotus eſſe ab omni mala, ac praua qualitate debet.

Quod ad exercitium ſpectat, decumbant in lecto ægrotantes; loco exercitij frictiones ad crura, & pedes fieri opus eſt, aliquando nedi doloroſi ſunt B ex vſu, ſæpè cucurbitæ ad nates, ad fœmora, & crura applicata iuuant.

Animi affectiones vehementiores, euitandæ ſunt, clyſteres à Meſue quam maximè commendantur, precipuè ante ſanguinis miſſionem, vt in pleuritide eſt dictum.

## C DE CVRATIONE EMPYEMATIS *per pharmaciam.*

PHarmacia talis eſſe debet, vt primò humorem è corpore educat, ne in thoracis feratur capacitatem, cui rei idonea ſunt ea, de quibus diximus capite de pleuritide, quæ pro materiæ diuerſitate ſunt exhibenda, cum Meſuei admonitione, vt nunquam validiſſima, ſed ſemper lenientia medicamenta eligamus.

D Corpore purgato pro materiæ diuerſitate, deueniendum eſt ad cauſam coniunctam, quam debemus, quantum fieri poteſt, eijcere medicamentis arteriacis, nec non educentibus per vrinam, & per ſeceſſum, pro vt medicus agnoſcit naturam modò ad vnam, modò ad aliam viam inclinare.

Arteriaca medicamenta ſint validiora, quàm in pleuritide, quia opus eſt E per pulmones ad thoracis capacitatem extra ferri. Meſues ſummè probat mellita omnia, vt mulſa, decoctio hyſſopi, praſſij, origani cum melle.

Eſt præſentaneum remedium ſyrupus de hyſſopo, de liquiritia, oxymel ſimplex, oxymel compoſitum, & huiuſmodi: valet etiam loch caulium, loch

ſanum,

ſanum,& expertum, & quæcunque cap. de tuſſi, & pleuritide dicta à nobis ſunt.

Eclegma,hoc eſt lambitiuum factum ex ſcylla confert. Probatur quoque & huiuſmodi electuarium in ore detentum.

℞. Amygd. dulc.
Sem. goſſipij, ana vnc. ſſ.
Orobi,
Praſſij,
Marrubij albi, ana drach. ij.ſſ.
Fabarum decorticatarum, vnc.ſſ.

Cum penidijs in aqua violata diſſolutis fiat electuarium, quod in ore detentum facultatem habet materiam expectorandi, abſtergendi, & tandem exiccandi.

Duo mihi probantur medicamenta, quibus ſæpè ſum vſus vnum eſt lac aſininum, aut caprillum, quod ſemel in die offerri debet ad vnc. vj. per horas quatuor ante prandium, & longo tempore. Aliud medicamentum eſt, quod ex Meſue deſcribit Ioannes à Vigo lib. 3.cap.10. de thoracis vuln. eſt autem tale.

℞. Caryophyllatæ,
Rad. arthemiſiæ,
Pimpinellæ,
Chamæmeli,
Pentaphylli.
Fol. violæ nigræ,
Parietariæ,
Caulis rubri,
Cannabis,
Summitatum rubi, ana manip.j.
Rubeæ ad pondus omnium.

Facit Meſues cum aqua, & tertia parte mellis ebullire, lib. 1.ſect. 11.

Vel vt recentiores.

℞. Sarſæ parillæ, vnc. j.
Radicis chinæ, vnc. ſſ.

Infunde in duobus libris aquæ fontis per horas viginti quatuor, deinde adde radices, & folia prædictorum ſimplicium ad p. j. & fac ebullire ad medietatis conſumptionem, ad hæc adde modi- A cum mellis, & rurſus ebulliant, quouſque mel deſpumetur. Poſtremò coletur, huiuſque colaturæ accipiantur, vnc. vj. ad ſummum: altero verò die accipiat lactis ad vnc. iiij. ſiue aſininum, ſiue caprillum fuerit, & ita alternatim procede vſque ad finem curationis, & eſt præſentaneum in hac affectione remedium.

B Si verò natura oſtendat per vrinam velle materiam expurgare, tunc opem ferre illi oportet cum diureticis medicamentis per os aſſumptis, inter quæ ius cicerum rubrorum, in quo ebullierint quædam radiculæ, vt pimpinellæ, cichorij, fœniculi, aſparagi, ruſci, eryngij, præſtat, &

℞. huius decoctionis, vnc. iiij.
Syr. byzantini,
De quinque radicibus, ana vnc. j.

C Miſce pro ſyrupo ſingulo mane offerendo.

Syrupus quoque endiuiæ Gentilis, de cichoreo Nicolai hoc in caſu ſunt maximè in vſu. Ius etiam galli antiqui valet, in quo ebullierint quædam diureticæ virtutis, illudque ea ratione præparabis, vt dictum eſt capite de tuſſi.

D Verùm quidem eſt, quòd ſi per criſim materia exiret, tunc oporteret naturæ relinquere onus, ac obſeruare an perfectè expurgaret materiam, nec ne.

Si primo modo nihil aliud eſt agendum, ſi verò non perfectè ſanat, tunc opitulari per medicamenta prædicta eſt opus; & in hoc caſu non improbatur ius galli à Meſue propoſitum cap. 23. lib.5. quod ea ratione, qua ipſe

E exhibet, ægrotanti offeratur, & hoc eſt communiſſimum medicamentum.

PRÆ-

PROPONITVR QVAESTIO multiplex, & ſoluitur.

SEd poſtquam incidimus in ſermonem expurgationis vomicæ thoracis, non videtur à ratione alienum inquirere, per quas vias à ventre medio poſſit ferri materia ad prædicta loca; nempe per vaſa vrinæ deſtinata, & per inteſtina; nam id euenire poſſe tam Græci; quàm Arabes, & neoterici etiam confitentur, at in modo aſſignando non omnes conueniunt.

Eraſiſtratus medicus illuſtris, & antiquiſſimus exiſtimauit materiam in pulmone exiſtentem, & à ſpongioſa ipſius carne attractam deduci per venam arterialem in dextrum cordis ventriculum, hinc ad truncum venę cauæ, à qua fertur per emulgentes ad renum cauitatem, inde ad veſicam.

Sed huiuſmodi via non videtur tuta, quia ad os venæ arterialis valuulæ adſunt ſygmoides appellatæ, quæ prohibent, ne quid à pulmonibus in cor regurgitet. Ad foramen, ſeu ad os venæ magnæ hiantis in cor adſunt & aliæ valuulæ, quę ob figuram triulcæ appellatæ ſunt, impedientes ne quid à dextro cordis ſinu in cauam remeare poſſit: hac anatomica demonſtratione vtitur Galenus aduerſus Eraſiſtratum.

Meſues verò voluit materiam quandoque per venam chyli ad concauam iecoris regionem, inde ad meſeraicas, tandem ad inteſtina ferri, hinc per ſeceſſum expurgari cum alui excrementis. Si verò è pectore ad partem hepatis gibboſam deferatur, inde ad venas emulgentes, ad renes, & ad veſicam erumpere poteſt.

At Galenus 6. de locis affectis cap. 4. in fine ſcribit caſum hunc eſſe de raró contingentibus, cum materia in pulmone exiſtens pro maiori parte in ramos aſperæ arterię tranſmittatur, à quibus in truncum ipſius, inde ad os deponitur. Contingit tamen leues arterias, hoc eſt

A arterias venales, quantũ puris ex erupta vomica effluit, in ſiniſtrũ cordis ventriculum impellere, quod inde in magnam arteriã, ad arterias emulgẽtes, ad renes, & tandem ad veſicam tranſmittitur.

Hæc eſt via, per quam Galenus exiſtimat materiam contentam in thorace poſſe per vrinam euacuari.

Gabriel Falloppius medicus clariſſimus, & inſignis anatomicus, ſe aliam, &
B breuiorem viam reperiſſe profitetur lib. ſuarum obſeruationum anat. & eſt ramus venæ, quam agygos, ſeu ſine pari ſupra vocauimus, qui ramus ortum ducens ab illa vena, perforans diaphragma terminatur ad venam emulgentem, propter quam exiſtimauit materiam poſſe per hunc ramum ad renes, & ad veſicam transferri.

Sed quomodo purgetur per ſeceſ-
C ſum, nihil ab aliquo dictum fuit, quem ego viderim exceptis Meſue, & Galeno; ſed Meſues non aperuit nobis viam, per quam à thorace ad venam chyli, hoc eſt ad cauam feratur, quia cum habeamus, per quam viam feratur ad venas meſeraicas, ſtatim habebimus manifeſtam viam ad inteſtina.

At Galenus, qui maximè fuit oculatus, & veluti diuino præditus ingenio,
D probè agnoſcebat non poſſe hanc materiam à vena caua in portam ferri, niſi inſenſibili via, ideo ſcripſit hoc à corporis conſtitutione eſſe petendum, quę talis erit, vt à vena caua ad venam portam ſit ductus quidam inſignis, per quem ab illa in hanc tranſducatur materia.

Sed quemadmodum hic caſus eſt rarus, ita quoque & talis corporis conſti-
E tutio, & certè ſi vultis me verum, vt ſentio, fateri, longè rationabilior mihi videtur Galeni, quàm aliorum excogitatio, quia in primis à pulmone ad cor datur materiæ ingreſſus, quia oſtiola præfecta arteriæ venali concedunt ingreſſum; non autem egreſſum, at illa, quæ ad arteriam magnam ſunt oſtiola præbent

præbent egreſſum materiæ à corde,non autem regreſſum ad cor.

Huiuſmodi autem arteria magna, dum deorſum per corpus tranſit, duos inſignes ramos offert renibus, per quos ſerum expurgatur. Horum ramorum beneficio materia translata à thorace in pulmonem, & recepta in arteria venali, inde ad ſiniſtrum cordis ſinum, & ad arteriam magnam, & renes præcipitat, hinc ad veſicam, vnde expulſa tandem per communem canalem extra deijcitur.

Sed fortaſſe quiſpiam veſtrum dubitare poterit, quod cordis ſiniſter ſinus non videtur locus conferens, quemadmodum neque arteria; ideoque verum non eſſe naturam in cordis ſinum, & arteriam illuuiem hanc purulentam depellere.

Succedit, quòd quando aura quædam maligna eleuatur ad cor,quacunq; via incedat, hominem ſtatim ducit ad ſyncopem, quod multo magis euenit, ſi concedatur hanc materiam purulentã, & malignã tranſire per ſiniſtrum cordis ſinum, qui eſt non modò ſpirituum vitalium domicilium,ſed locus,in quo generantur, ideo periculum eſſet, ne ipſi coinquinarentur, ac diſſiparentur, inde ad mortem hominem ducerent.

Sed opus eſt, vt conſideretis motum naturæ,& morbi impetum,deinde virium robur; nam aliud eſt, quod materia tranſmittatur à natura criticè, benè valente virtute expulſiua cordis,& partium,per quas tranſmittitur hæc materia; nam tunc temporis ſpiritus conſeruant ſuam naturam, neque læduntur, quia natura valida noxia expellit, & tam breui id præſtat tempore,vt nullum nocumentum parti cordis, & ſuis ſpiritibus accedere poſſit.

Atqui ſi languidè ſint vires, aut vi morbi materia feratur, certè in media via moriuntur ægrotantes, in ipſa ſcilicet expurgatione, & hinc eſt, quod aliquando diſſectis his corporibus in ſiniſtro ventriculo cordis purulenta materia reperitur,quam non rectè conſiderantes medici, neque vnde veniat, dicunt cor pati poſſe abſceſſum, quod eſt impoſſibile.

Sed quod huiuſmodi fiat excretio per cordis ſinum ſiniſtrum, affero vobis duo exempla. Vnum eſt Holleri; lib. ſuæ praxis capite de ardore vrinæ; aliud eſt Laurentij in ſuo opere anatomico loco citato queſt. 14.

Scribit Hollerius ſe mulierem agnouiſſe, quæ vrinam purulentam intolerabili cruciatu mingebat, mortua eſt poſt quartum menſem, ac diſſecta in ſiniſtro cordis ventriculo inuenti ſunt duo calculi renibus integris, & omnibus vijs vrinæ dicatis; nam expurgabatur illuuies illa per arteriam magnam, quam Ariſtoteles aortam appellauit.

Andreas Laurentius inquit ſe vidiſſe quendam patientem melancholicam affectionem ex hypochondrijs, cui febris ſuperueniens acutiſſima hominem è viuis ſuſtulit, qui antea per integrum menſem bis in die leui animi deliquio corripiebatur cum modico vrinæ ardore, & incredibili meiendi deſiderio, & profuſa tenui, & fœtida vrina ſtatim ad ſe redibat.

Cadauere diſſecto cauitatem thoracis tenui, prærubro, & fœtidiſſimo humore oppletam, nec non cordis ſiniſtrum ſinum hoc humore plenum inuenerunt, vnde materia illa huc ſymptomaticè delata erat, cauſa deliquij huius exigui, & frequentis,quæ inde deducta ad renes per arteriam magnam illum ardorem faciebat.

Ex quibus duobus caſibus poſſumus Galeni authoritatem confirmare; nam dum materia continetur in thorace, veriſimile eſt, quod à robuſta thoracis, & pulmonum virtute, & ex motu pulmonum eliciatur materia, quæ inde ad vias prædictas feratur, & per criſim. Verùm virtute languida exiſtente, aut tranſmiſſa ſymptomaticè,

& vi morbi materia, contingit homines ſuffocari.

Vnde longè facilior videtur hæc via, quàm illa, quam ſe inueniſſe gloriatur Falloppius;nam cum agygos ſit inſignis venæ cauæ ramus, opus eſt, vt materia extra vaſa in capacitate thoracis exiſtens, in venam agygos tranſeat, quod ſi permittatur, non video, cur magis in venam agygos,quàm in truncum cauæ, quæ eſt decuplo maior, non poſſit ingredi, hinc deorſum per ſpatium magis amplum ad emulgentes ferri, quemadmodum voluit Meſues.

Quare ſi concedendum eſt per diapedeſim materiam reſtagnare in venas, mihi magis via Meſuei, quàm Falloppij probatur.

Sed maior eſt lis inter authores, verum materia purulenta poſſit intus venas remeare, de qua alias fortè tractabimus.

Quod modò ſpectat ad viam, quæ ad ſeceſſum ducit, quamuis non me lateat poſſe naturam ſibi vias nobis occultas reperire, per quas materiam expellat, licet craſſam, ac etiam per anguſtiſſimos oſſium poros;nihilominus nos, qui artifices ſumus ſenſati,viam inquirimus ſenſibilem, per quam poſſit hæc materia tranſportari.

Nam ſi voluiſſet per ductus inconſpicuos ducere materias, non effeciſſet vias,per quas maniſeſtè corpus à recrementis expurgat. Galenus voluit adeſſe canalem quendam à caua in portam, & tunc certè via eſſet manifeſta, neque eſſet nobis laborandum circa indagationem illius;nullus tamen ex anatomicis eſt, qui dicat ſe vidiſſe huiuſmodi viam.

Sed Galenus dicit rarò id contingere, neque eſt, vt exiſtimemus hanc eſſe fugam, quia natura ſæpè ludit in rebus non neceſſarijs, ſæpè etiam rationem abundantiæ materiæ partes quaſdam generat, quod pluribus in locis apud Galenum videre vnuſquiſque veſtrum

A poteſt, præcipuè in illa Eudemini philoſophi hiſtoria 2. de temperamentis cap. 6.

Reddens rationem eo loco Gal. cur fit, quòd aliqui habitus pituitoſi ſingulo mane conentur euomere bilem, inquit notionem huius rei ex anatomica ſpeculatione petendam eſſe,quæ eſt, quòd meatus deferens bilem à iecore ad duodenum inteſtinum, vt plurimum

B eſt vnicus, rarò duplex, cuius vna portio ad duodenum, altera ad ventriculi fundum parum ſupra pyloron inſeritur, quæ vel eſt minor illa, vel maior: quoties illa portio, quæ in ventriculum tendit eſt maior, quàm ſit illa, quæ ad duodenum vadit,tunc tota in ventriculum fertur bilis copia, vt irritetur ventriculus ad illam euomendam, hinc eſt,

C quòd tales homines infelicem degunt vitam.

Quemadmodum igitur bilis meatus rarò duplex reperitur, ita etiam fieri poteſt, vt aliquando canaliculus fiat à caua vena in portam, vnde contingat eum, qui tali conſtitutione ſit præditus, & empyema patitur, per ſeceſſum via hac expurgetur: & hæc ſint dicta de vijs, per quas vomica in thora-

D cis capacitate exiſtens expurgari poſſit.

Sed cum dictum ſit vias eſſe tres à natura factas, quibus hæc materia ſolet deijci, nunc videamus, quid facto opus ſit, quando per nullam ex prædictis poſſit auferri purulenta materia? Profectò non eſt ſperandum, vt poſſimus eam medicamentis localibus euacuare, quia antequam hæc intus vir-

E tute ſua valeat penetrare, periculum eſt, ne pus diù immoratum acredinem acquirat, & tandem æger ad phthiſim ducatur.

Ideo omni ingenio curandum eſt, vt materia per ſectionem extrahatur, quæ neque in omni ſubiecto agenda eſt, ſed ſolummodo in iis, qui validam virtutem habent,ſuntque iuuenes boni habitus.

tus. Sectioq; fiat ante quadrageſimum diem, quia poſt hos dies, ſi materia non ſit euacuata, ægrotantes phthiſici fiunt, vt audiuiſtis.

Neceſſitas igitur ſectionis huiuſce in thorace facienda, eſt deſumpta à materia, quæ ne per ſputum, nec per vrinam, vel ſeceſſum euacuari poſſit: tempus eſt ante quadrageſimum diem à ruptione.

At locus, vbi facienda ſit ſectio, non omnibus idem videtur; nam alij dicunt eſſe ducendam in dorſo non longè à ſpina, & inter quartam, & quintam coſtam; alij dicunt inter ſextam, & ſeptimam; alij verò, inter quos eſt Hippocrates lib. de affect. inter. volunt eſſe ſecandum ad tertiam coſtam incipientes enumerare à prima mendoſarum.

Hunc locum videns Amatus Luſitanus centuria prima curatione 61. dubitat, an ſectio facienda ſit inter tertiam, & ſecundam, an verò inter tertiam, & quartam, quia ex Hippocrate ſecare debemus, hac cautione ne incidamus diaphragma.

Veſſalius in eo conſilio pro Duce Terranouæ editum cum opuſculis Ingarſiæ docet modum hanc operationem adminiſtrandi, quemadmodum etiam & Hippocrates 2.de morbis ſect. 104. ſcribit ſecandum eſſe poſt decimum quintum diem ab eruptione.

Modus ſecandi talis proponitur eo loci, nempe vt primò ſecetur cutis nouacula, deinde ſcalpello acuto, quod pan niculo ſit alligatum; ita vt ſumma ipſius pars ad vnguis magni digiti, menſuram expedita reſtet, quam intromittas.

Hippocrates 3.de morbis, vult, vt vbi nulla appareat puris erumpentis nota, vt terra retriade, aut creta liquida ſupra thoracem poſita exploremus, in qua parte pus adſit: vide locum.

Amatus concludit ſe ſecuiſſe mulierem quandam inter quartam, & tertiam coſtam, quæ fuit ab ingenti empyemate hac ſectione liberata. Tuta quidem eſt ſectio tam inter tertiam, & quartam, quàm inter tertiam, & ſecundam, ſed opus eſt cum quadam cautela deuenire ad huiuſmodi operationem, ſub qua nullus, aut pauciſſimi liberantur; nam videndum eſt, an materia tendat ad aliquam partem, vel non.

Si enim exteriùs adſit aliquod veſtigium erumpentis materiæ, tunc ad locum hunc ducenda eſt ſectio, vel ferro candente aduſtio, quemadmodum docuimus nos illam fieri in anteriori parte in iuuene prędicto inter ſeptimam, & ſextam coſtam veram; propterea quod natura oſtendebat per hunc locum exitum tentare, quo aperto euaſit, ſed ſatis quidem longo tempore, & noſtra diligentia.

Si verò nullum appareat materiæ prorumpentis veſtigium, tunc ad decliuiorem locum, nempe ad medium inter quartam, & tertiam, vel tertiam, & ſecundam coſtam mendoſam ducenda eſt ſectio à perito Chirurgo, quæ ſit obliquè tracta in interſtitio muſculorum intercoſtalium. Atque cauum vlcus efficiendum, quod intus ad cauitatem penetret. Curandumque eſt, vt materia tota vnica vice minimè euacuetur, ſed ad ſex vncias de mane, totidem ad veſperas, pro vt virtus valet: & hæc de curatione empyematis.

# DE SPVTO SANGVINIS.

## CAPVT QVINQVAGESIMVMTERTIVM.

SAnguinis ſputum Græ-
appellant αἱμάπτοιν καὶ
αἱμόπτυσιν quaſi αἵματος
πτύσιν; à Latinis verò
cruenta ſpuitio dicitur,
aut ſanguinis reiectio,
vel ſanguinis expuitio, de qua quidem
poſt empyema tractandum eſt ordine
à nobis propoſito.

Sanguis, qui ab ægrotantibus expui-
tur, non ex vna tantùm parte effluere
ſolet, ſed à multis, & adeo pluribus, vt
ſæpè lis excitari ſoleat inter medicos ad
curationem vocatos de loco affecto;
nam etſi omnibus in confeſſo ſit ſangui-
nem exire à venis tamquam à proprijs
conceptaculis, nihilominus ſæpè incer-
ti ſunt de ſede affecta, hoc eſt de illa
parte, vbi vena læſa ita ſit, quę non poſ-
ſit ſanguinem continere.

Si Galeno credimus, ſanguis ab ore,
gingiuis, palato, vuea, faucibus, capite,
gula, ventriculo, inteſtinis, iecore, lie-
ne, pulmonibus, thorace, atq; aſpera
arteria erumpit, ſoletque (vt inquit
Alexander Trallianus lib.7.cap.1.) non
modò peſſimos morbos facere, ſed eti-
am vitam ſæpè adimere.

At cur ſit, quod inter thoracis affe-
ctionis ab omnibus medicis enumere-
tur? An dicendum ſit ſputum ſanguinis
frequentiùs euenire ex pulmonom vi-
tijs: an verò quia morbi pulmonum, vt
plurimùm per ſputum terminantur, &
cum contingat oportere in ipſorum
tractatu ſæpè ſputi mentionem habere,
ideo conſecutione quadam ſermonis
commodiùs hìc, quàm alibi de ſputo
ſanguinis tractant authores.

De ſputo igitur ſanguinis tractantes
in præſenti ipſius afferemus definitionē,
quæ nihil aliud eſt, eodem Tralliano te-
ſte, quàm ab ore quælibet ſanguinis ex-
cretio. Eſt tamen notandum differre
ſputum ſanguinis à fluore eiuſdem; nam
ſputum eſt cum modicum ſanguinis exit
admixtum pituitæ, fluor verò cum mul-
ta copia ſanguinis per os erumpit.

Et quoniam (vt dictum eſt) à parti-
bus ſupernis, & ab infernis ſanguis ad
B os fluere poteſt, Græci illi, qui nomini-
bus diſtinctè vti delectantur, quemad-
modum Aretęus eſt, vocant ſanguinem
à ſuperioribus partibus promanantem,
hæmorrhagiam, quando verò ab infer-
nis partibus excurrit ἀνάγωγας, ſeu ἀνα-
γωγὴν.

Sed à quacunque parte prodeat, ſiue
ſurſum, ſiue deorſum feratur, ſemper
C à venis malè affectis exit, & eſt quem-
admodum dicebam cap. de ſanguinis à
naribus fluxu, ſymptoma in genere ex-
cretorum à toto genere præter natu-
ram; quæuis enim fluxio ſanguinis dici-
tur præter naturam à toto genere, vna
excepta, quæ in mulieribus ab vtero
fluit.

Cùm autem omne ſymptoma mor-
bum ſequatur, oſtendi vobis eo loci
hoc ſymptoma ſequi morbum in ſolu-
D tione continui, aut in mala compoſitio-
ne vaſis illius, in quo continetur ſan-
guis, quia venæ continuitas, quæ eſt
cauſa, ſine qua non poteſt contineri
ſanguis, ſoluitur, per quam ſolutionem
exit.

Vel figura venæ labefactatur, & hoc
dupliciter, vel ex parte orificiorum,
quę ſunt ad extremitates venarum, quæ
aperiuntur, vbi clauſa eſſe deberent;
E vel ex parte meatuum, ſeu pororum
ipſarummet venarum, quia magis,
quàm par ſit, dilatatæ ſunt,
aut ſoluta eſt conti-
nuitas earum.

### DE CAVSIS SPVTI SANGVINIS.

PRimùm ſoluta continuitas cùm ſit morbus, ſuas cauſas neceſſariò habet, à quibus oriuntur variæ differentiæ fluxus ſanguinis, vt etiam intellexiſtis, vbi egimus de fluxu ſanguinis narium, quas nunc repetentes melius ad memoriam mandare poteritis.

Dicebam eo loci ex Galeno 4. meth. med. cap. 1. ſolutionem continui venæ prouenire poſſe, & à cauſa interna, & cauſa externa; ſi primo modo fit vna ſpecies ſanguinis fluxus, quę appellatur anauroſis: ſi ſecundo modo, diæreſis, quæ & à Celſo appellatur ῥηγμέχασμον quaſi dicas hiantem rupturam, & quamuis diæreſis explicari poſſit ſolutio continui tam ab interna, quàm externa cauſa facta, nihilominus competit magis cauſę externæ, itaque habetis duas ſanguinis differentias, ἀνάβρωσιν nempe, ac διαίρεσιν.

Cauſa diæreſis eſt, quidquid vulnerandi, atque pungendi habet facultatem, aut etiam tundendi, & frangendi, vt qui magno ſaltu vtuntur, qui clamorem magnum, aut vociferationem faciunt, vt ſunt tubicines, & etiam tibicines aquæ gelidæ, potus violenter venam attingens.

Ἀνάβρωσις verò cauſa eſt humoris acredo, ſiue à bile, aut à pituita ſalſa proueniat, ſiue ab humore ſeroſo acri, & mordaci corrodente continuitatem, ſeu, vt meliùs dicam, ſubſtantiam venæ. Hæc fit, nempe ſectio in vena breuiſſimo tempore; anauroſis verò longiori temporis interuallo; illa ſenſibiliter, hæc inſenſibiliter agit, ſiue ab igni, aut medicamento fiat, vt 1. cap. 4. meth. med. habetur: & iſtæ ſunt cauſæ ſolutæ continuitatis venę.

Venio ad aliud membrum, quod huiuſmodi ſymptoma ſequi diximus, & primò ad orificia vaſorum reſerata, quæ ſpecies fluxus ſanguinis appellatur anaſtomoſis, cuius cauſa eſt multitudo ſanguinis, vel mala ipſius qualitas vaſorum fores cogens, vt aperiantur.

A Deinde meatus lęſio appellatur diapedeſis, ideſt tranſudatio. Hæc differentia prouenit tam à cauſa præter naturali ſanguinis, quàm à ſubſtantia venæ labefactata; nam ſanguis nimium attenuatus eſt, vel ad naturam ſeri redactus, aut à nimia humiditate relaxata, vena pori, & meatus aperiuntur.

Eſt tamen dignum animaduerſione, B quod ſcribit Galenus 3. de cauſis ſympt. cap. 2. huiuſmodi ſcilicet diapedeſim non eſſe admittendam inter genera fluxus ſanguinis, verùm referri ad anaſtomoſin, quia fit, quando exigua vaſa adaperiuntur, aut potiùs eſt excretio non ſanguinis, ſed ſeri ea ratione, qua ob iocinoris, aut renum debilitatem meitur, ac ſæpe deorſum deijcitur ſerum ſanguinolentum.

C Poteſtis videre, quid aduerſus Galenum ſcribat Argenterius, qui de inconſtantia, vt ſui moris eſt, impudenter eum reprehendit.

His cauſis addit Galenus hirudines, quæ aliquando ab aliquo incautè epotę ventriculo, gulæ, & etiam narium cauitati adhærent: ſed quidquid fit, ſiue ad quartum gęnus, ſiue ad anaſtomoſin redigatur, id, quod exit, eſt tenue D admodum, & hæc ſunt, quę breuiter de cauſis fluoris ſanguinis ad veſtram memoriam reuocare volui.

Sed anaſtomoſis, & diapedeſis inter ſe conueniunt, quòd ambo lędant venæ figuram; differunt verò ratione modi, & partium diuerſorum, quę lęduntur; nam in anaſtomoſi ora vaſorum pręter naturam aperiuntur, quę ad cauitatum extrema ſunt, at in diapedeſi E pori, & meatus venæ nimis dilatantur.

### DE SIGNIS SPVTI *ſanguinis.*

NVnc ad exactam cognitionem, & curationem fluxus ſanguinis aſferenda

ferenda ſunt ſigna demonſtrantia nobis locos affectos, & cauſa lædentes venas, à quibus effluit præter naturam ſanguis.

De ſignis partium, vnde ſanguis emanat, tractat exactè Galenus 4. de locis affectis cap. 5. de cognitione cauſarum agit lib. 5. meth. med. cap. 2. ſed videamus, quando à gula, à ventriculo, ab inteſtinis, ab hepate, aut à liene promanat, quod exequemur, poſt quã dixero, quomodo diſtinguere poſſitis ſputum ſanguinis non tranſcendere oris cauitatis limites.

Nam vel exit cum ſimplici ſputu abſque ſcreatione, ſeu ſcreatu, quem Barbari vocant raſcationem, vel cum ſcreatu. Si primo modo, emanat à gingiuis, vel palato, aut lingua, vel labijs, & ſanguis eſt tenuis, paucus, & ſaliuæ admixtus.

Si cum excreatu, vel leuis admodum eſt, vel paulò validior. Si primo modo poteſt prouenire à faucibus, vel ab vuea, vel etiam à gutture, ideſt à larynge, & tunc eſt in maiori quantitate, & ſubſtantia paulò purior.

At ſi exeat cum vehementiori excreatu, quantitaſque ipſius ſit minor, cum leui tuſſicula, dicendum eſt prouenire ab aſperæ arteriæ principio.

Ruſus ſi ſanguis exit ab ore cum nauſea, & vomitu, hic vel paucus, vel multus eſt. Si fuerit cum nauſea, & pauco vomitu, dicendum eſt ipſum à gula, ſeu ab œſophago exire, quod dilucidius fiet, ſi ægrotantes dicant, ſe in deglutiendo percipere mordacitatem, maximè à rebus acribus, & adſtringentibus deuoratis.

Si adeſt ingens nauſea cum magno vomitu, iam ſanguis procedit ex ventriculo, ſiue ex cerebro in ipſum defluxerit, ſiue collectus ibi fuerit caſu, aut contuſione, vel etiam per eroſionem.

Sed quoniam non modò à ventriculi venis exire poteſt ſanguis, & in ipſius

A cauitate colligi, verùm etiam à iecore, & liene, vnde ad os nonniſi eodem ventriculo mediante poteſt prouenire, ideo ſigna ſunt accipienda à duobus, nempe à leuitate viſceris percepta, nec non à ſanguinis colore, quibus adde & copiam.

Nam quando ab hypochondrio pre-

B dit, in maiori copia eſt ſanguis, grumoſus, & niger, percipiturque circa hepar alleuiationem, cum antea, quàm exiret ſanguis, grauatum eſſet.

Fieri etiam poteſt, vt vel tumor aliquis, vel dolor circa viſcus percipiatur, à quo ſanguis erumpit. Idem de liene aſſerendum, niſi quod lienis ſanguis eſt craſſior, & magis niger; his notis deprehenditur ſanguis à partibus naturalibus in os reiectus, & extra per ſputum vel fluorem expulſus.

C At difficiliori negotio agnoſcitur, quando vel à capite, aut à partibus ſpirituoſis erumpit; nam quamuis à pulmone, aut thorace nihil niſi per tuſſim in os feratur; nihilominus à capite aliquando ſanguis fluens ad fauces tuſſim excitat, vt Galenus eſt author lib. 4. de locis affectis cap. 5.

Itaque opus eſt homine exercitato ad diſtinguendum ſanguinis fluxum tho-

D racis, & capitis; & idem Galenus admonet, vt diligentes ſint medici, ne decipiantur exiſtimantes ſanguinem cum tuſſi è capite emanantem à partibus ſpirituoſis deriuare.

Habebimus autem fluentem ſanguinem ad fauces à capite pluribus indicijs, primò ægrotantes percipiunt velu- ti titillationem quandam ad palatum, non ſecus atque adeſt, quando patiun-

E tur catarrhum, aut deſtillationem, cum frequens, & moleſta excreatio ſentitur, ſeu, vt ait Aliabbas, raſcatio.

Palatum cruore totum eſt ſordidum, quemadmodum ſi vulnus ſubeſſet. Fieri etiam non poteſt, quin in talibus frequens adſit è naribus ſanguinis effluxio: aliquando etiam ſimul, & per nares

res aliqua deſtillat portio: ſæpeque ad fauces decerrans tuſſim mouet, tuſſiendoque reijcitur, caput dolore antea affectum leuis ſentitur.

Addatis, quod admonet Galenus loco præcitato ſanguinem repente in multa copia deſcendere, vnde aliqui exiſtimant ratione copiæ prouenire à pulmone,aut thorace,quos redarguens Galenus dicebat eos ſummè deceptos fuiſſe, quia ex paruis venis non poteſt ſanguis copioſus exire.

Succedit,quod ſanguis minimè ſpumoſus eſt, & videtis repente nulla ruptionis ſuſpicione præcedente ipsū prorumpere. Scribit Galenus in hoc com. aliquos,quibus thorax læſus fuit,ſanguinem copioſum expuiſſe, vel cum tuſſi, abſque dolore, vnde ratio dictat è pulmonibus emanaſſe.

Videamus modò, quibus ſignis deprehendere valeamus ſanguinem promanare à thorace. Eſt ſummi Hippocratis ſententia 5.aph.13. vbi dicit,quicunque ſanguinem ſpumoſum expuunt, ijs ex pulmonibus talis fit reiectio. Vnde Galenus 4. de locis affectis cap. 5. dicebat oportere diligenter conſiderare, an ſpumoſum aliquid ſimul educatur; id enim efficaciſſimum erit indicium, quod ex pulmone facta fuerit excretio.

Sed videtur contradictio in dictis Galeni,quia 7.aph.30. ſcribit non ſemper, & omninò ex pulmone ſanguinem ſpumoſum eijci,ſed tantùm quando ex propria pulmonum ſubſtantia quidpiam ſimul effertur. Addit nonnunquam, ſed rarò ſpumoſum aliquod expuere pleuriticos, rariùs peripneumonicos, ſed aliquando & à trachea ſpumoſum aliquod exire cernimus ob aeris perſpirati commercium.

Mercurialis facit ſanguinem totum ſpumam, aut non totum ſpumam, ſed admixtum ſpumæ. Primo modo ſanguis exit à pulmonibus: ſecundo modo à thorace; qua de cauſa Auicennas ſpumam ex thorace euenire arbitratus eſt.

Vidit Ioubertus author ſanè doctiſſimus hanc difficultatem, quam vt ſoluat, plures inquit gradus ſpumæ reperiri in ſputo. Ex trachea, & thorace in exeunte ſanguine adeſt pauciſſima ſpumæ copia, magna è pulmonis vaſis, maxima ex carne viſceris.

Sed non video, qua ratione in vaſis pulmonis, nempe in ramis venæ arterialis, aut arteriæ venalis, in quibus continetur ſanguis tenuis, & purus, ſpuma includi poſſit. Facilius eſt, vt & in pleuriticorum, & peripneumonicorum ſputis, & etiam in aſpera arteria, quid ſpumæ ſimile contineatur ob aeris ingredientis, & exeuntis agitationem.

Nos ſcimus ſpumam generari ex humida materia agitata à vento, vt apparet in mari, quod apud Galenum vnuſquiſque veſtrum videre poterit, vbi tractat de cauſis ſpumæ, quam ait eſſe de rarò contingentibus, quare non poſſum approbare Iouberti ſolutionem.

Mihi ſanè magis placet reſponſio lib. 5.aph.13. vbi conſiderat ſputum ſanguinis à pulmone emanantem à cauſa interna, & externa: ſi ab externa,inquit, prodeat,nullum adeſt ſpumæ veſtigium; at ſi à cauſa interna, nempe ab vlcere pulmonum, tunc ſimul cum ſanguine exit ſpuma.

Huiuſmodi conſideratio quadrare videtur appoſitè ijs, quæ dicuntur à Galeno præcitato aph. vbi dicit non omninò ex pulmone ſpumoſum ſanguinem eijci; ſed tantùm quando ex propria ſubſtantia ſimul quidpiam effertur, hoc eſt dictu, quando ſanguis ex pulmonum vaſis immediatè prodit, nulla adeſt ſpuma.

Quando verò adeſt vlcus, tunc quia aliquid à propria emanat ſubſtantia, hinc eſt, quod ſpuma apparet, vnde ſupra de locis affectis loquebatur de

fluxu

fluxu ſanguinis à cauſa interna, hoc eſt ab vlcere prodeuntis, quod ſignificauit, quando inquit conſiderare oportet, an aliquid ſpumoſum ſimul educatur, quia tunc indicium efficaciſſimum eſt ipſum è pulmone emanare, non autem è vaſis immediatè, ſed ab eius parenchymate, quod ſpumoſum eſt.

Lib. 4. meth. med. cap. 1. ſcribit Galenus aliquos vocare diapedeſin, quam 3. de cauſis ſympt. 3. eandem eſſe cum anaſtomoſi tradidit, quare duplex ex hoc Galeni loco poteſt dari diapedeſis, vna in qua paruarum venarum extrema orificia aperiuntur; altera, in qua ſerum exit tantummodo. Primo modo refertur ad anaſtomoſim, ſecundo modo ad diapedeſin.

Mihi videtur aliud eſſe aliquid ſpumoſum cum ſanguine exire, & aliud ſanguinem eſſe ſpumoſum. Si primo modo concludendum eſt à propria ſubſtantia pulmonum exire ſanguinem. Si verò ſecundo modo, tunc non omninò exit à pulmone, hoc eſt à propria ſubſtantia, ſed à venis illius.

Vnde ex Galeno ſignum ſanguinis fluentis à pulmone non eſt, quod ſit ſpumoſus, ſed quod ſimul cum ſanguine exeat aliquid ſpumoſum, non ſecus atque, quando vel arteriæ, aut membranæ, aut etiam propriæ ſubſtantiæ pars exit.

Vnum notat Aretæus inter Græcos non obſcurus author, & eſt, quòd in ſputo adeſt rotunditas, ita vt vna reiectio ab altera ſit diſcreta: at Paulus Aegineta ſcribit eum emanare ex interuallo.

Cęterùm quando ex pulmone effluit ſanguis, nullum ægrotantes percipiunt dolorem, ſed tantùm grauitatem, facies rubicunda cernitur; ſi verò ſimul cum ſanguine vel parenchymatis, vel bronchij alicuius, aut arteriæ, aut venæ tunicæ pars effluxerit, indubitatum fuerit à pulmone venientis argumentum.

Narrat idem Aegineta ſe aliquando vidiſſe, qui cum maxima tuſſi, & ſanguinis copia calculos quatuor expuerit, vel etiam quinque, aſperos tribulorum in modum.

A thorace ſanguinem egredi præter tuſſim valdè moleſtam, quam ægrotantes percipiunt, ſignum eſt, quod dolorem in aliqua parte thoracis ſentiunt, eodem Galeno authore loco pręcitato: & hæc ſunt ſigna demonſtrantia partes affectas.

Opus nunc eſt, vt ſigna ſpecierum afferamus, nempe quando ab anauroſi, aut anaſtomoſi, aut diapedeſi ſanguis extra venas effluit, neque res exigit, vt multa verba afferamus ad digreſim manifeſtandam, quia cum à cauſa proficiſcatur exteriori, ſiue medicamentum fuerit appoſitum, aut ferrum ignitum, vel pugio, aut quidpiam tale, ſtatim ægrotantes ipſi nobis patefaciunt.

Itaque primùm ſigna anauroſis adducemus, quæ ſunt; quando nulla præcedente cauſa externa adfuerit fluxio quædam à capite, acris, & mordax, vel prauorum ciborum vſus, qui acres humores potuerit generare, ſiue ſalſi, ſiue biliosi, & amari fuerint.

Addatis, quod à principio pauca ſanguinis quantitas exit, procedente tempori maiori facta eroſione longè copioſior effluit, & affatim, quod ſi prætera pulmonis portio aliqua eijciatur, aut bronchij, aut alterius vaſis, nullo amplius eroſionis manifeſtiore egemus ſigno, ac ſæpè febris adeſt.

Si per anaſtomoſim prodeat ſanguis, nihil ex prædictis præceſſit, ſed ſenſim ſanguis fluit, & parcè. Quod ad ſubſtantiam ſanguinis exeutis ſpectat, videtur, vt plurimùm ſanguis ſeroſus.

Paulus Aegineta ſcribit præceſſiſſe, aut præſentem adeſſe plenitudinem; aliquando etiam obſeruatum fuiſſe ægros cruentum expuiſſe. Victus ratio præceſſit calidior, atque humidior, immoderatus vſus balnei, calida, & humida habitatio, & vt vno verbo amplectar,

ctar, ſi tales ſint in corpore diſpoſitio-nes, ſanguinem per anaſtomoſim exire ſuſpicandum eſt.

Quādo per diapedeſim exit ſanguis, tunc tenuis, & ſeroſus eſt, atque in pauca quantitate exit; neque confertim, ſed ſenſim, ac huiuſmodi ſanguinem obſeruamus in echimoſi.

Sed quoniam ſupra diximus diæreſim fieri à cauſa exteriori, ſolummodo attulimus ea ſigna, quæ ab ægrotis poſſunt referri, nempe fuiſſe eos ab igne, aut medicamento, vel pugione, aut ſimili telo affectos, à quibus fuit facta continui ſolutio, ſed aliquando diſrumpuntur vaſa, vel à clamoribus vehementiſſimis, aut ſaltibus magnis, quas cauſas habere etiam ab ægrotis poteſtis.

At aliquando à cauſa interna frangitur, vt potè à frigiditate, vel etiam à multitudine vnà cum flatu copioſo, quando precipuè vas ob vicinum frigus induratum fuerit, quemadmodum ex aquæ frigidæ potu quandoque Hippocrates contingere aſſeruit.

Quamuis frigiditas non per ſe frangat vaſa, ſed ipſa, vt frangantur, diſponat. Quando igitur vena rumpitur, ſiue ab interna, aut externa cauſa euenerit, tunc ſanguis copioſus effluit, & affatim. In tractatu de fluxu ſanguinis à naribus audiuiſtis ſigna, quę diſtinguunt ſanguinem arterioſum à venoſo.

## DE FVTVRO EVENTV
### *ſputi ſanguinis.*

IAm tempeſtiuum eſt, vt quid de euentu huius morbi medicus ſperare poſſit, dicamus, & quamuis Trallianus ſcribat huiuſmodi affectionem curatu difficilem eſſe, hom‍ineſque ad chronicos morbos, aut mortem ſæpè ducere, & Aretæus dicat omnem ſanguinis effluxum formidandum eſſe, maximè cum, qui per os fit, quòd vt plurimùm ægris mœrores afferat, diffidentiam de ſalute, & quaſi vitæ deſperationem, tamen exiſtimandum non eſt omne ſanguinis ſputum eſſe tam periculoſum.

Proinde accipio tria capita, à quibus præſagium futuri euentus poſſe deſumi non ſine ratione autumo. Primum eſt pars, à qua promanat. Secundum eſt cauſa, à qua profluuium ſanguinis excitatur. Poſtremum eſt natura, & habitus corporis, cui contingit.

Quod ſpectat ad primum, ſanguis è gingiuis emanans palato, labijs, & ore toto non videtur periculoſus, dummodo paucus ſit, neque à capite eueniat. Quod ſi aliquando obſeruatum ſit è gingiuis tantum effluiſſe ſanguinis, vt ad ſiſtendum eum oportuerit igni candente vti, hoc eſt de rarò contingentibus, & ſi contingat, & immoderatus fuerit, tunc malus eſt.

Vnde meritò ab Hippocrate lib. 1. prog. ſcriptum eſt ſanguinem, qualiſcunque is ſit, ſupra ferri malum. Galenus interpretatur per os, quia lib. 4. aph. 25. exiſtimauit ſanguinis fluxum è naribus non eſſe malum ſemper. Eodem aphor. ſanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunq; ſit, malum: infernè verò niger ſi deijciatur, bonum.

A faucibus deinde maior eſt motus, quamuis à capite deſcendat ſanguis: difficilior eſt curatū fluxus ſanguinis manantis à gula, & magis à ventriculo, iecore, liene. Hippocrates 7. aph. 37. ſcribit, ſi ſanguis vomitu deijciatur, & æger ſit cum febre, malum eſſe; ſin ſit ſine febre, eſſe ſalubre, curariq; adſtringentibus, & frigidis.

At omnium difficillimus eſt fluxus emanans à pulmone, vt docet Galenus loco præcitato de locis affectis cap. 5. & hoc eſt, quia ſolutiones continui in pulmone, aut raro, aut nunquam curantur, tum propter continuum motum in reſpirando, quia eſt veluti follis, qui ſemper dilatatur, & conſtringitur ad aerem attrahendum, & expellendum.

Tum quia ob ſui raritatem materiam,

riam purulentam admittit, quæ ſucceſſiuè corrodens vlcus dilatat.

Tertiò quia caro ipſius rara, fungoſa, & humida facilè putreſcit. Addatis, quòd pulmo eſt quàm maximè deſtillationibus à capite obnoxius, vnde homines in morbos incurabiles, aut mortem incidunt. Hippocrates 3. aph. 6. ſcribit, à ſanguinis ſputo puris ſputum malum eſt; à puris ſputo phthiſis, & fluxus, cum verò ſputum retinent, moriuntur.

Sed quamuis adeo periculoſum ſit ſputum ſanguinis è pulmonibus emanans; nihilominus mirum eſt dictu, quomodo ægrotantes minus hoc ſputum, quàm reliqua cruenta timeant? An dicendum ſit id euenire, quia non ſentiunt dolorem? in pleriſque enim dolor terribilior eſt in exiguis morbis, quàm in magnis, quæ res quaſi fiduciam ægris affert, quamuis in anguſto morbum eſſe iam percipiatur.

Vnde Galenus dicebat minus periculi eſſe ſputum ſanguinis è thorace emanantis, licet adſit dolor in pari periculo, quamuis idem ſcripſerit 5. meth. med. cap. 8. opus eſſe venam ruptam, ſiue in pulmone, ſiue in thorace exiſtat, primis diebus agglutinare, quia ſuperueniente inflammatione agglutinari nequit. Effunditur etiam ſanguis è ventriculo, ſiue à iecore, ſiue à liene emanet, vnde Auicennas adnotat aliquando homines per ſanguinis ſputum ab apoſtemate harum partium liberari.

Secundum caput verſatur circa ſpecies, & differentias fluxus ſanguinis. Eroſio omnium eſt difficillimæ curationis, præſertim vbi adeſt cauſa fouens. Sputum ſanguinis à thorace eueniens, quamuis dolorem habeat adiunctum, eſt tamen minoris periculi, quàm ſit illud, quod à pulmone erũpit; illud verò, quod è iecore emanat, aut liene, etſi periculo non vacat, tamen aliquando obſeruatum eſt aliquos à morbis harum

A partium liberaſſe.

Id Auicennas negat, quia corroſa eſt vena, aut arteria, quæ ſunt partes ſpermaticæ, quæ nunquam regenerantur de nouo, & difficiliùs in pulmone, quàm in reliquis partibus.

Cum itaque vena agglutinari nequeat, niſi maxima cum difficultate, & longo tempore, hinc eſt, quod ſanguinis copia à viſceribus præcipius

B exiens in cauſa eſt grauis, & longæ infirmitatis, vt ſi ab hepate exierit, refrigerat calorem ipſius naturalem, hinc homines in hydropem cadunt, quemadmodum etiam refrigerato liene, vt ſuo videbimus loco.

Si ab anaſtomoſi euenerit, res non eſt tanti periculi, & curari medicorum diligentia, & ægrotantis obedientia

C poteſt. Ruptio eſt difficilis curationis, ſed minus, quàm ſit venæ eroſio: cæterum diapedeſis facili negotio curatur, præſertim ſi ad partes exteriores fuerit.

Tertium caput verſatur circa corporis habitum: dicebat Aretæus, quod corpora benè carnoſa facilè curantur, ſi præcipuè fuerint robuſta.

Pueri ob eorum mollitiem difficiliùs, at longè cæteris difficiliùs curantur à

D ſputo ſanguinis macilenti, cacochymi, & qui collum longum habent, pectus anguſtum, & qui præcipuè obnoxij ſunt deſtillationibus ſalſis, aut biliofis in pulmones irruentibus.

Huic capiti poſſumus addere naturam venarum, & arteriarum: faciliùs curantur, quibus ſanguis exit à venis, quàm illi, quibus per arterias effluit, tum ratione tunicæ, tum motus; nam craſſæ ſunt admodum arteriæ, & ad ſui

E agglutinationẽ multum temporis requirunt. Succedit, quòd ſunt in continuo motu, quod cauſa eſt difficilioris ſanationis; nam quæ conſolidari debent, vt quieſcant, neceſſe eſt: & hæc de præſagij: curationẽ nunc aggredi oportet.

DE

## DE CVRATIONE SPVTI ſanguinis in genere.

Difficillimum affectum curatu præ manibus habemus, propter varias partes, à quibus fluit, & propter varias cauſas ſanguinis fluxum efficientes, etiam etſi indicatio vna ſit in vniuerſum demonſtrans ſiſtendũ eſſe ſanguinẽ à toto genere præter naturã fluentẽ, non tamen in omnibus partibus eodem modo procedimus, ſed curationem variamus, pro vt variæ particulares offeruntur indicationes.

Incipiamus à faciliori, nempe ab eo, qui oris non excedit limites, ſi tamen præcepta quædam priùs attulero ſeruanda, quæ faciunt ad omnem ſanguinis effluxionem.

Dictum fuit effluxum ſanguinis eſſe ſymptoma ſequens morbum, non poteſt autem auferri ſymptoma niſi ſublato morbo; vt ex meth. med. cap. 1. habetur, ſed quoniam omnis morbus cauſam habet, videndum eſt hoc in caſu, an cauſa faciens morbum ſit præſens, an deſierit.

Nam ſi cauſa non adeſt, tunc ex Galeni decreto 5. meth. med. cap. 8. ſanguinem ſiſtere debemus, hoc eſt ſuccurrendum eſt ſymptomati, deinde vas, vel ruptum, aut apertum conglutinantibus, vel obſtruentibus ſanare debemus.

At ſi adhuc permaneat cauſa, quæ ſolutionem fecerit, aut in vaſe ruptionem, primùm, ſi fieri poteſt, tollenda, alioquin morbus ſemper augebitur; nam ſi eſt plenitudo, aut cacochymia euacuanda ſe offert, vel ſi eſt deſtillatio à capite acris, & mordax ſiſtenda priùs venit.

Medicamenta autem, quæ affectionem hanc reſpiciunt, vel circa vaſis, vel ſanguinis malam affectionem verſantur, & ita duo ſunt, quæ omnem abſoluunt curationem, ac ſi vas reſpiciunt, vel ipſum adſtringere, vel agglutinare debent.

Quare medicamenta partim adſtringendi facultatem habeant, partim etiam obſtruendi, inde eſt, quod Galenus 7. de comp. med. per loca cap. 4. laudat ea, quæ & adſtringendi vi pollent, nec non quæ craſſarum ſunt partium, vim habentia obſtruendi, ab eodem Gal. 5. meth. med. cap. 4. & 5. de ſimpl. med. facult. cap. 4. 5. & 8. afferuntur.

Cæterùm ea, quæ glutinant, valent, vbi ſoluta eſt venæ continuitas, à quacunque cauſa prouenerit. Verſantur autem circa ſanguinem, quæcumque ſiſtere ipſum poſſunt, ſiue reprimant, & à parte affecta propellant, ſiue aduenire inhibeant, ipſum ad propinquas partes deriuando, aut ad contrarias partes reuellendo.

Galenus admonet, vt in eorum delectu, ea accipiamus, quæ ſunt familiaria naturæ ægrotantis, ſiue ad cibos, ſiue ad medicamenta pertineant; reſpuamus autem, quæ contraria ſunt: legatis meth. med. cap. 7.

Sed quamuis hæc omnia ſint à me dico in curatione huius affectionis, quantum fieri poteſt, obſeruanda, nihilominus quoniam variæ ſunt partes affectæ, ob quas curationes indicantes euariari contingit, ideo noſtrum erit afferre vniuſcuiuſq; partis curationem, à qua ſputum ſanguinis euenire obſeruamus.

## DE CVRATIONE SPVTI ſanguinis ab ore, faucibus, gurgulione, & palato emanantis.

Veniamus igitur ad faciliora curatu, nempe ad ſputum prouenìens ab ore. Hoc ſi per anaſtomoſim, aut diapedeſim contingat, adſtringere eſt opus, atque vas ipſum corroborare, ideo non ineptè à Celſo vinum nigrum auſterum in ore detentum probatur: vel poteſtis accipere ſuccum plantaginis, & polygoni cum aqua roſarum, aut myr-

illorum.

Vt

℞. Aquæ pluuialis, lib.j.
Succi polygoni, vnc.ij.
Fol. polygoni,
Conſolidæ,
Portulacæ, ana vnc.ſſ. coque.

Vel

℞. ſucci plantag.
Polygoni, ana vnc.j.
Aquarum myrtillorum,
Roſarum, ana vnc.ij.
Miſce.

Vel

℞. Aquæ fontis frigidæ, lib.j.
Aceti, vnc.ſſ.
Succi polygoni,
Plantaginis, ana vnc.j.
Miſce.

Vel

℞. ſucci ſemperuiui, vnc.ij.
Aquæ plantaginis, lib.j.
Aceti, vnc. j. miſce.

Decoctum ex polygono, conſolida maiori, & portulaca in aqua pluuiali, addito modico aceti, in ore ſemper frigidum æger teneat: hæc faciunt pro vaſis curatione, & pro ſanguinis fluxu ſiſtendo.

Verùm aliquando contingit à gingiuis tantum ſanguinis emanare, vt periculum ingens de vita adſit, quare cum vena ex dentis amputatione laceratur, tunc deueniendum eſt ad ferrum ignitum, & ad operationem chirurgicam.

Pro repellendo ſanguine nullum eſt poſca remedium præſtantius, ſi præſertim ſucci ſemperuiui aliqua portio ingeratur, atque in ore detineatur.

Ad reuellendum ſanguinem faciunt ligaturæ, frictiones ad brachia, & crura, nodi doloroſi, cucurbitæ natibus, cruribus, fœmoribuſque applicitæ, ſanguinis etiam miſſio ex brachio, vel à communi, aut cephalica. Celſus ad deriuandum ſanguinem apponit cucurbitam occipiti.

A Si à faucibus, gurguliōne, & palato procedat, eadem ratione incedendum eſt, vnde non mihi probatur Altimari curatio, qui ſcribit eſſe ſolummodo vtendum adſtringentibus, quod verum eſt, ſi ab anaſtomoſi, aut diapedeſi fiat ſputum ſanguinis.

Sed ſi fiat à vaſis ſoluta continuitate, tunc prædictis agglutinantia ſunt addenda; nam quamuis vt plurimùm ſanguis eueniat per diapedeſim, aut vaſorum apertionem, fieri poteſt per eorundem ſolutionem.

B Quare placet decoctum ex balauſtijs, aut roſarum ſummitatibus, vel etiam ex decocto rhois, quod ſummachium officinæ appellant, in aqua plantaginis factum, aut alia gargariſmata adſtringentia, ac reprimentia. Circa frontem optima ſunt, quæ diximus cap. de fluxus ſanguinis è naribus, omniaque euitanda, quæ calida vi pollent, & rare

C faciendi facultatem habent, quòd (vt ait Paulus) ad ſe ſanguinem alliciant.

## DE CVRATIONE SPVTI *ſanguinis à gula, & ventriculo fluentis.*

VEniamus modò ad ſputum ſanguinis à gula, aut ventriculo per

D vomitum exactum, deinde tractabimus de eo, quod à pulmone, & thorace prodit, ſiue fiat à deſtillatione à capite, ſiue non, quia huiuſmodi affectiones ſunt omnium curatu difficillimæ.

In hac igitur curanda intueri debemus, an vena à qua emanat ſanguis, magna ſit, an parua, & quanam ex cauſa ſanguis ab ipſa exeat, ſed in primis, ſi à

E gula per diapedeſim proueniat, venaq; ſit parua, ſolis localibus adſtringentibus & reprimentibus poterit curari.

At ſi magna, vel ſit affectio in ventriculo, primò deueniendum eſt ex omnium practicantium conſenſu ad ſanguinis miſſionem, ſi affectio ſit in hepate ex baſilica dextri lateris, ſi in liene, ex ſal-

ſaluatella ſiniſtri lateris.

Et quamuis ſaluatella, quæ eſt in medio digiti parui, & anularis, ſit ramus baſilicæ, vt Ioubertus ex Aureliano ait, melius tamen, & cum ægrotantium vtilitate obſeruatum eſt in affectibus lienis eam ſectam è ſiniſtro latere magis iuuare, quàm ſi paulò ſupra incidatur.

Quod idem Ioubertus ſe pluries in quartana, & lienis affectibus obſeruaſſe ſcribit, & quamuis longè veriſſimum ſit ab eodem ramo enaſci; nihilominus experientia oſtendit nobis, quod diximus, maximè verum eſſe.

Nec putetis poſſe humanum ingenium omnia naturæ arcana agnoſcere, vnde in aliquibus contenti eſſe debemus, ſi cognitionem quæſiti ſi eſt, habeamus, præcipuè in medicina practica exercenda, vt ſupra ex Galeni conſilio diximus: curandumque eſt, vt vbi cauſa iam deſijt, tollamus effectum.

Sed eò vnde deflexit oratio redeuntes, in curando ſanguinis fluxu à gula, & ventriculo cauſam remouere debemus, ſiue ſit plenitudo, quæ faciat anaſtomoſim, ſiue cacochymia anauroſim, illam ſcilicet per ſanguinis miſſionem, hanc per purgans medicamentum.

Ablata cauſa, quæ venam lædit, tunc læſioni factæ in ipſa vena eſt particularibus præſidijs ſuccurrendum, tam per os acceptis, quàm extra admotis, cum tamen illa Galeni animaduerſione 5. de meth. med. cap. 6. videlicet, quod nec omninò, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore applicentur.

Vbi igitur vena non ſit admodum magna, ſitque quo ad ſui compoſitionem, aut vnitatem læſa, Galenus proponit mannam thuris, aloem, pini corticem, lemnium ſigillum, lapidem, quem ob effectum hæmatitem vocant; quæ omnia parari poſſunt ex vino auſtero, in cuius defectu aquam pluuialem proponit.

Recentiores in aqua chalybeata ebullire faciunt fructus meſpilorum, qui

A decocti etiam valent, at ſi vena aperta magna ſit, magis adſtringētibus pugnandum, vt ſunt balauſtia, hypociſthis, rhus, omphacium, quod eſt agreſta, acacia, gallæ immaturæ, quorum ebullitio in prædicto vino, aut aqua, aut poſca fieri poteſt.

Succus præſtat portulacæ, aut plantaginis, quem magnopere Galenus celebrat præcitato loco, quo mulierem ex
B fluxu ſanguinis ab vtero immoderatè admodum exeunte ſpatio quatuor dierum, multis fruſtra exhibitis remedijs, tandem perfectè liberauit.

Decoctum quoque radicis conſolidæ maioris efficax eſt, quod maximè Ioubertus extollit ex Dioſcoride dicens habere agglutinandi facultatem, vt carnes, cum quibus coquitur, coagulet.

C Sed inter alia à Monarde, & magis à Dalechampio probatur illa herba, quam nicoſianam, aut tabach vocant.

In hoc caſu ſuccus plantaginis cum aqua equiſeti mirabilis eſt operationis. Galenus probat rubum caninum, myrtum, lentes cum hedera, & tandem ea, quæ adſtrictoria facultate pollent, ſiue radices ſint, ſiue fructus aut cortices, vt

D ℞. Aquæ equiſeti, vnc. iiij.
Succi plantaginis, vnc. iij. miſce.
Vel
℞. ſummitatum rubi,
Fol. myrti,
Lentiſci,
Hederæ, ana pug. j.
Bulliant in aqua plantaginis.

At vbi adſint in ventriculo grumi ſanguinis, tunc curandum eſt, vt ipſi diſſipentur, ideo coagulum proponunt neoterici leporinum.

E Equidem vidi medicum quendam empiricum, qui leporino coagulo vtebatur in omnibus partibus internis ad ſiſtendum ſanguinem ad drach. ſſ. cum modico aquæ chalybeatæ, aut modico poſcæ; eo tamen nunquam ego ſum-

vſus

vſus, propterea quod ſcio Arabes opi-
nari omnia coagula eſſe natura acri,
proinde detergere, abſtergere, & refri-
gerare, quamuis dicant, etiã reprimere,
vel quadam elementari qualitate, aut
tota (vt dicitur) ſubſtantia.

Sed quidquid ſit recentiores omnes
coagulum tanquam expertum probant,
tam leporinum, quàm hœdinum, aut
ceruinum ad ſiſtendum ſanguinem.

Trochiſci dc Karabe à Meſue deſcri-
pti, trochiſci de terra ſigillata diſſoluti
cum aqua chalybeata præſentaneum
ſunt remedium: doſis ſit ad drach.ſſ. vel
drach.j. cum tribus vncijs ex vna præ-
dictarum aquarum.

Quod ad localia ſpectat medicamen-
ta, ſi iecoris ſit affectio, primò circa
ventriculi regionem admouenda ſunt
olea, vel myrtinum, aut cotoneorum,
vel omphacium. Applicentur etiam
iecori, vel lieni ſuccus plantaginis,
polygoni (quod ſanguinariam vocant)
portulacæ, & agreſtæ cum aqua plan-
taginis, & vel roſarum & modico aceti,
in quibus panni lintei, aut ſpongia, vt
Tralliano placet immergenda ſunt, par-
tibuſque prædictis applicanda, cum hac
Galenica animaduerſione, vt ſæpiùs
immutentur, ne nimium incaleſcant, ac
ſanguinem inde trahant. Et hæc eſt me-
thodus curatiua ſanguinis emanantis à
partibus naturalibus.

## *DE CVRATIONE SPVTI ſanguinis à pulmonibus prodeuntis.*

SEd iam deueniendum eſt ad ſpu-
tum ſanguinis prodeuntis à pul-
monibus, qui à catarrho ſalſo, & acri,
nempe per eroſionem venæ excitari po
tuerit, vel per vaſorum fractionem ab
aliqua, vt audiuiſtis, violentia, nec non
à frigiditate.

Quoniam in hoc caſu è venis exci-
tatur fluxus ſanguinis, curandus eſt ſan-
guinis miſſione ab vno, aut vtroque
brachio, pro vt in multa copia, & re-
A pente, aut in pauca copia fluit. Si pri-
mo modo ex vtroque brachio eſt mit-
tendus.

Si ſecundo modo ex talo, vel popli-
te reuellendi cauſa, deinde deuenien-
dum eſt ad ceruicem, & ad occiput,
quibus locis applicat Galenus cucurbi-
tam.

Quare Galenus lib. 1. de meth. med.
cap. 6. loquens de curatione ſanguinis
B è naribus prodeuntis dicebat duplicem
eſſe auerſionem in profuſione huiuſ-
modi; nam id, quod ſupra eſt, aduerſa-
tur ei, quod infra; id quod eſt ante, ei
quod eſt poſt.

Vtendum eſt medicamentis locali-
bus poſt vniuerſalia præſidia, pro vt o-
pus eſt repetita, quemadmodũ ſunt gar
gariſmata ex poſca, & prædictis ſuccis.
Fronti præterea remedia dicta cap. de
C fluxione ſanguinis è naribus veniunt ap
plicanda.

Sunt, qui proponant curationem
catarrhi frigidi in hoc caſu, ſed cùm
mea opinione is non faciat ad præſen-
tem affectionem, & ſatis à nobis de eo
tractatum ſit ſuo loco, venio ad illum,
qui ſalſus, aut acris eſt, ſuaque acredine
eroſionem in pulmone facit.

At quoniam in hoc caſu anauroſis
D facta in pulmone habet cauſam fouen-
tem, quæ eſt catarrhus, igitur non po-
teſt pulmonum hæc affectio tolli, niſi
catarrhus auferatur.

Cum autem huius materia ſit caco-
chymia praua, indicat ſui è corpore
ablationem, & prohibitionem, ne fera-
tur in pulmones, ideo Capiuaccius mea
quidem opinione conſulit, vt ſtatim nul
la facta præparatione, crudaque exiſten-
E te materia auferatur medicamento pur-
gante.

Nam longè maius eſt periculum,
quod euenire poteſt, ſi non purgetur,
quàm ſi purgetur adhuc cruda, quia in
pulmones cadens maius excitabit vl-
cus, indeq; maior exibit ſanguinis quan
titas.

Quare

A Quare ex hoc capite videtis Capiuaccium tam ſtrenuum aduerſus eos, qui cruda adhuc materia purgant, benignè admodum concedere à principio medicamentum.

In facienda quidem medicina opus eſt iudicio, quia quamuis ſit melius materiam alterare; nihilominus in aliquibus caſibus non poſſumus citra graue ægrotantium periculum expectare coctionem, quemadmodum in præſenti, vbi longè maius eſt inconueniens ex expectata coctione, quàm ex propinato medicamento.

B Vnde Galenus 14. cap. 5. de meth. med. dicebat in curatione huius affectionis nullius rei medicum æquè ſolicitum eſſe debere, quàm vt ægrotantes non tuſſiant, ne ex capite aliquid in pulmonem defluat, quod triplici præſidio eodem docente efficitur, primùm purgatione; ſecundò medicamento, quod diaſpermaton appellatur; tertiò prouidendo ipſi capiti, vt fecit 5. meth. med. cap. 13. mulieri Romanæ, cui opem tulit.

C Nam cùm materia duobus modis conſideretur, videlicet, vt eſt in motu, & vt eſt iam fluxa, & actu facit vlcus, indicat nobis, vt ipſam ſiſtámus, deinde vt ei, quæ vlcus facit, opem feramus.

D Vt verò inhibeamus fluxum, agendum eſt medicamento purgante, quod extra ducat materiam à corpore, & quod adhuc in capite eſt, inhibeat, ne feratur in pulmones, ideo medicamentum, quam primum, ac variè propinandum eſt, ſcilicet.

In ſalſa materia.

Sub forma pilularum.

℞. pil. cochiarum,
De hiera ad agarico, ana drach. j.
cum cathart. roſ. fiant pilulæ num. 7. aurentur.

Vel

℞. pil. cochiarum, drach. j.
Trochiſc. alhandal.
Diagridij, ana ſcrup. ß.
Cum cathart. roſ. fiant pilulæ, num. xij. accipiantur tres, vel quatuor ſingulis hebdomadis.

Sub forma potus.

℞. mannæ fortis, vnc. iiij.
Conf. hamech.
Elect. indi maioris, ana vnc. ij.
Decoctionis cinnamomi, vnc. iij. fiat potio breuis.

Sub forma boli.

℞. Elect. indi maior.
Diaphenici,
Diacarthami, ana vnc. ß.
Cum ſaccharo roſato, quantum ſufficit, fiat bolus.

In materia bilioſa acri.

℞. pil. ſine quibus,
De hiera, ana drach. j.
Diagridij, ſcrup. ß.
Cum cath. roſ. fiant pilulæ, num. vij. aurentur.

Sub forma potus.

℞. Syr. roſ. vnc. vj.
Elect. roſ. Meſ. drach. iij.
Cum aqua bettonicæ, quantum ſufficit, fiat potio breuis.

Sub forma boli.

℞. Diacatholici,
Caſſiæ extractæ, ana drach. v.
Rhab. electi, maturi ſubtiliter puluerizati, drach. j. ß.
Cum ſaccharo, quantum ſufficit, fiat bolus.

Expurgato corpore inhibebimus fluxum incraſſantibus, vel aſſumptione theriacæ, vel mithridaticæ confectionis recentis, ſaltem quatuor menſium, aliquando Requiei Nicolai, aut Philonij.

E Sed huiuſmodi confectiones debent eſſe ad minus vnius anni, philoniumque perſicum miſcetur cum duplicata doſi ſacchari roſati, hoc modo Galenus Romanam mulierem curauit.

Vt

℞. theriacæ recentis, drach. j.
Sacchari roſati, vnc. j.

Vel

Vel

℞. philonij Romani, drach. j.
Sacchari roſ. drach. x.

Vel

℞. Requiei Nicol. drach. j.
Sacchari bugloſſati, vnc. j. miſce.

Vel

℞. Trociſch. de Karabe,
De ſeminibus.

Quibus etiam medicamentis curauit fluxum; mulieremque liberauit à tuſſi, cui incumbendum eſſe ſcribit.

Hac etiam intentione vtebatur medicamento diaſpermaton dicto, quod etiam apud nos in vſu eſt, & appellatur trochiſcus ex ſeminibus; nam quatuor ſemina admittit, nempe ammeos, apij, anethi, fœniculi, caſſiam, atque opium.

Vt

℞. ſem. apij,
Ammeos,
Aniſorum,
Fœniculi, ana vnc. ſſ.
Caſſiæ,
Opij, ana drach. j.
Miſce: doſis ſit ad drach. j.

Vnde ratione opij admixti habet facultatem ſiſtendi fluentem humorem; ſed nunquam hæc conceduntur, niſi expurgato corpore.

Sunt, qui loco huius medicamenti concedant pilulas de cynogloſſo, quæ certè valent ad ſiſtendam materiam tenuem, & calidam. Doſis ipſarum eſt à grano vno ad grana ſeptem, & vſque ad obulum, qui (vt ſcitis) eſt dimidia pars ſcrupuli.

Galenus admonet medicamentum eſſe debere diuerſæ facultatis: inter alia proponit pilulas ex aloe, ſcammonio, colocynthide, agarico, bdellio, & gummi arabico, quod & ipſæ habeant facultatem educendi plures humores.

Rondeletius fœliciſſimo ſucceſſu vtebatur camphora ad ſcrup. j. cum aqua ciſternæ ad vnc. v. nonnihilque aceti intus ponebat.

A Sed dicetis vtrum in hoc caſu veniendum ſit ad ſanguinis miſſionem? Nonnulli reuulſionis cauſa admittunt; ſed Galenus non ita liberè de ſanguine mittendo in hoc caſu pronuntiat. Videtis ipſum in muliere illa Romana non emiſiſſe ſanguinem, propterea quod antequam ab ea accerſitus fuiſſet, ipſa ſpatio quatuor dierum ieiunauerat, quare non eſt, vt inconſideratè

B hanc euacuationem moliamur. Oportet itaque conſiderare, an multum ſit ſanguinis, an verò parum, quemadmodum ipſe docet.

Primo modo non cunctabimur, ſed ad ſanguinis miſſionem ex cephalica deueniendum eſt, ſiue ſanguis primariam rationem, ſiue ſecundariam habeat.

Secundo modo illi ſunt ad ſuccum

C vberiorem reducendi optima victus ratione, vt intelligetis, quibus ita redactis emittas ſanguinem, deinde reficere eſt opus, rurſus purgare, ac rurſus reficere, denuoque, ſi res ita ſuadet, poteritis mittere ſanguinem, ſi præſertim ſanguis limoſus ſit, atq; craſſus.

Videtis igitur, quod non eſt tam incautè procedendum circa has præcipuas actiones, ſed quando adeſt caco-

D chymia, quia vires non poſſunt eſſe validæ, ægrotantes proba victus ratione ſunt reſtaurandi, ſi ſanguis mittendus eſt, poſt ſanguinis miſſionem; quia periculum eſt, ne vires labantur, iterum reficiendi.

Vnde idemmet Galenus 9. meth. med. cap. 10. dicebat, quod quemadmodum in febribus continentibus, quę ex ſtipatione meatuum eueniunt, quo-

E niam vires ſunt validæ, citra periculum ſit ſanguinis euacuatio, in alijs è contra morbis euacuatio hæc eſt periculoſa, ſi præcipuè humores ad corruptelam tendant.

Ideo poſt ſanguinis miſſionem ſtatim ad reficiendas vires recurrit Galenus; ſed vt vno verbo rem hãc perſtringam,

vbi

vbi indicationes ita ſibi aduerſantur, & paulatim quod vitioſum eſt vacuare, & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt, debemus reponere.

Quæ curandi ratio à Græcis vocatur epicraſis, quæ eſt mali euacuatio, bonique reſtauratio ſenſim facta, ſiue medicamento expurgante, ſiue ſanguinis miſſione; nam id, quod corruptum eſt, indicat ſui euacuationem, quod ſi cum virium imbecillitate euenerit, tunc quod remedium eſt affectus, pugnat cum indicante vitali, quia non cuſtodit vires.

Quapropter vt cuſtodiantur ea, vt dictum eſt, ratione, in præſenti caſu agendum venit, quia etſi euacuatio per ſanguinis miſſionem à quantitate nimia deſumatur, nihilominus quando materia eſt in venis, poteſt vna euacuatio alteri ſubrogari, & hanc puto veram eſſe determinationem in ſanguine mittendo, quando catarrhus mordax eſt, & acris ſiue ſit ſalſus, ſiue bilioſus, aut melancholicus exiſtat.

Sed adhuc verſamur circa fluentem materiam à capite, cui Galenus ſupra dicebat capiti eſſe præuidendum. Digladiatio eſt inter celebriores authores, an in materia catarrhali calida liceat capiti apponere emplaſtra illa ex fimo columbino, atque ex thapſia.

Nam alij negant eſſe applicanda huiuſmodi auxilia, inter quos fuit Trallianus; alij verò dicunt frigida à principio, in progreſſu verò temporis eſſe ad prædicta deueniendum, inter quos eſt Luſitanus.

Ego aliàs, dum tractarem de catarrho, rem hanc determinaui, & oſtendi Galeni locum illum duntaxat reperiri, 5. de meth. med. cap. 13. in quo ſe huiuſmodi medicamentum applicaſſe ſcribit ſplendidæ cuidã Romanę matronæ.

Sed dicebam poſſe nos huiuſmodi apponere, quando adſunt humores bilioſi in toto corpore, ac capite, qui propter intemperiem frigidam ab aere ex

A citatam exprimuntur ad pulmones, & ad pectus; tunc enim licet capiti abraſo ea admouere medicamenta, quemadmodum exiſtimo factum à Galeno fuiſſe in prædicta muliere.

Amatus Luſitanus centuria 2. curatione 1. ad ſcholium ait, in principio agendum quidem eſſe cum his, quæ refrigerandi, atque incraſſandi facultatem habent, vt ſunt olea, & vnguenta

B refrigerantia, quæ vbi non proficiant ad veſicatoria; & ad emplaſtra calida deueniendum eſt.

Sed certè, ſi verum fateri licet, exiſtimo in intemperie capitis calida periculoſum eſſe admouere emplaſtra illa, quòd magis calefaciant, quia à calore ad actum eorum virtute redacta, maximè incaleſcunt, intemperiem calidam augendo.

C Magiſque mihi veſicatoria arrident; quia quam primum cutem exulcerant, natura ad partem ab vlcere debilitatam expellit nocuos humores, & ab ipſamet parte ab intimis ad extimas partes trahit.

Agendum igitur eſt cum embrocationibus refrigerantibus ſupra totum ſinciput applicatis, quemadmodum oxyrhodina ſunt, & huiuſmodi alia me-

D dicamenta ad idem valentia.

Sed vbi cautum eſt, ne amplius materia acris, & mordax ad pulmones feratur, iam tempeſtiuum eſt eam methodum in medium afferre, quæ competit materiæ iam fluxæ. Vbi iam materia calida, tenuis, & mordax fuerit, vena iutem ſit ſoluta, opus eſt vti medicamentis refrigerantibus, & adſtringentibus.

E Poſt corporis purgationes vſus lactis conuenit in materia acri, ſiue ſalſa ſit, ſiue bilioſa; attemperandi enim, atque refrigerandi facultatem habet, at in phthiſi abſtergendum magis eſt, hinc probatur magis lac aſininum.

Idque non eſſet inutile, ſi chalybeatum offeratur.

Placet etiam mihi eorum opinio, qui in hoc caſu modicum mellis addunt, quia præter illam digerendi facultatem, & abſtergendi, qua pollet, eſt etiam vehiculum ipſius lactis, neq; vlceri excitato in pulmonibus nocebit.

Doſis huius lactis eſt ab vnc. tribus ad ſex pro diuerſa corporum ætate, temperie, ac robore. Quantitas mellis debet eſſe ad vnc. i. vel vnc. j. ſſ. ad ſummum, per longumque tempus, ſummo mane huiuſmodi lac offerendum ægrotis eſt: cauendum quoq; ne poſt aſſumptionem dormiant, ſitque acceptum per quatuor horas ante prandium.

Interim non deſiſtendum ab alijs medicamentis, quæ ſanguinem ſiſtere atq; venam eroſam ad cicatricem ducere poſſint. Inter alia medicamenta eſt pulois iuſquiami albi ad drach. j. ſacchari roſati, vel violati ad vnc. ſſ. vel ſic poſſumus idem iuſquiami ſemen cum alijs rebus componere.

℞. hyoſcyami albi ſ. p. drach. ij.
Boli armeniæ,
Hydaſpidis, ana ſcrup. j.
Sacch. roſ. antiqui, vnc. iiij.
Cum ſyrupo myrtillorum, quantum ſufficit, fiat mixtura, quæ poteſt concedi ad vnc. ſſ.

Diatragacanthum cum bolo armenia optimum eſt præſidium, ſed inter omnia, quæ ſanguinem hoc in caſu ſiſtere poſſunt, eſt lapis hæmatites, qui primas obtinet. Poteſtis igitur huius accipere à ſcrup. ſſ. ad ſcrup. j. vſque cum ſucco polygoni, aut modico lactis, aut etiam aquæ non frigidæ.

Sed cum ægrotantes lac bibunt, melius eſt, vt ſingulo mane huiuſmodi lapidis ſcrup. j. aut ij. apponantur in lacte.

Ad idem valent bolus armenia, terra lemnia, quæ eſt terra ſigillata, & huiuſmodi: vbi hæc non proficiant, & ſuperueniat inflammatio, difficillimè ſuccurritur.

A In localibus applicandis ſemper vtendum eſt reprimentibus, & quoquomodo adſtringentibus, cum hac cautela, vt ſemper aliquid, quod vehiculi habet rationem, admiſceatur.

Proponitur, & balneum aquæ dulcis, quod in hoc caſu admitto quidem, ſed quod actu ſit temperatum.

Vt

℞. ol. roſ. omphacini, vnc. ij.
B Succi ex ſemperuiuo extracti, vnc. iiij.
Bol. armeniæ orient. drach. ſſ.
Aceti optimi, vnc. j.
Vini optimi, vnc. ij.
Miſce, & actu frigidum applicetur.

Sunt alia quamplura eiuſdem generis, quæ ex ol. roſ. ol. myrtillino, & ſimilibus parari poſſunt: & hæc de cura, quæ conuenit ſputo ſanguinis per eroſionem euenientis, & à pulmone prode-
C untis.

## DE CVRATIONE SPVTI *ſanguinis ex pulmone, & thorace fluentis ob materiam bilioſam.*

Veniamus ad ſputum ſanguinis emanantis à thorace, aut pulmone ex inſtrumentis refrigeratis, aut etiam nimium tenſis, ac fractis, de quo loquitur Galenus 5. meth. med. eodem
D capite, in quo pertractat de illa Romana muliere, & de quodam iuuene, cui curationem per chirurgicum inſtrumentum ad hunc modum inſtituit.

Primò ſanguinem ex vena ſecta bis eodem die, quo cæpit, curationi manus admouere, deinde die ſequenti rurſus emiſit ſanguinem bis, artuumque frictione vſus eſt, quæ medicamenti ratio
E à ſanguinis motu deſumpta eſt.

Nam verſatur tota circa ſanguinem, non circa venam, quia curauit Galenus, quantum potuit, vt ab ipſa rupta vena ſanguis retraheretur, id quod tamquam exemplar accipere debemus in curatione fluoris ſanguinis à partibus ſpiritualibus; etiam virtute permittente

adeſt

adeſt indicans.

Satisfaciendum eſt per ſanguinis miſſionem,quę vt aliàs vobis demonſtraui, commodiùs, & cum ægrotantium maiori vtilitate celebratur per repetitas venæ ſectiones, vbi intentio eſt ſanguinem reuellendi: deinde ſtatim ad cucurbitas applicatas cruribus, ad frictiones, & ad extremarum partium nodos nulla mora properandum eſt: & hæc eſt cura per chirurgiam.

Eandem etiam breuiſſimo hoc capite curationem à Galeno habemus per pharmaciam, tam per intus exhibitionem, quàm per eam, quæ localia ordinat; eodem enim die curauit iuuenem, vt acciperet diaſpermaton,quod medicamentum non modò ſanguinem, ſed vas ipſum reſpicit,quia refrigerandi facultatem habet, qua ſomnum conciliare ait Galenus,ſimulque & ſenſum doloris leuare.

Dixi paulò ante huiuſmodi medicamentum eſſe in vſu, ſed ſub forma trochiſcorum de ſeminibus, ſtatim igitur deueniendum eſt in hoc caſu ad medicamenta, quæ refrigerandi facultatem habent, atque exiccandi, idque magis liberè agendum eſt, ſi vena fracta fuerit intus ob violentiam quandam factam, ſiue à vociferatione, aut impetuoſa tuſſi, aut ab alia ſimili cauſa, quæ potuerit intus venam frangere.

Vbi enim fuerit cauſata à frigiditate cauendum eſt à nimium refrigerantibus,quia augeretur cauſa fractionis,non quòd frigiditas externa de ſe rumpat venam, ſed eam diſponat, vt faciliùs ab externa cauſa rumpatur; nam ſi iuuet ratione ſanguinis, nocet tamen venæ; quare non poſſum Puluerinum Neapolitanum laudare, qui in huiuſmodi affectione à quacunque cauſa prodeunte, non modò ad refrigerantia ſtatim refugit, ſed ad ſtupefacientia, nempe ad philonium.

Nam ſtupefacientia medicamenta, quantum fieri poteſt, ſunt euitanda, A ijſque vtendum eſt, quando nulla alia adeſt via, qua ægrotanti opitulari poſſumus, quemadmodum audiuiſtis ſupra eſſe agendum ad ſanguinem ſiſtendum.

Sed ſi vultis caſum pulcherrimum, in promptu habere, ad cuius exemplum curationem inſtituatis, legite Franciſcum Valleriolam lib. 2. ſuarum obſeruationum 2. vbi ad vnguem habetis venæ ruptæ curam in pulmone per omnem B medicinæ inſtrumentum.

Sed dicamus nos, quid per pharmaciam facto opus ſit,ſi ſymptoma impenſè vrget. Et in primis occurrendum eſt cum medicamentis huiuſmodi, quæ habeant facultatem ſiſtendi ſanguinem. Inter alia mihi iſtud probatur bis & ter in die exhibitum.

℞. lapidis hæmatitis in aqua plantag. C loti,

Corallij rubei pariter loti, ana ſcrup. iiij.

Terræ lemniæ, quam ſigillatam vocant, drach. ij.

Margaritarum ſplendid. drach. j. ſſ.

Seminum plantaginis,

Arilliorum vuarum exiccatorum, ana drach. j.

D Miſceantur omnia, ac redigantur in tenuem pollinem, addendo trochiſcorum de Karabe, drach. j.

Huius pulueris accipite drach. j. ſſ. cum aqua plantaginis, & pediculorum roſarum,&

Syrupi de ribes, vnc. ij.

Accipiat ægrotus, quando poteſt, id genus præſidij. Benedictus Victorius vnum deſcribit medicamentum, quod aſſumptum immediatè ſiſtit ſanguinem, E id eſt.

℞. ſucci plantag.

Portulacæ, ana vnc. j. ſſ.

Trochiſcorum de Karabe, drach. ij. pulueriẽtur ſubtiliter, atque vnica vice offerantur ægrotanti.

Vel

℞. lap. hæmatitis.

Pul. corticis oui, ana drach. j.
Sem. plantaginis, drach. ſſ.
Trochiſcorum de Karabe, drach. j ſſ.
Miſce, & fiat puluis ſubtilis.

In hoc caſu, vbi morbus ſit recens, valet theriaca aſſumpta cum modico poſcæ. In inueterato verò ſputo ſanguinis eadem theriaca cum decoctione conſolidæ maioris prodeſt, antè cibi aſſumptionem per tres, aut quatuor horas.

℞. aquæ caudæ equinæ, quæ equiſetum dicitur, vnc. iiij.
Succi plantaginis, vnc. ij. miſce.
Compoſitio à me probata ſæpius.

℞. Conſeruæ roſarum antiquæ,
Balauſtiorum, ana vnc. j.
Lapidis hæmatitis,
Trochiſc. de Karabe, ana drach. j.
Philonij Perſici, vnc. ſſ.
Syr. myrtillorum, vnc. iiij.
Fol. auri, num. ij.
Diuidatur in quatuor partes.

Vel

℞. philonij Romani, drach. j.
Succi polygoni, vnc. j. ſſ. miſce.

Vel

℞. Sem. plantag.
Portulacæ, ana drach. j.
Lapidis hæmatitis,
Terræ ſigillatæ, ana drach. j. ſſ.
Conſ. roſarum, vnc. ij.
Phil. Perſici, drach. ij.
Syr. ex roſ. ſiccis, vnc. iiij.
Et fiat conditum.

Sed affero vobis medicamentum, quod loco ſecreti habere debetis. Accipiatis teſtam oui, à qua auferatis membranam internam, & curate, eleganter exiccari, vt puluis tenuiſſimus pollinis in modum fieri poſſit, huiuſque pulueris accipite drach. ij. aquæ plantaginis, vnc. iij.

Si hæc non proficiunt, aut ſimilia, veniatis ad opiata, vt eſt philonium, aut triphera perſica, vt

℞. philonij, drach. j.
Syrup. myrtillorum, vnc. j. vel aquæ

A plantaginis, vnc. ij.

Vel ſic.

℞. philonij, vnc. j.
Lapidis hæmatitis, drach. ſſ.
Syrup. cydoniorum, vnc. ij.
Aquæ plantaginis, quantum ſuffigit, vt fiat fluidum, & exhibeatur pro potu.

Sunt multa alia medicamenta, quæ eandem habent intentionem apud authores ſcripta.

B Hæc ſunt auxilia ad ſiſtendum ſanguinem intus per os ſuſcipienda, quibus addimus, quæ à Galeno iuueni illo fuerunt adminiſtrata, vt vrgente neceſſitate vti poteſtis.

Hiſce, victuſque ratione idonea paulò infrà dicenda poteritis partes intra thoracem exiſtentes, & præcipuè venas fractas ad quandam temperiem reducere, ita vt nulla amplius ſit phlegC monis ſuſpicio.

Quibus peractis, ad purgationem medicamento expurgante eſt deueniendum, ſi tamen opus fore vobis videbitur, quemadmodum egregiè Valleriola in prædicto caſu fecit. Inter alia ſanè medicamenta præſtantiſſimum eſt hoc.

℞. Rhabarb. parum torrefacti ſ. p. ad ſcrup. iiij.
D Syrup. roſati ſolutiui, vnc. iiij.
Elect. ex ſucco roſatum, drach. j.
Aquæ plantaginis quantum ſufficit, fiat potus.

Rhabarbarum humores bilioſos, qui ſæpè in huiuſmodi affectione colligun- tur, educit, veſtigia aliqua adſtrictionis relinquens, qualia requiruntur in prædictis affectionibus.

Succedit, quòd habet deobſtruendi E facultatem, à quo medicamento corpore expurgato, ſi non amplius exeat ſanguis, vt confirmetur vena conſolidata leuibus quibuſdam medicamentis agendum eſt in ore inſtar gargariſmatis detentis.

Ideo curate, vt hæc ſimplicia bulliant in libra vna aquæ roſarum, & por-

tula-

tulacæ ſecundùm artem; nempe

Balauſtior. vnc. j.

Seminum ſummachiorum,

Plantaginis, drach. j.

Roſarum rubearum, pug. ij. &

Colentur, & in colatura adde

Syr. viol.

Mellis roſ. col.

Syr. roſarum ex roſis ſiccis, vnc. j.

vt gratius ſit, ac faciliùs ad partes ſpirituales penetrare vna cum medicamentis poſſit.

Facta ad hunc modum curatione Galenus ad Tabias miſit ægrotantem iuuenem. Tabiæ autem eſt locus quidam in Neapolitano agro, in quo paſcum pecoribus ſaluberrimum eſt ad lactis optimi generationem, quo ſæpè in huiuſmodi affectionibus vti licet: aeriſque optima conſtitutio eſt ad ſiccum magis vergens, & in actiuis temperata.

Ex hoc Galeni loco colligere poſſumus, quantum aeris mutatio, & exhibitio lactis his ægrotantibus conferat: quare poſt omnem adhibitam diligentiam curate, vt ægrotantes locum, & aerem mutent, præcipuè ſi non fuerint perfectè ſanati, & ad lactis vſum deueniatis. Hæc de pharmacia intrinſecus exhibenda.

Videamus modò, quibus præſidijs hoc in caſu exterius eſt vtendum. Galenus appoſuit thoraci iuuenis prædicti ab eo curati, ceratum illud, quod ex tapſia componitur, quod calidæ facultatis eſt, cumq; nimis calefaceret, fuit coactus eodem die veſpertino tempore ipſum remouere, quod ſanè videtur à ratione prorſus alienum, quandoquidem eorum, quæ ſiſtunt ſanguinem triplex eſt effectus (vt monet Aretæus) nam alia ſunt, quæ vaſorum ductus comprimendo, ac cogendo vinciunt; alia humorem fluentem incraſſant, & coagulant, ne patente etiam canali exire poſſit; tertia abſorbent, atque exiccant, quod ad locum fluxione affectum

A congeritur.

Non eſt dicendum ipſum adſtringere, nec minus incraſſare ſanguinem, cùm ſit calidum, ergo dicendum eſt abſumere, & exiccare, quidquid collectum eſt.

Sed cum Galenus ipſum ſecundo die applicauerit, vix credibile eſt, totam abſumpſiſſe ſanguinis copiam, quare ad ipſum exiccandum vſum fuiſſe hoc cerato veriſimile eſt.

B Addo, quòd fluente adhuc ſanguine non licet admouere calida medicamenta, quemadmodum ipſemet Galenus pluribus in locis demonſtrauit. Nullus eſt ex authoribus, quem ego viderim, qui hunc Galeni locum animaduertat, quod mirum tamen videtur; nec dicendum eum, qui alios docet vti methodo, ſine ipſa, aut caſu in curando hoc ſanguinis fluore inceſiſſe.

C An dicendum ſit optimè in hoc iuuene Galenum vſum fuiſſe medicamento ex tapſia, quod calidum eſt, quia cauſa fluxus erat frigiditas? Ideo ad intemperiem illam frigidam tollendam admouiſſe id genus medicamenti thoraci illius ægrotantis.

D Quare etſi alia auxilia facta ſint ad affectum debellandum, iſtud verò, vt cauſam fouentem tolleret, fuit prædictæ parti applicitum, atq; ita Galenus ſemper methodicè agendum docet, & methodicè, quoq; in morbis curandis procedit: vnde docemur & nos ab ipſo, quòd quando ſanguis excitatur à frigiditate, hoc eſt, quando frigoris vi calida inducitur in venis intemperies, ex qua frangantur venæ, tunc poſſumus applicare id genus cerati.

E Emplaſtrum de ſtercore columbino.

℞. gummi ammoniaci, vnc. j.ſſ.

Sandaracæ Arabum, drach. vj.

Stercoris columbini ſylueſtris ſubtil. pulu. drach. iij.

Maſtiches, drach. j.

Incorporentur omnia ſimul in mortario cùm piſtillo calido in aceto intincto,

ćto, fiatque emplaſtrum.

Sed quando ab aliqua alia cauſa, idem effectus ſequitur, tunc adſtringentibus vaſa, necnon & refrigerantibus vtamur. Inter alia decoctiones factæ ex mali punici cortice, rubo, lentiſco, vel myrto, necnon & poſca ſummè valent, ſi in ipſis affuſæ fuerint leues ſpongiæ, atque thoraci applicatæ, maximè illi parti, in qua ægrotantes ſe dolorem ſentire dicunt.

Aliquando autem ſolent ſpongiæ appoſitæ quibuſdam graues eſſe, quare loco ipſarum lintea madefacienda ſunt in prædictis aquis. Irrigatio etiam ex prædictis liquoribus proficere valde ſolet.

Galenus 8. methodi medendi, cap. 5. commendat oleum mellinum affuſum, aut roſaceum, ſi æſtas ſit, at ſi hyems, probat vnguentum nardinum; Idem Galenus proponit emplaſtrum diaphœnicum, ſeu ex chalcitide dictum, & maximè cum oleo roſaceo diſſolutum, atq; thoraci applicitum.

Eſt tamen animaduerſione dignum in applicandis adſtringentibus thoraci, vt ad mitiora magis tendamus, ſæpeq; lintea, & ſpongeas, quibus vtimur, mutantes, ne deinde ex vapore elato ca'e facta maiorem fluxum faciant, indeque morbum exaſperent, & hoc eſt Alexandri Tralliani conſilium ſeruandum. Hęc ſint dicta de curatione ſputi ſanguinis per chirurgiam, & pharmaciam.

## DE CVRATIONE SPVTI *ſanguinis per diætam.*

NOn multum diſtat regimen victus, quod competit huic morbo ab alijs affectibus thoracis, præſertim qui ab humorum tenuium fluxu eueniunt, quandoquidem in hoc etiam refrigerandum, incraſſandumque eſt indicatione à ſanguine fluente deſumpta.

Præterea propter venam læſam, &

A materiam fluxam non rarò putreſcentem exiccandum eſt, ſed magis propter læſionem venæ & exiccandum, atque adſtringendum venit, ideo omnes ſex res non naturales, quantum fieri poteſt, debent reſpicere prædictas intentiones.

In primis igitur cauendum eſt ex Galeni præcepto, vt cubiculum, in quo degit æger, ſit in actiuis qualitatibus ad

B frigidum vergens, in paſſiuis ad ſiccum, quare in hoc caſu curare debetis, vt arceantur hominum, & mulierum turbæ.

In cubiculo remanere non oportet, niſi illos, qui præfecti ſunt curæ ægrotantis. Somnus eſſe debet moderatus, vt quieſcat æger corpore, & animo; nam vt 5. meth. med. cap. 8. ait Gale-

C nus iubendum eſt laboranti, vt nec magno vtatur reſpiratu, ſed ſemper ſeruet ſilentium. Verùm loco motus frictiones ad crura, ad brachia, nodi dolоroſi partibus extremis ſunt inijciendæ cucurbitulæ etiam applicandæ: animi affectus immoderati euitandi ſunt; nam animi pathemata, non ſecus atque mare, & venti humores corporis exagitant.

D Quod ad victum ſpectat quotidianū, cibi parentur ſorbiles, craſſi, & glutinoſi ſucci, vt inde in maſticando nulla commotio excitari poſſit: eiuſmodi ſunt amylum, panis lotus, tenuiſſimus pollen ſimilæ, ſuccus auenæ, hordei, orizæ, farina quoque hordei, milij, & etiam lentis, quæ ex aqua parari poſſunt cum modico olei violati.

Vel etiam ex carnibus pullorum gallinæ conficitur iuſculum, quo parari

E poſſunt fercula vna cum præd ćtis rebus: vel ſi ebullierint in eo ſimplicia, quæ habent incraſſandi facultatem abſque refrigeratione, qualia ſunt portulaca, endiuia, lactuca, borrago, plantago, germina tum maluæ, tum aſparagi, & oxalis, longè melius erit.

Poſſunt etiam fieri fercula ex cucur-

bitæ

bitæ pulpa, vel ex peponibus. Placent A etiam ſemina frigida tam maiora, quàm minora cum prædictis rebus ebullita.

His agendum à principio, ſi virtus valet, at vbi opus ſit paulò liberaliùs nutrire, oua ſorbilia valent in aqua decocta cum modico omphacij. Carnes quoque conceduntur, ſed quæ glutine quodam ſint præditæ.

Quamuis à principio caro pullorum, & caponis conueniat, tamen in pro- B greſſu pedes vituli, vel agni, ac (vbi magis eſt nutriendum) caro ſuilla tenelli, & iuuenis porcelli à Galeno non reprobantur.

Panis, quo veſci debet æger, quocunque modo concedatur, debet conſtare ex optima farina, ſed qui ſit non admodum fermentatus.

Ex fructibus, auſtera, & acida probantur, vt ſunt meſpila, ſorba, fructus corni, & pyra ſaporis auſteri, granata, atq; aurantia à Tralliano commendantur.

Pro potu aqua ſimplex, vel aqua hordei decorticati frigida conceditur, vinum verò nequaquam, niſi auſterum ſit, & olygophorum; aut vbi vires iam ex multa copia ſanguinis declinare ad languiditatem videantur; tunc enim vt hæ reſtaurentur vinum præberi poteſt, magis tamen probatur, ſi vires non languean, vt ægrotantes non modò à vino ſe temperent, ſed quod etiam aquam in pauca quantitate bibant, quia non eſt hic humiditate, ſed ſiccitate opus: & hæc de victus ratione, deque omni medico inſtrumento pro curatione ſputi ſanguinis.

# DE PHTHISI, SEV TABE.

## CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Huiuſmodi affectio, de qua poſt ſputum ſanguinis agendum proponitur, ſpectare videtur ad læſam nutriendi actionem, quæ non ſecus atque aliæ corporis partium actiones trifariam læditur, abolitè ſcilicet, diminutè, & deprauatè.

Si primo modo contingat actionem nutritiuam partium corporis ſolidarum lædi, appellatur à Græcis ἀτροφία, in qua corpus non alitur, & vt inquit Cornelius Celſus lib. 3. cap. 22. ſumma macies in toto oritur corpore, quòd loco eorum, quæ deperduntur, nihil prorſus apponatur.

Si verò ſecundo modo res euenerit, tunc καχεξία Græcis eſt dicta, in qua fit vitioſa nutritio; & à noſtris malus corporis habitus vocatur: poſtremò idem corpus ſi diminutè nutriatur, appellatur φθίσις, ita vt tabes in tres differentias ſit diuiſa, nempe in atrophiam, ca- D chexiam, & phthiſin, ſeu vt nonnulli ex Græcis vocant φθίσιν.

Et quamuis à Cornelio Celſo tres hæ differentiæ contineantur ſub nomine tabis, nihilominus Latini pro tabe intelligunt magis propriè tertiam illam differentiam, quam Græci phthiſim, & phthoin nominant.

In genere itaque ſumptum nomen hoc prædicatur de omnibus ſpeciebus E exiccationum, atque conſumptionum humidi radicalis in corpore humano; in primis enim tabidi dicuntur illi, qui ob ſenectutem exiccantur.

Vnde Galenus lib. 1. de diff. feb. cap. 8. tabem, & maraſmum diuiſit in naturalem, & præter naturam: hic præter naturam ex ſententia Philippi dicitur

tur ſenectus ex morbo, quæ etiam püeris, & iuuenibus euenire poteſt.

Rurſus tabes hæc præter naturam, plures habet differentias; nam alia vniuerſalis totius corporis eſt, alia particularis: præterea vniuerſalis adhuc quædam eſt ſine vlcere, alia cum vlcere.

Prior ab Hippocrate lib. de morbis 2. & lib. de internis affectibus diuiſa eſt in tres ſpecies, quarum prima fit ex pituitæ à capite defluxu; ſecunda à labore, quam renalem vocant; tertia fit à ſpinali medulla, quæ libidinoſos, & veneri deditos ob nimiam ſeminis conſumptionem corripere quandoque ſolet. Hanc dorſalem aliqui vocant. Hiſce poſſumus procul dubio tertiam ſpeciem febris hecticæ addere, & fortè etiam ſecundam.

Cæterum tabes cum vlcere non vnica eſt, ſed multiplex, prout partes variæ ſunt, quæ exulcerantur, à quibus emanat huiuſmodi tabes, & hæc propriè phthiſis appellatur, & à Græcis φθίσις, ex Galeno lib. 7. cap. 96. nam vlcera, vel pleuræ, & muſculis intercoſtalibus, aut mediaſtino, aut diaphragmati, aut aſperæ arteriæ, aut etiam pulmoni euenire poſſunt, à quibus phthiſis proficiſcitur; at omnium præcipua, ea eſt, quæ à pulmonum vlcere emanat; & hæ ſunt omnes ſpecies, ac differentiæ tabis vniuerſalis.

Particulares verò totidem eſſe poſſunt, quot partes ſunt, quæ maraſmo afficiuntur, vnde eſt, quod illa conſumptio, quæ fœmori, & toto cruri euenit à morbo illo, quem coxendicum appellant, proprio nomine iſchiadico donata eſt.

In præſenti ſolummodo amplectimur tabem vniuerſalem tractandam, quæ ab vlcere prouenit, vt diximus, pulmonum, aut alicuius ex prædictis partibus, & periculoſiſſima omnium, curatu eſt, & ad cuius exemplar reliquæ curari poſſunt, ideo de hac tabe,

A quam phthiſim, & phthoim Græci vocant, agendum proponitur, eiuſque inquiritur definitio.

In hocautem affectu definiendo duo conſiderari oportet, vnū eſt vlcus, alterum corporis totius macies; quare definitio debet, mea quidem opinione, vtrumque affectum complecti, vel dicendum eſt vnum habere rationem cauſæ, alium verò effectus. Si primo
B modo poſſumus eum ad hunc modum definire.

Phthiſis eſt affectio præter naturam compoſita ex febre hectica, & vlcere pulmonum, vel partis vnius ſpiritualis. Aſſumimus in definitione morbum compoſitum ex febre hectica, & hæc eſt prima differentia, & vlcus pulmonum, aut alicuius partis thoracis, vt ſupra diximus ad differentiam affectio-
C num compoſitarum ex febre hectica, atque putrida, in qua compoſitione nullum adeſt vlcus.

Quare cùm hic affectus conſtet ex morbo vniuerſali totius corporis, & particulari partis cuiuſdam præcipuæ, dicimus meritò adeſſe febrem hecticam, eò quòd corpus emaciatur, quemadmodum in hectica, ſeu in maraſmo Philippi.

D Sed quoniam Auicennas 10.3.tract. cap. 18. ſcribit aliquando hanc affectionem protrahi ad longum tempus; nam vidit mulierem phthiſicam in hoc ſtatu vigintitres annos vixiſſe; quod confirmatur à Gentili in commentario, vbi ſe agnouiſſe ait iuuenem quendam laborantem hoc morbo, vitam degiſſe ſpatio duodecim annorum; videtur non
E poſſe nos definitionem præſentis affectionis ita determinare, vt adſit cum vlcere pulmonum febris hectica, quia impoſſibile eſt ægrotantes tali affectione poſſe diù viuere, cùm non perfectè nutriantur?

Cui difficultati ſatisfacit primò Dinus, qui dicit ex Auicennæ textu colligi duplicem phthiſim; vna eſt, quæ oritur

oritur à materia craſſa à capite in pulmones labente, & huiuſmodi phthiſici magis accedunt ad naturam aſthmaticorum, cum reſpirandi difficultate, & tuſſi. Altera verò eſt, quæ componitur ex vlcere pulmonis, atque febre hectica.

Primo modo ægrotantes per longum temporis ſpatium viuere poſſunt, & mulier, de qua agit Auicennas, erat in hac affectione. Secundo modo non poſſunt viuere, quia vt dictum eſt, non nutriuntur.

Alio pacto reſpondet Gentilis, conſiderans vlcus in pulmone, quod vel eſt paruum, & facit cruſtam, vel eſt magnum, atq; eam facere non poteſt.

Primò modo ægrotantes poſſunt diu viuere, quia cruſta ſtatutis quibuſdam temporibus aufertur, deinde denuò renouatur, hinc fit, quod vlcus ſanatum videatur, & per multos menſes, & annos viuere poſſint.

Si verò vlcera sūt magna, & corroſiua, tunc impoſſibile eſt, vt diù ægrotātes viuant: & hæc eſt vera phthiſis à nobis definita, quod fit præter naturam affectio compoſita ex febre hectica, & vlcere, & quantitate totius corporis diminuta.

Sed huiuſmodi vlcus à craſſa materia, vel eſt pituita craſſa infipida; vel ſalſa; primo modo non poteſt fieri vlcus quia ad hoc vt id fiat, opus eſt, vt erodatur pulmo, quod à pituitoſa materia craſſa fieri nequit, ſequitur ergo, quod fit ſalſa, quare longè peius erit vlcus, cum quo ab hac materia ortum ducente poſſunt ægrotantes diu viuere, & ita mulier Auicennæ cum vlcere longo tempore vixit.

Auicennas hoc loci inquit phthiſim aliam eſſe ſine febre, aliam cum febre; prior eſt quando à materia craſſa pulmones, & ipſius rami conſtringuntur, vt inde & tuſſis, & difficultas reſpirandi ſuccedat, & hæc affectio magis propriè aſthma dicitur; ſed Auicennas in

A hoc capite loquitur de verè phthiſicis, quibus vlcus eſt in pulmone, vbi dicit aliquos poſſe diu viuere.

At ſi ipſam affectionem conſideremus, quatenus horum vnum eſt effectus, aliud cauſa, dicimus, quod vlcus habet rationem cauſæ. Capiuaccius, & ferè omnes, quos vidi, authores hanc definitionem conſiderant vt effectum, & cauſam; nam eo in loco is

B ſcribit phthiſim eſſe magnitudinem pulmonum imminutam cum caliditate, & ſiccitate totius producta ab vlcere pulmonis.

Altimarus verò tradidit eſſe conſumptionem, ſeu colliquationem cum febre lenta ex pulmonum vlcere: ſed quamuis Capiuaccius verbis ab alijs diſcrepare videatur, eandem tamen profert ſententiam, quia totius cor-

C poris magnitudo diminuta cum caliditate, & ſiccitate ipſius, nihil eſt aliud, quàm conſumptio corporis, quia niſi conſumeretur corpus, eius magnitudo non decreſceret, caliditas autem, & ſiccitas totius nihil aliud eſt, quàm febris.

Quare nihil addit, præter quàm alij dicentes eſſe conſumptionem totius corporis à febricula quadam ortam, & ab

D vlcere pulmonum, vel aliarum partium thoracis, à quibus exulceratis, & ab vlcerum qualitate aliquot fiunt differentiæ phthiſis ſecundùm magis, & minus differentes inter ſe.

Nam alia eſt, quæ ab vlcere tracheæ, ſeu aſperæ arteriæ enaſcitur, alia, quæ à mediaſtino, & ſic de ſingulis thoracis partibus. Cæterùm cum pulmo ſit in duas partes diuiſus, poteſt vlcus vnius

E lateris differre ab eo, quod eſt alterius, vt ſiniſtrum à dextro.

Deinde pulmo conſtat ex ſua ſubſtantia, & vaſis, atque membrana propria: vlcera poſſunt, vt notum eſt omnibus, hiſce partibus euenire; quare vlcus arteriæ aſperæ differt ab eo, quod arteriæ venali, & venæ arteriali, aut ſubſtantiæ

propriæ, vel ſuis lobis, vel etiam membranæ, contingit.

Vnde iſtæ differentiæ phthiſis, & vlcerum deſumuntur à ſubiecto. Ex prę dictis vnicuique veſtrum iam patere poterit, vlcus habere rationem cauſæ, nempe febris hecticæ, quæ eſt accenſa in partibus ſolidis totius corporis, de qua (Deo dante) alibi tractabimus, vbi intelligetis nō poſſe febrem illam in cor pore generari, niſi cor priùs caliditate, B & ſiccitate afficiatur.

Sed dices, quo modo cor (vlcere pulmonem afficiente) poteſt febrem hanc hecticam producere?

Reſpondetur non omne vlcus id facere poſſe, ſed inſigne vlcus, & cum copioſa materia ſanioſa, à qua eleuantur calidi vapores cor calefacientes, deinde ſi ab eodem vlcere prohibetur cor ab euentatione, & fuliginum expurgatione, quibus nominibus adeo in- C caleſcit, vt ipſius humiditas natiua conſumatur, nec non omnium corporis partium ſolidarum; ac ſumma macies ſequitur, quare concludendum dicimus, vlcus febris huius eſſe cauſam, maciem, & febrem effectum.

Sed quamuis omnes homines, in omni ætate, & tempore ſint apti ad hunc ſuſcipiendum morbum, magis D tamen illi, qui ſunt anguſto, & ſtricto thorace, vt à tergo in morem alarum prominent ſcapulæ, ita vt alati videantur, quos Græci πτερυγώδεις appellant.

Deinde illi, quibus defluxio à capite in pulmones defertur, quemadmodum Galenus eſt author 1. epid. comm. 18. Inter ætates, vt plurimum iuuenibus contingit à decimo octauo anno vſque E ad trigeſimum quintum, quod 5. aph. 9. declarauit Hippocrates.

Tandem autumno magis inuadit homines, quàm alio tempore, vt 3. aph. ſcriptum eſt. Sed veniamus ad cauſas, quæ vlcus in pulmone excitare valent.

A

## DE CAVSIS PHTHISIS, *ſeu tabis.*

Semper in tradendis morborum cauſis ad tria capita eas omnes redigere conabor, nempe ad antecedentes, coniunctas, & primitiuas, quas procatarcticas vocant, & primò cauſas primitiuas examinandas accipio, quæ deſumuntur ab aeris qualitate.

B Nam aer borealis, cui auſtrina conſtitutio ſuccedat ſimul cum pluuia, com mouet humores in capite, & eos in pulmones deſtillare facit. Caliditate etiam nimia, quemadmodum ſi quis ad ſolem diu ambularet, liqueſceret, & funderetur materia, & ad pulmones caderet. Idem facit frigiditas, ſed alia ratione, quia conſtipat meatus cutis exteriores, & materias recurrere facit, deinde materiam in capite reſperſam exprimit.

C Addatis, quod, vt in præcedenti capite audiuiſtis, frigiditas ſæpè vas in pulmone frangit, à quo exiens ſanguis vlcus in pulmonem excitat. Tandem omnia, quæ pulmones lædere poſſunt, vt eſt caſus, percuſſio, mala victus ratio, quæ acres, & falſos ſuccos poſſit generare, vt allia, ſinapi.

D Vſus etiam leporis marini; nam aiunt eſſe pulmonum venenum: exercitatio intermiſſa, excrementorum retentio, veneris ſuperfluus vſus. tandem inſignis vociferatio, ira, & vehementes animi affectiones eſſe poſſunt cauſæ.

Cauſa antecedens eſt humor acris, & mordax, ſiue ſalſus fuerit, ſiue bilioſus, & amarus, qui à pluribus partibus demandari poteſt; nam à capite in primis catarrhus, vt aiunt, deſcendit.

E Fieri etiam poteſt, vt idem humor exiſtens in venis corporis feratur per dexterum cordis ventriculum, mediante vena arteriali: pleuritis etiam, peripneumonia, atque empyema poſſunt eſſe cauſæ antecedentes.

Cæterùm à ſanguinis ſputo vlcus pulmonis euenire poteſt, cum præci-

puè retineatur intus, nec rectè expurgari poſſit. Ad hæc menſes ſuppreſſi, aut hæmorrhoides reſtrictæ habent rationem cauſæ antecedentis.

Denique intemperies in pulmonum ſubſtantia contracta, aut mala ipſius qualitas habetur cauſa antecedens; nam aliquando intemperatur pulmo ad caliditatem, ita vt ad ſe trahat nimis, quàm par ſit à vicinis partibus.

Cauſa autem coniuncta nihil aliud eſt, quàm materia acris, & mordax, quæ exulcerat pulmonum vaſa, aut ſubſtantiam, ſiue à capite defluxa ſit, ſiue à circumuicinis partibus, aut etiam ab vtero malè affecto eueniat: iſtæ ſunt omnes cauſæ videamus, quibus ſignis liceat nobis affectionem hanc recognoſcere.

## DE SIGNIS PHTHISIS, ſeu tabis.

Ex ſignis, quæ hanc affectionem demonſtrare poſſunt, alia affectionem ipſam declarant, alia partes vlcere affectas, & tandem alia cauſas, id eſt, humores patefaciunt: at vnde fluat materia vlcus faciens coniectura quadam rationali comprehenditur.

Signa, quæ argunt affectionem, deſumuntur ab eſſentialiter inhærentibus, à qualitatibus corporis, ac faciei mutatis, ab actionibus læſis, ab exeuntibus mutatis, & à ſymptomatibus.

Primo quidem adeſt in toto corpore caliditas, ſeu intemperies quædam æqualis per vniuerſum corpus, qualem in hectica febre audietis.

Ad tactum enim à principio mitis, deinde inſurgit acris, & mordax. Sunt etiam, qui in hectica febre obſeruant arteriæ locum calidiorem, quàm in reliquis alijs partibus. Quando verò complicatur febris putrida pro febris diuerſitate diuerſimodè calor percipitur à medico.

Secundò qualitates corporis, & faciei talem mutationem accipiunt, vt omnibus manifeſtè appareat; macies adeſt, quæ in dies augetur per vniuerſum corpus, facies ſenſim hippocratica redditur; nam tempora collabuntur, oculi concaui fiunt, nares acuuntur, aures attenuantur; & quod magis peculiare cernitur, eſt, quod genæ ſæpè ad ruborem mutantur, propter vapores à pulmonibus eleuatos.

Actiones læſæ eandem affectionem demonſtrant; nam in primis pulmonum actio læſa eſt à tuſſi, quia vlcere in pulmone exiſtente maximè irritatur à materia vlcus faciente, quæ cum neque at niſi per vehementem exufflationem expelli, hinc ſemper in continua agitatione pulmo verſatur.

Pulſus eſt paruus, languidus, ſed frequens, qualis in febribus hecticis eſſe conſueuit, in hoc ſolummodo differens, quod in hecticis eſt durus, in hac verò affectione eſt paulò mollior, quemadmodum obſeruat Capiuaccius, quæ tamen obſeruatio videtur aduerſari ipſi rationi.

Nam Galenus 1. de diff. febrium, vbi loquitur de hectica febre, quaſi rationem reddens duritiei pulſus, & debilitatis in febribus hecticis, dicebat debilitatem prouenire à cordis intemperie, duritiem verò à ſiccitate; cùm autem in hoc caſu adſit & intemperies, & ſiccitas, non video, cur non debeat pulſus eſſe etiam durus.

Nec videtur dicendum diuerſitatem hanc prouenire ab vlcere pulmonum, quia in primis pulmo nihil commune habet cum arterijs, quia nullam in ſe recipit arteriam. Deinde non intelligo, quomodo vlcus exiſtens in pulmone poſſit inducere mollitiem in arterijs, quia cum vlcus proficiſcatur à materia contenta in pulmonum ſubſtantia, potiùs tenſionem induceret, & per conſequens duritiem in arterijs tenſis.

Cum igitur ſciamus cor eſſe deſtitutum ab alimento, non ſecus atque in

in febribus hecticis, exiſtimamus ea- dem ſymptomata ſequi prædictum ali- menti defectum. Vnde Galenus in- quit, ſi cor haberet ſufficiens alimen- tum, nec durus, nec languidus eſſet pul- ſus; at è contra vbi alimentum deficit, tunc languidus, & durus euadit.

Tertiò cognoſcitur ab excrementis, potiſſimùm ab illis, quæ ab ore exeunt; nam ſputum ſanioſum eſt, & purulen- tum, deinde graueolens, & eo magis, ſi ſuper prunas ardentes proijciatur, vel vbi in aquam iniectum ſit, ſtatim ſubſi- deat.

Et quamuis aliquando contingat ali- quos ſputum excreare, quòd oleat, & in fundum aquæ deſcendat, abſque tamen phthiſi, & febre id rarò euenit. Iſtud caput rectè examinandum eſt, quòd ſi ſolum eſt, neque prædicta alia adſint, poterimus cognoſcere affectio- nem illam non eſſe phthiſim.

Symptomata etiam, præſertim pro- pria, nobis affectionis characterem deſi- gnant, vtpote ſi partes extremæ, vt pedes, tibiæ, manus intumeſcant, vn- gues liuidi fiant, inde incuruentur, præ- cordia conuellantur, ſudores particu- lares circa thoracem, & ceruicem e- rumpant; iracundi fiant, cibaria abhor- reant, ſitiant quidem ægri, ſed vbi potus offertur, parum bibant, ex his omnibus phthiſici dignoſcuntur.

Partes autem læſæ à proprijs ſym- ptomatibus dignoſcuntur; nam ſi vlcus in pulmone fuerit, vt audiuiſtis, aderit tuſſis ingens, & moleſta cum ſputo; ſi in aſpera arteria, quia hæc ſenſu eſt prædita, vbi aderit vlcus ad regionem ipſius in collo, ibi erit dolor, qui re- ſpirando augebitur: præterea pau- ca quantitas ſaniei, & ſanguinis exi- bit.

Aliquando cum ſanie aliquæ portio- nes membraneæ, aut cartilagineæ cum ſputo extramittuntur; quando verò vlcus eſt in venis, aut arterijs, tunc ſan- guis exit in multa copia.

A Cognoſcimus tandem, an materia faciens vlcus proueniat à pulmonibus, an ab alijs partibus; nam ſi à pulmone prodit, iam præceſſit vel fractura aliqua in venis pulmonis, aut peripneomonia, aut pleuritis, vel inflammatio in cir- cumuicinis partibus, aut empyema.

Si verò aliunde proficiſcatur, ideſt ab alijs partibus, tunc cognoſcitur, quia aliqua materia deſtillauit à capi- B te: & hæc de ſignis, veniamus ad pro- gnoſtica.

## DE FVTVRO EVENTV *Phthiſis, ſeu tabis.*

EVentus curationis huius affectio- nis ambiguus admodum eſt, cu- ius quidem rationalis coniectura acci- pi poteſt à natura ipſius morbi, & à na- C tura partis affectæ, necnon ab his, quæ conſequi conſueuerunt.

Primò quidem natura affectionis conſtat ex vlcere, & macie totius cor- poris cum caliditate extranea, vlcus autem vt vlcus eſt, indicat ſui vnionem, quæ haberi non poteſt, niſi per medi- camenta exiccantia, & humectantia: macies inducta verò tollitur per reſtau- rantia.

D Quare ſi conſiderarentur iſtæ indi- cationes ad inuicem ſibi repugnantes, procul omni dubio res erit difficillimæ curationis, & fortè impoſſibilis, vt lib. 4. de locis affectis cap. 5. & 5. meth. med. cap. 15. quia vix poteſt medicus ſimul, & ſemel his occurrere affectio- nibus contrarijs.

Secundò poteſt deſumi præſagium futuri euentus huius morbi, ab vlcere, E & à pulmonis natura. Ab vlcere qui- dem, quia habet cauſam ſemper fouen- tem, quæ eſt cacochymia, quam aufer- re admodum difficile eſt, & fortè fieri non poteſt, vt ſanitati reſtituatur.

Vnde Meſues dicebat, quod phthi- ſici vlcus pulmonum habentes ab hu- more acri, & mordaci, vt eſt bilis adu- ſta

ſta melancholia aduſta, & phlegma, falſum, ſunt incurabiles, quod à Galeno deſumpſit 5. meth. med. cap. 12. & 14.

Cæterùm incurabile redditur vlcus in pulmone, ſi præcipuè antiquatum fuerit; ac ſi aliquando ſanatum appareret, id eſt, quia cruſtam aliquam contrahit, aut materiam ſimilem calloſæ, quæ per aliquod tempus ita manens, videtur conſolidatum eſſe, cum tamen non ſit, vnde ad priſtinum vlcus redit.

Idque non vnicam habet cauſam à pulmonum natura deſumptam, quarum vna eſt, quia pulmo continuò ſe mouet, vlcera verò pro ſui conſolidatione, & agglutinatione quietem optant.

Secunda eſt, quia vlcera ſanari nequeunt, niſi auferatur cauſa coniuncta, quæ eſt ſanies, hæc autem à pulmone non niſi per tuſſim auferri poteſt, quam (vt inquit Galenus) ſi excitaueris, pulmones lacerabis.

Tertia eſt, quia medicamenta nequeunt vlcus attingere contactu ſuo, & virtus ipſorum ob longum iter diminuta admodum ad pulmones venit, ita vt vix aliquod ferre poſſit iuuamentum.

Qarta, membrum eſt ſpongioſum, rarum admodum, quod ſaniem retinet, quæ deinde putreſcens, acrimoniamq; acquirens in diem vlcus auget, caro pulmonum eſt mollis ad putredinem parata.

Succedit, quòd pulmo ſuapte natura ex tenuiſſimo, & bilioſo ſanguine nutritur, facileque ob ſui raritatem in ſe humorem pituitoſum admittit, ex quorum miſcella ſit facillimè putrefactio.

Quare videre facilè poteſtis, quod huiuſmodi duo capita nihil boni prædicere ſolent.

Ab alijs verò partibus deprehendere poſſumus quandoque bonum euen-A tum; nam quando in thorace conſiſtit vlcus, caſus non eſt adeo deſperatus, vt quando eſt in pulmonibus; quia licet diuturnum ſit, vt 4. de locis affectis cap. 5. eſt ſcriptum, non tam validè curationi reſiſtit; nam pectus magis eſt carnoſum, quàm pulmo, ideo validius; deinde ſanies in ſpatium amplum effluit, & vaſa longè ſunt minora.

Quod ſi vlcus fuerit in interna aſperæ arteriæ membrana, & præcipuè in B ſumma, & ſuprema parte vocata larynge, curationem authore Galeno recipit, multoſque ſe curaſſe huiuſmodi affectos, ipſemet enumerat. Si verò pars cartilaginoſa exulcerata ſit, difficillimè curatur, aut incurabilis remanet.

Si denique conſideramus habitum corporis, illi, qui ſcapulas veluti alatas C habent, ceruicem tenuem, longam, pectus anguſtum, nullam prorſus recipiunt curationem, ſi præcipuè vlcus ſit in pulmone, & ſit antiquatum: at qui ſunt lato pectore, breui ceruice, poſſunt faciliùs curari.

Symptomata etiam fauent prædictioni faciendæ; nam ſi ſuperueniat alui fluor, extremæ corporis partes tumeant, vngues liuidi reddantur; deinde D incuruentur, quod per ſputum exit graueoleat, & maximè quando prunis ardentibus inijciatur, deorſumque in aquæ fundum cadat, augeaturque macies totius corporis, labia, & aures recuruata appareant.

Ad hæc capilli à capite fluant, tunc virtus ponderanda, quæ ſi valida eſt, prænunciate longitudinem morbi, & tandem mortem; at ſi virtus langue-E at, dicatis ægrotum eſſe morti propinquum.

## *DE CVRATIONE PHTHISIS, ſeu tabis per Chirurgiam.*

Sed conſideremus nunc, quid agendum veniat, vt oppugnetur præ- ſens

ſens affectio, in qua quidem inſtrumenta medicinæ ea ratione adminiſtranda veniunt, vt indicationibus contrarijs ſatisfacere poſſint, in primiſque contemplemur ea, quæ ad chirurgicum inſtrumentum attinent.

Pauciſſimos reperio authores, qui de ſanguinis miſſione in præſenti caſu mentionem faciant, & inter ipſos Auicennas eſt, fen. 10. lib. 3. tract. 4. cap. 16. dicens: & oportet, vt ſit mundificatio cum phlebotomia, & medicinis extrahentibus ſuperfluitates.

Adeſt etiam Meſues, qui ex baſilica primùm, deinde ex ſaluatella, & quod magis eſt, ſcribit eſſe iterandam phlebotomiam ſæpius. Nullus eſt alius, quem ego viderim ex antiquis, qui ſanguinem mittat in propoſito affectu.

Ex neotericis ſolum Capiuaccium vidi loquentem de ſanguinis miſſione: & certè nos ſumus in cacochymia, cum corporis totius emaciatione, in qua non modò videtur non adeſſe indicans, ſed nec permittens, quare ſanguinis miſſio euitanda videtur, cum præcipuè phthiſis alios ſequatur morbos, vt empyema, vel alium ex prædictis.

Sed ſtatim interrogabitis, quomodo ſatisfaciendum ſit Auicennæ, & Meſuei? Dico, quod ipſi non ſimpliciter dicunt eſſe mittendum ſanguinem, ſed aliquando concedunt à principio virtute benè valente, atque indicante, præſente, nempe vel copia humorum cum ſanguine, aut nimium materia ad pulmones fluente, quæ vt reuellatur, inhibeaturq; ne in pulmones feratur, tunc conceditur ſanguinis miſſio.

Vnde eſt, quod Meſues ſcribit iterandam eſſe phlebotomiam, quia vt aliàs vobis demonſtraui, reuulſio magis eleganter fit ex repetita ſanguinis miſſione, vt quando vultis mittere ſanguinem ad vnc. vj. reuellendi cauſa, melius eſt, vt eas extrahatis tribus vicibus, quàm ſemel. Concludamus, quod ſan-

A guinis miſſio raro facienda eſt, quia raro contingit adeſſe ſanguinis mittendi indicans, & rariùs permittens.

Sed quoniam cauteria ſpectant potiùs ad chirurgiam, quàm ad localia medicamenta, ideo inquiſitione dignum eſt, an adminiſtrari debeant, & quibus in partibus.

Trallianus viſus eſt omittere cauteria, quæ tamen à Paulo Aegineta, &

B Auicenna probantur, ſed vt breuibus rem determinemus, dicimus nos in praxi eſſe quam maximè in vſu, vt materia reuellatur, ideo videndum eſt, quemadmodum aliàs vobis ſignificaui, quodnam ſit membrum demandans, id eſt, vel caput, vel vterus in muliere, aut aliqua alia pars ventris inferioris.

Rurſus conſiderare oportet, an vl-

C cus ſit ita magnum, vt nullam amplius poſſit recipere curationem, an verò paruum à principio, vbi ſperari poſſit aliquid boni. Si caput demandans ſit, ſimulque inſit aliqua ſalutis ſpes, vt materia retrahatur, inhibeaturque in pulmones ferri, adhibite ad ſynciput, aut ceruicis ſecundam vertebram cauterium ignito ferro.

Si verò ab vtero, aut alia parte hu-

D mores in pulmones ferantur, tunc faciete cauteria ad crura: at in vteri mala affectione mihi magis probantur cauteria adminiſtrata in fœmoris parte domeſtica, quia cum ramificationes venæ cauæ inſignes eò tendant, ab vtero fiet non ſpernenda reuulſio.

Hoc enim modo conſilium Pauli eſt intelligendum. Atqui ſi vlcus magnum fuerit, ita vt nullam ſperare liceat ſalu-

E tem, tunc eſt deſiſtendum à cauteriorum vſu, & hoc eſt, quod Alexander dicebat non eſſe miſerrimos ægrotantes à morbo afflictos cauterijs cruciandos; hæc de chirurgia.

*DE CVRATIONE PHTHISIS, ſeu tabis, per Pharmaciam.*

A

VEnio ad pharmaciam, quæ totum reſpicit, aut partem affectam; ſi totum, ideſt febrem, hæc quia eſt paſſio calida, & ſicca, indicat humectantia, & refrigerantia: ſi partem, pulmo exulceratus eſt, aut alia pars thoracis, ſed contrahamus noſtrum ſermonem ad vlcus pulmonum.

B

Vlcus indicat conſolidantia, atqui cùm in vlcere duo ſint perpetua excrementa, tenue vnum, quod ichor Galeno, & cæteris medicis dicitur, craſſum alterum, quod ſordes vocatur, opus eſt vti medicamentis, quæ abſtergere valeant, atque exiccare, vt abſterſione ſua ſordi ſatisfaciant, & exiccatione conſumere poſſint ichorem.

C

In hac inſtituenda curatione, mea quidem opinione, auſpicandum primò ab vlcere, eique maximè attendendum, tum quòd habeat cauſæ principalis rationem, tum quòd ſit cauſa ſine qua non poſſunt reliqua curari. Addatis, quod eſt magis vrgens; ſcitis enim, quod in complicatis morbis eſt attendendum magis vrgenti, altero tamen non neglecto, quamuis aliquando contingat ad vrgens omnia eſſe dirigenda alio prorſus neglecto.

D

Cum igitur vlcus in pulmone prædictas habeat conditiones, & ſit cauſa, vt homines ſæpiùs intereant, illi omnino incumbendum eſt, ſed quoniam vlcus cauſam habet fouentem, eam omninò eradicare oportet, hæc autem Galeno autore 4. meth. med. cap. 5. nihil aliud eſt, quàm humor vitioſus, ſeu cacochymia, vnde diſputans ibi aduerſus eos, qui exiſtimabant diuturnitatem vlcerum eſſe cauſam, quod ea non poſſint ſanari, dicebat diuturnitatem eſſe ſignum ſucci vitioſi, inuentionem autem eius, quod agendum eſt, non ex diuturnitate, ſed ex vitioſo ſucco eſſe accipiendam.

E

Addebat tria eſſe, quæ conſiderari debent, ſignum nempe, affectio, & curatio. Signum quidem eſt ipſa diuturnitas, affectus eſt ſucci vitium, curatio eſt eius euacuatio; quare curatio præſentis affectionis incipienda eſt ab euacuatione humoris peccantis.

Oportet igitur tunc rectè conſiderare, quænam ſpecies cacochymiæ adſit, an bilioſa, acris, & mordax; an verò pituita ſalſa, aut aduſta melancholia. Si adeſt bilioſa, tunc ſtatim ad purgans aliquod medicamentum eſt deuenien-dum, quod eam à capite, & vniuerſo corpore euacuare poſſit; tunc enim prohibebitur fluxus ad pulmones: potestis igitur accipere in exemplo.

Pro materia bilioſa pilulæ.

℞. pil. de tribus,
Cochiarum, ana drach. j.
Diagridij optimi, gr. v.
Cum aqua roſ. fiant, pilulæ numero ſeptem, & aurentur.

Potus.

℞. trium myrobal. vnc. ſſ.
Florum cord. pug. j.
Fol. ſcariolæ, manip. j.
Fiat decoctio ſecundum artem.
℞. huius decoct. vnc. iij. infunde
Rhabarbari, drach. ij.
Spicæ, gr. v.
Facta expreſſione diſſolue.
Syr. roſ. ſolut. vnc. vj.
Elect. roſ. Meſuæ, drach. ij. fiat potus.

Bolus.

℞. floris caſſiæ, vnc. j.
Elect. de ſucco roſ. vnc. ſſ. fiat bolus.

Pro materia pituitoſa pilulæ.

℞. pil. de hiera cum agarico,
Arabicarum,
Aurearum,
Cochiarum, ana drach. ſſ.
Cum aqua bettonicæ fiant pilulę numero ſeptem, & aurentur.

Potus.

℞. Fol. bettonicæ,
Saluiæ,

Fol.

Fol. hyſſopi, ana manip.ſſ.
Agarici, drach.ſſ.
Fiat decoctio ſecundùm artem.
℞. huius decocti, vnc iiij. infunde.
Rhabarbari.
Agarici, ana drach. j.
Salis gemmæ,
Spicæ, ana gr. v.
Facta expreſſione diſſolue,& fiat p.

Bolus.

℞. Diaphœnici, drach.vj.
Agarici trochiſc.
Rhabarb. ana drach.ſſ.
Cum ſaccharo, quantum ſufficit,fiat bolus.

Pro materia melancholica potus.

℞. Fol. fumariæ,
Meliſſæ,
Hyſſopi, ana manip.ſſ.
Flor. cordial. pug. j.
Myrobal. indorum, drach.ij.
Sem. aniſorum, drach. j.
Bulliant ſecundùm artem in ſufficienti quantitate aquæ, in qua infunde.
Fol. ſenæ orient. drach.ij.
Rhabr. in talleolas diuiſi, drach.ij.
Forti facta expreſſione, diſſolue
Syr. M. Auguſtini, vnc.v.
Conf. hamech. drach. iij. aut iiij.

Bolus.

℞. Diaſenæ lenitiui,
Diacatholici,
Conf. hamech. ana vnc.ſſ.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Pilulæ.

℞. pil. indarum,
Aggregatiu.
De fumaria, ana ſcrup.ij.
Lapidis lazuli, gr.v.
Fiat pilulæ numero vij.aut ix. aureantur.

Facta humoris peccantis vniuerſali euacuatione, duo agenda relinquuntur. Vnum eſt, vt humores, qui adhuc in corpore ſunt, temperentur, & nullo modo in pulmones poſſint ferri, & ſi in eos ferantur nullam læſionem

A facere queant. Si bilioſi ſint alterãtibus vtendum eſt bili proportionatis, vt alias, & ſæpè eſt repetitum: ſi pituitoſi, ac melanchonici, accipite ea, quæ poſſunt hos humores alterare.

Quibus ita peractis, ad ſecundum accedendum eſt, id eſt ad vlceris curationem; nam poſt humoris, qui habet cauſæ fouentis rationem, perfectam euacuationem, & temperiem, poterit,
B quando vlcus non eſt tam magnum, non obſtante pulmonum motu, aliquando conſolidari,& quamuis ad ipſius ablationem auferatur & febris, & macies, nihilominus egregij practicantes ad duo remedia intus ſuſcipienda refugiunt, ex quorum vſu intentum obtinere poſſe contendunt.

Vnum eſt ſyrupus de teſtudinibus, aliud eſt lac vel caprillum, aut aſini-
C num,curant vt ſingulo mane de illo ſyrupo offerantur ægrotanti vnc. iij. totidemq; aquæ hordeaceæ, fitque vſus per quadraginta dies, vel loco ſyrupi lac aſininum ſummè probant, & mihi certè maximè vtrumque arridet medicamentum, ſed magis probo vſum lactis.

Quamuis non improbarem vtriuſq; aſſumptionem eodem die, ideſt mane
D offerrem lac, veſperi verò ſyrupum cum hac obſeruatione, vt ante cibi ingeſtionem horæ quatuor intercederent, at inter cibum, & ſyrupum, ſeu lac eſſent octo horæ, ita vt dies naturalis in quatuor partes eſſet ad vnguem diuiſus.

Atqui ſi ægrotantes non poſſint vno die vtrumque perferre remediũm, lac vno die, altero verò ſyrupum conce-
E derem, ſed hæc iudicio medici curantis ſæpe ſunt limitanda.

Quamuis autem ab aliquibus lac muliebre, ac vaccinum tanquam omnium præſtantiſſimum emaciatis proponatur, intelligere debetis hoc eſſe nutritionis cauſa, quia re vera lac humanum, & vaccinum in ordine nutritio-

nis

nis primas partes obtinent.

Verùm in præſenti opus eſt ſatisfacere vtrique indicationi, nempe ei, quæ ab vlcere accipitur, & quæ à ſiccitate corporis naſcitur, quare lac illud, quod abſtergendi, agglutinandi, & refrigerandi facultate pollet, eſt aſininum, aut caprillum, magis tamen aſininum.

Meſues conſiderans vsũ lactis caprilli in hoc caſu, curabat ipſum acidum reddere, quod ita paratum miram habet facultatem extinguendi calorem præternaturalem, conſtringendi, & tandem conſolidandi. Vnde docet modum, quo poſſumus ad acetoſitatem ducere. Legatis ipſum lib. 2. de ægritudinibus pectoris, & pulmonis cap. de phthiſi.

Eſt tamen animaduertendum, quod vſus lactis habet ſuas exceptiones; nam ſi vel ægrotantes doleant capite, vel habeant hypochondria tenſa, flatulenta, aut murmurantia, vel inflammatione, vt eryſipelate, aut aliquo alio tumore affecta, inutilis prorſus eſt, quod pulchrè Hippocrates lib. 5. aph. 64. expreſſit.

Cæterùm adſunt alia ſymptomata, præter prædicta, quæ contraindicant, ne lac exhiberi poſſit, hoc eſt, quando ægri ſunt nauſeabundi, vel vehementi à capite catarrho laborant: ſed hæc com prehenſa ſunt ſub. aphoriſmo prædicto: febrientibus, & caput dolentibus lac dare malum, & quæ ſequuntur.

At quamuis lac valeat ad vlcus abſtergendum, non eſt tamen, vt deſiſtamus ab vſu eorum, quæ maiorem abſtergendi, & agglutinandi facultatem habent, quæ cum lacte ſunt exhibenda. Cum lacte etiam placet, vt mel exhibeatur, quia, vt dictum ſupra eſt, præter vim, quam habet abſterſoriam, eſt etiam in hoc caſu lactis vehiculum. Addatis, quod prohibet, ne in ventriculo coaguletur idem lac.

A Deinde ſaccharum ſimplex, vel candidum, aut violatum, aut etiam roſatum non improbarem ſub forma boli, quæ præcederet per quadrantem horæ aſſumptionem lactis, quemadmodum etiam iſtud eſt, quod

℞. boli armeniæ orientalis,
Terræ ſigillatæ, ana drach. ſſ.
Conſeruæ violarum, vnc. ſſ.

Deglutiat æger huiuſmodi bolum; B deinde ſuperbibat lac.

Vel

℞. mithridaticæ confect. drach. j.
Boli armeniæ, ſcrup. j.

Fiat bolus, vel loco mithridatij ſummopere mihi arridet theriaca, vt

℞. theriacæ, drach. j.
Sem. vrticæ,
Goſſipij,

C Succini ſubtiliter puluerizati, ana ſcrup. ſſ.

Fiat bolus, exhibeatur ægrotanti per ſpatium dimidiæ horæ ante lactis aſſumptionem.

Placet etiam athanaſia, & ambroſia, quæ ſolæ, vel etiam alijs admixtæ accipiantur, quia eandem habent cum prædictis facultatem adſtringendi, & valide exiccandi vlcus in pulmone, quibus, vt ſcitis, vſus eſt Galenus in cura- D tione mulieris illius Romanæ 5. meth. med. ſine vſu lactis.

Neque improbarem puluerem ex pulmone vulpis ſimul cum aliquo ex prædictis, vt

℞. pulueris Gali,
Pulmonis vulpis, ana drach. j.
Sacchari diſſoluti in aqua farfaræ, vnc. iij. fiat confectio in tabellis.

Vel

E ℞. ſpecierum diatragacanthi,
Pulu. Gali.
Terræ ſigillatæ, ana drach. j.
Sacchari diſſoluti in aqua capillor. veneris, fiat confectio.

Inter alia eſt mulſa, vel decoctum ex hyſſopo, caricis, iride, adiantho, quo decoctionis vſu vlcus abſtergitur, in

quo poſſumus addere ſyrupum de glycyrrhizà, de hyſſopo, de praſſio, vel de farfara, vt

℞. decoctionis prædictæ vnc iiij.
Syr. de hyſſopo,
De liquiritia, ana vnc. j. miſce.

Exhibeatis ſummo mane: his autem ſimilibus vlcus abſtergitur, & vbi aſterſum fuerit, ad prædicta exiccantia deueniendum eſt, aut ad alia, quæ eandem habeant facultatem. Inter alia ſunt

Loch de pulmone vulpis.
De pino,
De caulibus.

Vel ſic poteſtis medisamenta ad boli formam parare, vt

℞. loch de pulmone vulpis, drach. j.
Radicis ſymphiti, ſeu vt aiunt, conſolidæ maioris ſubtiliter puluerizatæ, ad ſcrup. ij.

Fiat bolus, & exhibeatur per horas quatuor ante cibum.

Vel ſic.

℞. pulu. conſolidæ, drach. j.
Conſer. ex capill. ven. vnc. ß.
Loch de pino, drach. ß.
Miſce, & fiat bolus.

Frequens etiam vſus terebinthinæ probatur; hæc ſunt medicamenta pro vlcere tum abſtergendo, tum exiccãdo, ac conſolidando, ad cuius ablationem ſperare licet, fore vt inde auferatur, & febricula, & macies, quæ niſi prædictis cedant remedijs, caſus iam deploratus eſt.

Verum eſt, quod nonnulli addunt localia quædam ad abſtergendum, & exiccandum, de quibus cap. de aſthmate, & peripneumonia egimus. Non deſunt apud authores infinita propemodum medicamenta, quæ eiuſdem ſunt generis, & per vos videre, & probare poteritis.

Volo hoc loco aliquos recenſere, qui tabidi confirmati, & à medicis pro mortuis habiti, leuibus tandem medicamentis valetudinem recuperarunt. Vnus inter alios à Franciſco de Taran-

A ta curatus fuit ſola aſſumptione pulueris illius famoſiſſimi Gali appellati, qui propter authoritatem compoſitoris, & inuentoris id nomen obtinuit. Is autem eo puluere vtebatur ſingulo mane ad drach. ij. cum ſyrup. de liquiritia, & ſaccharo, ex quo fuit phthiſicus tabe quaſi conſumptus ab hoc morbo liberatus. Legatis librum, quem Philonium appellant, cuius author eſt B Franciſcus Velaſca lib. 5. cap. 11. de puluere Gali.

℞. cap. pap. albi, drahc. x.
Gummi arabici,
Amyli,
Tragacanthi, ana drach. iij.
Sem. portulacæ,
Maluæ, ana drach. vij.
Roſ. rubr.
Succi liquiritiæ, ana drach. iij.

C Penidiarum ad pondus omnium, fiat puluis ſubtiliſſimus. Doſis ſit à drach. j. ad drach. ij.

Meſues lib. 2. cap. de phthiſi inter alia medicamenta adeo celebrat ſaccharum roſatum vnius anni, vt ipſius virtutem admirabilem in hoc caſu ad cælos vſque extollat, ex cuius frequenti, & continuo vſu plures ſanitati reſtituti fuerunt.

D Sed legatis Auicennam fen. 10. lib. 3. tract. 3. cap. 3. vbi videbitis mulierem tabidam deploratam, & maraſmatam, quæ ex longo ſacchari roſati vſu, fuit non ſolùm perfectè curata, ſed etiam egregiè impinguata.

Refert doctiſſimus Montanus in quodam ſuo conſilio ſe phthiſicum, qui ſingula die expuebat duas ſcutulas puris, perfectiſſimè liberaſſe à morbo ſolo E ſaccharo roſato, cuius tantam copiam comedebat, vt quaſi ſolo ſaccharo victitaret.

Franciſcus Valleriola lib. 5. ſuarum obſeruationum ſcribit ſe ſolo vſu ſacchari roſati plures phthiſicos liberaſſe. Cæterùm à neotericis proponitur tamquam ſecretum quoddam ſyrup. de

hedera

hedera terreſtri, quem huncin modum componunt.

℞. ſucci, aut aquæ hederæ terr. lib. ſſ.
Sacchari optimi, vnc. iiij.

Decoquantur ad ſpiſſitudinem ſyrupi. Doſis ſit, drach. iij. cui præcedat, vnc. j. ſacchari roſati annum non excedentis:& hæc de medicamentis.

*DE CVRATIONE PHTHISIS, ſeu tabis per victus rationem.*

B Veniamus ad victus rationem, quę eadem ferè eſt, ac illa, quæ febribus hecticis competit. Sunt tamen quædam particularia notatu digna. Nam Auenzoar lib. 1. theiſir tractatu 11. cap. 2. ſcribit proauum ſuum frequenti vſu panis benè fermentati, cum oleo oliuarum tabidos egregiè curaſſe.

C Benedictus Victorius pulcherrimum ferculum proponit mane, & veſperi ægrotanti concedendum, ex cuius vſu plures ſanaſſe ſcribit: componitur autem hunc in modum.

℞. carnis teſtudinis nemoralis lib. ij. coquantur in aqua vngulæ caballinæ deinde optimè contundantur, & diſſoluantur in iure pulli, cui adde

Lactis amygdalarum dulcium.
Emulſionis ſeminum melonis.
Fiſticorum, ana vnc. ij.

D Farinę amyli, vnc. ſſ. omnia ad ignem agitentur, quouſque perfectè cocta fuerint; demum addatur ſacchari candidi albi, vnc. ij. patienti, vt ferculum in prandio, & in cœna exhibeatur, ad lib. ſſ.

E Aliud propono vobis, quod eſt admirabilis operationis.

℞. limacum nemoralium, mundatorum ab omnibus mucaginibus, lib. j.
Herbæ vngulæ caballinæ benè trituratæ, vnc. ij.
Lactis vaccini, à quo nondum ſit extractum butyrum, l b. ij.

Bulliant omnia vſque ad perfectam

A limacum coctionem, deinde addatur optimum ſaccharum, & iſtud condimentum offeratur ægrotanti ad libitum ad comedendum mane, aut veſperi ad cœnam.

Caro cancrorum fluuiatilium ſummè valet, & magis ſi cum lacte decoquatur ad hunc modum.

℞. caudarum cancrorum fluuiatilium, lib. j.
Lactis vaccini, vel ouini, lib. iiij.

Bulliant vſque ad conſumptionem medietatis lactis, deinde caudæ optimè contundantur, & cum optimo lacte diſſoluantur, cui adde

Farinæ hordei,
Amyli, ana pug. j.
Lactis amygdalarum dulcium, vnc. iiij.
Vitelli oui recentis, num. j.
Sacchari albiſſimi, vnc. iiij.

Miſce, & propè ignem maneant vſq; ad veram coctionem, deinde mane, & veſperi pro cibo ægrotanti offerantur. Eſt & aliud reſtauratiuum à me cum fælici ſucceſſu probatum, vt

℞. pulpæ pectoris caponis, lib. ſſ.
Amygd. dul. mund.
Piſtaciorum,
Nucleorum pini infuſorum in aqua roſ. ana vnc. ij.
Pulpæ paſſul. corinth. in vino calido infuſarum, vnc. ij.
Conſ. ſaluiæ,
Borraginis,
Bugloſſæ, ana vnc. j.
Specierum diamarg. frigid.
Lætificantis,
Diarhodonis abbatis,
Diapliris arcotici, ana drach. j.
Quatuor ſem. frig. ma. ana vnc. ſſ.
Sacchari candidi, vnc. j. ſſ.
Sacch. albi opt. lib. j. ſſ.

Reformentur morſelli, & aurentur ſecundùm artem.

Aliud.

℞. pulpæ caponis,
Pect. perdicis, ana vnc. ſſ.

Nucleorum pini,
Piſtaciorum in vino madidorum,
quod generoſum ſit, ana drach. ij.
Amygd. dulc. vnc. j.
Cinnamomi, A
Caryophyllorum,
Nucis muſcatæ, ana drach. j. ſſ.
Sacchari quantum ſufficit, fiant mor ſelli: doſis ſit ad vnc. j. aut. ij. Reliqua habetis in tractatu de febribus hecticis.

# DE PALPITATIONE CORDIS.

## CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

EXactis pulmonum, & capacitatis thoracis morbis, ſuccedit affectuum nobiliſſimi omnium, ac præſtantiſſimi viſceris diſceptatio, cuius cum duo affectus præter naturam cordis à Raſi, & omnibus authoribus enarrentur, nempe palpitatio, & ſyncope, primùm de palpitatione, deinde de ſyncope ſermonem habebimus.

Hoc nomen palpitatio Græcè παλμοὶ vocatur, & παλμὸς καρδίας, ſed vt rem perfectè intelligamus, ſcire eſt opus antiquos nomine cordis appellaſſe etiam os ſuperius ventriculi, quemadmodum Galenus docet 4. aph. 65. Hinc eſt, quod quædam morborum nomina ad D cor ſpectare videntur, cum tamen ad os ſuperius ventriculi pertineāt, quemadmodum eſt καρδιακὴ, καρδιαλγία, καρδιωγμὸς, de quibus ſuo loco.

Sed παλμὸς eſt affectio adſcripta cordi, quam palpitationem noſtrates vocant, de cuius quidem eſſentia agendum eſt, vt poſtea videre poſſimus, an ſit cordis affectio propria. Hanc affectionem nonnulli, & præcipuè Auicen- E nas, & Arabum ſectatores appellarunt tremorem cordis.

Duplicem reperio apud Galenum præſentis affectionis definitionem; vna eſt lib. 2. de cauſis ſympt. cap. 2. quod palpitatio ſit dilatatio præter naturam in parte aliqua corporis. Secunda eſt lib. de conuulſ. tremore, palpit. & frigore cap. 4. quod palpitatio ſit quædam diſtenſio, & ſubſidentia præter naturam.

Ex vtraque definitione facilè vnuſquiſque veſtrum cognoſcere poteſt partes, quæ patiuntur palpitationem, idoneas eſſe debere ad dilationem, aliò- C quin non poſſent dilatari; nec tamen manent ſemper in eadem dilatatione præter naturam, ſed ſtatim ſubſident; vt 4. cap. lib. de rigore ſcriptum eſt; quapropter erit dilatatio, & ſubſidentia partis alicuius præter naturam continua.

Sunt autem partes hæ, Gal. authore præcitato loco, ea quæ in ſe cauitatem habent, aut mollia ſunt, adeò vt in ipſis ſinus aliquis fieri poſſit. In primo cenſu cor adeſt, quod duplicem habet cauitatem (relinquo modò diſceptandum, an arteriæ, aut venæ palpitare poſſint nec ne, quod habeant cauitatem) & duplici cauitatis cauſa palpitare poteſt.

In ſecundo autem ordine ſunt partes molles, vt cutis, & muſculi, intra quas poteſt occludi materia. Hæ omnes palpitare poſſunt, quemadmodum eſt ventriculus, veſica, vterus, inteſtina, ſeptum tranſuerſum, vt Galenus ait 2. de cauſis ſymptomatum cap. 2. Addit idem arterias, & cor palpitationem pati, quæ ſit motus ab eorum pulſatione diuerſus.

DE CAVSIS PALPITATIONIS cordis.

CAuſa palpitationis, eodem Gal. docẽte precitatis locis eſt craſſus & vaporoſus ſpiritus, cui non ſit tranſitus, quẽ colligi oportet in cauitate non admodum exigua, vt diſtenſio ſenſibilis fiat, ex quibus luce clarius apparet non rectè palpitationem ab Arabibus fuiſſe appellatam tremorem.

Nam etſi conueniat cum tremore ratione vitioſæ motionis; nam ambo ſunt vitioſi motus; differunt tamen inter ſe eſſentia, partis motæ, & cauſæ ratione. Eſſentia quidem, quia motus tremulus eſt pugna inter membrum, & virtutem mouentem, vt aliàs demonſtraui; palpitatio eſt motus factus à flatulenta, aut vaporoſa materia exitum quærente: partis motæ ratione, quia in tremore mouentur partes deſtinatæ motui voluntario, quemadmodum ſunt manus, caput, brachia, crura, & id genus.

Vnde Galenus 4. cap. lib. de rigore, tremore, & palpitatione dicebat, motiones, quæ trementibus membris eueniunt totius membri ſunt motus, quod interim deorſum quidem vergit, rurſus autem ad ſuperiora fertur; ſed membrum, quod in palpitatione mouetur, dilatatur, atque ſtatim ſubſidet; at idem certè non eſt, neque dilatari cum eo, quod ſurſum ferri, neq; contrahi cum eo, quod eſt deorſum vergere.

Nam quæ ſurſum; & deorſum feruntur, priori relicto loco, in alium tranſeunt, quę autem dilatantur, & contrahuntur veterem ſedem conſeruantia, partim ambientem regionem occupant, partim relinquunt, ita vt proprium trementium partium ſit per motum mutare locum non ſecundùm ſui totum, ſed ſecundùm aliquam partem, nempe illa, quę mouetur, mutat locum, dum eleuatur.

Succedit, quòd tremulus motus, etſi inuoluntarius ſit, non tamen ſit ſine voluntate: quia dum membrum, quod motu tremulo agitatur, quietum eſt, nunquam tremit; at quando quis à loco, vbi quieſcit, vult ipſum remouere, ſtatim ſit tremulus motus; quare non eſt ſine voluntate, at motus palpitationis ſit abſque vlla voluntate, nobis inuitis.

Sed dicet ingenioſus, quiſpiam, quando muſculus vnus, aut plures, qui motui alicuius membri ſunt præfecti, palpitant, ducunt ſecum totum membrum, tunc procul dubio membrum mutat locum, vel igitur dicendum eſt, in palpitatione partes mutare locum, aut quod motus tremulus fiat abſque voluntatis opera, quod eſt contra determinata.

Huic obiectioni Galenus reſpondet lib. de palpit. & rigore, cap. 4. dicens aliud eſſe conſiderare muſculum palpitantem, & aliud membrum motum à muſculo: dum muſculus palpitat, mouetur motu elationis, ſeu extenſionis, & conciſionis, quia eleuatur, & concidit, qui dum eleuatur, attollit membrum, dum concidit, relinquit ipſum deorſum cadere.

Et quemadmodum motus muſculi eſt motus palpitationis, ita è contra, motus membri non eſt motus tremulus, ſed eſt motus præter naturam ipſius membri ſequentis, violentia motum muſculi perperam affecti, cuius termini extremi ſenſibiles ſunt, hoc eſt, proprias habent circumſcriptiones.

At in tremulo motu res non ita eſt; nam vno motu incipiente, contrarium ipſi coniungi deprehendes, ita vt ad ſuperiora latio motum deorſum excipiat, hanc autem lationem ſurſum motus, qui deorſum tendit, impedit, ita vt vterque motus ſit imperfectus, & ab altero impeditus.

Nam grauitas deorſum, natura, ſeu facultas ſurſum efferre membrum tentat, ita vt nullus tãgat perfectè ſenſibiliter

liter vtriuſque motus terminos. 2. de cauſis ſympt. cap. 2. Galenus ſcribit membrum, quod à muſculo mouetur, non extendit, neque flectit, quod nominatione digna ſit flexio, aut directio ipſius.

Concutitur autem quodammodo huc, atque illuc, quoad muſculus palpitare ceſſet ad eum ſanè modum motu facto, quo in tremore, in hoc ſolùm differente, quod fiat per magna interualla, tremor verò per exigua. Vnde videtis motum palpitationis non ſolùm differre ratione ſubiecti, ſed modi motus ipſius.

Ceterùm differunt ab inuicem in relatione ad cauſam efficientem; nam palpitationis cauſa eſt aliquod, quod exitum quærit intus incluſum, vel eſt facultas naturalis, qualis in arterijs reperitur: non eſt dicendum eſſe facultatem, quia ſemper, & eodem mouetur modo, ergo ſequitur, quod ſit (vt inquit Galenus loco citato) vel ſuccus, aut aerea quædam ſubſtantia.

At quod ſit ſuccus, repugnat palpitationis generationi, motus aut ſolutionis celeritas; nam illicò fit, & ſtatim deſinit, in qua celeritate, nec ſuccus generari, aut diſſolui poteſt, ergo ſequitur, quod ſit aerea quædam ſubſtantia, quæ vel tenuis ſit, vel craſſa, & halituoſa: non eſt tenuis, quia ſtatim diſſiparetur, neque perduraret, ergo ſequitur, quod ſit craſſa, & halituoſa, & in tali notabili qualitate in eo loco, in quo eſt collecta, vt partem inflet, attollatque quouſque fuerit truſa, atque extra pulſa.

Quidue ſimile contingit, vt euenit in bullis, in quibus ſucci colliguntur, qui agitati à bullis protrunduntur; in hoc tamen differunt, quod bullæ rumpuntur; at cutis, & partes illæ, in quibus eſt ſubtus collecta materia, quæ attollitur, atque inflatur, vbi reſoluta eſt halituoſa illa materia, tùnc concidit.

A Cauſa verò tremoris eſt naturæ languiditas à grauitate membri debilitata; nam membri grauitas deorſum tendit, natura cadere non permittit, quare cauſa efficiens tremoris eſt pugna inter membrum, & naturam. Ex his igitur omnibus luce clarius conſtat palpitationem non eſſe motum tremulum: hæc de tremore.

B Nunc veniendum eſt ad cordis palpitationem, de qua inquiremus, quid illa ſit, ad cuius rei claram euidentiam, ſcitu dignum eſt cor conſiderari dupliciter, vel vt eſt inſtrumentum, vel vt eſt pars ſimilaris.

Si primo modo, tunc ipſius actio eſt dilatatio, atque conſtrictio, quæ pulſatio appellatur. Si ſecundo modo eſt tranſmutatio ſanguinis, & aeris in naturam ſpiritus vitalis.

C Cùm igitur verſemur circa cordis palpitationem, quam ſcimus referendam eſſe ad ſymptoma, vel erit actionis ipſius vt ſimilare, vel vt organicum membrum, non primo modo, quia intemperies eſt morbus proprius partis ſimilaris, erit igitur actio læſa cordis, vt eſt membrum organicum, quod continuò mouetur motu diaſtoles, & ſiſtoles.

D Verùm omnis actio tripliciter lædi contingit, vel ablatè, aut diminutè, vel vitioſè, palpitatio non eſt motus abolitus, quia motus abolitio eſt ſyncope, ſaltem vt monet rectè Capiuaccius, diminutus autem eſt lypothimia, vt ſuo loco videbimus, ergo ſequitur, quod ſit deprauatus motus cordis, quia mouetur alio modo, quàm deberet.

E Sed audio quendam dicentem, ſiue motus palpitans cordis verus ſit palpitatiuus, ſiue ſimilitudine quadam, videmus ipſum eſſe tardum, & rarum, vt ex Galeno colligere licet lib. citato cap. 4. quod ſupra dictum eſt, quando comparauimus motum tremoris cum motu palpitatiuo, ideo videtur potiùs ad diminutum, quàm ad deprauatum motum

tum, pertinere.

Obiectioni huic ſatisfaciemus pri-mò, quia Galenus in vniuerſum comparat motum palpitationum cum motu tremoris, ideo dicit ipſum adeo tremulum, ac frequentem eſſe, vt vix agnoſci queant eius termini.

Palpitatiui autem motus termini ſenſu ipſo deprehenduntur; ideo rarior quidem eſt, tardiorque, atqui ſi comparetur motus ille palpitatiuus cordis cum motu diaſtoles, & ſiſtoles, eſt longè frequentior, & velocior, quare magis ad motus deprauationem, quàm ad diminutum motum accedere exiſtimamus.

Rurſus Galenus 2. cap. de cauſis ſymptomatum 2. loquens de hoc motu cordis palpitatiuo dicebat eum eſſe diuerſum à motu dilatationis, & conſtrictionis ipſius cordis, & arteriarum, nempe alium eſſe hunc motum à motu cordis, ſi igitur eſt alius, ſequitur, quod eodem tempore ſint duo motus cordis, palpitatiuus videlicet, atque pulſatiuus.

Vnde non videtur dicendum hunc motum eſſe deprauatum, quemadmodum dicimus conuulſionem eſſe motum muſculorum deprauatum, quia idem eſt motus conuulſiuus, & voluntarius, quoad modum, quia in omni conuulſione, atque in motu voluntario muſculus contrahitur ad ſuum principium ſecum ducens membrum illud, cui eſt inſertus.

Eſt autem deprauatus, quia fit à cauſa præter naturam mouente priùs voluntatem, ita vt nihil ſit aliud, quàm motus muſculi contractiuus inuoluntarius; vnde cauſæ efficientis reſpectu dicitur deprauatus. Motus autem palpitatiuus cordis eſt alius, vt ait Galenus à pulſatiuo, quia cor non mouetur diaſtoles, & ſiſtoles motu; quare vix videtur poſſe dici motus deprauatus.

Sunt, qui exiſtiment dicendum eſſe

A cor nimium, quàm par ſit, dilatari, & ratione dilatationis huius dici motum deprauatum, dicuntque duplicem eſſe motum palpitatiuum.

Vnus eſt, quando cor mouetur, ſeu dilatatur ad modum vtris; nam dilatatur, quia repletur, conſtringitur quia euacuatur, quemadmodum faciunt vtres, vbi replentur vel olio, vel vino, aut aliqua ſimili materia, & huiuſmodi

B motus eſt à toto genere præter naturam.

Alter verò eſt, qui inſtar follium repletur, nempe quando dilatatur, trahit ad ſe materiam, non ſecus atque faciant folles, dum dilatantur, quia aerem trahunt: & hæc eſt præter naturam quidem, ſed non à toto genere.

In hac vtraque attractione dilatatur nimis cor, quàm par ſit, hinc eſt, inquit

C Altimarus, quod motus cordis ſit tardus, atque rarus, & quamuis pulſus cordis, & motus palpitatiuus inter ſe diuerſi ſint, eò quòd pulſus ſiat à facultate cordis, palpitatio verò à cauſa præter naturam; euenit tamen hunc ſieri à morbiſica materia, (ſiue flatus, aut halituoſa materia fuerit) intus cordis cauitates contenta, exitumque quærente, ac virtutem cordis expultricem

D proritante, ita vt vel tardè nimis, aut velociùs, quàm par ſit, moueatur.

In qua quidem expulſione contingit alium motum ſieri à pulſatione, quæ cum ſiat ab eodem corde, neceſſarium eſt, vt pulſatiuus motus deprauetur, ſaltem quia impeditur ipſius rhythmus, & ordo à materia illa exitum quærente, & à cordis virtute expultrice protruſa, atque inordinatè ſeſe hinc in-

E deagitante.

Non ſecus obſeruamus in cute, quando flatus ſubtus eſt contentus, dum cutem agitat, ac motu concutit, ſi ipſa cutis eſſet in continuo motu, quemadmodum eſt cor, tunc lædere-tur motus ipſius ordinarius, non ſecus contingit in palpitatione cordis.

Erit

Erit igitur palpitatio cordis ſympto-ma in genere motus cordis deprauati, qui motus aliquando tardus eſt, aliquando velox, & frequens, adeo vt tremere cor videatur, vnde Arabes ſimilitudine quadam tremorem cordis appellarunt, & idem Galenus 4. aph. 65. dicebat in corde euenire quandam indiſpoſitionem, in qua cor mouetur motu ſimili palpitationis.

Sæpe verò adeo vehementer mouetur, vt thoracem non modò concutiat, verum (vt inquit Galenus) ipſum rumpat, & coſtas afficiat; hinc Arabes ſaltum vocarunt, quare & ſua capita inſcribunt de palpitatione, tremore cordis, & ſaltu.

Hæc quidem affectio tribus modis conſiderari poteſt, vel vt eſt motus prauus, & tunc eſt ſymptoma virtutis naturalis motricis: vel vt habet naturam rei contriſtantis, & dicitur rationem habere ſymptomatis virtutis ſenſitiuæ. Vel conſideratur, vt diſpoſitio, qua motu præternaturali cor mouetur, & tunc erit, vel ægritudo, aut ſaltem ægritudinis cauſa.

Præterea hæc cordis affectio præter naturam multas patitur diuiſiones; nam vel eſt continua, aut intermittens, vel periodica, vel abſque ordine repetens, vel eſt recens, aut antiqua, vel eſt ſenſibilis ſolùm ab infirmo, vel etiam à me dico manum thoraci adhibente, aut pulſui ad carpum; aliquando etiam percipitur ſonus quidam, quemadmodum ſi cor nataret in aqua.

In huiuſmodi palpitationis differentia, quæ à Galeno cum ſonitu vocatur, animaduertit Foreſtus 7. lib. obſ. 1. ad ſcholion in vulnerato quodam ad ſcapulam ſiniſtram vulnere intus thoracem penetrante, ſe obſeruaſſe palpitationem, in qua cor tantùm ſtrepitum faciebat, vt non modò ab illis, qui erant in eodem cubiculo perciperetur, ſed etiam ab ijs, qui extra domum tranſibant, ſi præcipuè oſtio aures admouiſ-

A ſent, quod à nullo alio animaduerſum eſt.

Legitur etiam apud Fernelium cap. de palpitatione, quādoq; ſe animaduertiſſe hunc affectum vicinas coſtas thoracis effregiſſe, ſæpeque eas, quæ ſupra mammam ſunt, de propria ſede depuliſſe; ſæpè etiam arterias dilataſſe, vt in aneuriſmate; quam palpitationis ſpeciem Galenus appellauit palpitationem

B cum ſigno.

Verùm non eſt hæc ſpecies palpitationis, quam Galenus vocauit cum ſigno. ſed illa, in qua cor mouetur in ſua capſula, vbi multa aqua continetur ea ratione, quemadmodum ſi lapillus proijceretur in aquam. Cæterum alia palpitatio eſt ſine febre, alia cum febre. Tandem vna eſt per eſſentiam, alia verò

C fit per conſenſum.

## DE CAVSIS PALPITATIONIS cordis.

Veniamus ad cauſas, in quibus quidem recenſendis nonnulla etiam de modo, quo fit, adducere poterimus. Cauſa immediata, & proxima eſt talis, qualis in vera palpitatione, acris nempe, craſſus, nebuloſus, &

D flatulentus humor, ſeu (vt melius dicam) ſpiritus in cauitate cordis exiſtens, & exitum quærens.

Quæ materia ſi perſpirare nequeat, ipſum cor dilatare facit, atque inflare, vbi autem foras extruſa fuerit, tunc cor concidit, dum autem natura id, quod collectum eſt, grauanſque, ad expellendum ſe accingit, maiori impetu aggreditur; ſi nihil primò profecit, tunc

E in illa expulſione, quam facit, ſequitur motus inordinatus, velox, creber, & veluti tremulus, aut ſaltans.

Quare immediata cauſa eſt materia, quæ hunc in modum mouetur. Hic autem flatus ſuas cauſas & ipſe habet, quæ poſſunt ipſum cumulare, vt temperamenta frigida, regiones, ætates,

anni

anni tempora, vita otioſa, temulentiæ, cibi frigidi, & flatulenti, & id genus.

Dum autem hoc motu præter naturam mouetur cor, vel in capſula eius copia aquæ eſt collecta, vel non ſi primo modo, vocatur palpitatio cum ſigno, quia cor in aqua mouetur ſtrepitum faciens, qui humor motum impedit, quo minus cor attolli poſſit.

Vnde Galenus dicebat mirum eſſe non debere, ſi tanta copia humoris aquæ colligatur in pericardio, ita vt vix cor moueri queat, quando igitur cumulata eſt inſignis aquæ quantitas in pericardio, intuſq; copia flatulentæ materiæ, vel alicuius alterius humoris contenti, vt cor dilatet, tunc efficitur illa fortè omnium peſſima palpitatio, quæ eo loci cum ſigno manifeſto à Galeno appellatur.

Sed curioſiùs nimium quàm par ſit, & res præſens exigit, inquirunt non nulli, an re vera aqua contineatur ſemper in corde? quidquid dicant de aqua hac, quod humectet cor, ne in motu exiccetur, ſed ſimul cum humectatione refrigeretur.

Si vultis me verum fateri, Galenus lib. 6. de part. vſu, videtur contrariam habuiſſe ſententiam; nam dicebat pericardium factum eſſe tantæ capacitatis, vt cor poſſit liberè dilatari, quod ſi concedimus tanquam verum, vbi aqua continetur, ibi impedimento potiùs eſſet dilatationi cordis.

Huic addo, quod ſi cor hanc aquam continere deberet ad ſui refrigerationem, aut humectationem, vt aiunt, in omni corde adeſſet huiuſmodi aqua; eſſet enim prædicatio de omni, & ſecundum quod ipſum; nam vbi adeſſet cor, ibi aqua, alioquin non ſpectat ad cordis conſtitutionem, vt cor eſt.

Nec poteſt dici, quod ſit aqua neceſſaria in tali animali, vt pote in homine, quia Galenus ſupra ſcribit pericardium eſſe tantæ capacitatis, vt motui dilatationis cordis ſatisfacere poſſit.

A

Succedit, quod ea, quæ à natura facta ſunt, vt moueantur perpetuò, non egent alterius adminiculo; nam motus cordis perpetuus eſt non egens illa aqua excrementitia ad ſui ſuffragium.

Addatur, quod cor ex illo motu perpetuo, & ſuo maximo calore aquam ita calefaceret, vt inde calefacta maiorem excitaret caliditatem, quare concludendum videtur aquam hanc non eſſe neceſſariam.

B

Columbus lib. 15. ſuæ Anatomes ſcribit ſe quendam obſeruaſſe, qui ſine cordis inuolucro diu vixerat; ſed dicetis, quomodo igitur Galenus 5. de locis affectis cap. 2. ſcribit tantam aquæ ipſius copiam in pericardio cumulari, vt inde fiat palpitatio prædicta?

C

Vt dicam, quod ſentio, arbitror aquam contineri in viuis hominibus in pericardio, illis præcipuè, qui in rebus non naturalibus delinquunt, & compotationibus, & vini potui copioſè indulgent, quique malè affecto ſunt thorace, in quibus fiunt palpitationes prædictæ.

At in his, qui boni ſunt habitus, rectamque victus rationem non negligunt, nullam, aut pauciſſimam aquam in pericardio contineri putamus. Multis ab hinc annis memini me poſt mortem ſecuiſſe cadauer matris cuiuſdam Senatoris, in cuius corde nulla fuit inuenta copia aquæ, capſulaque cordis exiccata tota apparebat, neq; id fuit ratione morbi, quia diu ſana vixit ad octuaginta, vſq; annos, breuique tempore à febre interempta eſt.

D

Sed quoniam ſupra dictum eſt cor in palpitatione repleri, non ſecus atque faciant vtres, nec non follium in modum, Capiuaccius ſcribit priorem eſſe veram palpitationem, alteram verò minimè, ſed eſſe motum ſimilem palpitationi.

E

Proinde cenſet ad faciendam primam ſpeciem non eſſe opus attractrice,

ce, hoc eſt nihil attrahi ad cor, ſed ſolummodo ipſum dilatari à materia extranea replente, indeque ſequi motum dilatationis: in illa verò, quam ipſe appellat non veram, quia cor dilatatur nimis, hinc ſua nimia dilatatione attrahit ad ſe materiam.

Ita vt in priori attractrix cordis nullam habeat læſionem; in ſecunda eſt attractio cordis læſa, atqui ex priori in vtraque afficitur, quia cum cor ſecundùm vnam, vel vtramque cauitatem à materia quæcumque illa ſit, fuerit læſa, inſurgit ad expellendum, quidquid lædit.

In hac Capiuaccij doctrina adeſt veritas quidem; ſed ex parte eſt deceptio: veritas eſt, quod cor repleri poteſt extranea, materia abſque quod ea attrahatur, quando ſcilicet intemperatum eſt ad frigiditatem, debileque factum, facilè à partibus recipit, quod quidem contingit in hypochondriaca paſſione, à qua eleuantur flatus, & halitus in ventriculis cordis palpitationem hanc facientes.

Succedit, quod nimia copia ſanguinis, vel laudabilis, aut corrupti poteſt cor palpitare, dum in corde colligitur nulla facta ab ipſo attractione; poteſt tandem varia materia colligi in ventriculis cordis quemadmodum ſunt lapis, vermis, & huiuſmodi.

Cæterum cor, quando vergit ad caliditem, tunc nimia caliditate tantum trahit ſanguinem, vt fiat palpitatio, de qua Galenus loquutus eſt, 5. de locis affectis cap. 2. quam ſæpè de repente euenire conſpicimus in ſanis, & iuuenibus, cuius ſingulare remedium eſt ſanguinis miſſio.

Exiſtimarem etiam poſſe fieri hanc palpitationem à materia torrida bilioſa, aliàs euacuari ſolita, ad arterias corpis effuſa, inde ad cor attracta; quare ambæ iſtæ palpitationes veræ ſunt, ſed vna ab intemperie cordis frigida, alia fit à calida, & in vtraque virtus expultrix aliquo modo eſt læſa, quia conatur expellere, quod aggrauat.

Atqui deceptus eſt quam maximè Capiuaccius dum palpitationem illam, in qua attractiua læſa eſt, dicit eam eſſe, quam Galenus 4. aph. 65. propoſuit, quandoquidem eum non palpitationem, ſed motum ſimilem palpitationi eſſe dixit crebrum, ac velocem valdè, qui facultatem vitalem maximo incendio laborare facit.

Dicamus igitur duplicem eſſe palpitationem per eſſentiam, vnam, in qua materia eſt in ventriculis cordis; aliam in qua exiſtit in pericardio. Prior adhuc eſt in duplici differentia, alia quæ fit ab intemperie frigida cordis, alia à calida.

Secunda verò ea eſt, quæ fit à materia contenta in pericardio, quæ etiam multiplex eſſe poteſt, prout cauſa eſt diuerſa; nam vel eſt aqua, in qua cor percipitur moueri cum aliquo ſtrepitu, vt ſi quis lapillum in aquam proijceret, vt pulchrè ait Chriſtophorus à Veiga; vel tumor aliquis durus in prædicta cordis capſula exiſtens, vel humor quidam veluti mucoſus, qualis in puſtulis illis, quas hydatidas appellant, continetur, & de huiuſmodi palpitationibus Galenus loquutus eſt 5. de locis affectis cap. 2.

Sed vt concludam, palpitationis cauſa alia eſt interna, alia externa; interna cauſa eſt intemperies tum frigida, tum calida cum materia, vt audiuiſtis, quam uis aliqui velint etiam ſine materia, ex qua cor infirmum, & imbecillum redditur, altera verò interna eſt diuerſa illa materia contenta in pericardio.

Externæ verò ſunt, vt ait Auicennas, ſolutio continui, morſus ferarum, aer peſtilens, veneni alicuius potio, eſus fungorum, tandem animi affectiones, vt eſt inter alias ſpes magna, aut timor vehemens, & huiuſmodi, ſed iam videamus ſigna.

## DE SIGNIS PALPITATIONIS cordis.

SIgna affectionis huius deſumuntur, primùm ab ore ægrotantis, ab actione pulſificæ læſa, & à ſymptomatibus, at cauſæ indagandæ ſunt, ſi externæ fuerint, ab ipſo ægrotante, ſi internæ, rationali quadam coniectura.

In primis igitur ægrotus conqueritur, quod ſentiat motum cordis diuerſum ab ordinato, & conſueto ſuo motu, aliquando conqueritur de difficultate quadam reſpirandi, ac ſi maximam reſpirandi neceſſitatem habeat, quemadmodum ſi ſuffocaretur; medicus etiam admouens manum ipſi thoraci, atque carpo percipit pulſum frequentem, & inordinatum admodum, aliquando etiam celerem.

Nonnunquam obſeruatum à Galeno eſt motum hunc cordis adeo violentum fuiſſe, vt coſtas à ſua ſede depuleriт, aliquando etiam adnotauit maximum tumorem in arterijs iugularibus, quem aneuriſma vocant: ſed huiuſmodi ſigna ſunt deploratæ palpitationis: in aliquibus palpitationibus non rarò veſtes circa thoracem, & collum moueri videntur ad motum cordis, & arteriarum.

Cauſæ ad hunc modum inueſtigantur, ſi fuerit flatulenta materia, tunc acceſſiones citò veniunt, & vt inquit Galenus, citò reſoluuntur, idque ab his, quæ nocent, & iuuant cognoſci poterit; nam ſi flatum diſcutientia iuuant, ſignum eſt adeſſe flatum, quod etiam ab ætate, anni tempore, anteacta vita non difficili negotio conijcere poteris. Addatis, quod ſæpè genæ tumore afficiuntur, adeſtque oculorum obtenebratio, & ſibilus aurium.

Intemperies autem calida cognoſcitur à pulſus frequentia, & celeritate, deinde à reſpiratione, quia cupiunt magnam facere reſpirationem, delectantur etiam aere frigido; è contra vix perferre poſſunt caliditatem aeris; quaſi ab ipſo attracto ſuffocari videantur.

Succedit, quod per exufflationē aerem calidum expirant. Deinde diſcurrendum eſt per capita vniuerſalia, vt inde coniecturam veriorem elicere poſſitis, nempe per corporis habitum, ætatem, regionem, exercitium, præterita vitam, & huiuſmodi.

Intemperies frigida, quam vera palpitatio ſequi conſueuit, ab ipſo pulſu cognoſcitur, qui rarus, & tardus eſt, neque in hac tanta neceſſitas reſpirandi adeſt, vnde ægrotantes aliqui, licet ſuffocari metuant, tamen magis gaudent aere calido, nullam ſitim habent, neq; admodum iraſcuntur, reſpiratio tarda eſt, & rara. His addatis prædicta capita, circa quæ diſcurrentes deuenietis in veram cauſæ cognitionem.

Cæterùm ſi ſimul cum aliqua grauedine cordis hæc contingant, iam indicatis adeſſe humorum copiam. Quod ſi ab aqua in pericardio eueniat, percipitur motus ille, quem facit cor in aqua, qui eſt ſimilis motui à lapillo proiecto in aquam.

Tandem ſi tumor aliquis in pericardio adfuerit, tunc palpitatio continua eſt, ſæpè æger febrem patitur, & quod magis eſt ſine cauſa manifeſta emaciatur, ac denique tabidus efficitur; hæc de ſignis.

## DE FVTVRO EVENTV palpitationis cordis.

CVm palpitatio, vt plurimùm à flatu fiat, videtur non multo negotio curari poſſe, nihilominus à quacunque proficiſcatur cauſa, ſemper eſt magnus morbus ratione partis excellentiæ, cui contingit, ideo non eſt negligenda ipſius curatio à principio.

Nam ſi augeatur, aut diutius perduret affectio, ad ſyncopem permutatur, & tandem ad mortem, eamque repen-

rinam ob conſequentem virtutis vitalis imbecillitatem.

Euentus igitur poteſt præſentis affectionis prædici à ſymptomatibus, à cauſis efficientibus, à magnitudine, ac tandem ab habitu corporis, cui contingit: primò quidem à ſymptomatibus, nam ſi quis ſæpè in lipothymiam, vel animi defectum incidat, periculum eſt, ne morte repentina moriatur, & eo periculoſius eſt, ſi in ſyncopen cadat, quæ, vt ſuo loco audietis, ſolet terminari ad mortem.

A cauſis efficientibus deinde præſagium accipere poteſtis; nam ſi materia flatulenta ſit, fiatque per conſenſum, facilis erit curatio. Si intemperies ſit frigida cum materia craſſa, difficilior longè ad curandum erit. Si calida, & cum materia bilioſa retorrida, aut maligna, lethalis eſt, vt plurimùm; atqui ſi fiat à ſanguinis copia, ſola ſanguinis miſſione corroboratur cor.

Magnitudo etiam, eiuſque vehementia quid poſſit, nobis oſtendit; nam vbi adeo vehemens eſt, ita vt coſtę è ſuis locis exeant, aut aneuriſma ingentis magnitudinis circa colli arterias iugulares appareat, caſus in anguſto admodum eſt.

Si deniq; palpitatio eueniat infirmo, aut conualeſcenti ex infirmitate, præcipuè cum prauo ſymptomate, aut languore virium, terminabitur ad mortem: at quoniam ſæpè hominibus euenire ſolet, qui quadrageſimum annum, vel quinquageſimum attingunt, ſi præter hanc ætatem etiam ſenioribus ſuperueniat, caſus admodum difficilis erit; periculum enim eſt, ne ægrotantem ad mortem ducat.

Conſueuit etiam palpitatio ijs euenire, qui melancholiam hypochondriacam patiuntur, & quibus iecur à liene expurgari perfectè non poteſt, at qui iuuenes ſunt, aliquo tempore perdurant, tandem nullus, aut pauciſſimi reperiuntur, qui ad ſenectutem perueni-A re poſſint, quia omnes moriuntur in conſiſtente ætate.

## DE CVRATIONE PALPITAtionis cordis, per victus rationem.

Qvemadmodum huiuſmodi affectio vel vt ſemper, vel vt plurimùm à materia flatulenta, craſſa, & nebuloſa contingit, ita quoque hoc B habet, quod faciat paroxiſmum, qui non admodum duret, quamuis valdè ægrotantes cruciet; ideo opus eſt curationem inſtituere, quæ debetur paroxiſmo, & toti affectus decurſui.

In paroxiſmo opus eſt vti reuellentibus, & flatum retrahentibus, vt ſunt frictiones ad crura, ac cucurbitę fœmoribus applicatæ. Non erit ab re ſuffumigia quædam parare ex violis, & modico C belzoini, deinde lintea, quibus frictiones fieri debent, ſuffumigare, vt & odorem accipiant, ac actu ſint calida.

Valet etiam exercitium thoracis, quemadmodum eſt loquutio, fortis inſpiratio, vt validè gementes faciunt: nec eſt inutile aliqua antidota cordialia in ore tenere, vt inde qualitas magis penetrare poſſit, vel etiam illinire arterias aliquo cardiaco vnguentò. Cauen-D dum, ne veſtimenta eo tempore thoracem, ac partes inferiores nimium adſtringant. Ad hæc proderit clyſter diſcutiendi facultatem habens, vt

℞. fol. althææ,
Maluę,
Enulę, ana manip.j.
Flor. chamęmeli, manip.ſſ.
Sem. aniſorum,
Cumini, ana drach. ij.
E Fiat decoctio, ſ. a.
℞. huius decoct. lib.j.
Diaphœnici,
Elect. eleſcof. ana drach. v.
Olei rutacei,
Chamæmeli, ana vnc.j.ſſ.
Cum ſale & vitello oui q.ſ. fiat clyſter.

Poſt cuius eiectionem cucurbitæ ven tri

tri inferiori applicitę prodeſſe poſſunt, & alia, quæ flatum diſcutiendi virtutem habent; hoc modo ceſſare poterit paroxiſmus.

Sed quoniam in palpitatione ventoſa paroxiſmus ſæpè ad ſe trahit curationem, de illa loquuti ſumus in comparatione ad cauſam, quę facilè diſſipatur, quia paroxiſmo iam ablato oportet omninò curare, ne amplius in corpore generentur flatus, & illi, qui iam geniti ſunt, non ferantur in cor.

At vbi fiat ab intemperie frigida cordis ſiue cum materia, ſiue ſine materia, ita agendum, vt ipſa tollatur intemperies, humorque è corpore peccans educatur, quod idem dicendum eſt de intemperie calida cum materia, quemadmodum vbi fiat ab aquæ nimia copia contenta in pericardio, omni ingenio inuigilandum, ne amplius talis humor generetur in corpore, neue feratur in cordis capſulam. Nec ſecus agendum, quando tumor genitus eſt in capſula; ſemper enim habenda eſt totius corporis ratio.

Primò veniamus ad curationem palpitationis, quæ fit à flatulenta, & vaporoſa materia, per omne medicinæ inſtrumentum, ſimulque dicamus de alijs, quæ ab alijs cauſis fiunt. Quando palpitatio eſt à flatu, ſemper adeſt intemperies frigida, quæ efficit, vt cordis cauitates flatu repleantur.

Sed intemperies frigida in corde præſupponit etiam aliorum viſcerum frigiditatem, & per conſequens humorum frigidorum copiam in corpore collectam, ſiue ſint pituitoſi, ſiue melancholici: quare in curatione præſcribenda vnam omnium palpitationum viuendi regulam, nec non medicamentorum normam conuenire eſt maximè ipſi rationi conſonum.

Ideo omnibus victus ratio debet eſſe calida. Inter alia aer calidus, & ſiccus vt ſit, oportet, qui ſi natura eiuſmodi non fuerit, arte præparandus eſt, ſimplicia quædam per cubiculi ſtratum ſpargendo, quemadmodum eſt origanum, & ipſius flores, maiorana, mentha, roſmarinus. Vel poteſt igne calefieri, aut rebus odoratis, & ipſorum ſuffumigijs alterari, quemadmodum eſt belzoinum, moſchus, ambra pro nobilibus.

Omnia enim odorata calida præter calefactionem cordis, quam faciunt, ſuo grato odore cor confortant; experientia namque compertum eſt, bonos odores cordi eſſe gratos, & familiares, è contra prauos eſſe inimicos, & aduerſos.

Vbi intemperies eſt calida, refrigerantibus aer eſt alterandus cum rebus odoratis, quemadmodum ſunt aqua roſarum, nenupharis, caphura, roſæ, cortices citrij, & huiuſmodi ad ignem in vaſe poſita, quæ vbi ſimul ebulliant, gratum odorem de ſe per cubiculum ſpargunt.

Somnus moderatur eſſe debet, quémadmodum vigiliæ, & reliquæ res non naturales, ac animi affectiones, præcipuè illæ, quæ ad mœſtitiam, metum, lætitiam, & huiuſmodi animum ducunt. Aluus natura, aut arte lubrica ſeruetur clyſteribus leuioribus.

Quod ad cibum ſpectat, in vniuerſum alimenta debent eſſe boni ſucci, & quæ facilè in bonum ſanguinem conuertantur, & careant flatulenta qualitate, ideo omnia legumina euitanda ſunt, quamuis in materia frigida ciceris iuſculum non improbatur, vbi cicer cum cortice ebullitum fuerit; nam ratione corticis habet facultatem abſtergendi, & aperiendi, at ſi abſque cortice bulliat, habet facultatem quidem nutriendi, & bonum ſanguinem generandi. Verùm non eſt ſine aliqua qualitate inflatiua, quemadmodum Melues cap. 9. lib. 2. ſcriptum reliquit.

Panis debet eſſe ex optima farina benè fermentatus, conditus etiam vel cum modico ſeminum fæniculi, aut aniſorum,

ſorum, vel etiam cumini dulcis;quando materia eſt flatulenta, & adeſt intemperies frigida: quando verò calida adeſt intemperies, ſatis eſt, quod panis benè coctus ſit, & ex optima farina factus.

Inter carnes optimæ ſunt gallinarum, caponum, perdicum, aliarumque paruarum auium montanarum; non improbantur quoque vitulinæ, aut hœdinæ, vel leporum recentium, aut capreolorum carnes, aliquando elixæ, quandoque aſſatæ, pro quibus condiendis in frigida, & flatulenta cauſa ſunt accipienda huiuſmodi ſimplicia, vt eſt

Hyſſopus,
Serpyllum,
Satureia,
Meliſſophyllum,
Sampſucus,
Pulegium,
Borrago,
Pimpinella, quæ ebullire poſſumus cum prædictis carnibus ad iuſcula paranda, quibus piper, cinnamomum, macis, aut caryophylli in puluerem redacti inijciantur.

Si verò aſſentur carnes prædictis etiam rebus condiri poſſunt in materia frigida. At quando ab intemperie fiat calida cum materia, ſiue etiam fuerit retorrida bilis, opus eſt magis elixis, quàm aſſatis vti, quamuis aſſatæ carnes non improbentur aliquando, ſed non ſunt prædictis rebus condiendæ, verùm alijs, quæ facultatem habeant refrigerandi, quemadmodum ſunt hordeum, lactuca, oxalis, omphacium, acetum, ſuccus aurantiorum, citriorum, ac limoniorum.

Pro potu in cauſa frigida ſit vinum dulce, tenue, ac fuluum, ac vbi collecta aqua in pericardio fuerit, non nimis potandum eſt, ſed ſit oligophorum, & aqua dilutum. In aqua bulliant flores cordiales, meliſſophyllum, borrago, pimpinella, & ſimilia.

A Si cauſa ſit calida, eſt melius à vino abſtinere, ſaltem per aliquot dies, parareq; oportet aquam hordei, vel aquam coriandri præparati, addendo modicum iulepij violati: Probatur à quibuſdam in hoc eadem cauſa decoctum radicis bugloſſi.

B

## DE CVRATIONE PALPITAtionis cordis per Chirurgiam.

EST communis omnium medicorum opinio, quod in omni palpitatione præſtantiſſimum, & præſentaneum rimediũ ſit ſanguinis miſſio, àquacunque cauſa fiat: quinimo ſtatim, & in ipſa acceſſione ad iſtud remedium deueniendum eſt, & eò faciliùs curabitur, ſi ipſa à ſanguine euenerit. Galenus de

C ea loquens 5. de locis affectis cap. 2. ſcribit ſola ſanguinis miſſione, & victu attenuante iuuenes palpitantes curatos fuiſſe.

Auicennas etiam vbi ſimul cum melancholia adſit ſanguis, ſtatim ad ſanguinis miſſionem eſſe deueniendum ait, quod quidem facilè conceditur, quia quando ſanguis habet primariam rationem, vel etiam ſecundariam in

D quantitate, tunc indicatur nobis ſanguinem eſſe emittendum euacuandi cauſa.

Sed dicet quis, ſi à materia frigida, vel flatulenta ſiat, vel bilioſa, eſt ne recurrendum ad ſanguinis miſſionem? Cui reſpondeo, quod oporteat obſeruare corporis plenitudinem, quæ vel magna eſt, vel non. Primo modo ſanguis mittendus eſt à parte oppoſita; ſi

E parua, ab eadem.

Rurſus eſt animaduertendum, quod ſi nulla adſit plenitudo, vires vel benè valent, vel non. Si valent, mittendus eſt ſanguis tam ad euacuationem, quàm ad reuulſionem faciendam. Si non valent, opus eſt etiam iſtud generoſum auxilium adminiſtrare, ſed non vnica vice.

vice. Verùm, vt alias dictum eſt, oportet efficere illam repetitam ſanguinis miſſionem, quam Græci epaphaireſim vocant, quia efficitur reuulſionis cauſa.

Reuulſio autem, quemadmodum ex Galeno ſupra adnotauimus, quo pluries iterata fuerit, pro ſingula vice parum ſanguinis euacuando, tanto perfectior eſt; hęc enim prohibet, ne ad cor excrementa fluant, quia reuulſio trahit ad oppoſitas partes, vt aliàs intellexiſtis.

Cum autem cor debile ſit, ad illud facilè confluunt humores, ſuoque illo palpitationis motu ad ſe excrementa trahere poteſt, quod à reuulſione per ſanguinis miſſionem facta inhibetur; vnde eſt, quod Arabes in plenitudine ſanguinis, venam dexteri lateris tundunt, quando verò adeſt flatus, ſecant venam ex ſiniſtro latere.

Eſt autem animaduertendum, quod diximus palpitationem fieri per conſenſum à multis partibus, præcipuè ab hypochondrijs, quemadmodum contingit in hypochondriaca paſſione; tunc enim temporis ſanguinis miſſio ex talo, vel poplite fieri poteſt; quare vt concludamus, præſtantiſſimum remedium in quauis palpitatione à materia, ſiue per conſenſum ab alijs partibus, eſt ſanguinis miſſio, cùm alios ex toto liberet, alios verò iuuet.

Hirudines applicatæ ad venas hæmorrhoidales ſunt efficaciſſimum præſidium, præcipuè quando ab hypochondrijs fit palpitatio, quæ (vt vno amplectar verbo) curatur ſanguinis miſſione, victu extenuante, & medicamentis extenuantibus, de quibus iam agendum eſt.

### DE CVRATIONE PALPITATIONIS CORDIS PER PHARMACIAM.

Qvamuis vt plurimum extenuantia medicamenta conueniant pro curatione palpitationis veræ; nihilominus opus eſt primùm vniuerſum corpus à cacochymia expurgare, animaduertentes genus cacochymiæ, quod per pharmaciam, vt generetur, impediri non poteſt, at benè prohibetur, ne in cor feratur; nam per euacuationem reuellitur, & ad ſeceſſum protruditur.

Igitur vel erit pituitoſa, vel melancholica, à quibus & flatus, & vapores eleuantur, vel biliofa, ſiue ſimplex, ſiue (vt exiſtimat Fernelius) retorrida, vel aqua, quæ nihil aliud eſt, quàm humorum ſerum.

Si pituitoſa, procul omni dubio, anrequam educatur, eſt ſyrupis, aut alijs medicamentis præparanda, quod idem dicendum eſt de melancholica.

In pituitoſa confert præſens ſyrupus.

℞. Syr. de bugloſſo,
De borragine,
Capil. veneris, ana vnc. ſſ.
Aquarum bugloſſi,
Borraginis,
Meliſſæ, ana vnc. j. ſſ. miſce.

Pro materia melancholica.

℞. ſyr. de pomis,
De fumaria,
De Epithymo, ana vnc. ſſ.
Aquarum fumariæ,
Scolopendriæ,
Borraginis. ana vnc. j. ſſ. miſce.

Materia pituitoſa hoc medicamento educatur.

℞. agarici trochiſ. drach. ij.

Infunde in vino generoſo, exprimatur fortiter, deinde cum decoctione florum, & fructuum cord. quantum ſufficit, & vino prædicto diſſolue.

Mannæ fortis, vnc. iij.
Elect. de dactylis, drach. ij. fiat potus.

Vel ſi magis placent pilulæ in hoc caſu, illæ de hiera cum agarico faciunt, ac etiam pilulæ aggregatiuæ.

In materia melancholica.

℞. ſyr. Auguſt. Nyphi, vnc. v.

Con-

Confect. hamec. vnc.ſſ. cum prædi-
cta decoctione fiat potus, in illiſque
ſemper aliquid addentes, quod flatum
diſcutiendi facultatem habeat.

In vtraque cauſa iſtud medicamen-
tum mihi probatur.

℞. Florum bugloſſi,
Borraginis,
Folliculorum ſenæ,
Polypodij quercini, ana drach.ij.
Myrobalanorum indorum, drach. j.
Bulliant in ſufficienti quantitate
aquæ ad conſumptionem medietatis,
deinde colentur, & cum colatura diſ-
ſolue.
Diaſenæ lenitiui, drach.vj.
Rhab. ſubt. pul. drach.j.ſſ. miſce.
Exhibeatur ægrotanti.

In materia autem ſeroſa, & billioſa
nulla expectata coctione, vt aliàs à me
intellexiſtis, ad purgationem eſt deue-
niendum; ſed raro contingit hanc af-
fectionum à bile ſimplici prouenire, ſæ-
pè à ſeroſo humore, & ab aduſta me-
lancholia oritur, ideo opus eſt ſeroſum
humorem hoc medicamento expurga-
re.

Pro melancholia aduſta.

℞. Diaſenæ ſolut. vnc.ſſ.
Diacatholici, drach. vj.
Fiat bolus cum ſaccharo.

Quod educit ſeroſos humores in
venis contentos, quia ille, qui in peri-
cardio eſt, conſumitur à calore cordis,
& medicamentorum.

℞. decoct. braſſicæ marinæ,
Thymeleæ,
Sem. carthami, vnc.iiij.
Fol. ſenæ,
Rhabarb, electi maturi, drach.ij.
Infunde per totam noctem adden-
do.
Vini generoſi, vnc. ij.
Facta forti expreſſione, diſſolue
Syrup. roſ. laxatiui, vnc. v. elect.
ſucci roſ. drach. ij. f. p. de alijs medi-
camentis educentibus ſeroſum humo-
rem intelligetis cap. de hydrope.

A Vbi bilis tam aduſta, quàm non adu-
ſta aderit, tunc ijs vtendum eſt, quæ
habent facultatem educendi prædictos
humores, de quibus ſæpiùs à nobis eſt
actum; expurgato enim vniuerſo cor-
pore indicatur nobis eſſe attendendum
humori facienti palpitationem, qui cau-
ſæ coniunctæ habet rationem.

Si hic flatus fuerit eleuatus à mate-
ria frigida, ſiue ſit melancholica, ſiue
B pituitoſa, opus eſt deuenire ad particu-
laria præſidia, inter quæ mihi non di-
ſplicet decoctum radicis chinæ cum
modico ſaſſafras, aut ſarſæ parillæ, aut
etiam ſero lactis cum infuſione epithy-
mi, ac radicis polypodij per multos
dies.

Simulq; curarem, vt ante huius de-
cocti aſſumptionem ſingulo mane
ægrotantes deuorarent, drach. j. vel
C diambræ, aut diamuſchi tam dulcis,
quàm amari, aut confectionis de xyloa-
loe, aut de cinnamomo, vel theriacæ,
aut mithridaticæ confectionis, vel gal-
liæ muſcatæ, vel lætificantis Raſis, vel
conf. alkermes.

Verùm audiuiſtis non omnes palpi-
tationes ab eadem cauſa proficiſci, ita
quoque neque vnum medicamentum
omnibus opitulari poteſt, quare Aui-
D cennas proponit varia medicamenta,
quorum quædam ſunt temperata, alia
frigida, & alia calida.

In frigida, & ventoſa mihi placet, vt
ægrotantes deuorent ſingulo mane per
multos dies, drach. j. mithridatij, cui
ſuperbibant vnc.iij.aquæ bugloſſi cum
modico vini, in quo diu maceratum ſit
aurum.

Inter temperata aurum, & argentum
E deſcribuntur, bugloſſum quoque, hya-
cinthus, quinque folium, adianthum,
biſtorta etiam, zedoaria, tormentilla,
ſpica nardi, quamuis ab aliquibus inter
calida enumeretur.

Ponunt inter frigida acetum, aci-
dum citrij, margaritas, corallia, Karabe,
ſantalos, nempe album, citrinum, &
ru-

rubrum, roſas, terram ſigillatam, poma, violas; addatis caphuram, ſuccum mali aurantij, mali cotonei, mali punici, & plura alia,

Inter calida Auicennas adhuc proponit doronicum, moſcum odoratum, ambram, ſericum crudum, crocum, ben vtrumque, caryophyllos, lignum aloes, meliſſam, cardamomum, cubebas, folia, & ſemina citrij, folium, quod malabathrum vocant, enulam campanam, calamenthum montanum, dictamnum creticum. Galenus videtur commendare caſtorium, ex quibus omnibus poſſunt parari medicamenta tam intus ſuſcipienda, quàm extra applicanda.

Sed veniamus ad compoſita alia, quæ in communi ſunt vſu, vbi palpitatio fiat ab intemperie frigida cum materia, & à flatu eleuato. Præter antidotos illas, quas magnas vocant, adeſt compoſitum huiuſmodi, quod ſummopere valet.

℞. corticis citrij conditi, vnc. ij.
Conſ. radicis cirſij, vnc.j.ſſ.
Pulueris diambræ,
Diamoſchi dulcis,
Lætif. Galeni, ana drach.j.ſſ.
Confect. de hyacintho, drach.ij.
Seminis citrij, drach.j.
Corallij rubei, ſcrup.iiij.
Syr. de corticibus citrij, q. ſ. fiat conſerua cum additione fol. auri num.4.

Vel ſic.

℞. diamoſchi dulcis,
Pulueris diambræ,
Elect. de gemmis, ana drach.j.ſſ.
Corticis citrij conditi drach. iij.
Cum ſyrupo de ſucco borraginis fiat electuarium. Accipiat infirmus drach. j. ſingulo mane, & veſperi, inde ſuperbibat modicum vini generoſi albi, ſi hyems ſit.

Vel ſic.

℞. diamoſchi dulcis,
Elect. de gemmis,
Noſtri, ana drach.j.
Corticis citrij conditi,

Conſeruæ bugloſſi,
Borraginis, ana vnc.j.
Syr. de ſucco borraginis, vnc.iij.
Fol. aur. num.vj.
Fiat conditum,
Doſis ſit ad vnc.ſſ.
Superbibat aquæ namphæ, vnc. iij. vini albi optimi, vnc.j.

Pro tabella.

℞. Spec. diambræ,
Aromatici roſati.
Diamoſchi, ana drach.j.
Theriacæ opt. drach.ſſ.
Cum ſaccharo, q.ſ. diſſoluto in aqua foliorum aurantiorum, quæ zagare dicuntur, fiant tabellæ.

Exterius applicantur huiuſmodi epithemata.

℞. aquæ meliſſæ,
Bugloſſi, ana lib.ſſ.
Vini maluatici, vnc.iij.
Pulu. ſpec. elect. de gemmis,
Caryophyllorum, ana drach.j.ſſ.
Pul. diambræ,
Sem. citrij,
Ben albi, & rubri,
Oſſis de corde cerui, ana ſcrup.j.
Croci, ſcrup. ſſ.
Fiat epithema,

Vel.

℞. aquarum meliſſæ,
Florum aurantiorum,
Borraginis, ana vnc.iiij.
Calami aromatici,
Caryophyllorum, ana drach.j.
Cinnamomi,
Ligni aloes,
Corticis citrij,
Seminis ocymi, ana drach.iij.
Ambræ moſchatæ, gr. v.

Vel ſic.

℞. liquorum ſtillatitiorum meliſſophylli,
Bugloſſi, ana lib.ſſ.
Vini aromatici,
Pulu. elect. de gemmis, ana drach.j.
Diambræ, ſcrup. iiij.
Seminis citrij,

Ben albi, & rubri, ana ſcrup.ij.
Croci, ſcrup.j.
Miſce, & fiat epithema calidum mane, & veſperi applicandum cordi.

Petrus Foreſtus lib.17.obſ. 1. proponit medicamentum, quod miraculi inſtar ſubitò tollit palpitationem. Id autem eſt factum ex folijs meliſſæ, & borraginis ſimul contuſis, quæ ſuperponuntur tegulæ ignitæ, deinde cum aqua roſarum, & aceti tantillo irrorentur, & foris applicentur: habuit hoc ab Alideo medico.

Vnguentum.

℞. Olei nardini,
Coſtini,
Amygd. dulc.
Roſati, ana drach.ij.
Pulueris galliæ moſcatæ,
Caryophyllorum,
Ligni aloes, ana ſcrup.j.
Ceræ parum, fiat vnguentum.

Sacculus.

℞. Flor. borraginis,
Roſmarini,
Citriorum,
Sampſuci, ana pug.ij.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Seminis ocymi, ana drach. ij.
Roſarum rubearum, manip.ſſ.
Oſſis de corde cerui ſubtiliter pulueriżati, num. j.
Moſchi,
Ambræ, grana. iij.
Fiat ſacculus ex ſerico cremeſino.

Pro materia calida electuarium, ſeu conditum.

℞. pulueris diarrhod. abbatis,
Trium ſantalorum,
Diamargariti, ana drach. ij.
Corallij rubri, drach.j.ſſ.
Margaritarum,
Fragmentorum pretioſorum communium, ana ſcrup. ij.
Diamoſchi dulcis, drach. ſſ.
Conſ. roſarum,
Radicis cirſij,

A Violarum, ana vnc. j.
Cum ſyrupo de acetoſitate citrij fiat electuarium.

Vel ſic.

℞. pul. diamargariti frigidi,
Trium ſantalorum,
Diarrhod. abbatis, ana drach.j.ſſ.
Trochiſcorum de caphura, ſcrup. ij.
Pulueris diambræ, drach.ſſ.
Conſ. roſarum,
B Radicis cirſij, ana drach.iij.
Cum ſaccharo in ſtillatitio liquore roſarum diſſoluto, fiat electuarium.

Vide pulcherrimam curationem monachæ cuiuſdam palpitationem patientis ab humore ſeroſo in pericardio exiſtente apud Amatum Luſitanum cent. 3. curat. 43. quam etiam citat Petrus Foreſtus l.b. 17.obſ.7.ad ſcholion.

C Idem Foreſtus deſcribit aquam ad palpitationem à melancholia eodem libro obſ. 5. ad ſcholium, quæ eſt huiuſmodi.

℞. cordis porci, num.ij.
Cerui, vel bouis, num. iij.
Caryophyllorum,
Galangæ maioris, & minoris,
Sem. ocymi, ana drach. iij.
Macis, drach. ij.
Florum bugloſſi,
D Borraginis, ana pug.ſſ.
Florum anthos, pug.iij.
Temperentur in vino maluatico per noctem, & deſtillentur omnia in elambico, ſeruetur. Doſis ſint, vnc.iiſſ. ſacchari parum fiat iulapium. Valet etiam in materia frigida, & à flatu.

Epithema.

℞. ſantalorum omnium,
Vtriuſq; corallij, ana drach.j.ſſ.
E Pul. diamarg. frigidi, drach.j.
Camphoræ, gr. ij.
Croci, gr. v.
Aquarum roſarum,
Oxalidis,
Bugloſſi, ana vnc. iij.
Aceti parum fiat epithema.

Vnguentum.

℞. co-

℞. coralliorum,
Santal. rubr.
Roſarum, ana ſcrup. ij.
Camphuræ grana ij.
Olei roſati,
Violati,
Nymphęæ, ana drach. ij.
Cum cera, quantum ſufficit, fiat vnguentum.

Sacculus.

℞. roſarum rubearum ſiccarum,
Flor. bugloſſi,
Cerſij, ana vnc. ſſ.
Fiat puluis, qui in ſacculo reponatur.

Vel fiat ex floribus violarum, roſarum, ſantalis, corallijs, æquis ſumptis portionibus, pro corde.

At ſi ex aqua contenta in pericardio palpitatio eueniat, conueniunt ea, quæ in intemperie frigida, & materia craſſa dictum fuit, quemadmodum etiam, & in melancholica.

Cæterùm pro ſacculo in aqua contenta in pericardio propono vobis ſacculum à Chriſtophoro Auega præſcriptum, quo ſtatim ſanabat palpitationem huiuſmodi.

℞. pul. aromatici roſati,
Diambræ, ana drach. ij.
Macis,
Caryophyllorum,
Polij, ana drach. j.
Flor. bugloſſi,
Aurantiorum, ana vnc. ſſ.
Fiat ſacculus, qui aſpergatur vino maluatico.

Eadem medicamenta compet unt in palpitatione eueniente à tumore, ac conueniant in prædictis, nec habenda eſt ratio humoris peccantis, vt diximus, & pro humoris diuerſitate applicanda ſunt auxilia.

Si verò per conſenſum à partibus procedat, affectiones partium primò ſunt curandæ, & inde ſanabitur palpitatio: & hæc de palpitatione ſint dicta.

# DE SYNCOPE.

## CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Affectio, quæ nunc cadit in diſquiſitionem, ſyncope à Galeno, & Græcis omnibus appellatur, cuius nomen deductum eſt à verbo συγκόπτω, quod concido ſignificat, idq; à Medicis translatum eſt ad noſtri corporis vires, dum volunt nominare affectionem quandam præter naturam, in qua vires tam ſubitò labuntur, quaſi inſtrumento quodam conciderentur, & illicò videas hominem ſine ſenſu, & quaſi abſque vita concidere.

Eſt tamen notatu dignum plura apud eoſdem Gręcos reperiri nomina vnam, & eandem rem ſignificantia, inter ſe tamen diuerſa, vt eſt ἔκλυσις, λειποθυμία, συγκοπή; nam enclyſis ſignificat animi diſſolutionem, leipothymia eſt animi deliquium, leipopſichia eſt animę defectio.

Dum tractarem de ſanguinis miſſione ad animi deliquium, oſtendi hęc duo nomina inuicem confundi, ſignificareque animi defectum, aut virium diſſolutionem; enclyſim verò eſſe diſpoſitionem quandam præuiam ad prædictas affectiones.

Quamuis Galenus aliquando iſtud nomen enclyſis vſurpet pro vehementi animæ dolore, aut mœſtitia, vel timore, qui contrarius eſt ei animæ affectioni, quam perichariam Græci vocant,

noſtrates dicerent hilaritatem inſignem.

Sed quidquid ſit, ſiue ſummam triſtitiam accipiamus pro affectu, ſiue pro via ad affectum animæ, eſt ſemper diſpoſitio ad leipothymiam, & accipitur pro via quadam ad animi defectum, ſed quemadmodum hæc eſt via ad animi defectionem, ita animi defectus eſt via ad ſyncopem, de qua inſtitutus eſt ſermo; nam fieri non poteſt ſyncope niſi per mediam leipothymiam, ita vt poſita ſyncope, adſint prædictæ omnes affectiones, non autem è contra.

Igitur ſyncope differt à prædictis tanquam terminus à via, & tanquam perfectum in ſuo genere ab imperfecto, quamuis poſſit alijs nominibus differre; nam leipothymia correpti ita afficiuntur, vt dormire quodammodo videantur, & omni ſenſu, ac motu priuati, ſtatimque à medicamentis expergefiunt: at qui ſyncope ſunt affecti, aliquando etiam vigilant, & ſi dormire videantur, non tam facilè expergefiunt: cæterum in leipothymia nullus adeſt ſudor; in ſyncopè verò ſudor reperitur.

Eſt igitur ſyncope, quod ad ſui eſſentiam attinet, vt Galenus 12. meth. med. cap. 5. docet; præceps virium lapſus: dicitur præceps lapſus ad differentiam defectus animi, qui ſenſim aliquando euenit; non ſecus eiuſmodi affectio hominibus euenit, atque ſi viderentur ex alto præcipitio ſubitò cadere, adeoque vires labuntur, vt ſenſu omni carere videantur.

Non propterea inquirendum relinquitur, an omniū virium fiat reſolutio, quia cum vires corporis ſint in triplici differentia; alia enim eſt naturalis, alia alia vitalis, alia animalis, cùm ita homines maneant, vt abſque ſenſu ſint, iure dubitatio propoſita videtur.

Sed ad veritatem huius quæſiti habendam opus eſt ſcire, quod præcitato capite docet Galenus, nempe in quo virium eſſentia conſiſtat, quæ ſanè in

A duobus potiſſimùm conſiſtit, videlicet in partium ſimilarium temperie, atque ſpiritus conſeruatione; & vbi hæc duo conſeruantur, nunquam corporis vires poſſunt labefactari; è contra cum vires concidunt, opus eſt, vt vnum ex prædictis, aut ambo lædantur.

Ad temperiem partium faciendam, & conſeruandam duo ex neceſſitate concurrunt. Vnum eſt calidum, quod B vocant innatum, atq; humidum primogenitum, ſeu radicale. Ad ſpiritus autem conſeruandos requiruntur etiam duo, nempe pars, in qua generantur, & conſeruantur, & pars, per quam dimouentur.

Iam verò ſpiritus dicunt eſſe in triplici differentia, quorum vnus naturalis vocatur, de quo quidem eſt apud authores dubitatio, an detur, & quid C ſit. Dum methodum anatomicam vobis interpretarer, oſtendi minimè dari poſſe, quia ſi daretur, haberet locum, in quo generaretur, & per quem diſtribueretur per corpus.

Vnde cap. 5. præcitati libri 12. meth. med. dicebat Galenus, quod ſi daretur ſpiritus naturalis eſſet in iecore, in quo cum nullus adſit deſtinatus locus, concluſum à nobis fuit cum famoſiori- D bus authoribus non poſſe naturalem hunc ſpiritum dari, niſi velimus dicere eſſe tenuiorem partem ſanguinis.

Alter ſpiritus eſt vitalis, cuius generatio eſt in corde, & fit ex ſanguinis, & aeris attracti portione; ſanguis enim à iecore per venam cauam ſurſum ad cordis ventriculum ſcandit, cuius vna pars in pulmones per venam arterialem eſt diſtributa; alia verò pars per ſeptum E cordis inſenſibili quadam via à dextro in ſiniſtrum penetrat, quidquid Columbus dixerit.

Cum autem in eundem ſiniſtrum ventriculum cordis à pulmonibus per arteriam venalem feratur aer inſpiratus, ex ipſo, & ſanguine prædicto fabricatur ſubſtantia ſpiritus vitalis.

Cæ-

Cæterùm ſpiritus animalis ab hoc vitali, tanquam à materia originem tra hit; nam cum vitalis genitus fuerit in ſiniſtro ſinu cordis ab arteria magna, quam aortam appellant; per vniuer- ſum corpus diſtribuitur, & quia aortæ vnus inſignis ramus deorſum, alter ſur- ſum petit, ex multis, qui quamplures ſunt, vnus notiſſimus eſt, qui à ſopora- rijs arterijs ortum ducens in cerebri cauitatem diſtributus eſt, quem plexum choroidem vocant.

Hic ſpiritus illos vitales à corde re- cipit, eoſque defert in cerebrum, vbi illi transformantur in ſpiritus, quos a- nimales vocant, per ſpinalem medul- lam, inde per neruos diſtributi ſen- ſum, & motum omnibus corporis par- tibus offerunt.

In ſyncope igitur, quia eſt affectio cordis, omnes ſpiritus diſſipantur, hinc eſt etiam, quod omnes virtutes offen- duntur, quia tollitur fundamentum om nium virtutum tam animalium, quàm vitalium, quia cum ſpiritus vitales non diſtribuantur, tunc generari nequeunt animales ſpiritus, hinc ſenſitiuæ, & motrices ſuis officijs priuantur.

Cum autem vitales per arterias ad omnes naturales partes ferantur, ſimul calorem innatum, quem à corde reci- piunt, ducunt, quo virtutes partium ſuis muneribus fungi probè poſſunt, ijs impeditis, aut reſolutis, & naturales functiones labefactatas iri eſt neceſſe.

Quare dicimus primariò vitales vir- tutes, deinde alias lędi; contingit ta- men aliquando virtutes animales, & naturales lędi abſque vitalium lęſione, nonnunquam verò animales per ſe ſo- las benè valentibus naturalibus, & vi- tali, quemadmodum Galenus dicebat 2. aph.29. idque oſtendi alias, dum eſſet ſermo de affectibus capitis.

Cum igitur hæc ita ſiat, clarum ha- bebimus in ſyncope cor eſſe affectum, quia vel non generantur ſpiritus, aut corrupti ſunt, qui in eo conſueuerant

A generari, aut non diſtribuuntur; quare ſyncope eſt ſymptoma in genere actio- nis cordis læſæ, vel diminutè, aut ab- latè, ſaltem vt dicunt celebriores autho res, quo ad ſenſum.

Capiuaccius inquirens definitionem præſentis affectionis dicebat ipſam eſſe virtutem debilem cordis dependentem à fruſtratione motricis, ita vt velit gra- uiſſimus hic author ſubiectum quidem B eſſe cor, ſed læſionem eſſe in attractio- ne, & expulſione ipſius cordis, vnde dicendum erit ſecundùm ipſum eſſe ſymptoma in genere actionis motricis diminutè, aut abolitè.

Sed ſi vultis me verum fateri, puto virum hunc maximè fuiſſe allucinatum, quia (vt aliàs vobis demonſtraui) cor duplicem actionem habet, vna eſt, qua vt membrum ſimilare agit, & altera, C vt eſt membrum organicum celebrat ſuas actiones.

Per primam actionem, quæ eſt alte- ratio, facit ſpiritus vitales ex ſanguine, & aere, vt audiuiſtis; per ſecundam hos eoſdem ſpiritus per corpus diſtribuit, atque expurgat à fuliginibus, ergo quã- do ſpiritus non generantur, læſio eſt in temperie. Addatis, quod cum motus ipſius cordis, vt Galenus eſt author 7. D de anat.cap.8. fiat à propria ipſius con ſtitutione, & temperie, ea ablata neceſ ſariò ſequitur motus ablatus; vnde etſi in hac affectione motus pulſus læda- tur, non tamen læditur primò, ſed ad intemperiei, quæ eſt ipſius animæ, læ- ſionem.

Quod ſi fieret motus cordis à cere- bro, vt antiqui volebant, quos præci- tato loco Galenus & reprehendit, & ir- E ridet (quamuis non defuerunt aliqui ex recentioribus, qui hanc haberent opi- nionem, ſed falsò) moueretur cor, quẽ- admodum voluit Ariſtoteles lib. de iu- uentute, & ſenectute, vita, & morte, videlicet ex alimento tumefacto, quod à calido alteratur, cuius humidum inflatum facit cordis pulſum, quæ opi- nio

nio, etſi multas habet difficultates, eſt tamen magis altera veriſimilior.

Si igitur vno ex prędictis modis fieret pulſus cordis,tunc vno eorum læſo, omnis cordis actiò labefactaretur, ſed actio pulſifica, quia fit à propria, & innata facultate in temperie reſidente,læditur, ſi ipſius temperies, à qua motus pulſatiuus efficitur, eſt lęſa.

Quare concludimus ſyncopen eſſe morbum in intemperie, & ſymptomá in genere actionis vtriuſque cordis lęſæ,ſed primò illius,quę à temperie prodit, deinde illius, à compoſitione, hoc eſt, cor primò læditur, vt eſt ſimilare membrum; deinde, vt eſt organicum, & ita vtraque læditur actio, & abolita prorſus videtur quoad ſenſum ſaltem; in leipothymia verò læditur diminutè.

## DE CAVSIS SYNCOPES.

Cauſæ nunc ſyncopes in medium afferendæ ſunt; ſcitu tamen neceſſarium eſt ſyncopen aliam eſſe, quæ per eſſentiam in corde efficitur;alteram verò,quæ fit per conſenſum ab alijs partibus, vt illa eſt præcipuè quæ ab ore ſuperiori ventriculi euenit, ab vtero in muliere, ab hepate, & ab alijs etiam partibus.

Igitur tam eſſentialis ſincopes,quàm per conſenſum cauſas inueſtigemus, quæ ſunt omnia facultatem habentia ſolidam cordis partem, illiuſque temperamentum,necnon ſpiritus vitales lædendi,quare quędam ad res exteriores, quædam autem ad internas referuntur, quæ vel ſpiritus ipſos per arteriam delatos afficiunt, vel corpus cordis affligunt.

Spiritus conſiderantur,vt ſunt inſtrumenta caloris innati, & vt omnibus partibus diſtribuuntur, primò modo duplicem in corpore habent motum, nempe à centro ad circumferentiam, & à circumferentia ad centrum, quemadmo-

A dum vobis aliàs oſtendi, quia calidum innatum eſt ſubſtantia per ſe ſemper mobilis, eo vt dictum eſt modo.

Si ſecundo modo, tunc vnicum habent motum per ſe, nempe à centro ad circumferentiam; alterum verò per accidens, qui potiùs illis eſt motus pręter naturam, nempe à circumferentia ad centrum. Quare vbi videtis authores dicentes ſpiritus habere duplicem mo-
B tum,intelligatis eorum propoſitionem, vel primo, vel etiam ſecundo modo.

Stante igitur hac ſpirituum motus intelligentia, dico, quod motus huius læſio, & primò quidem motus ab intus ad extra eſt ſyncope, læditur autem hic motus tam à rebus internis, quàm externis, quia prohibetur perſpiratio ob multitudinem, & craſſitiem crudorum, & lentorum humorum paruos
C meatus obſtruentium, vel propter aliquod tuberculum, tum circa vaſorum originem exiſtens, nempe circa baſim cordis, aut in ſubſtantia pericardij.

Cæterùm ab aura quadam maligna, aut venenoſa ſpiritus afficiuntur, ita vt ad circumferentiam moueri nequeant; aura autem à malignis humoribus eleuatur; nonnunquam ipſe humor eſt malignus, aut vapor à pulmone in cor
D tranſmiſſus à ventriculi ore ſuperiori, ab vtero, hepate, liene, & quandoque à cerebro. His omnibus de cauſis ſpiritus intus coacti, veluti ſuffocantur, inhibeturque motus ad totius corporis circumferentiam.

Idem patiuntur ſpiritus à cauſis externis, vt poteà triſtitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, & ſimilibus, quæ vt plurimùm à rebus externis origi-
E nem ducunt;cum enim intus coacti ſint ſpiritus, neque poſſint, vt decet, vagari, vt ſyncope fiat, eſt neceſſe.

Sed non modò à cauſis prædictis inhibetur motus ſpirituum, vt audiuiſtis, ſed ab alijs cauſis ita offenditur, vt ſpiritus ipſi attracti extra ferantur, vt diſſipentur, non modò cor deſtituentes, ſed

etiam

proprias arterias, & omnes partes ad quas feruntur. Idque contingit, vel in ſummo gaudio, aut voluptate, vel immoderata ira, maximis lætitijs, abundantiſſimo riſu, & ſimili affectu immoderato, in his præcipuè, qui ſe ſe temperare nequeunt.

Diſſipantur etiam in magnis, & immoderatis euacuationibus, vtpote in ſumma purgatione, aut ſanguinis miſſione, aut in eductione aquæ in hydrope, aut in maximis, & vehementiſſimis doloribus, & aliquando etiam propter tumoris inſignis, aut abſceſſus euacuationem.

Cæterùm propter raritatem corporis continentis ſpiritus, vel eorundem ſpirituum tenuitatem conſumi contingit. Idem ſæpè ex nimio ſudore euenit, & præcipuè ſi humor tenuis fuerit, ac calidus; hæc ſunt, quæ ex parte ſpirituum poſſunt ſyncopen facere.

Venio ad illas cauſas, quæ cor afficiunt, & ſolidas ipſius, & totius corporis partes. Primò temperamentum mutatur, atque labefactatur, vnde Galenus 5. de locis affectis cap. 2. dicebat cordis diſpoſitiones à forti intemperie prouenire, ac quod magis eſt, exiguas cordis intemperies pulſum arteriarum variare pro ſua cuiuſque natura, maiores verò non inducere mortem ſubitaneam, quatenus ſimilarium partium ſunt propriæ intemperies, ſed quatenus ad diſſimilares pertinent, ſignis quibuſdam tamen præcedentibus.

Vnde Hippocrates aphoriſmum illum affert, in quo ſcriptum eſt, qui ſæpè, ac multum exoluuntur ſine cauſa manifeſta, ij de repentè moriuntur 2. aph. 42. vbi Thomas à Veiga ſcribit intemperies, quæ ad partes diſſimilares pertinent, eſſe eas, quæ cauitates magnas arteriarum, vel ſinus cordis attingunt, aut occupant: ſed intemperies, vt talis eſt partium ſimilarium, quacunque in parte cordis, aut arteriarum fuerit, ſemper eſt partis ſimilaris morbus, non quidem organicæ.

Vnde non videtur Thomas à Veiga hoc loci mentem Galeni attigiſſe, quia aliud eſt conſiderare intemperies, vt ſunt propriæ ſimilarium partium, & aliud eſt conſiderare, quatenus pertinent ad inſtrumentales; primo modo ſunt puræ ſine materia.

Secundo modo cum materia. Galenus concludit tales intemperies, vt ſunt propriæ ſimilarium, non inducere mortem ſubitaneam, quia non tollunt ſubitò ſpirituum generationem, vt illæ partium organicarum, quæ prohibent ſpirituum diſtributionem, quæ fit ſubitò, quemadmodum ſunt inflammationes, eryſipelata, & huiuſmodi.

Ex quo loco habetis intemperiem eſſe cauſam grauis cordis affectionis, igitur intemperies, quæ eſt ſine materia, ſiue calida, ſiue frigida fuerit, poteſt eſſe cauſa ſyncopes, quia non generantur ſpiritus, & eo magis quando calor innatus refrigeratus eſt: intemperatur etiam ob alimenti defectum, & conſumptionem humiditatis propriæ, & radicalis: his omnibus de cauſis non poſſunt ſpiritus generari, inde mirum non eſt, ſi fiat ſyncope.

Auicennas 11. fen. 3. lib. tract. 2. cap. 6. omnis ſyncopes cauſas ad octo capita reuocauit, nempe ad repletionem humoris ſuffocantis, aut obſtruentis. Secundò ad ſpirituum per euacuationem reſolutionem. Tertiò ad priuationem reſtaurationis illius, quod deperditur ob penuriam alimenti. Quartò ad malam intemperiem confirmatam. Quintò ad dolorem vehementem. Sexto ad debilitatem membrorum principalium cordis præcipuè, aut cerebri, aut hepatis, vel ventriculi, nempe oris ſui ſuperioris. Septimò ad animi vehementiora accidentia.

Tandem ad rem, quæ veneni naturam ſapiat, ſiue exterius ſit venenum, aut aer inquinatus, aut mala qualitate affectus, vel vapor malus à cadaueribus ele-

eleuatus, ſiue fuerit humor internus virulentus factus: & iſta ſunt capita octo, à quibus deduci poteſt omnis ſyncope.

Eſt autem notandum, quod diceba-mus euacuationem factam per phlebotomiam cauſam eſſe ſyncopis, quia ad ſanguinis magnam euacuationem ſequitur ſpirituum reſolutio, inde ſyncope. Sed phlebotomia alia etiam ratione producere poteſt ſyncopen, ob timorem ſcilicet, ex quo ſpiritus intus recurrunt, inde ob ſuffocationem ſpirituum, & caloris ſequitur ſyncope alia à reſolutoria, quę coarctatoria à quibuſdam appellatur.

Sed huiuſmodi ſyncope reducitur ad animi affectionem, quæ vt plurimùm debilibus, & cor frigidum, & langui-dum habentibus contingit, quamuis ſyncope ſimpliciter dicta, pueris euenire ſoleat, decrepitis, conualeſcentibus, famelicis, & qui praua victus ratione vtuntur: hæc de cauſis, ad ſigna properandum.

## DE SIGNIS SYNCOPES.

MVltæ ſanè ſunt affectiones, quæ effectus ratione conuenire videntur cum ſyncope, vt pote apoplexia eſt, lethargus, caros, coma, & catoche, in quibus omnibus homines, vbi ab illis obſidentur, iacent tanquam ſine ſenſu, atque motu.

Sunt tamen diuerſi affectus, quemadmodum ſuo loco oſtendimus, quia in illis pars affecta eſt cerebrum, atque neruoſum genus primò, & per ſe, in præſenti verò cor affectum eſt, vt audiuiſtis; ſed quia lethargus eſt inexplebilis, & inexpugnabilis dormiendi cupiditas, caros quoque eſt affectio, in qua ſenſus, & motus amittitur, & cognoſcitur, quia adeſt reſpiratio minimè læſa, & catoche laborantes veluti congelati in eadem figura remanent, facilè à præſenti affectione diſtinguuntur.

A Sed cum apoplexia affectio ſit, in qua ſenſus, motuſque, & reſpiratio amittitur, difficillimo negotio ab ipſa ſyncope dignoſcitur. Verum à motu arteriæ deprehenduntur, quia cùm in illa cor minimè affectum eſt, neque arterioſum genus, hinc eſt, quod arteria parum, aut nihil à ſuo motu alterata eſt; at in præſenti affectu motus arteriæ vix, & quandoque nullo modo

B percipitur, hoc igitur ſigno præcipuo ſyncopen à prædictis affectionibus diſtinguimus.

Vt verò ipſius naturam perfectè dignoſcamus, opus eſt, vt ea videamus, quæ ipſam eſſentialem, & quæ per conſenſum eſſe declarant. Verùm quidem eſt, quod omnis ſyncope habet quædam propria ſymptomata, ſiue per eſſentiam ſit, ſiue per conſenſum, qui-

C bus poſitis, ſtatim & ipſa ponitur: vnde & pathognomonica meritò appellantur.

Hæc autem (niſi fallor) duo ſunt, nempe frigiditas totius corporis, & ſudor diaphoreticus, qui & ſyncopticus appellatur, quæ ipſam ſyncopen præſentem eſſe declarant. Sed non modò medicus debet cognoſcere præſen-tem eſſe, verùm etiam præcognoſcere

D ipſam eſſe futuram, quod quidem conſequitur rectè conſiderando partes affectas, & morbos, quibus efficiuntur, ex quibus etiam poterit præcognoſcere, an periculum ſit, necne fieri ſyncopen; nam cognoſcit cordis diſpoſitionem, qualitates humorum, cauſas exteriores, & ſimilia, à quibus coniectare poterit futurum periculum.

E Atqui præſentem agnoſcit ex affectu quidem, quoniam hominem ſubitò ſine ſenſu, & motu, & cum vocis, & loquelæ priuatione obſeruabit; deinde ad pulſum manus inijciens vix, aut nullo modo arteriam percipiet, aut ſaltem admodum languidam, & hoc eſt vnum caput, à quo ſigna deprehendere eſt opus.

De-

Deinde diſcurrendum eſt circa ſymptomata, inter quæ duo ſunt (vt dixi) eſſentialia, nempe frigiditas totius corporis, & ſudor diaphoreticus, qui frigidus eſt circa caput, tempora, ceruicem, atque pectus; ſed quod primum ſymptoma fiat, nempe extremorum partium frigiditas, adeo clarum eſt, vt nulla probatione egeat, quia totius corporis calor innatus ad cor tanquam ad propriam arcem refugit, quo nomine reliquæ, & exteriores corporis partes frigidæ remanent.

Sed quomodo ſudor hic fiat, non admodum clarum eſt, quia materia ſudoris nihil aliud eſt, quàm materia vrinæ, quæ generatur in hepate; nam vt aliàs vobis oſtendi excrementum iſtud à poculenta materia, aut eſculenta, fluida ſimul cum ſeris humorum ortum ducens, in hepate, in quo fit ſecunda concoctio, ſecernitur.

Huius vna pars à renibus tracta, ad veſicam expulſa, inde ad canalem communem delata, extrapellitur, reliqua pars ſimul cum ſanguine per venam cauam diſtribuitur, vt fit vehiculum ipſius: dum autem ſanguis nutritionis cauſa à venis exit, roris in modum per partes nutriendas ſpargitur, quæ virtute qua pollent, proportionatum ſibi ſanguinem pro alimento trahunt, reſpuunt autem quidquid inutile eſt.

Inter alia inutilia eſt ſerum iſtud, ſeu vrina, quæ à natura propulſa ſæpè in vaporem reſoluitur, vbi ſua copia calorem non excedit, indeque per inſenſibilem halitum euaporat; at ſi fuerit copioſior, nec poſſit in vaporem redigi, tunc per cutim extrapellitur, & huiuſmodi appellatur ſudor, qui aliquando etiam extra violentia attrahitur, atqui cum extra corpus à calore naturali huiuſmodi materia expellatur, vt calida ſit, neceſſe eſt, tum quia à partibus noſtri corporis, quæ calidæ ſunt, emanat, tum quia à calido pellitur.

In ſyncope autem non modò ſudor
A particularis percipitur, vt dicebamus; verùm etiam eſt actu frigidus; cuius quidem rationem inquirentes nonnulli, dixerunt, quod huiuſmodi humores interni reſoluti ſūt in vapores, & à frigiditate humorum in cute fixorum condenſati. Sed non video, quomodo in corpore viuente tanta frigiditas reperiatur, vt vapores condenſare poſſit.

B Alij dixerunt hanc ſudorum materiam non eſſe prædictam ſeroſam materiam, ſed eſſe humidum primigenium partium ſimilarium; nam cum calor intra recurrat externas deſerens, humidum illud, quod in ſolidis partibus continetur, facultate retentrice priuatur, ne ad externas partes confluat.

Sed nec huic poſſum adhærere opinioni, quia vix mente concipio, quomodo humidum radicale, quod craſſum
C eſt, ac glutinoſum, poſſit à frigiditate ita attenuari, vt fluidum reddatur: & dato etiam, quod partes retentrice facultate priuentur, non eſt propterea dicendum, humidum radicale ſuapte natura extra fluere poſſe, quod (vt diximus) fluidum non eſt, ſed fluxioni potius contrarium.

Succedit, quod ſi partes illæ, quæ humido radicali fruuntur, eodem tem-
D pore deſtituerentur, copioſiſſimus ſudor, & per totum corpus erumperet, cum omnes deſtitutæ ſint externæ à calore, & eo magis ſudor erumperet, quo maior eſſet frigiditas nempe ad partes externas, ſed quamuis plus ſudoris exit à thorace, & capite, in quibus minor eſt frigiditas, non propterea videtur dicendum eſſe, quod ſudor ſit humor, ſeu humidum radicale.

E Cum igitur ambæ iſtæ opiniones non placeant, neceſſe eſt, vt videamus, cur ſudores ab omnibus dicti in hac affectione ſint frigidi? Galenus lib. 4. aph. 37. & 42. videtur ad duo capita rem hanc referre, nempe ad frigidorum humorum copiam, & ad caloris extinctionē, aut notabilem deſtructionem; nam red

dens rationem cur Hippocrates dicat frigidos ſudores in acuta febre mortem portendere, inquit tantam eſſe frigidorum humorum copiam, vt à calore naturali, & præternaturali calefieri nequeat.

Vnde eſt, quod quæcumque euacuantur, frigida omninò ſint, neque inconueniens eſt, vt calor præter naturam accenſus in hac materia intus ſit, partes autem extimæ ſint prorſus frigidæ, & per conſequens ſudores frigidi.

Sed huiuſmodi reſponſio videtur vera, vbi adeſt vehemens febris, atqui ſupponitur ſyncopen ſolam eſſe abſque febre, quæ vbi eueniat propter craſſorum & frigidorum humorum copiam, poterimus dicere ſudores frigidos eſſe ratione materiæ, à qua exeunt. Sed quando non adſunt frigidi humores, à quibus prodeant iſti ſudores, & appareant, quid cauſæ afferri poſſit, non video.

Niſi recurramus fortè ad partium externarum caloris extinctionem, qui cùm nequeat operari, ita vt virtutes ſuis fungantur muneribus, humor ſeroſus extra venas fertur poſt tertiam coctionem, qui à calore cùm in vaporem diſſolui nequeat, iſque paucus ſit, circaque prædictas partes exiſtens, ſuapte natura extra fluit omni prorſus calore deſtitutus, & hinc eſt, quod in omni ſyncope is frigidus ad tactum appareat: & hæc ſint obiter de ſudore, & cauſa ipſius frigiditatis dicta.

Venio ad qualitates mutatas, quæ etiam ipſius effectus indicia ſunt, præſertim circa faciem apparentes; nam facies talis, qualis in cadauere conſpicitur; color pallidus, liuiduſque fit, atque plumbeus, caput etiam reclinatum eſt, quemadmodum ſi mortuus eſſet æger, oculorum palpebras eleuans, ſæpè demittens: & vbi medicus iubet apponi aliquid piperis, aut ellebori circa nares, & æger id non ſentiat, ſtatim dicendum eſt non modò ſyncopen eſſe, ſed omnium peſſimam.

Hæc ſigna poſſunt demonſtrare ſyncopen præſentem, ſed cum vna per eſſentiam ſit, altera per conſenſum, ſigna diſtinctiua afferenda ſunt. Primò quidem ſyncopē per eſſentiam in corde eſſe cōijcere poteritis, ſi antea abſque alicuius alterius partis læſione, cor ipſum palpitationem paſſus fuerit, aut etiam patiatur, vel habeat aliquam intemperiem, vel præceſſerit immoderata ira, aut excandeſcentia, aut quidpiam tale, quod ad animi affectum attineat.

Quando verò per eſſentiam eſt ſyncope, vel fit ab intemperie ſola, vel cum materia. Si primo modo non hominem tam ſubitò ducit ad mortem; ſi verò fit cum materia, tunc ad mortem ducit, ſed prius præcedunt ſigna, nempè homines ſæpè abſque cauſa manifeſta in ſyncopen cadūt, ex quibus ſignis habes intemperiem maximam eſſe, ac materiam, ex qua eryſipelas, aut inflammatio fuerit, aut tumor ex duobus humoribus, bile ſcilicet, & ſanguine mixtam eſſe.

Syncope ab intemperie ſine materia cognoſcitur à motu pulſus; nam ſi eſt calida, tunc ex Galeno, pulſus ſunt celeres, & frequentes, cum verò intemperies ſit frigida, tunc contrarij ſunt motus. Eſt tamen animaduertendū nos dixiſſe aliquando materiam, quæ eſt in ventriculis cordis, eſſe calidam, aliquando frigidam, ideo fieri poſſe, vt cordis ſubſtantia ſit intemperata ad caliditatē, illa verò materia, que intus eſt, ſit frigidior; è contra quod materia intus cōtenta ſit calidior, ſubſtātia cordis ſit frigidior.

In huiuſmodi contrarietate pulſus, vt Galenus ſcribit 3. de præſagitione ex pulſibus, eſt moderatus; ita vt ad intemperatos pulſus accedere videatur, quia medius ſtatus apparet ex duobus contrarijs, & hinc eſt, quod ſæpè etiam clariores medici decipiantur, præſertim in febribus peſtilentialibus; ſed in præſenti caſu, quando ſyncope oritur ex intemperie, quia vbi hæc ipſa perdurat,

rat, ſpiritus non generantur, aut perfectè, hinc apparet motus ſemper languidus, diminutus, atque abolitus; quando verò intemperies eſt cum materia, tunc ęgrotantes ſæpè animo delinquunt.

Per conſenſum autem ſyncopen prouenire cognoſcere poterimus ex proprijs indicijs partium primò affectarum, & à ſymptomatibus quibuſdam antecedentibus, vt in exemplo, quando fit ſyncope ſtomachica, præceſſit aliquod ex huiuſmodi ſymptomatibus, nempe vel ſingultus, aut nauſea, vel vomitus, aut morſus aliquis circa os ſuperius ventriculi, vel dolor.

Atqui ſi vel à cerebro eueniat, vel hepate, aut vtero, tunc animaduertere oportet, aliquod capitis ſymptoma, vel hepatis, aut matricis præceſſiſſe. Si verò fiat ſyncope à vermibus quibuſdã, tunc ægrotantes percipiunt vellicationem, punćturas, dolores ingentes, dentibus ſtrident, clamant, ſæpè à ſomno exterriti, & torminoſi expergiſcuntur, aliquando etiam vermes emittunt.

## DE FVTVRO EVENTV *ſyncopes*.

Syncope per eſſentiam, vel à magna prodit intemperie, vel à parua, ſi à parua oriatur, virtute valida exiſtente, non eſt lethalis, Si verò à magna, & præcipuè cum materia, iam caſus eſt deploratus, maximè ſi ſæpè ægri delinquant.

Eſt etiam maximè periculoſa illa, quæ fit à copia crudorum humorum; tum quia ab his exigui meatus obſtruuntur, tum magis quia ab illis vires opprimuntur; & vt Galenus ſcribit 12. meth. med. cap. 6. ſyncope hæc multis nominibus eſt exitialis.

Primò, quia animal non poteſt nutriri, & ſuffocatur, temperamentumq; cordis non modò alteratur, ſed corrumpitur, quia ſucci erudi nutrire nequeunt, niſi coquantur, cum autem multi ſint, grauant; quod ſi ſpiramenta, per quæ perſpiratio agitur, obſtruant, calorem extinguunt; ſed ſi neq; obſtruant, nec onerent, non ſyncopen, ſed leipothymiam faciunt.

Si ſyncope ob cordis inflammationem, aut eryſipelas excitatur, dicebat Galenus 5. de locis affectis cap. 2. quod antequam affectus incrementum ſuſcipiat, æger moritur; Si verò fiat ob ſimplicem cordis intemperiem, quæ ſiue æqualis ſit, ſiue inæqualis, æger viuere poteſt.

Paulus Aegineta lib. 2. cap. 38. dicebat, quod ſyncope, quæ ſequitur cordis intemperiem, peior eſt illa, quæ cerebri ſequitur intemperiem, & illa, quæ cerebri, peior eſt, quàm illa, quæ ſequitur iecoris intemperiem.

Si à bile praua os ſuperius ventriculi infeſtante ſyncope eueniat, ſiue à ſuccis extenuatis, vbi iecur, vel ventriculum, phlegmone obſederit, lethalis eſt. Sunt etiam ſyncoptici illi inſanabiles, quibus (viribus languidis exiſtentibus) aliquod præcipuum viſcus languet phlegmone affectum.

Sed ſi citra phlegmonem ſtomachi ſyncope fiat, ventriculi ore iam affecto primò, eique corde conſentiente, magna ex parte curationem admittit. Syncope conualeſcentibus, aut ſenioribus (viribus inualidis) eueniens, ſi frequenter repetat, lethalis eſt: ſed hæc ſatis ſint de prognoſticis.

## DE CVRATIONE SYNCOPES *per Chirurgiam*.

In propoſita affectione inſtrumenta omnia medicinæ neceſſaria ſunt. Verùm cum duo conſideranda ſemper veniant in his affectibus, quæ ſymptomata habent ſtatutis temporibus recurrentia, nempe ſymptomatis præſentanea curatio, & eiuſdem præcautio, ideo ad ſymptoma oportet primùm reſpi-

cere, maximè ſi illud tale fuerit, vt hominem iugulare poſſit.

At fumus in ſymptomate admodum formidando,quod ſæpè, & quaſi ſemper nos cogit, vt ei quam maximè attendamus,& ratio eſt, quia vires reſoluit; nam quamuis ſymptomati, vt ſymptoma eſt, nulla competat curatio, vt 12. meth.med. cap.1.ſcriptum reliquit Galenus, ex accidenti tamen quatenus cauſæ rationem habet, cum ſyncope in actu vires reſoluat, omni ingenio vtendum eſt, vt quamprimum hominem ab hoc ſymptomate liberemus.

Sed cum,vt Galenus ipſe dicebat eodem capite, ſymptomatum tria ſint genera, vnum in actione læſa; ſecundum in exceſſu vacuatorum, aut retentorum; tertium in affectu corporum, primum, & ſecundum genus talia ſunt, vt ſæpè medicum cogant, vt ſpreto affectu ijs incumbat primò.

At ſymptoma in affectu corporis nullam exigit curationem, quia ſignum eſt affectus ipſius, ad cuius ablationem ſtatim, & ipſum ruit. Nos ſumus nunc in ſymptomate, quod actionem omnium, quæ in corpore ſunt partium, præſtantiſſimam lædit, nempe cordis, quæ cum læſa eſt, ſtatim & aliæ omnes offenduntur, ideo oportet, vt quando adeſt ſyncope in actu, curemus omni ſtudio eam auferre.

Verum quidem eſt, quod non poſſumus in ea curanda id efficere, quod facimus in vehementiſſimis doloribus, qui ſunt ſymptomata actionis ſenſitiuę lęſæ deprauatè, quia vbi quam maximè vrgent,tunc ſpreta illorum cauſa ſymptomati ſoli incumbimus ſenſum partium quandoque auferentes, quod in hoc caſu agere minimè poſſumus, quia opus eſt, vt cauſam, vnde ſyncope oritur, reſpiciamus, quia in exemplo, illa, quæ ab humorum ſit multitudine, diuerſa requirit auxilia ab ea, quæ fit ab animi affectibus, aut ab intemperie cordis, vel à nimio ſanguinis fluxu, & ea, quæ per eſſentiam eſt, ab ea, quæ fit per conſenſum.

Quamobrem neſcio, an laudandus omninò ſit Capiuaccius, qui proponens ſymptomatis huius curationem inquirit, num in accidente mittendus ſit ſanguis, quod quidem vniuerſaliter conſideratum,locum non habet,quamuis vbi ab humorum multitudine, aut inflammatione, vel ſimili cauſa euenit, dubio procul inquiſitione non vacat.

Cum autem ad ſanguinis miſſionem duo ex neceſſitate requirantur, vnum eſt indicans, aliud permittens, quotieſcunque vtrumq; adeſt, eſt mittendus omninò ſanguis. Indicans eſt vitium ſanguinis, ſiue is ſit informis, vt vtar Capiuaccij verbis, nempe quando ſanguis ita ſua natura ſit mutatus, vt amplius nutrire, quemadmodum antea faciebat,non poſſit,vt Galenus 9.meth. med.cap.ij.ſcribit.

Siue eatenus adauctus ſit, vt interceptiones faciat, & venarum occluſiones, vt Hippocrates 4. acutorum 23. ait; ſiue in motu ſit vitium, ita vt ſanguis de repente in cor fluat, tunc temporis arbitror non modò eſſe vtilem ſanguinis è brachio miſſionem, ſed prorſus neceſſariam, & hoc ab Hippocrate traditur præcitato loco, vbi ſcribit,quod quando quis de repente obtumeſcit venarum interceptione,ſtatim ad ſanguinis miſſionem properandum eſt per venam brachij internam.

Galenus verò tex. 82. lib. 4. acutorum, examinans,quid ſibi velit Hippocrates per venarũ ſpirituum interceptiones, & cur, qui ea opprimantur, ſanguinis detractione ſoluuntur, determinat nihil aliud eo loci voluiſſe Hippocratem intelligere, quàm arteriarum, quas venas antiqui appellabant,ſpirituum interceptiones, hoc eſt pulſus carentiam,atque priuationem,quam Gręci ἀσφυξίαν vocant.

Cùm igitur ἀσφυξία ſit in ſyncope, quoties hæc à ſanguinis vitio contingit,

git, deueniendum eſt ad ſanguinis miſſionem, & eo præcipuè ſi ſanguis melancholicus fuerit: quare ſum huius ſententiæ, vt exiſtimem in ipſa acceſſione eſſe mittendum ſanguinem, ſi ſyncope proficiſcatur à vitio totius ſanguinis.

Sed diceris, quomodo mittere audes ſanguinem in hoc caſu, ſi virtus non adſit, quia cùm medicus virtutis robur non agnoſcit, niſi per arteriæ contactum, hæc autem non percipitur, nec conſequenter agnoſcere poterit eam adeſſe?

Dico, quod opus eſt experientia, ac ſummo medici iudicio, qui agnoſcere valeat languiditatem hanc non ex virium reſolutione, ſed ex copia humorum ſuffocatam eſſe, idque habere poterit ex præſenti corporis habitu, ex antea-acta vita, ex tempore anni, & huiuſmodi, quo in caſu ſtatim ſecanda eſt vena, quia ſi plus fiat moræ, quàm res ipſa expoſtulat, ægrotantes illicò ſuffocantur.

Nihilominus res hæc non admodum clara eſt in relatione ad copiam crudorum humorum, à quibus ſyncope ortum ſuum ducit, à quorum multitudine poſſunt etiam ſuffocari ſyncoptici. In hoc caſu certè admodum res difficilis eſt, & plena difficultatum, an conueniat ſanguinis miſſio in acceſſione, vel etiam extra acceſſionem; nam in primis legatis Galenum 12. meth. med. cap. 3. vbi de his, qui in ſyncopen ex crudis humoribus incidunt, ad hunc modum loquitur.

Nulli talium ſanguinem mitti ſine maximo diſpendio ſolet, cum tamen vacuationem deſiderent; verùm nec ſanguinis miſſionem, nec purgationem ſuſtinent, & quæ ſequuntur. Sed de purgatione ſuo loco tractabitur, nunc de ſanguinis miſſione, de qua re idem Galenus lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 12. ſic habet; at vbi crudi ſucci exuperant, antequam morbus inuaſerit, cautè euacuabis, ſed vbi iam febris corripuerit, vt antea

A monui, nequaquam.

In hoc præſenti caſu ſupponimus ſymptoma eſſe, non febrem, vnde cautè agendum eſt, quia vt ſupra dicebat de meth. med. nulli horum ſine maximo diſpendio ſanguis per venam ſectam mittitur.

E contra verò eodem libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 12. dicebat, quod vbi opus eſt

B ſanguinis miſſione, vires autem non valent, in illis euacuationem partiri expedit, quod in ijs ſe feciſſe ait, in quibus aderat copia humorum crudorum, & quod magis eſt, addit Galenus ſe miſiſſe ſanguinem bis eodem die, tertio etiam die ſimiliter bis.

Et cap. 13. dicebat præſentibus duobus ſcopis, magnitudine inquam morbi, & virium robore, nullam adeſſe cru-

C dorum humorum plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium poſſit, ex quibus Galeni locis orta eſt inter grauiſſimos authores controuerſia, exiſtimantibus quibuſdam in cacochymia mittendum eſſe ſanguinem tam in humoribus frigidis, quàm in calidis; è contra verò nonnulli cōtendunt nequaquam in via Galeni eſſe humoribus crudis exiſtentibus ad ſanguinis miſſionem deueniendum.

D

Huiuſmodi certè diſputatio, tum propter authores ſuos, tum propter Galeni teſtimonia videtur adhuc ſub iudice contineri. Dicam tamen quid pro rei veritate deliberandum eſſe exiſtimem; aliud enim eſt loqui de cruditate ciborum, & aliud eſt loqui de morborum cruditate.

Si primo modo cruditas conſidere-

E tur, non prohibet ſanguinis miſſionem, ſed eam retardat, quemadmodum apud Galenum vnuſquiſque veſtrum videre poterit lib. 9. meth. med. cap. 5. eo enim loci iubet, vt permittantur cibaria in ventriculo concoqui, & excrementa deſcendere, deinde ad ſanguinis miſſionem eſſe deueniendum.

Si

Si ſecundo modo cruditas conſideretur, tunc vel eſt ex parte totius morbi, aut humorum. Primo modo morbus à principio dicitur crudus, vnde docuit Hippocrates, concocta medicari, ac mouere, non cruda, quia cruditas nulla ratione inhibet ſanguinis miſſionem, quinimo eam aliquando requirit. Hinc idem Hippocrates dicebat inchoantibus morbis, ſi quid videtur mouendum, moue.

Alia verò cruditas eſt circa humores, qui cum ſint in corpore plurimi, ac copioſi, & frigidi, crudos eos appellaſſe Galenus credimus 4. de valet. tuenda cap.4. quando ait in venis quidem ſunt frigidi, craſſi, abſque humore ſanguineo proportionato. Et hæc eſt illa cruditas, in qua nunc inquiritur, an debeamus mittere ſanguinem.

Pro ſolutione diceremus hoſce humores crudos poſſe bifariam conſiderari, vel vt ſunt cum humore ſanguineo abundanti, vel cum pauca copia ſanguinis. Primo modo debemus mittere ſanguinem, ſed ea ratione, vt nos docuit Galenus lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, nempe, vt partiamur phlebotomiam in plures partes, deinde vtamur incidentibus medicamentis, de quibus paulò infra.

Ita intelligendæ ſunt authoritates cap. 12.& 13. lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem. Si verò ſecundo modo humores craſſi, multi, & frigidi conſiderentur, tunc dico, quod omninò prohibent ſanguinis miſſionem, & hoc eſt, quod dicebat Galenus lib. de meth. med. cap. præcitato.

Hoc igitur pacto in crudis humoribus ſyncopen facientibus poteritis mittere ſanguinem De loco autem, vnde mittendus veniat, colligere per vos poteritis, quemadmodum cap. de pleuritide à nobis fuit determinatum; & hæc de inſtrumento chirurgico.

A

## DE CVRATIONE SYNCOPES *per Pharmaciam.*

IN inſtituenda curatione huius affectionis neceſſarium eſt cauſam rectè ſcrutari, quia acceſſio à cauſa externa, & interna euenire poteſt, & hoc vel quia ſpiritus initio coguntur, vel quia extra fluunt diſſipati cor, & arterias deferentes.

B Si primo modo res contigerit, non eſt, vt in acceſſione id faciamus, quod indifferenter in omnibus ſyncopticis agendum ſcribit Dominicus Leo, nempe vt totam faciem, frontem, pectus, & ambas manus frigidis aquis, & odoratis abluamus, neque mihi videtur eſſe vtendum adſtringentibus.

Quemadmodum è contra ſi acceſſio, aut paroxiſmus eueniat, quia ſpiritus è C corde exeunt diſſipati; nam tunc valent ea præſidia, quæ idem Dominicus Leo proponit, videlicet frigidæ aquæ, roſaceæ, vel myrti admotio; & quæcumq; tum adſtringendi, tum refrigerandi facultatem habentia.

Iuuat etiam aerem circa faciem flabello agitare, ſed frictiones ad crura, ad brachia, nodiq; doloroſi in hac ſyncopes ſpecie non probantur, quamuis è D contra valeant in alia, vbi intus ſpiritus ſuffocati ſunt, quia ſicut in hac reuellendum eſt, trahendumque à centro ad circumferentia;ita è contra à circumferentiam ad centrum, in ea propellendum, atque reprimendum eſt.

Ita etiam nec vomitus in omni acceſſione iuuat, neque ex theriaca, aut mithridatica confectione illinitiones ad palatum, & ad os proficiunt, ſed in il-E lis, quæ ex cruditate, & humoribus frigidis proueniunt, de quibus etiam ſigillatim tractabimus. Non conuenit præterea vini potio omni ſyncopæ, quare perperam, & ſine vlla methodo illi faciunt, qui indifferenter in omni ſyncopes acceſſione prædictis vtuntur auxilijs.

Sed iam aggrediamur curationem re-

regularem, & ordinariam vniuſcuiuſq; ſyncopes, ac primò auſpicari licet ab ea, quę à cauſa proficiſcitur externa. Quęcumque enim ea fuerit, eſt remouenda: ſi aer ſit malignus mutare locum oportet, ſi venenum aſſumptum fuerit, eo cognito ad alexipharmaca, & antidota recurrendum eſt; ſi à laſſitudine, aut à nimia inedia, tunc videre oportet, vt non laboret æger, ſed quieſcat, cibiſque boni ſucci, atque odoris, beneq; conditis vtendum eſt.

Vinum quoque optimum, & clarum eſt bibendum, verùm, vt ait Auicennas, multa aqua lymphatum, & quod magis eſt, iubet hoc loci Auicennas, vt admiſceatur multa aqua carnis cum vino, alioquin eſſet periculum de concuſſione, fen 11. tract. 2. cap. 8.

Sed quæ faciunt dolorem excitantem ſyncopen, ſunt (quantum fieri poteſt) remouenda, atqui huiuſmodi ſymptomata à cauſa exteriori facta ſæpè ad cauſarum ablationem facilè remouentur.

Properemus modò ad illas, quæ ab interna cauſa exoriuntur, & primò ad eam, quę fit per eſſentiam, & ab intemperie cum materia, quæ omninò eſt incurabilis; verùm ſi ab intemperie ſine materia ſit, opus eſt aerem, quantum fieri poteſt, eligere potiùs frigidum, quàm temperatum.

Omnibuſque rebus tam ad medicamenta, quàm ad alimenta attinentibus frigidis vtemur; nec non ijs, quæ cor, & ſpiritus corroborare valent, quæ ab Auicenna viuificantia appellantur, quorum quædam ad cibos ſpectant, & potum.

Iubet idem acetum eſſe odorandum, quia non modò refrigerandi facultate pollet, verùm etiam quia ſpiritus viuificat, quod quidem, & in gypſo eſſe ait. Proficiunt & odores ſantalorum, camphoræ, & aliorum frigidorum, quibus moſchus admiſceri opus eſt, vt ſit veluti ad cor aliorum vehiculum; gallia quoque muſcata maximè prodeſt.

Concedit vinum, ſed quod tenue ſit, & multa aqua lymphatum; nam ex illis eſt, quæ ſpiritus viuificare poſſunt.

Sed vt vno concludam verbo, eadem ratione curatur ſyncope ab intemperie calida ſine materia, ac curetur illa, quæ à materia ſit calida.

Idem dicendum eſt de intemperie frigida, ſiue ſit cum materia frigida, ſiue non, quia calida tollunt intemperiem, ſimulque, & materiam frigidam calefaciunt, eamque vt, decet, attenuant.

Sed cùm intemperies ſuis contrarijs tollatur, oportet primùm vniuerſalibus medicamentis vti tam materiam calidam, quàm intemperiem reſpicientibus, verùm dictum eſt non eſſe eam ſyncopen curabilem, quæ à magna proficiſcitur intemperie calida cum materia, ideo hoc in caſu, vbi adeſt pura intemperies calida cordis, ad ſyrupos refrigerantes eſt properandum, quemadmodum eſt hic.

℞. ſyr. de ſucco limon.
De acidit. citrij,
De ſucco borrag. ana vnc. ſſ.
Aquæ bugloſſi, vnc. iij. miſce.

E contra autem in intemperie frigida ſyrupis calidis agendum cordialibus, de quibus ſupra abundè tractatum eſt, præcipuè cap. de palpitatione. Cum his, & alijs particularibus medicamentis cordialibus ſperabimus auferre intemperiem cordis, quemadmodum eſt

Theriaca,
Ambroſia,
Mithridatium;
Lætificans Raſis,

Et huiuſmodi, quæ poſſunt, & cordis ſubſtantiam corroborare, atq; ſpiritus vitales reſtaurare.

Verùm quoniam ſyncope per eſſentiam, non tam frequenter euenit, ac illa per conſenſum, tractandum nobis eſt de ea

de ea primùm, quæ à ventriculo fit, & quæ vel à multitudine craſſorum, & frigidorum humorum euenit, vel à materia bilioſa, aut melancholica, ac maligna.

Primo modo non tam facilè curatur, quia, vt ſuprà audiuiſtis, ex Galeni ſententia humores huiuſmodi, etſi eua euandi veniat, non poſſunt per pharmaciam expurgari, hinc eſt etiam, quod inter authores, medicinæq; ſcriptores lis exorta eſt, num in multitudine crudorum humorum ad purgans medicamentum recurrere oporteat, præcipuè in hoc caſu, in quo de vita ægrotantis agitur.

Ego iam aliàs oſtendi vobis crudam materiam, aut nunquam, aut rarò eſſe purgandam, propterea quod nec viæ, per quas educi debet, ſunt paratæ, neque humores propter ſui glutinationem, & lentorem medicamenti attrahentis ſequuntur tractionem, vnde multa ſequerentur inconuenientia.

Quod ſi humores non excederent cauitatem ventriculi, & inteſtinorum, quia ibi viæ apertæ ſunt, exiſtimo poſſe nos tutò deuenire ad medicamentum, quod inteſtina, & ventriculum euacuare queat, ſed quando humores ſunt in venis, non eſt, vt tentemus per medicamenta eos expurgare, quemadmodum in præſenti caſu contingit, de cuius quidem curatione Galenus agës 12.meth.med.cap. 3. ſcribit purgantia euitanda eſſe, niſi concocti fuerint humores.

Vt verò coquantur, probat vſum mulſæ cum hyſſopo: noſtrates medici alterant, & digerunt, ſeu (vt aiunt) præparant eos humores huiuſmodi ſyrupis, vt eſt

Oxymel ſimplex,
Mel roſatum,
Syrupus de hyſſopo, cum decoctione
Hyſſopi,
Lupulorum, & huiuſmodi. Si febris

A adſit addere poterimus ſyrupum de endiuia, cum ſyrupo acetoſo ſimplici.

Hæc materia præparata idoneo medicamento eſt è corpore educenda, vt,

℞. agarici trochiſc.
Rhabarb. electi ſubtil. puluer. ana drach.j.
Syr. de polypodio, vnc. iiij.
Diaphœnici, drach.ij.
B Decoct. cord. q. ſ.
Miſce, & f. p.

Quo educatur humor peccans, qui è corpore eductus non amplius efficere poterit ſyncopen; ille verò, qui relinquitur, inhibendus eſt cum alterantibus prædictis, ne in cor amplius ferri poſſit.

Quibus tanquam vniuerſalibus præ-
C miſſis ad particularia medicamenta properandum eſt, quę ſpiritus recreare, partemque corroborare valeant. Nec inutile eſſet prouocare vomitum, antequam prædicta offerantur medicamenta. Poteſtis igitur vti hoc vomitorio.

℞. decocti raphani, vnc.iiij.
Oxymel. ſquillitici, vnc.j. ſſ.

Miſce, offer tepidum, deinde exhibe theriacam, aut mithridaticam confe-
D ctionem, diamoſchum, diambram, diatrion etiam pipereon: pro ſtomacho denique valet diacalamenthum Galeni.

## DE CVRATIONE SYNCOPES, *per victus rationem.*

Qvod ad victus rationem ſpectat, aer calidus, & ſiccus eſſe con-
E uenit. Somnus immoderatus nō permittit humores crudos digeri, ac viſcera grauiora reddit, inter igitur vigiliam, & ſomnum moderatio talis eſſe opus eſt, vt quidquid ſomnus concoquit, vigilia digerat.

Motus, ſeu exercitium omninò euitandum eſt, at loco exercitij frictiones

ſummè

ſummè commendantur, quæ non modò ad exercitium faciunt, ſed medicamenti loco materiam per cutem euocant, fiunt autem Galeno authore in hunc modum. Incipiendæ ſunt à cruribus ſupernè deorſum procedendo pannis aſperioribus, deinde ad brachia accedendum, ac denique ad manus.

Cauendum interim, ne ex nimia frictione in laſſitudinem cadant, ideo înungite poſt frictiones prædicta membra oleo vel anethino, aut oliuarum antiquato, poſtea oleum detergendum eſt. Ad hæc ad ſpinam dorſi tranſire oportet, hancque totam fricare primùm ſicca frictione, deinde oleo, ac rurſus ad crura ſe conferre, ab his ad brachia, exinde denuò ad ſpinam, ita per totum diem agendo.

In cibo, & potu duo reſpicere medicus debet, vt ſupra ex Auicenna ádmonuimus. Vnum eſt, quod ſint boni ſucci, facilis coctionis, vt inde ſpiritus reſtaurari queant, nonihilque odoris habeăt, quo ducătur ad cor, & incidendi, ac attenuandi craſſos, & frigidos humores virtutem habeant.

Primis igitur diebus virtute valida exiſtente, Galenus iubet, vt mulſam ſolummodo exhibeamus, in qua hyſſopum ebullierit, & certè hoc videtur rationi admodum conſonum; nam cum humores iſti potentiam habeant, vt poſſint commutari in alimentum, hinc eſt, quod tenuiſſimo hoc victu vtendum venit, hoc igitur cibi genus ad ſeptimum vſque diem ſufficere poterit, ſi repetatur mane, ac veſperi, vbi verò faſtidiant ægri mulſam, iubet Galenus tranſeundum eſſe ad ptiſanam.

Sed quamuis conueniat ex omnium antiquorum præcepto vti tenuiſſimo victu in cruditate ſumma, id tamen eſt animaduertendum, quod noſtris temporibus non vtimur eo tenuiſſimo victu, quo vtebantur antiqui, cum homines ingluuiei fortè magis

A nunc indulgeant, quia ſi ſolam præberemus mulſam vſque ad ſeptimam, non poſſemus ſuſtinere ægrotantes, audiretiſque fatuarum harum mulierum ſtridores, & clamores aduerſus medicos.

Ideo mihi placet, vt mulſa ſummo mane, ac veſperi quidem accipiatur, quæ ſit loco alimenti, & medicamenti, in meridie autem curate aliquid æ-

B grotantibus offerri, quod magis nutrire, ac vires parum debilitatas ſuſtinere poſſit, præcauentes ne ob inopiam alimenti cadant, quare panem tritum in iure pulli, aut ouum ſorbile omninò concederem.

Secundum eſt, an ſimul cum ſumma hac cruditate adſit corruptela humorum talis, vt concoqui ad perfectionem ſucci nequeant; an ſperare liceat tan-

C dem coctionem? Primo modo dicebat Galenus rem non modò in anguſto eſſe, ſed caſum prorſus deploratum, at vbi poſſit tandem ſperari perfecta ſuccorum concoctio, tunc ægrotantes, vt dixi, nutriendi ſunt.

Iuuant itaque odores boni, carnium præſertim optimè conditarum, vt ſunt caponis optimi in veru aſſati, cum caryophyllis, nuce muſcata, modico

D ambræ, atque muſci, cinnamomo, & huiuſmodi, qui vbi perfectè coctus fuerit, apponatur ægrotanti, vt inde ab odore eleuato ſpiritus recreari queant. Cum iam tranſacta ſit ſeptima, poteſtis non modò huius capi concedere odores, ſed etiam carnem, vt ea alatur.

Pro potu oxymel ſimplex, ſed fluidum valet, æſtiuo tempore actu frigidum, hyeme verò calidum, ſeu tepi-

E dum. Vbi febris non adſit, vinum album tenue, & odoriferum conceditur, ſed quod benè aqua ſit dilutum, quia huiuſmodi potus ex Auicenna eſt ex viuificantibus.

Animi affectus nunquam ſunt boni, præcipuè qui ad irã, aut alias paſſiones iraſcibilem defatigantes ducere poſſint,

propterea quod licet valerent ad humores craſſos attenuandos, quia tamen cor lædunt, non eſt, vt ipſas admittatis, ac proinde iubete, vt caueant ab ijs, qui poſſint nuntia aliqua moleſta ægrotanti afferre.

Clyſteres, niſi aluus fluat, ſunt inijciendi paulò vehementiores, quemadmodum illi, in quibus cum rebus communibus ſimplicia attenuandi vim habentia, ebullierint, vt eſt calamintha, hyſſopus, pulegium, ſatureia, & huiuſmodi: deinde cum decocto, quantum ſufficit, ſimulque & aliqua ex hieris, melle, & ſale efficite clyſterem, vt artis eſt.

Vel

℞. rad. altheæ, vnc. j.
Cyperi, drach. ij.
Fol. altheæ,
Brancæ vrſinæ,
Bliti, ana manip. j.
Fol. calaminthæ,
Marrubij albi, ana manip. ß.
Sem. dauci,
Fœniculi, ana vnc. ß.
Fiat decoctio, ſecundùm artem.
℞. huius decocti, lib. j.
Hiera logadij,
Pachij, ana vnc. j.
Ol. rutæ,
Laurini,
Chamæmeli, ana vnc. j.
Fiat clyſter.

Cataplaſmata à principio, nec epithemata cordi ſunt applicanda, ſed iam vincente natura, & ad coctionem iam redacta materia.

Si verò ſyncope ratione calidorum humorum, & præcipuè à bile proficiſcatur, quæ in ventriculo ſit collecta, inde ad os ſuperius, & ad cor tandem perueniat, tunc ſatis adeſt ingens inquietudo, æſtus, punctiones, mordicatio, ac ſtatim eſt deueniendum ad localia medicamenta circa faciem, ſi adeſt acceſſio, vt ſupra admonuimus.

At vbi acceſſio defierit, bilioſum hu-

A morem per vomitum, & ſeceſſum euacuare conuenit ijs, quæ bilem educere valent, quemadmodum ſyrup. roſ. eſt cum rhabarbaro, manna, caſſia, & alijs, quorum ſylua apud authores habetur, & nos ſupra ſatis luculentam de illis memoriam habuimus. Quo euacuato iam ad id, quod relinquitur in corpore alterandum, eſt accedendum cum medicamentis incraſſantibus, & refrige-
B rantibus.

Victus ratio boni ſucci, facilis coctionis, ſed quæ nonnihil refrigerare valeat, eſt optima, ſed à principio debet eſſe quidem tenuis, ſed non adeo tenuis, vt in illa ſuperiori ab humoribus frigidis facta, ideo vbi adſit febris, carnes pullorum elixatæ, vel vitulinæ, aut ſimiles concedendæ ſunt, cum quibus ſimplicia quædam ebullierint, vt eſt bor-
C rago, & flores cordiales.

Cæterùm, ſantala omnia, ſeu aliquam ipſorum quantitatē ebulliendam eſſe exiſtimamus, cum aliqua citrij, vel ipſius ſeminum portione, vt inde & refrigerare poſſint, ac bonum odorem de ſe præbere.

Pro potu Galenus concedit vinum, ſed aqua lymphatum, ſed vbi aliquando vocati fueritis ad eos, quibus à ventri-
D culo bilis ad os ſuperius fertur, cuius occaſione videatis incidere in ſyncopen, curate, vt modicum vini accipiant, in quo infundite micam panis, & exhibete ægro ad ſugendum, ſi vinum nonnihil adſtrictionis habebit, eo melius erit: in hoc etiam caſu vinum granatorum epotum eſt optimum remedium.

Ad bibendum igitur, vbi non adſit fe-
E bris, vinum conceditur, ſed mulſa lymphatum; vbi verò febris adſit, ad ſorbendum conceditur, aliquando ad ſpiritus refocillandos, ſtomachum, & cor recreandum.

In cæteris autem rebus non naturalibus modicè agendum eſt. Aer quidem eligi debet ad frigidum vergens,

qui

qui vbi natura non adfuerit, vt arte paretur, neceſſe eſt, cum rebus, quæ refrigerandi virtutem habeant, & etiam odoris ſint optimi, vt ſunt ſuffumigia ex aqua roſarum, ſantalis omnibus, caphura, corticibus citrij, & huiuſmodi, vt parare ſæpè in cubiculis mulieres conſueuerunt.

Præterea in ſomno, & vigilia, motu, & quiete moderatè agendum eſt.

Paſſiones animi vehementes ſunt omninò fugiendæ; aluus mollis ſeruanda eſt, ac ſi natura non adſit, fiat ſaltem clyſteribus quibuſdam lenientibus, & quoquo modo refrigerantibus, quales illi ſunt, qui ex aqua hordei, oleo violato, & ſaccharo inijciuntur.

Sed non modò humores prædicti in ventriculo exiſtentes, ſed etiam in toto corpore, ſyncopen producere poſſunt, quod ſi eueniat, tunc (vt ſupra diximus) ad frictiones ſtatim recurrendum eſt, panemque in vino madefactum exhibete, at ſi æſtas ſit, & regio calida, aut ſtatus cœli calidus, vinum frigida aqua dilutum concedere omninò erit opus.

Aliquando aliquid diamoſchi, aut confectionis diambræ non eſt denegandum, & non ſecus odoramentis vtendum eſt frigidis in cubiculo poſitis, ijſque (quantum fieri poteſt) animus eſt recreandus, qua propter poteſtis etiam tale ſuffumigium in cubiculo, in quo degit æger, præparare, vt

℞. aquæ flor. aurantiorum,
Roſarum, ana vnc. ij.
Ligni aloes,
Corticis citrj, ana drach. ß.
Moſchi,
Ambræ, ana gr. ij.
Caphuræ, gr. iiij.

Lento igni ebullire permittantur: interim cordis regio non eſt negligenda, ſed oportet epithemata applicare, vt exempli gratia.

℞. Aquarum meliſſæ,
Borraginis,

A Florum aurantiorum, ana vnc. v.
Cinnamomi,
Caryophyllorum, ana drach. j.
Corticis citrij,
Ligni aloes, ana drach. ij.
Croci, gr. v.
Oſſis de corde cerui, num ij.
Ambræ,
Moſchi, ana gr. iij.
Vini optimi, vnc. iij.
B Aceti modicum, ad penetrationem,

Fiat epithema cordi extra applicandum; poteſt etiam ſacculus parari ex floribus aurantiorum.

Meliſſæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Roſmarini,
Cinnamomo,
C Pul. caryophyllorum,
Citrij,
Roſarum.

Addentes modicum moſchi, & caphuræ. Huiuſmodi poſſunt, & in acceſſione, & extra acceſſionem cordi admoueri.

Inungenda eſt ventriculi regio ex oleo laurino, vel de abſynthio, vel ex
D oleo anethino, inde poſſumus addere lanam ſuccidam ſupra partem inunctam, vel aliquo alio vti medicamento, quod ventriculum corroborare valeat.

Cæterùm non modò hiſce præſidijs externis ad ventriculi corroborationem vtuntur practici; ſed etiam poſt vniuerſalem factam expurgationem aliqua exhibent interiùs ſumenda, quemadmodum eſt

E Oxyſacchara ſimpl.
Syr. granatorum,
De acetoſitate,
De pomis, aut
De corticibus citrij, & ſimiles.

Tandem decoctum ex abſynthio, vel ſyrupus ex eodem abſynthio ab illis in hoc caſu probatur.

Si ab hepatis affectione ſyncope procedat, nempe vel propter ipſius obſtructionem, vel inflammationem, tunc attendendum hepati, auferendaque eſt cauſa, ſcilicet aut inflammatio, aut ipſius obſtructio, quemadmodum ſuo loco docebimus.

Ita quoque quando à vermibus oritur, ſiue illi in inteſtinis, aut ventriculo contineantur, eos primò cum rebus amaris per ſuperna aſſumptis remouere oportet, quod fuſiùs tractabitur, dum de illis erit ſermo.

At quid dicendum eſt de ſyncope in mulieribus ab vtero malè affecto eueniente? odorata ijs, & beneolentia ad partes infernas admouere oportet, quę verò ſunt mali odoris naribus adhibemus, quemadmodum ſunt galbanum, aſſa fœtida, aut plumæ, vel pili aduſti, aut etiam lucernæ extinctæ ſuffitus, de quibus agemus aliàs, Deo dante.

Relinquitur adhuc ſyncope à tenuitate humorum facta, necnon & illa, quæ à virtutis, ſeu ſpirituum reſolutione euenit, ſiue à phlebotomia, aut ab aliqua alia externa cauſa proficiſcatur, de curatione cuius loquitur Galenus, eamque contrariam omninò eſſe dicit illi, quæ competit ei ex humorum copia factæ; nam in illa erat paulatim, & aſſiduè euacuandum; hic è contra eſt paulatim, & aſſiduè nutriendum.

Verùm quoniam ob tenuitatem ſpirituum per habitum corporis defluentium ſyncope contingit, curandum eſt etiam, vt non modò per nutrimentum idoneum reparentur, ſed etiam vt medicamentis localibus inhibeamus eorum è corpore effluxum.

Dicamus igitur primùm de victus ratione, deinde de medicamentis. Dicebat Galenus eſſe omittenda illa alimenta, quæ actu ſunt fluida, ideo aqua, mulſa, aut ptiſanæ cremor euitanda veniunt. Verùm panis benè coctus Galeno probatur, ſorbitio ex alica in aqua cocta. Inter carnes cerebrum ſuillum

A commendat, ſed diligentiſſimè aſſatum; aut in albo iure elixum cum modico porri, & anethi.

Probat etiam teſticulos gallorum, qui lacte fuerint alti, oua quoque, ſed vitellos eorum præcipuè, albumina verò refellit, quod ſint difficilis coctionis. Vt paucis multa amplectar, hoc in caſu ea conueniunt, quæ craſſos humores efficere queant, quare & fructus auſte-

B ri valent tum per ſe comeſti, tum etiam cum pane, & (vt ait Galenus) cum alica.

Noſtrates practicantes curant, vt capo carnoſus deplumetur, exenteretur, vino maluatico abluatur, vt ſupra dixi, atque veru igni circumuoluatur, ſæpèque madefiat prædicto vino; atque condiatur rebus aromaticis; inde offeratur totus ipſi ægroto, vt primò o-

C dore refocilletur, deinde vt ipſius aliquam portionem in cibo accipiat, quia eſt optimum alimentum.

Eſt etiam apud nos ius, ſeu aqua caponis ad vires languidas, & ſpiritus diſſipatos reficiendos, quæ duobus modis efficitur; nam aliqui ſunt, qui carnem caponis in fruſtula diuidunt, eamque vel in maluatico vino, aut aqua roſacea infundunt, deinde eam

D in clambico cum modico borraginis, meliſſophylli, & bracteis aureis poſita, ſuccum extrahunt, ipſumq; ita ad vſum ſeruant.

Alij verò carnem ab omni pinguedine mundatam, & ſimul cum proprijs oſſibus contuſam accipiunt, aromata deſuper ſpargentes in vaſe anguſti orificij claudunt, illudque in vaſe capaciori aqua pleno ponunt, ac tamdiu

E ebullire ad ignem faciunt, quouſque ſuccus exprimi poſſit, & huiuſmodi liquorem ægrotantibus exhibent ad doſim vnius, vel duorum cochlearium.

Pro potu vinum aqua lymphatum Galenus poſt quartam diem, necnon carnes concedit, quamuis ægrotantes febriant, ſi humores ad coctionem per-

ue-

uenerint, & iſti ſunt illi, de quibus x. meth.med.loquebatur Galenus,dicens eſſe in tempore acceſſionis nutriendos.

Exteriùs verò cutem adſtringere con uenit, primò eligendo aerem frigidum, deinde totum corpus inungendo adſtringentibus. Nec erit inutile in cubiculo ſpargere.

Folia roſarum,
Myrtillorum,
Summitates granatorum,
Eorundem etiam, & flores, ac
Folia,

Vnguenta fieri debent ex roſaceo om phacino cum modico ceræ, ac puluere myrtillorum.

Vel oleum myrtillinum accipite cum modico omphacij, in quo diù portulaca fuerit infuſa, huiuſmodi medicamenta cutem adſtringere poſſunt, & intus ſpiritus reprimere.

Cataplaſmata etiam adſtringentia circa præcordia admouere non erit inutile, quæ fiant ex prædictis rebus.

Vbi eueniat ſyncope propter nimiam ſpirituum euacuationem, quemadmodum ex phlebotomia contingit, vel propter aliquam aliam immodicam è corpore euacuationem, nihil nobis indicatur agendum,niſi per alimentum vires deperditas reſtaurare.

Ideo in primis vinum eſt accipiendum, ac buccellam intus infundere eſt opus, & ægrotanti ad comedendum offerre, ad ea deinde alimenta properare expedit, quæ virtutem ipſam reſtau-

A rare poſſint, vt ſunt carnes prædictę ea ratione conditæ, vt dictum eſt.

Præcauebimus interim, ne nimiam copiam aſſumant pro vna vice alimenti, ſed ita agendum venit, vt paulatim, & ſucceſſiuè corpus nutriatur, ſpirituſque inde reſtaurentur, ac humidum radicale refocilletur.

Sed cum ſyncope prouenerit ab immoderato alui fluxu, inquiſitione non vacat, an opus ſit vti ab extra refrigerantibus, atque ijs, quæ habent facultatem adſtringendi meatus, & poros cutis?

B

Sed quamuis hoc ſit ab aliquibus quæſitum,quaſi ab Auicenna negatum, nihilominus ſi hodiernam praxim ſpectemus, videbimus non eſſe inconueniens frigidam aſpergere ſuper faciem, & poros cutis conſtipare, ne inde calor naturalis diſſolui, ac diſſipari poſſit.

C

Nonnulli etiam inquirunt, an in omnibus cauſis ſyncopes liceat concedere vinum? Galenus videtur partem affirmatiuam ſuſtinere, quamuis aliqui excipiant nonnullos caſus.

Sed non eſt, vt amplius immoremur circa curationem ſyncopes, ideo vt finem illi imponamus, dico,quod ſyncopæ, vt ſyncope eſt, ſemper conuenit vinum ad ſpirituum diſſipatorum refocillationem, licet reſpectu cauſæ ipſius non ſemper conueniat,ſed in acceſſione ſemper vinum,vt ſupra dictum eſt,concedere debemus: & hæc de ſyncopes cognitione, & curatione.

D

# F I N I S.

# PRIMAE PARTIS.

# INDEX RERVM NOTABILIVM IN HAC PRIMA PARTE

# INDEX RERVM NOTABILIVM IN HAC PRIMA PARTE

Contentarum.


*A*

*ABſceſſus eſt materia retenta in corporibus, quæ prius ſè cõtingebant.f.369.c.2.l.A.*
*in Abſceſſibus excrementa colliguntur, ex quibus meliceride, atheromata, et ſtheatomata fiunt, et tandiu quandoq; retinentur, quouſq; in pilos, oſſa, carbones, et huiuſmodi conuertantur. fol.369.col.2.lit.C.D.*
*Acceſſionis tempore qui ſunt nutriendi ex Galeno. fol.605.col.1.lit.A.*
*Achores vnde dicti. fol.23.col.1.lit.A.*
*Achores alij humidi ſunt, et lactumia dicuntur; alij ſicci, & tinea appellantur. fol.23. col.1. lit.C.*
*Achores quid ſint, ac eorum definitio. fol.23. col. 1. lit. E.*
*Achores, & faui in quo differunt, & quod ex ipſis excrementum emanet. f.23.c.2.l.A B.*
*Achorum ſex affert Aliabbas differentias, pro materia diuerſitate. fol.23.col.2.lit.C.*
*Achorum, & fauorum cauſa. fol.24. col.1. lit. A.*
*ſigna. fol.24 col.2.lit.B.*
*Achores, quia pueros, vt plurimum infeſtant, aut incurabiles, aut curatu difficiles ſunt. fol.24.col.1. lit.D.*
*Achorum, & fauorum per diætam curatio. fol.25.col.1.lit.A.*
*indicationes. fol.25. & fol.27.col.1.lit.A.*
*Achores, vt in pueris ſanentur, nutrices curari debent. fol.25. col.1 lit C.*
*Achorum per chirurgiam curatio. fol. 26. col.1.lit.B.*
*per pharmaciam. fol.26.col.1.lit.C.*
*Achores ſi vnica non ſanantur purgatione, purgatio repetenda eſt. fol. 26. col.2. lit. D.*
*Achorum, et fauorum per medicamenta localia curatio. fol.26.col.1.lit.E.*
*ab Achoribus leuibus ſolis localibus, ſine corporis expurgatione pueri à Galeno curantur. fol.27.col.1 lit.B.*
*Achorum in adultis curatio. fol. 27.col.1. lit. D.*
*Achoribus à principio quandoque repercuſſiua conueniunt ex Galeno. fol. 27. col. 2. lit. A.*
*in Achoribus pix ab auctore non probatur. fol.28.col 2.lit.B.*
*Acidum eructantes non valdè à laterali morbo corripiuntur ex Hippocrate. fol. 492. col.1.lit. A.*
*Actio eſt productio quædam de sè in aliud; paſſio verò eſt receptio in ſe ab alio. fol.417. col.2.lit.B.*
*Actio læſa partis læſæ notionem ſignificat. fol.468.col.2.lit.C.*
*Actiones naturales ſine affluxu virtutis præcipuarum partium fiunt. fol.334.c.2.l.A.*
*Actiones dicuntur de partibus diſſimilaribus. fol.417.col.2.lit.E.*
*Aer caloris ſymmetriam conſeruat, et ſpiritus animales nutrit. fol.469.col.2.lit.D.*
*Affectam partem cognoſcere difficillimum eſt. fol.39.col.2.lit E.*
*Affectio permanens tripliciter ſic dicitur. fol. 32.col.1.lit A.*
*Affectiones animi immoderatæ calorem extinguunt. fol.250.col.2.lit.D.*
*Albugo oculorum alia ſubtilis, quæ nebula dicitur, alia craſſa, quæ nominatur albugo. fol.321.col.1.lit.E.*
*Albugo oculorum quid ſit. fol.321.c.2.l.B.D. locus affectus. ibid. lit.B.*
*Albugo morbus in numero, aut in via dicitur. fol.321.col.2.lit.D.*
*Albuginis cauſæ, & ſigna. fol. 321. col. 2. lit. E.*
*Euentus. fol.322.col.1. lit.B. curatio. fol. 322. col.2.lit.B.*
*Albuginum localia medicamenta alia reſpiciunt curationem, alia decorationem. fol. 322.col.2.lit.E.*




Al-

ad *Albugines præſtantiſſimum Raſis medicamentum*. *fol*.324.*c*.1.*l*.D.

*Aliud quod pro ſecreto habetur.fol.* 324.*c*. 2.*l*.B.

*Albuginum per medicamenta coſmotica curatio*. *fol*.325.*col*.2.*l*.D.

ad *Albugines emolliendas balneum, ibid.l.* D. *ad eaſdem attenuandas collyria*. *fol*. 328. *c*.2.*l*.A.B,

*Alexiteria, ſeu alexipharmaca à tota ſubſtantia operantur*. *fol*.498.*c*.1.*l*.C.

*Alopeciam ſæpè vulpes patiuntur, & ab ijs nominis rationem ſeruat*. *f*.6.*c*.2.*l*.D.

*Alopeciæ, & ophiaſis differentiæ, & conuenientiæ*. *fol*.7.*c*,2.*l*. A.B,

*Alopecia, vel ob alimenti defectum, vel ob prauorum humorum vitium fit*. *fol*.7.*c*.2. *l*.A.

*Alopecia difficilius curatur, vbi vel cutis ſubpinguis, vel durior eſt, vel ex toto glabra, & fotu, aut frictione non rubeſcit*. *fol*. 8. *c*.1.*l*.D.

*Alopeciæ indicationes*. *fol*.8.*c*.2.*l*.E.

*Alopeciæ per diætam curatio*, *fol*. 8. *col*. 2. *l*.D,

*Alopeciæ curatio per pharmaciam*. *fol*. 9. *c*. 1.*l*.D.

*Alopeciæ, quæ medicamenta localia conueniant*. *fol*.10.*c*.2.*l*.A.

ad *Alopeciam Alidei medicamentum, & à Petro Foreſto vſu confirmatum*. *fol*. 10. *c*. 2.*l*.D.

*Alopeciæ humores per hieram, ſcammonium, & colocynthidem ſunt purgandi, ex Galeni mente*. *fol*.9.*c*.2.*l*.D.

*Alopeciæ à principio medicamenta abſq; vlla coctione porriguntur*. *fol*. 10. *col*. 1. *l*.A.

in *Alopecia Galenus quinque dierum ſpatio bis cum hiera ex colocynthide iuuenem purgauit*. *fol*.10.*c*.1.*l*.A.

*Alopeciæ prius alterantia conueniunt, deinde purgantia ex Auctore, & Galeni text. ex primo de compoſ.medicam.per loca c*.1. *explicatur*. *fol*.10.*c*.1.*l*.D.

*Amatus Luſitanus duo præſupponit falſa circa venam agygos*. *fol*.505.*c*.1.*l*.*c*.

*Ambulatio in animalibus ad bene eſſe data eſt*.*fol*.464,*c*.1.*l*.E.

*Anaſtomoſis eſt fluxus ſanguinis ſpecies per ora vaſorum aperta factus*. *f*.417.*c*.1.*l*.A.

*Anaſtomoſis quid ſit, & eius cauſa*. *fol*.541. *c*.1.*l*.E.

*Anaſtomoſis, & diapedeſis in quo conueniant, & differant*. *fol*.541.*c*.2.*l*.D.

*Anauroſis eſt ſanguinis per venæ eroſionem exitus*. *fol*.417.*col*.1.*lit*.*c*.

*Anauroſis quid ſit, & à qua excitetur cauſa*. *fol*.541.*col*.1.*lit*.D.

*Anchilops, et Aegilops quid ſint*. *fol*.369. *col* 1.*lit*.*e*.D. *cauſæ*. *ibid*.*lit*.E.

*Anchilops, et Aegilops tumor inflammatorius ex Aetio. ibid. Abſceſſus ſunt ex Galeno*. *fol*.369.*col*.2.*lit*. A.

*Anchilopis, et Aegilopis ſigna*. *fol*.370.*col*.1. *lit*. A.

*Euentus ibid. lit*. D. *Curatio*. *fol*.370.*col*. 2. *lit*.B.

*Anchilops, et Aegilops abſque cauſtico medicamento curantur ex Auctore cum Galeno aduerſus Aetium*. *fol*.371.*col*.1. *lit*.A.

*Aneuriſma eſt venarum iugularium tumor magnus*. *fol*.578.*col*.2.*lit*.C.

*Angina eſt morbus veluti laqueo, et fune ægros ſtrangulans*. *fol*.434. *col*. 1.*lit*.C.

*Angina, ab Arabibus ſquinantia nominatur*. *fol*.434.*col*.2.*lit*.D.

*Angina quatuor nomina, et differentiæ, ſcilicet, cynanche, paracynanche, ſynanche, paraſynanche à diuerſis partibus affectis deſumptæ ſunt*. *fol*.434. *col*.2.*lit*.C.D.

*Angina duobus conſideratur modis*. *fol*. 434. *col*.2.*lit*.E.

*Angina propriè dicta faucium, vel laryngis, ſeu gutturis inflammatio eſt à ſanguine excitata reſpirationem lædens*. *fol*. 434. *col*.2.*lit*.E.

*Angina impropriè dicta earumdem partium tumor eſt à bile, vel pituita genitus*. *fol*, 434. *col*.2.*lit*.A.

*Angina fit ex vermibus laryngem, et tracheam comprimentibus ex Auic*.*f*.435.*c*.2.C.

*Anginæ formalitas compreſſio non eſt aduerſus Capiuaccium, ſed impedita reſpiratio*. *fol*.435.*col*.2.*lit*.D.

*Angina propriè dicta, cur non ineptè faucium, vel muſculorum laryngis inflammatio dicitur*. *fol*.435.*col*.2.*lit*.E,

in *Angina reſpiratio, et deglutitio læduntur*. *fol*.436.*col*.1.*lit*.A.

*Anginæ cauſa tumor eſt*. *ibid*.*lit*.B.

*Angina ex ſanguine melancholico in laryngę facilius, quàm in faucibus fit, contra Mercurialem*. *fol* 436.*col*.2.*lit*.E.

*Anginam ex ſumma ſiccitate excitari impoſſibile non eſt, ex Gal*. *fol*.437.*col*.1.*lit*.C.

*Anginæ ſigna*. *ibid*. *lit*.D.

*Anginæ ex inflammatione ſignum pathognomonicum motus pulſatiuus eſt*. *fol*. 437. *col*.2.*lit*.C.

# I N D E X


Anginæ ſigna à ſanguine. fol.437. col.1.lit. A.B.D.à bile ibid.à pituita ibid.

Angina morbus acutiſſimus, & periculoſiſſimus eſt, & hominem 24.horarum ſpatio iugulat. fol.438.col.2.l.A.

Angina à pituita cur facilioris, & breuioris ſit curationis. fol.438.col.2.l.C.

Angina à melancholia mali moris eſt, & deplorabilis. fol.439.c.1.l.B.

ſi A febre, habito tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſuperueneris, lethale ex Hipp fol.439.c.1.l.C.

in Anginæ ſi tumor circa collum fiat, bonum ex Hipp. fol.439.col.1.l.E.

Anginæ per chirurgiam curatio. fol.439.c.2.l.A.

in Angina per quas partes ſanguis deriuandus eſt. fol.440,c.2.l.D.

in Angina eadem die tum reuulſio, tum euacuatio, & deriuatio conueniunt. fol.441 c.1.l.D.

Anginæ curatio per pharmaciam. fol.441.c.2.l.A.

per localia. fol.442.c.1.l.E.

in Angina poſt ſanguinis miſſionem ſtatim medicamentum benignè purgans propinandum eſt. fol.441.c.2.l.C.D.

in Angina exterius reprimentia non debent adminiſtrari. fol.444.c.1.l.E.

in Angina hirundinum nidus cum aliis admiſtus pro emplaſtro maximè conferre conſueuit, fol.444.c.2.l.B.

emplaſtrum ſuppurans ab eandem. fol.444.c.2.l.C.

Anginæ canis, lupi, & pueri, ſtercus, hirundinum, et magis pullorum cinis à proprietate proſunt. fol.445.c.1.l.A.

ad eandem Varignanæ medicamentum inſigne. fol.445.c.1.l.B.

Anginæ per victus rationem curatio. fol.445 c.1.l.E.

Anguillæ pinguedo, aut ſuccus à proprietate auditui graui, et tinnitui prodeſt, fol.408 c.1.l.B.

ad eoſdem Benedicti Victorij medicamentum. fol.408.c.1.l.C.

emplaſtrum. ibid. l.E.

fomentum, ibid.c.2.l.A.

Caſtoreum cum omnibus oleis diſſolutum, ex Auic.ibid.l.B.

Animi deliquium per quatuor nomina ſignificatur, quorum ſingula ſecundum magis, et minus differunt. fol.97.c.2.l.C

Apnoea eſt thoracis omnino abolita actio. fol.467.c.1.l.C.

Apnoea mulieribus hyſtericis apoplexia laborantibus, ſopore affectis, et catalepticis euenire ſolet. fol.467.c.1.l.C.

Apoplexiæ tota materia pituitoſa de repente cadit à ſubſtãtia cerebri in cauitatem eius, eaque obſtructa, fit ſenſus, et motus amiſſio. fol.175.c.2.l.D.

Apoplexia vnde deducatur. fol. 197. col. 1. l.A.

idem apud Arabes, et Latinos retinet nomen, apud antiquos morbus attonitus dicebatur, et apud vulgares gutta. fol.197. c.1.l:B.

Apoplexia quare gutta dicatur. fol.197.col. 1.l.B.

Apoplexia duobus accidere modis conſueuit. fol,197.c.1.l.D.

Apoplexiæ definitio. fol.197.c.2.l.B.

in Apoplexia cerebrum læditur. fol.197.c.2. l.E.

Apoplexiæ cauſæ. fol.198.c.1.l.A.

in Apoplexia cerebrum, vt membrum organicum patitur. fol.198.c.1.l.D.

Apoplexia ex interceptione venarum an fiat. fol.198.c.2.l.D.

et ad quæſitum reſponſio. fol, 199. col. 1. l.C.

in Apoplexia reſpiratio non aboletur. fol.199 c.1.l.E.

Apoplexia, et epilepſia, quàm citiſſimè fiunt. fol.199.c.2.l.D.

in Apoplexia copioſior pituita in ventriculis cerebri continetur, quam in epilepſia. fol. 199.c.2.l.E.

Apoplexia alia vera, alia non vera. fol.200 c.2.l.B.

in Apoplexia quomodo reſpiratio ſeruatur. f. 202.c.2.l.D.

Apoplexiæ præſentis ſigna. fol.204.c.1.l.A.

futuræ. fol.204.c.1.l.D.

cauſarum ſigna. fol.204.c.2.l.D.

Apoplexia fortis incurabilis eſt, debilis verò raro curatur. fol.205.c.2.l.B.

Apoplexiæ febris vehemens adiuncta nullam affert ſalutis ſpem, ſi verò debilis è contra, ex Aretæo fol.205.c.2.l.D.

Apoplectici an viuant, quomodo experiatur; fol.206.c.1.l.D.

Apoplexia in acceſſione per chirurgiam curatio. fol.206.c.2.l.D.

in Apoplexia circa ſanguinis miſſionem à Capiuacceo malè Auicennas, & Raſis intelligitur. fol.207.c.1.l.

Auctoriſq; eorundem, & Aetij conciliatio. fol.207.col.2.l.E.


a 2 Ap-

in Apoplexia venæ iugulares quando ſecari debent. fol.208.c.2.l.A.
Apoplexiæ per victus rationem curatio. fol. 208.col.2.l.D.
per pharmaciam. fol.209.col.2.l.E.
indicationes. fol.341.col.1.l.D.
Aquæ mellis deſcriptio. fol.210.col.1.l.E.
Arachnois membrana humorem cryſtallinum immediatè ambit. fol.356.c.2.l.E.
Argemum oculorum quid ſit. fol.313. c.1. l.B.
& qua pars affecta. fol.313.c.1.l.C.
Argemum in nigro album, & in albo rubrum apparet. fol.313.c.2.l.E.
Argenterius impudenter Galenum ſæpe reprehendit. fol.541.col.2.l.C.
Argumentum ab authoritate negatiuè nihil concludit. fol.34.col.1.l.D.
Ariſtomenes ſectus cor hirſutum exhibuit. fol.202.c.1.l.B.
Ariſtoteles de animalibus ex putri materia genitis obſcurè ſatis loquutus fuit. fol.20. c.2.l.D.
Arteria magna, aorta ab Ariſtotele dicta, à ſiniſtro cordis ſinu exoritur, & ſtatim in duas æquales diuiditur portiones. fol.201. col.1.l.C.
Arteriæ magnæ ſurſum aſcendentis ramificationes. fol.201.col.1.l.D.
Arteriarum poſt aures ſectio Scythis frequentiſſima, & quare ſteriles reddebantur. fol. 307.co.1.l.A.B.
Arteriarum temporum, et frontis in ophthalmia ſectio, et ſectionis modus. fol.306. c. 2.l.B.C.
Arteriarum poſt aures ſectio ſterilitatem per ſe non inducit, ſed ratione copioſi ſanguinis per eas fluentis. fol.307.col.1.l.C.
in Arterijs ſolum ſpiritus continentur ex Eraſiſtrato. fol.419.col.1.l.D.
Arteriæ, quia dilatantur, replentur. fol. 467.col.1.l.A.
Arteriam magnam Ariſtoteles, aortam appellauit. fol.537.col.1.l.A.
Arteria magna duos inſignes ramos offert renibus, per quos ſerum expurgatur. fol. 537.col.1.l.A.
Arteriæ aortæ ramificatio. fol. 559. col. 1. l.A.
Arundinis circa nodos interna membrana, anchilopi, et aegilopi mirabiliter confert. fol.371.col.2.l.B
Arundinis lanugo ſurditatem facit in aure poſita. fol.402.ibid.col.2.l.A.
Aſpera arteria, ſeu trachea, ſeu pulmonum canna ex cartilagineis, et membraneis circulis conſtat. fol.447.col.1.l.A.
Aſpera arteria ex larynge per ceruicem, et latus oeſophagi in iugulum, et per pulmonũ ſubſtantiam totam per maiores, et minores ſoboles extenditur. fol.447.col.1.l.B.
Aſpera arteria, beneficio ſubſtantiæ membraneæ dilatatur beneficio ſubſtantiæ cartilagineæ erecta, et aperta manet. fol. 447.c. 1.l.C.
in Aſpera arteria quidquid moleſtat, per ſpiritum extra à pulmine propulſum natura expellit. fol.447.col.1.lit.E.
Aſpera arteria, ſeu trachea ex cartilaginea, et membranea ſubſtantia conſtituta eſt, eiuſq; efformatio, et diſtributio. fol. 464. col.2. l.D.
Aſthma vnde deductum ſit. fol. 464. col.1. l.B.
Aſthma anhelatio, ſiue ſuſpirium latinè vertitur, et ab aliquibus cantus. fol. 464.col. 1.l.B.
Aſthma quid ſit. fol. 467.col.2.l.B.
Aſthmatici, à Latinis anheloſi dicuntur. fol. 467.col.2.l.B.
Aſthma ab orthopnoea in quo differat. fol. 468.col.1.l.A.B.
eorum definitiones, Gal. et Auic. conciliatio fol.468,col.1.l.C.D.
in Aſthmate, et orthopnoea thoracis muſculi læſi non ſunt, quia totum thoracem dilatant. fol.469,col.1.l.B.
Aſthmatis definitio ex Auctore. fol.469.col. 1.l.D.
Aſthma, et orthopnoea pulmonum affectus ſunt ſecundùm aſperam arteriam. fol.469 col.1.l.D.
Aſthma eſt ſymptoma in deprauata thoracis actione ſine febre. fol.470.col.1.l.D.
Aſthma ſequitur morbum in compoſitione. fol.470.col.2.lit.E.
in Aſthmate, et orthopnoea reſpiratio erecta ceruice fit. fol.471,col.1.l.B.
Aſthma diuiditur ſecundum aliquos in materialem, et immaterialem, et quid ambo ſint fol.471.col.1.l.D.
Aſthmatis differentiæ. fol.471.col.2.l.A.
Aſthma faciliter recipiunt ij, qui deſtillatione pituitoſa laborant. fol.471.col.2.l.E.
Aſthmatis cauſæ. fol.472.col.1.l.A.
Aſthmaticus Monachus poſt mortem ſectus ab Hollerio obſeruatus eſt, qui in vena arteriali abſceſſum habebat. fol.472. col. 1.l.C.
Aſthma ex flatu in pectoris cauitate incluſo

in-

inſpirationem prohibet, in pulmone verò expirationem. fol.472.col.1.lit.C.
Aſthmatis ſigna. fol.473.c.1.l.B.
per conſenſum. fol.473.col.1.lit.E.
per eſſentiam.fol.473.col.2.l.B.
Aſthma ex deſtillatione à capite inter pulmonis morbos per eſſentiam connumerari poſſe videtur. fol.473.col,2.l.B.
Aſthmatis ſigna cauſarum. fol. 473. col. 1. l.C.
Aſthmatis omnes differentiæ in quo conueniant. fol.474.col. 1.l.C.
Aſthma, & orthopnoea ſunt ægritudines chronicæ, & mouentur paroxiſmaliter. fol.474.col.1.lit.E.
Aſthmatis euentus. fol.474.col.2.lit.E.
Aſthma à catarrho ex capite debili emanans ad tumulum vſque ducit. fol.475.col.1. lit. C.
Aſthmate,aut ex tuſſi gibbi fiūt pueri ante pubertatem moriuntur ex Hippocrate.f.475. col.1. lit.C.
Aſthmatis per diætam curatio. fol.475.col.2. lit. B.
Aſthmati arietis lingua confert ex Auicenna, et quid per linguam arietis intelligere oportet. fol.476. col 2. lit. A.
in Aſthmate cibi ſaturitas, tanquam mala fugienda eſt. fol.477.col.1.lit.B.
Aſthmatici poſt cibum ſtatim potum addere non debent, ſed poſt aliquod temporis ſpatium, ex Auicenna, quem malè Dominicus Leo interpretatur, & ex Raſi. fol. 477. col.2.lit.B.
in Aſthmate ſomnus diurnus duobus in caſibus non eſt euitandus. fol. 478. col. 2. lit. C.
Aſthmatis indicationes, & per pharmaciam curatio. fol.479.col.2.lit.B.
ad Aſthma ſyrupus magiſtralis Benedicti Victorij Fauentini. fol.480. col.1.lit.C.
in Aſthmate aqua ſyrupo admiſta copioſiorum cijs tribus eſſe debet aduerſus Fauentinum. fol.480. col.2.lit. A.
in Aſtmate medicamenta ſolutiua valida eſſe debent ex Auicenna.fol.480.col.2.lit.B.
Aſthmatici cur pauciſſimi noſtra ætate cæren tur. fol.480.col.2.lit.B.
ad eandem ſyrupus ex Monarde. fol.483. col. 1. lit A.
in Aſthmate ab Auicenna opopanax, & pulpa colocynthidos commendatur: ad eandem à Galeno elaterium proponitur. fol. 480. col.2.lit.C.
ad Aſthma medicamenta expectorantia f.481 col.1.lit.D.
ad eandem ius galli, eiuſque præparatio. fol.481.col.1.lit.E. & vſus col.2.lit.C.
in Aſthmate aqua thermales proſunt, inter quas ab auctore, qua in ciuitate Saccæ, & prope Meſſanam, in Oppido Ali reperiuntur, probantur. fol.482.col.1.lit.A.B.
in Aſthmate medicamenta expectorantia ſæpius immutanda ſunt, ne natura ijs aſſueſcat ex Auic. fol.482.col.1.lit.C.
ad Aſthma pulmo vulpis in puluerem redactus ad drach. ij. cum vnc. v. aquæ mellis loco ſyrupi valet. fol.482.col.2.lit.B.
ad eandem tabacci vſus, & ſyrupus ex eius decoctione factus ex Monarde, & auctore confert, & maximè ſi aliquot guttulæ olei ſulphuris addantur. fol. 482. col. 2. lit. D. E. & infra.
Aſthmaticus calculum leuem exuit,et curatus fuit humectantibus, et refrigerantibus ex Tralliano, à quo Galenus reprehenditur. fol.483.col.1.lit.D.
Chriſtophorus AnciaGalenum malè conciliat. fol.483.col.2.lit.A.
Auctoris aduerſus Trallianum conciliatio, ac trium aſthmaticorum à Galeno curatorum per exiccantia hiſtoriæ adducuntur. fol.482.col.2.lit.C. et infra.
ad Aſthma animalia ſub hydrijs reperta, millipedæ dicta, à Galeno proponuntur, fol. 484.col.1. lit. D.
ad eandem multa medicamenta proponuntur. fol.482.col.2.lit.A. et infra.
Aſthmatis per defluxum à capite, et in paroxiſmo curatio. fol.482. col.2.l.E.et infra. eiuſdem per localia curatio. fol.485.col.2. lit. B.
in Aſthmate à crudo tuberculo vix poteſt aliquid, quod ſit auxilij, et iuuamentis à medico inueniri.fol.485.col.2.lit.E.
Athanaſia, et Ambroſia in ſanguinis ſputo valent ex Galeno. fol.569. col.2.lit.C.
Atrophia quid ſit. fol.559.col.1.lit.D.
Auditus organum quas habeat partes. fol. 400.col.1.lit.D.E.
Auditus fit per ſpiritus animales in aurem delatos per neruum auditorium. fol. 400. col.1. lit.D.
Auditus etiam fit per meatum auditorium, et per tres cauitates in oſſibus petroſis inſculptas, nempe coecum foramen, cocbleam,et labyrinthum. fol.400.col.1.lit.D.
Auditus abolitus alter eſt à natiuitate, qui ad vitæ finem extenditur, alter præter naturam. fol.400.col.2.lit.A.

Audi-

Auditus læſus quos ſequatur morbos.fol.401. col.2.lit.A.

Auditus in lethargo, et phrenitide amittitur, quia facultas non tranſmittitur. fol. 402. col.1. lit.B.

Auditus læſiones, aut ad facultatem, aut ad nervum deferentem, aut ad fabricam partium auris referendæ ſunt. fol.402.col.1. lit. C.

Auditus læſi cauſæ. fol.402.col.1.lit.D. et fol. 403.col.1.lit.E.

Auditum lædunt fumus, vel arſenici, vel argenti viui, vel auripgmenti, et ſuccus papaueris. fol.402. col.2.lit.A.

Auditus deprauatus qui ſit. fol. 402. col.2. lit. C.

Auditus deprauatus ab Auic. ſibilus, tinnitus, & ſonitus appellatur. fol. 402.col.2. lit. D.

eiuſdem Auic. definitio. fol.402.col.2.l.D.

Auditus verus eſt, quando in potentia auditiua percipitur ſonus exterius factus. f. 403. col.1.lit.A.

Auditus læſi ſigna. fol.403.col.2.lit. C. ſigna cauſarum. ibid. lit. E. ſigna differentiarum. ibid. col.2.lit.C.

euentus. fol.405.col.1.lit.C,

Auditus affectus niſi à principio curentur in affectus incurabile cadunt. fol. 405.col.2. lit. E.

Auditus grauis], & tinnitus à frigiditate[curatio. fol.406.col.3.lit.C.

ad eoſdem decoctum, & conditum. f.407. col.1.lit.C. E.

irrigatio. fol.407.col.2. lit.D.

localia. fol.408.col.1.lit.A.

Auditus læſi à caliditate curatio. fol.408.col. 1. lit. D. localia. ibid. col.2.lit.A.

Auerſiones breues à ſtatu naturali coctiones non lædentes, ex Galeno morbi non dicuntur. fol.15.col.1. lit.E.

Aurium dolor lege, dolor aurium.

B

BIlis tres dantur differentiæ, nempe flaua, pallida, & atra. fol.86.col.2.lit.E.

Bilem cur euoment ſingulo mane aliqui habitus pituitoſi. fol.537.c.1.lit. E. & col.2. lit. A.

Bilem à iecore ad duodenum inteſtinum deferens meatus, vt plurimum eſt vnicus, raro duplex; cuius vna portio ad duodenum, altera ad ventriculi fundum parum ſupra pyloron inſeritur. fol. 547. col.2, lit.B.

Botryos coeloma, ſeu foſſulæ oculorum quid ſint, & earum differentiæ. fol. 314. col.1.lit.A. B.

Brachium, vt extenſum maneat, omnes tam interni, quam externi muſculi operantur, quæ operatio tonica diſſipoſitio dicitur. fol. 260.col.1.lit.C.

Braſſica ebrietati à proprietate reſiſtit fol.66. col.1.lit.A.

Braſſica capitata, vulgo cauolo cappuccio, & Arabice alcanubit pleuritidem facit ex Auic. fol.489.col.2.lit.E.

C

CAchexia quid ſit. fol.559.c.1.l.E.

Calidum innatum præcipuum eſt inſtrumentum omnium actionum. fol.152. c.2.l.E.

Calidum innatum eſt ſubſtantia per ſe ſemper mobilis. fol.590.c.2.l.A.

Caligo oculorum, quid ſit. fol. 312. col. 1. l.A.

Caliginis oculorum duæ conditiones. fol.312 c.1.l.C.

Calor ad ſe trahit per ſe, dolor per accidens. fol.436.c.1.l.B.

Caluitium ob humorum inopiam fit. fol.7.c. 2.l.A.

Canales ſpiritibus animalibus famulantes ſunt in duplici differentia. fol.165. col.1. l.B.

Canis marinus tres dentium ordines habet. fol.426.c.1.l.A.

Canis marinus inſignis magnitudinis, & ferocitatis eſt, qui vnico hauſtu homines nantes per littora, ſi quos inuenit, deuoras. fol.426.c.1.l.C.

Capillorum defectus differentiæ. fol.6.col.1. l.D.

Capillorum profluuium triplex eſt. fol.11.c. 1.l.C.

Capillorum profluuij duæ ſunt cauſæ, vna ex parte materiæ, altera ex parte cutis. fol. 11.c.2.l.C.

Capillorum profluuij ſigna. fol. 12. col. 1. l.B.

prædictiones. fol.12.c.1.l.C.D.

Curatio. fol.12.col.1.lit.B.

ad Capillorum profluuium ladanum cum oleo lentiſcino ex Galeno celebre, & commendatum medicamentum. fol.13. col. 1. lit. C.

ad eadem localia medicamenta. fol.13. col. 3. lit.B.

Ca-

# INDEX


Capitis morbi interni communiter dicuntur eſſe num. XIX. fol.29.col.1.lit.A.

Capitis dolorem tria ſignificant apud Græcos nomina, ideſt cephalalgia, cephalæa, et hemicrania. fol.31.col.1.lit.D.

apud Arabes vnicum, ideſt ſoda. fol. 31. col.1. lit.E.

apud Latinos etiam tria, videlicet

Capitis dolor, ouum, & clauus. fol.31. col. 2. lit. A.

Capitis dolor ex Conciliatore morbus eſt. fol. 31. col.2.l.D. eiuſdem ex Galeno rationes, & auctoris ſolutiones. fol.32.col.1.l.A.

Capitis dolor quomodo affectus permanens dicatur. fol.32.col.1.lit.C.

Capitis dolori, vt vrgenti, competit curatio irregularis, vt non vrgenti, regularis. fol. 35.col.1.lit.C.

Capitis doloris definitio ex Auctore. fol. 35. col.2 lit.D.

Capitis doloris differentiæ à ſubiecto. fol. 35. col.2.lit.C.D.E.

Capitis doloris differentiæ à cauſis. fol. 35. col.2.lit.E

Capitis doloris differentiæ à modo. fol. 36. lit.B.

differentiæ ab ordine. ibid. lit.C.

Capitis dolores alij ſunt per eſſentiam in capite, alij per conſenſum à partibus inferioribus. fol.36.col.1.l.C.

Capitis doloris cauſæ. fol.37.col.1. lit.A.

Capitis dolor grauatiuus ab humorum copia, vel à ſolo ſanguine gignitur; pulſatiuus verò à ſanguine inflammationem faciente excitatur. fol.37.col.1.lit.C.

Capitis dolor mordicatiuus à continui ſolutione tantùm fit, quæ tam à calido, quàm à frigido inferri poteſt. fol. 37. col.1. lit. D.

Capitis dolor grauatiuus à flatibus, & vaporibus tantum fieri non poteſt, ſed ab iiſdem cum humorum copia. fol. 37. col. 2. lit. E.

Capitis dolor vehemens ex ocymi odoratu frequenti fieri poteſt. fol. 38. col. 1. littera C.

Capitis dolor ex vermibus, & cimicibus, vt Schenchius, & Foreſtus ſcribunt, quandoque fit. fol.38.col.1.lit.D.E.

Capitis dolor ex lapide, vel carie in eſſe nonnunquam precedit. fol. 38. col. 2. littera D.

Caput paruum vitioſum, & de neceſſitate prauum, magnum verò non ſemper bonum. fol.39.col.1.lit.D.

Capitis doloris imminentis ſigna. fol.39. col. 2. lit. C.

Capitis doloris notitia nondum in operibus medicis exercitatis coniecturalis eſt. f. 40. col.2. lit.B.

Capitis doloris ſigna in Specie. fol. 40.col.2. lit.D.

ſigna per eſſentiam. fol.41.col.1. lit.B.

per conſenſum. ibid. lit.C.

Capitis dolor aut raro, aut nunquam hominem ad interitum ducit. fol.41.col.2. lit.E.

Capitis dolore repente correpti, qui ſtatim muti fiunt, ac ſtertunt, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febris euenerit ex Hipp. 6. aph.51.fol.42.col.1.lit.B.

Capitis dolor in ſenibus inueteratus rarò curatur. fol. 42.col.2.lit.A.

Capitis dolor ex vulnere membranarum lethalis eſt. fol.42.col.2.lit.A.

Capitis dolor ex repletione aliquando apoplexiam portendit. fol.42.col.2.lit.B.

Capitis in dolore à ſanguine in principio ex vena cephalica eiuſdem lateris ſanguis mittendus eſt. fol.43.col.2.lit.c.

Capitis in dolore ex plenitudine in capite, & quieſcente ex venis, quæ intra nares ſunt, ſanguis euacuandus eſt. fol. 43.col.2. lit. D. E.

Capitis in dolore venæ frontis ſectio deriuandi cauſa ab Auicenna proponitur. fol.44. col.1.lit.B.

Capitis in dolore ex ſanguine per cucurbitulam ad primam vertebræ regionem appoſitam ſanguinis miſſio confert. fol.44.col.1. lit. E.

Capitis in doloribus rebellibus veſicatoria ad collum applicata conducunt. fol. 44. col.2.lit.B.

Capitis doloris per medicamenta localia curatio. fol.44.col.2.lit.D.

Capitis dolori oxyrhodinum actu gelidum, & niue refrigeratum à Reſi proponitur. fol. 45.col.1.lit.c. quando ſic adminiſtrandum eſt ex Galeno, & Aetij ſententia. ibidem.

Capitis dolori cum alijs localibus medicamentis adſtringentia ſemper ſunt admiſcenda. fol.45.col.2.lit.c.

Capitis dolori in augmento, ſtatu, & declinatione quæ competunt localia medicamenta. fol.46.col.1.lit.A.

Capitis doloris à ſanguine per diætam curatio. fol.46.col.1.lit. D.

& per pharmaciam, & vtrum conueni-


at.

unt. fol. 47. col. 2. lit. B. D.
Capitis doloris à bile curatio. fol. 48. col. 1. lit. B.
Capitis dolori à bile victus humidior, ac à ſanguine excitato eſſe debet: fol. 48. col. 1. lit. E.
per localia medicamenta curatio. fol. 49. col. 2. lit. E.
Capitis doloris à pituita per victus rationem curatio. fol. 51. col. 1. lit. C.
eidem inedia maximè prodeſt. fol. 52. col. 1. lit. A.
an vinum conueniat, et Auctoris ſolutio, fol. 52. col. 1. lit. C.
per pharmaciam curatio. fol. 52. col. 2. lit. B.
Capitis dolori à pituita, et vrgenti, ſine præparatione medicamentum purgans conueniat; Saxoniæ, et Auctoris opinio, fo. 52. col. 2. lit. D.
Capitis doloris à melancholia curatio. fol. 57. col. 2. lit. E.
Capitis dolori à melancholia genito, victus humidior, ac à pituita enato eſſe debet. fol. 58. col. 1. lit. D.
Capitis dolori ex miſtis humoribus miſta præſidia opus ſunt. fol. 60. col. 2. lit. B.
Capitis dolor antiquatus cephalea dicitur; recens pro cephalalgia. fol. 60. col. 2. littera C.
ſi verò dimidiam obſideat capitis partem, hemicrania nominatur, fol. 60. col. 2. lit. D.
Capitis dolor ab intemperie ſimplici abſque vlla conſideratione ad cauſam antecedentem curatur. fol. 61. col. 1. lit. C.
Capitis doloris ab intemperie ſimplici, vel miſta curatio, ibid. lit. E.
Capitis doloris ab intemperie ſicca curatio. fol. 62. col. 2. lit. A.
& ab intemperie frigida. fol. 62. col. 2. littera E.
Capitis in dolore pro intemperiei magnitudine medicamentorum ratio variari oportet. fol. 63. col. 1. lit. A.
Capitis doloris ab ebrietate curatio. fol. 63. col. 2. lit. C.
Capitis doloris per conſenſum curatio. fol. 66. col. 2. lit. A.
Capitis doloris aliqua medicamenta à proprietate medentur. ibid. lit. E.
Caput magnum maioris vaporum receptionis cauſa eſt, paruum verò debile eſt, & caloris imbecillioris. fol. 278. col. 2. lit. D.
Capita calida, & rara cauſarum externarum violentiam facilius recipiunt. f. 279. col. 1. lit. B.
Capite nihil patiente excitari poteſt ex ipſo humorum defluxus. fol. 301. col. 2. lit. B.
Capinarcius improbatur ſuper hoc argumentum, actio mouendi eſt læſa, ergo & ipſius inſtrumentum; quod valeret in actionibus naturalibus. fol. 334. col. 1. lit. E.
Carnis lachrymalis diminutio quid ſit. fol. 365. col. 1. lit. E.
Caro lachrymalis materiam à cerebro illabentem recipit, & in nares exprimit. fol. 365. col. 1. lit. D.
Carnis lachrymalis diminutionis cauſæ. fol. 365. col. 2. lit. B.
ſigna ibid. lit. D. euentus. ibid. lit. E.
Caro lachrymalis ex ſemine, & ſanguine conſtructa eſt, & reſtaurari non poteſt. fol. 366. col. 1. lit. A.
Carnis lachrymalis curatio. fol. 366. c. 1. l. B.
ad Carnem lachrymalem collyria. fol. 366. col. 2. lit. C. E.
Carnis lachrymalis magnitudo quid ſit. fol. 367. col. 1. lit. C.
cauſæ. ibid. lit. D.
ſigna. ibid. col. 2. lit. B. Euentus. ibid. lit. C. curatio. ibid. lit. D. localia. fol. 368. col. 1. lit. B.
Caros dupliciter accipitur. fol. 159. col. 1. l. D.
Caros quid ſit. fol. 162. col. 1. lit. B.
Caros ſymptoma ſenſus communis eſt. f. 162. col. 1. lit. B.
Caros à ſoporoſis alijs affectibus quomodo diſtinguatur. fol. 162. col. 1. lit. C.
in Caro reſpiratio magna, ideſt violenta, abolitur, non autem naturalis. fol. 163. col. 1. lit. B.
ad Carum febris non ſemper ſequitur. f. 163. col. 1. lit. B.
Caros tum per eſſentiam, tum per conſenſum in capite eſſe poteſt. ibid. lit. D.
Caro affecti vbi vehementer punguntur, & læduntur, ſentiunt, & mouentur. ibid.
Cari, Comatis, & Cataphoræ cauſæ. f. 164. col. 2. lit. C.
Caros ex vulnerato muſculo temporali, et ex terebra perforante eſſe caluariæ. 165. col. 1. lit. E.
Cari, Comatis, et Cataphoræ ſigna. fol. 165. col. 2. lit. A.
ſigna cauſarum. ibid. lit. D.
Cari, Comatis, et Cataphoræ prædictiones. fol. 166. col. 1. lit. D.
indicationes, et per victus rationem curatio. fol. 166. col. 2. lit. D.

Caros ſequens febrem malignam ad febris ab lationem curatur. fol. 167. col. 1. l. A.
Cari, comatis, & catapboræ per pharmaciam curatio. fol.167.c.2.l.E.
ad Carum medicamenta ab Auctore experta. fol.169.c.2.l.B.C.
Carunculæ in magno vtriuſq; oculi angulo à natura duplici ratione appoſitæ ſunt. fol. 365.c.1.l.c.
Caſſiam vt venenum aliquos abhorruiſſe Auctor obſeruauit. fol.482.c.1.l.E.
Cataracta lege ſuffuſio.
Catarrhi variæ doctorum definitiones. fol. 274.c.2.l.B.C.D.
Catarrhus reſpectu materiæ conſideratus excrementum craſſum dicitur. fol.274.col.2. l.E.
Catarrhus reſpectu motus dicitur fluxus.fol. 275.c.1.l.A.
Catarrhus diuerſimode accipitur, prout ad plura comparatur. fol.274.col.2.l.D.
Catarrhus ad os, & nares non dicitur præter naturam, niſi ratione quantitatis, vel qualitatis, vel ſigni cerebri male affecti.fol. 276.c.1.l.A.
Catarrhus ad oculos, & aures præter naturam non eſt, quia ex cerebro ſecundum naturam aliqua excrementi particula ad ipſos deponitur. fol.276.c.1.l.B.
Catarrhus pro partium, & excrementorum diuerſitate varias efficit morborum differentias. fol.276 c.1.l.c.
Catarrhus eſt ſymptoma in genere mutati excrementi ex Galeno, et Auctore. fol.276. col.2.l.E.
eiuſdem definitio f.277.c.1.l.B.
Catarrhus non lædit, vt excrementum aduerſus Capiuaccium. fol.277.c.1.l.D.
Catarrhus ex tenui excremento excitatur. fol.277.c.2.l.B.
Catarrhi cauſæ. fol.278.c.1.l.A.
ad Catarrhum an intemperies calida, an frigida aptior ſit. fol.279.c.1.l.B.
Catarrhi ſigna. fol.279.c.1.l.c.
Catarrhus frigidus ab ambiente calido excitari poteſt, & è contra calidus ab ambiente frigido. fol.280.c.1.l.A.
Catarrhus in nares leuis, in fauces malus, in aſperam arteriam peior, in pulmones peſſimus ex Celſo. fol.280.c.1.l.D.
Catarrhi breues, ſi vt decet, curati nõ fuerint, longi fiunt, & difficilis curationis. fol.280 c.1.l.D.
Catarrhus per eſſentiam à capite, vel nunquam, vel rarò curatur. fol.280. col.1. l.E.
Catarrho laborantes ſplenitici non fiunt ex Hipp. & eiuſdem interpretatio ex Rufo, Sabino, & Auctore. fol.280.c.1.l.c.& fol. 281.c.1.l.A.
Catarrhi indicationes, & per victus rationem curatio. fol.281.c.1.l.B.& fol.282. c.2.l.E.
Catarrhi cauſa non in vapores ex ſupino decubitu excitatos reijcienda eſt, vt Capiuaccius vult. fol.282.c.2.l.c.
Catarrhoſi an eleuato, an preno capite decumbere debeant? Auctoris ſententia. fol. 285. c.2.l.A.B.
ad Catarrhum Clyſteres. fol. 286. col.1. lit. B.c.
Catarrhi frigidi per pharmaciam curatio.fol. 286.c.2.l.A.
ad Catarrhum cauterium inter primam, & ſecundam ceruicis vertebrum. fol. 287. c.2.l.A.
Catarrhum ſedat ſpica in ore per noctem detenta. fol.287.c.1.l.E.
Catarrho laborantes parcius coenare debent, largius prandere. folio 283. col. 2. l.D.
in Catarrhi materia calida an liceat capiti apponere emplaſtrum ex fimo columbino, & ex thapſia Tralliani, Amati Luſitani, & Auctoris ſententia. fol. 553.colum. 2. lit.c.
Catoche vnde deducatur, & à Latinis quomodo appelletur. fol.170.c.1.l.B.c.
in Catoche quæ facultates aboleantur. fol. 170.c.2.l.B.
Catoche in quibus à lethargo, caro, & apoplexia differat. fol.170.c.2.l.D.
Catoche affectorum quamplures obſeruationes, & differentiæ. fol.171.c.1.l.A.
in Catoche quæ pars affecta ſit. fol.172.c.2. l. D.
in Catoche, quæ pars afficiatur ex Auctore. fol.174.c.2.l.B.
Catoches cauſæ. fol.174.c.2.l.c,
Catoche ſequitur intemperiem frigidam, & ſiccam. fol.174.c.2.l.D.
in Catoche præter ſenſus, et motus amiſſionem eſt membrorum tenſio, ſeu rigiditas. fol. 175.c.1.l.c.
in Catoche partes quare diſtenſæ maneant, et rigidæ, ac congelatæ videantur? fol.176. c.1.l.c.

In Catoche cerebrum cum medulla, et neruis læditur, vnde diuerſi affectus ſequuntur ex Auctore aduerſus Petrum Garciam, & alios. fol. 176. col. 1. l. D.
Catoche quare repente occurrit. fol. 176. c. 1 l. E.
Catoches ſigna. fol. 177. c. 1. l. E.
prædictiones, indicationes, per victus rationem curatio. fol. 178. col. 1. lit. A. B. c, & col. 2. lit. A.
Catoches per pharmaciam curatio. fol. 179. c. 1. l. B.
Caucalis daucus ſylueſtris eſt. fol. 341. c. 1. l. c.
Cauſa efficiens duplex; alia in eſſe, & conſeruari, alia in eſſe, & non conſeruari. fol. 15. c. 1. l. A.
Cauſa à materiali medendi indicatio deſumitur. fol. 473. c. 1. l. D.
Cauſa coniuncta morbi eſt, qua poſita morbus ponitur, & qua ablata tollitur. fol. 499. c. 1. l. B.
Cerebrum naturaliter album eſt, et ſpiritus animales lucidi. fol. 115. c. 1. l. A.
Cerebri operationes ab humore melancholico, vt qualitatibus prædito læduntur. fol. 115. c. 1. l. D.
Cerebrum tam ſecundùm corpus, quàm ſecundum ventriculos in apoplexia magis, quàm in epilepſia læditur. fol. 164. col. 1. lit. A.
Cerebrum vniuerſum ex ſubſtantia medullari homogenea, eiuſdemq; natura conſtat, aduerſus Galenum. fol. 164. col. 1. lit. D.
Cerebri actio duobus modis conſideratur. fol. 172 c. 2. l. D.
Cerebri pars poſterior, quid ſit. fol. 174. c. 2. l. B.
Cerebrum ad tantam intemperiem declinare non poteſt, vt affatim ſpirituum animaliũ omnis generatio tollatur, homine ſuperſtite. fol. 199. c. 1. l. A.
Cerebrum ex ſubſtantia medullari, & duabus membranis conſtat. fol. 235. col. 1. l. E.
In cerebri cauitate ſpiritus animales ſunt, qui deinde à ſpinali medulla per ſuum canalem recipiuntur. fol. 135. col. 1. l. E.
In cerebro duo generantur excremẽta, vnum craſſum, alterum tenue. fol. 274. col. 2. l. D.
ex Cerebro pituita per quos meatus expurgatur. fol. 275. c. 2. l. B. c.
Cerebrum, quia inſignis eſt molis, multam alimenti copiam requirit. fol. 278. col. 1. l. B.
Cibum ſemel aſſumere conſuetis, ſemel cibum offerri debet. fol. 284. c. 1. l. B.
Cicatrix calloſa non poteſt curari, quia medicamentis non cedit. fol. 322. col. 1. l. c.
Cicerum facultates. fol. 581. colum. 2. l. E.
Clyſter an præcedere debeat ſanguinis miſſionem, an è contra ſanguinis miſſio clyſterem? Auctoris ſententia, Hipp. et Galen. conciliatio. fol. 98. col. 1. l. D. et fol. 99. c. 1. l. D.
Clyſter à capite trahit ex Galeno. fol. 98. c. 2. l. c.
Coagula natura acria ſunt, detergentia, abſtergentia, refrigerantia, et reprimentia ex Arabum ſententia. fol. 550. col. 1. l. A.
Coana eſt glandula quædam, quæ pituitam à cerebro fluentem recipit, et eius ſitus. fol. 275. c. 3. l. e.
Cœna quando prandio parcior eſſe debeat. fol. 284. c. 2. l. A.
à Cœna per tres, aut quatuor horas cubandum ex Auic. fol. 283. c. 2. l. B.
Cœna largior eſſe debet, vbi facultas robuſta ſit propter caloris naturalis magnitudinem & bonum temperamentum, ac etiam quia viæ latæ ſint. fol 284. c. 1. l. E.
Collum ex vertebris ſeptem eſt conſtitutum. fol. 433. c. 1. l. c.
Colli duæ primæ vertebræ duplici motu capiti famulantur. fol. 433. c. 1. l. E.
ſuper Colli prima vertebra annutionis, et abnutionis motus ſit, ſuper ſecunda motus in gyrum. fol. 433. c. 2. l. c.
Colli, ſeu ceruicis anotomia. fol. 433. col. 2. l. D. E.
Collyria pro oculorum morbis actu humida ſint, potentia nonnihil adſtringentia. fol. 303. c. 2. l. A.
Collyria, quæ ab Arabibus ſuf dicuntur, quid ſint. fol. 308. c. 1. l. c.
Collyrium Galeni triferon, ideſt delicatum dictum, collyrium aliud Meſues. fol. 308, c. 2, l. c.
Collyrium in duplici eſt differentia. fol. 309. c. 2. l. A.
Collyrium in oculorum curatione in duplici eſt differentia. fol. 309. c. 2. l. B. c.

Collyrium fluidum collyrium monohemerum à Galeno appellatur. fol. 319. col. 2. lit. B. c.
Collyrium egregium ad albugines, quod pro ſecreto ab aliquibus habetur. fol. 328.c.2. l.C.D.
aliud Capiuaccei. fol.324.c.1.l.A.
Collyrij viridis Raſis deſcriptio. fol.329. col. 1.l. c.
Columbarum pulli an attennandi facultatem habeant. fol.65.col.2.l.D.
Coma vigil ab aliquibus impropriè catho- ches appellatum fuit. fol. 188. col. 1. l.E.
Coma vigil in quo conueniat, & differat à comate ſomnolento. fol. 118. col. 2. l.E.
Coma affectio media eſt inter lethargum, & phrenitidem. fol.189.col.1.l.A.
Coma vnum pigrum dicitur, aliud non pigrum ex Galeno. fol.189.c 1.l.D.
Coma ſenſus communis deprauati ſymptoma eſt. fol.189.col. 1.l. E.
Comatoſi vigiles non dormiunt, ſed ſperant ſe poſſe dormire. fol.189.c.2.l.A.
Comatis vigilis definitio. fol. 189. col. 2. l. c.
Coma vigil cerebri intemperiem ſequitur ex Galeno; ex Auicenna tum intemperiem, tum malam cerebri compoſitionem. fol. 189.c.2.l.E.
Comatis vigilis cauſæ. fol. 190. col. 1. l. A.
differentiæ. fol.190.c.1.l.C.
Comatis vigilis perfecta cognitio, & curatio ex morbis, quos inſequitur, habetur. fol. 190.c.2.l.c.
Concoctioni quis requiritur, ad diſtributionem motus. fol.284.col.1.l.E.
Coniunctiua membrana, ſeu adnata eſt omnium vltima reſpectu partium internarū. fol.300.c.2.l.B.
Coniunctiuæ venæ, & arteriæ ex eodem trunco oriuntur, à quo venæ, & arteriæ pericranij prodeunt. fol.300.c.2. l.B.
Conſolida maior agglutinandi facultatem habet, itaut carnes, cum quibus coquitur, coagulet, ex Iouberto, & Dioſcoride. fol. 549. c.2.l.B.
Conſuetudo eſt altera natura. fol.284. c. 1. l.A.
Contraria dicuntur, quæ ſunt ſub eodem genere, & maximè diſtant. fol. 182. c.2. l.B.
Contrariarum cauſarum contrarij ſunt effectus. fol.347.col.2.l.B.
Conuulſio duobus conſideratur modis. fol. 213.c.1.l.B.
Conuulſio apud Galenū diuulgatiſſimè ſpaſmus dicitur. f.258. apud Celſum neruorum diſtenſio appellatur. fol. 258. col. 2. l.B.
Conuulſio quomodo fiat. fol. 259. col. 2. l.B.
Conuulſionis definitio ex Galeno. fol. 260. c.1.l.C.
Conuulſio à motu voluntario in quo differat fol.260.c.2.l.A.
Conuulſio ſymptoma eſt actionis animalis motricis deprauatæ, & abolitæ. fol.260.col. 2.l.D.
Conuulſio duobus modis conſideratur. fol. 260.c 2.l.E.
Conuulſio non eſt ſpirituum animalium, & cerebri morboſa diſpoſitio cum imaginatione appetitui iuncta, vt voluit Eraſtus. fol. 260.c.2.l.E.
Conuulſionis differentiæ à ſubiecto deſumptæ in duplici ſunt differentia. fol.261.c.1. l.E.
Conuulſionis vniuerſales differentiæ tripliciter diſtinguūtur, prout caput, & corpus ad diuerſos ſitus, & poſitiones trahuntur. fol. 261.c.2.l.E.
Conuulſionis aliæ differentiæ ad opiſthotonos, emproſthonotos, & tetanos reducuntur. fol. 261.c.2.l.A.
Conuulſionis differentiæ à cauſis, & à morbis. fol.261.c.2.l.D.E.
Conuulſio non fit ex materia craſſa, et pauca, paralyſis ex tenui, et copioſa, aduerſus Nicolaum Florentinum, Gentilem, Rondelentium, et Ioubertum. fol. 264. col. 1. l.c.et 265.col.1.l.A.B.
In conuulſione, qua pars afficiatur, ex Auctoris opinione. fol.262.col.2.l.c.
Conuulſio bifariam diuiditur. fol.262. c.1. l.A.
Conuulſio ſequitur continui ſolutionem, et malam compoſitionem. fol. 263. col.1. l.A.B.
quam intemperiem ſiccam, à qua fiunt conuulſionis ſpecies ad materiam proportionatæ. fol.263.c.1.l.c.
In conuulſione ab inanitione duo conſiderantur, vnum humidi euaporatio, aliud ſiccitas. fol.263.col.1.l.E.
Conuulſionis cauſæ. fol.263.c.2.l.B.

# I N D E X


Conuulſionis ex inanitione cauſæ. fol. 266. col.1.lit.D.
Conuulſionis non proportionatæ cauſæ. fol. 266.col.2.lit.A.
Conuulſio non proportionata non eſt vera conuulſio, ſed motus conuulſiuus, & fit per conſenſum duobus modis. fol.266.col. 2. lit.B.
Conuulſionis imminentis indicia. fol. 267. col.1.lit.A.
Conuulſionis hiſtoriæ ex Hippocrate in epidemijs, & Auctoris obſeruationes. fol.267. col.1. lit.D.E.
Conuulſionis præſentis indicia. fol.267. col. 2. lit.D.
ſigna cauſarum. fol.268.col.1.lit.c.
euentus. fol.269.col.1.lit.A.
Conuulſioni ſuperuenire febrem melius eſt, quàm febri conuulſionem ex Hipp. f.269. col.1.lit.D.
Conuulſio ex elleboro, & nimia euacuatione, vel ſanguinis fluxu, vel ex vulnere lethalis, ex eodem. fol.269.col.1.lit.E. & col.2. littera c.
Conuulſionis curatio per chirurgiam, et indicationes. fol.270.col.1. lit.A. per pharmaciam. fol.270.col.2.lit.A.
Conuulſioni vniuerſali, nulla expectata humorum coctione, purgatio competit. f.270. col.2. lit.c.
in Conuulſione corpus oportet per epicraſim purgare pilulis poſt duas, aut tres horas à coena. fol.271.col.1.lit.D.
Conuulſioni decoctum ex ligno ſancto, ſarſaparilla, ac medico ſasfras confert fol.271. col.2.lit. A.
ad eandem ante decoctum bolus. ibid. litt. B.
& per localia medicamenta curatio. fol. 272.col.1.lit.A.
ad Conuulſionem medicamenta emollientia ſunt opportuna. ibid. lit.E. valent, & aquæ thermarum, cuius minera ſit ſulphur. ibid. col. 2. lit. B. veruecis fruſtum conuulſæ parti applicatum mirabiliter confert, vel eius lana, oleo coſtino, & vulpino imbuta. ibid. lit. c. Balneum ad conuulſionem. ibid. lit. D.
in qua Conuulſione frigida aqua ſupra corpus inſperſa, conferat, vt Hipp. Gal. & Auic. voluerunt, quod Aegineta, & Aurelianus, vt temerarium medicamentum reprobarunt. fol.273.col.1.lit.B.
Conuulſionis curatio per diætam. fol. 273. col.1.lit.c.
ad Conuulſionem clyſter. fol.273.col.3.lit.c.
Conuulſioni cum febre alia victus ratio competit, ac ſine febre. fol.273.col.2.lit.A.
Conuulſio eſt muſculi ad propriam originem contractio. fol.381.col.1.lit.A.
Conuulſio ad materiam proportionata duplex eſt. fol.381.col.1.lit.c.
Conuulſio ad materiã improportionata ſpaſmus per conſenſum dicitur. fol.381.col.1. lit.D.
Conuulſionis varia nomina prout varijs contingit partibus fol.381.col.1.l.E.
Conuulſio, et palpitatio ſunt motus deprauati præter naturales tantum. fol. 447. col. 2. lit.D.
Cor in medio pulmonum continetur. fol.525. col.1. lit.B.
in Cordis ſiniſtro ventriculo duo calculi inuenti ſunt in muliere diſſecta poſt mortem ab Hollerio, quæ quatuor menſium ſpatio vrinam purulentam intolerabili cruciatu mingebat integris renibus. fol.537.col.1. lit. B.
Cordis ſiniſter ſinus foetidiſſimo humore repletus fuit obſeruatus ab Andrea Laurentio in homine, qui ante obitum bis in die in deliquium leue per menſem incidebat, et ſtatim in ſe redibat, excretà foetida vrina cum ardore, et meiendi deſiderio incredibili. fol.537.col.1.lit.c.
Cordis ſiniſter ſinus ſpirituum vitalium domicilium eſt, eorumque generationis locus. 537.col.1.lit.c.
Cor abſceſſum pati non poteſt aduerſus Medicos ex Auctore. fol.537.col.2. lit.A.
Cor vt membrum inſtrumentale pulſus facit; vt ſimilare verò ſpiritus vitales generat. fol.574.col.2.lit.B.
in Corde poteſt ſine attractione colligi materia varia, vt lapis, vermis, et huiuſmodi. fol.578.col.1.lit.c.D.
Cor duplicem habet actionem, vt membrum ſimilare nempe, et organicum. fol. 589. col.2.lit.B.
Cordis motus à cerebro ſecundùm aliquorum recentiorum, et antiquorum opinionem fit, qui à Galeno irridentur. fol.589.col.2. lit.D.E.
Cordis pulſus, et motus ſecundùm aliquos fit ex alimento tumefacto, & inflato à calido alterato. fol.589.col.2.lit.E.
Cordis pulſus fit à propria, & innata eius facultate, & temperie, ex Auctore. fol.590. col.1.lit.A.
Cordis exigua intemperies pulſus variat arteria-

teriarum pro ſua cuiuſq; natura. fol. 591. col. 1. lit. D.
Cordis diſpoſitiones à forti proueniunt intemperie ex Galeno. fol. 591. col. 1. lit. c.
Cordis intemperies quatenus partium ſimilarium mortem ſubitam non inducunt, ſed quatenus partium diſſimilarium aduerſus Thomam Anega Galenum malè interpretantem. fol. 591. col. 1. lit. D. & col. 2. littera A.
Coriandrum an ſit frigidum. fol. 220. col. 2. lit. E.
Corneæ membranæ, ſeu ſcbliroridis vena ex venis duræ membranæ cerebri deducuntur. fol. 300. col. 2. lit. D.
Cornea membrana in membranulas quaſdam tenuiſſimas, veluti ſquamas eſt diuiſibilis aduerſus Alexandrum Benedictum. fol. 314. col. 2. lit. A. B.
Cornea membrana propter luciditatem cornea denominatur. fol. 334. col. 1. lit. B.
Cornea concidit ex humoris aquei, ſpirituūq; reſolutione, quod vitium ſenibus accidit. fol. 374. col. 1. lit. A.
Corpore purgato viſcerum inſtaurationi incumbendum eſt. fol. 60. col. 1. lit. c.
Corpus noſtrum in três cauitates diuiſum eſt, in caput, ventrem infimum, idest abdomen, & in ventrem medium, idest thoracem, & artus. fol. 446. col. 1. littera B.
in Corpore viuente tanta frigiditas non reperitur, vt vapores congelentur. fol. 593. col. 2. lit. A.
Coruinus Orator ex lapidis percuſſione memoriam amiſit. fol. 150. col. 2. lit. D.
Crocus concoquendi facultatem habet, & moderatè adſtringendi. fol. 320. col. 1. lit. c.
Cruda materia, aut nunquam, aut rarò eſt purganda. fol. 600. col. 1. lit. B.
Crus eſt primarium deambulationis inſtrumentum. fol. 466. col. 2. lit. c.
Cura coacta regularis, & irregularis dicitur. fol. 184. col. 2. lit c.
Curatio duplex eſt alia regularis, alia coacta, ſeu irregularis. fol. 32. col. 2. lit. A.
Curationis diuiſionem in regularem, & coactam, Maſſarias, et Syluaticus non admittunt, eorumque rationes. fol. 32. col. 2 lit. c. et infra.
Curatio irregularis duplex eſt, vna in qua indicationes ſibi inuicem repugnātes ſunt; altera, in qua præter repugnantiam aliquod vrgens eſt. fol. 34. col. 1. lit. c.
Curatio, in qua vrgens eſt præter indicationum repugnantiam, verè irregularis dicitur. fol. 34. col. 1. lit. E.
Curatio irregularis coacta à Galeno 3. meth. 9. dicitur. fol. 34. col. 2. lit. B.
Curationem morborum omnium indicans vitale, præſeruatorium, & curatorium perficiunt. fol. 457. col. 2. lit c.
Cuticula ab excrementis craſſioribus, & glutinoſis tertiæ coctionis gignitur, ideoque ſemper reſarciri poteſt. fol. 16. col. 1. littera c.
Cuticula venis, ac ſenſu caret, & non nutritur. fol. 7. col. 2. lit. E.
Cuticula mori dicitur impropriè. fol. 8. col. 1. lit. A.

## D

Decoctio ſerum per renes ad veſicam educens. fol. 363. col. 1 lit. C.
Dentes oſſa ſunt, ſed ab ijs differunt, quia ſentiunt. fol. 425. col. 1 lit. B.
Dentium dolorem in ſe ipſo expertum fuiſſe Galenus ſcribit. fol. 425. col. 1. lit. C.
Dentes ſent unt per neruum à ſexta coniugatione exortum, qui dentem ingreditur, & in medium ipſius in tenuiſſimam membranam degenerat internam dentis ſuperficiem operientem. fol. 425. col. 1 lit. D. E.
Dentes à ſecundis qualitatibus non patiuntur. fol. 425. col. 2. lit. A.
Dentes toto vitæ curriculo augentur. fol. 425. col. 2 lit. B.
Dentis ſubſtantia non ſentit aduerſus Auic. fol. 425. col. 2. lit. C.
Dentes ex materia ſpermatica oriuntur. ibidem.
Dentes primi puerorum ex inferiori ordine, ſeu ſurculo enaſcuntur, qui quando cadūt, alia à ſuperiori ordine ſubſequuntur. fol. 425. col. 2. lit. E.
Dens vnicus, et continuus in aliquibus ex ſurculo ſuperiori ſpermatico poſt primos dentes producitur. fol. 426. col. 1 lit. A.
Dentium tres ordines teſtatur Realdus Columbus in vnico ex ſuis filijs. fol. 426. col. 1. lit. A.
Dentes appendices non habent, ſeu additiones, aduerſus Valuerde, et Vidium iuniorem. fol. 426. col. 2. lit. B.
Dentes, vt plurimum triginta duo ſunt, et in molares, ſeu maxillares, caninos, et inciſorios diuiduntur. fol 426. col. 2. lit. c.
Dentes canini vtrinque ſinguli ſunt, è directo ſibi correſpondentes ad frangendum

maximè idonei. fol.426.col.2.lit.D.
Dentes molares quinque ab vtroque latere tam ſuperiori,quàm inferiori exiſtunt: ad terendum cibos molarum inſtar ſunt facti. fol.426.col.2.lit.E.
Dentium radici arteria inſeritur, vnde dolor pulſatilis oritur. fol.427.col.1.lit.B.C.
Dentium doloris cauſæ. fol. 427. col. 1. lit. B. C.
Dentibus, & oſſibus, & neruis frigida intemperies inimica eſt. fol. 427. col. 1. littera E.
Dentium doloris ſigna. ibid. col.2.lit.C. euentus. fol.428.col.1.lit.D.
Dentium doloris per diætam curatio.fol.428. col.2.lit.B.
per pharmaciam, & chirurgiam. fol.429. col.1.lit.C.
Dentium doloris cura maximè in localibus repoſita eſt. fol.429.col.1.lit.E.
Dentium doloris per localia curatio. fol.429. col.2.lit.A.
Dens caninus aduſtus, tritus, & cum aceto coctus dentium dolori mirifice prodeſt. fol. 429.col.2.lit.D.
ad Dentium dolorem Auctoris medicamentum. fol.430.col.1.lit.D.
ad Dentes perforatos medicamenta. fol.430. col.2. lit. E.
ad Dentes ſtupidos portulacam confricatam maximè conferre vulgares etiam norunt. fol.431.col.1.lit. B.
ad Dentes nigros, & commotos medicamenta. fol.431.col.2. lit. A.
Deploratis à morbo cura deneganda non eſt, et ſaltem per ea medicamenta, quæ nullam virtuti afferre poſſunt detrimentum. fol. 453.col.2.lit.D.
Deſtillatio lege catarrhus.
Deus, & natura ex poſſibilibus agunt id,quod melius eſt. fol.201. col.1.lit.B.
Diæreſis eſt ſanguinis fluxus per venæ diſruptionem factus. fol.417.col.1.lit.B.
Diæreſis quid ſit, & eius cauſæ. fol.417. col. 1. lit. C.
Diata ſubiectum ſex res non naturales ſunt. fol.8.col.2.lit.c.
Diaphragma lege ſeptum tranſuerſum.
Diaphragma muſculus inſignis eſt naturales à ſpiritualibus partibus diuidens. fol.446. col.1.lit.B.
Diaphragma inſpirationis eſt auctor. fol.471. col.1. lit.E.
Diapedeſis duplex. fol.544.col.1.lit.B.
Diapedeſis quid ſit, & eius cauſa. fol. 544. col. 2. lit. A.
Diapedeſis inter ſanguinis fluxus genera non eſt admittenda ex Galeno, ſed ad anaſtomoſim reducenda. fol.541.col.2. lit.B.
Diarrhæa tum quantitatis, tum qualitatis ratione dicitur fluxus immodicus. fol.275. col.1. lit.E.
Diaſpermati compoſitio, & doſis. fol. 552. col.1.lit.C.
Diſpnoea genus quoddam eſt duas continens differentias ſecundùm magis, & minus differentes. fol.467.c.1.lit.D.
Diſpnoea eſt cum ſpiritus denſus redditur. fol.467.col.1.lit.E.
Dolor quid ſit. fol.31.col.1.lit.A.
Dolor in parte ſenſibili violenter ab obiecto mutata excitatur. fol.31. col.1.lit.B.
Doloris cauſæ ſunt, vel ſolutio continui, vel intemperies,à qua dolores exigui fiunt, vel ambo ſimul,à quibus maximi, & moleſtiſſimi excitantur dolores. fol. 31. col. 1. lit. C.
Dolor pulſatiuus arteriarum affectio eſt. fol. 36.col.1.lit.E.
Doloris definitiones duæ reperiuntur; vna cauſalis, altera formalis. fol.389. col.2. lit. D.
Dolor eſt mutatio ſubito, & affatim facta à ſtatu naturali ad præter naturam. f.389. col.2.lit.D.
ad Dolorem duo neceſſariò requiruntur. fol. 389.col.2.lit.E.
Doloris cauſa, aut organum male diſpoſitum eſt, aut obiectum improportionatum, atque medium. fol.390.col.2.lit.B.
Dolor ingens ſit,ſi tangatur cutis detecta, etiam molli obiecto. fol.390.col.2.lit.B.
Doloris cauſa immediata eſt ex Galeno modò intemperies, modò continui ſolutio, modò vtraque ſimul. fol.391.col.1.lit.E.
Dolor mitis ex nuda intemperie, vehementior ex ſoluta vnitate, vehementiſſimus ex ambabus gignitur. fol.391.col.2.lit.C.
Doloris ſeptem dantur differentiæ. fol. 391. col.2.lit.D.
Dolor pungitiuus, exulceratiuus, et frangitiuus ſecundum magis, et minus differunt. fol.391.col.2.lit.E.
Dolor grauatiuus, tenſiuus, et laxatiuus vnam conſtituunt ſpeciem. fol.391.col.2.lit.E.
Dolor pulſatiuus inflammationis ſignum eſt pathognomonicum. fol.392.c.1.lit.A.
Doloris aurium cauſæ. fol. 392. col. 2. lit. A.
Doloris aurium ſigna. ibid. lit.E. à frigida

intemperie. ibid.col.2.lit.B. à calida. ibid. lit. C. ab inflammatione. ibid.lit. D. à flatu. ibid. ab exteriori. fol. 394. col. 1. lit. A.

Dolor aurium pueros ſæpè interimit,et huius ratio. fol.394.col.1.lit.D.

Dolore aurium aliquos non ſecus, ac ab apoplexia interimi ſcribit Auic. de doloribus aurium ex inflammatione intelligendus eſt. fol.394.col.1.lit.C.

Doloris aurium indicationes, & curatio à materia frigida. fol.394.col.2.lit.A.

in Dolore aurium, quæ inſtillantur in aures, debent eſſe moderatè calida. fol.395.col.2. lit. B.

ad Dolorem aurium topica medicamenta. fol.395.col.1.lit.D.

Doloris aurium à flatu per localia curatio. fol.395.col.2.lit.D.

ad eundem Alexandri præſentaneum medicamentum. ibid. lit. E. aliud ſingulare Auctoris. fol.396.col.1.lit.C.

Doloris aurium à caliditate, et inflammatione curatio. fol.396.col.2.lit.A.E.

localia ad eundem. fol. 397. col. 1. lit.B.

localia per ſpecillū melius immittuntur, in aures, quam per inſtillationem ex Galeno. fol.397.col.2.lit.B.

Dolor aurium, et dentium à cura regulari medicum diſcedere cogunt. fol.397.col.1. lit. D.

ad eundem Auctoris medicamentum. fol. 397. col.2.lit.c.

in Dolore aurium ab inflammatione duas habemus indicationes. fol. 398. col. 1. lit. A.

Doloris aurium à cauſa externa curatio. fol. 399.col.1.lit.A.

ad eundem ex aqua in aurem ingreſſa æger vno pede exiliat ex Aetio. fol.398.col. 2. lit. D.

in Dolore ingentiſſimo abſque fomentis ſanguis mittendus eſt ex Auctore. fol. 508. col.2.lit.E.

Dolore deſcendente ad hypochondria ad medicamentum purgans confugiendum eſt,ex Hipp. fol.509.col.2.lit.A.

eoque aſcendente ad ſanguinis miſſionem. fol.509.col.2.lit.D.

Dolor ad hypochondria deſcendens, quia eſt extra thoracem, pleuriticus non poteſt dici ex Valleſio,et Augenio,quos Auctor impugnat. fol.510.col.1.lit.A.D.

in Dolore ad hypochondria deſcendente an ſit mittendus ſanguis;aſcendente verò ad claviculam, an ſit purgandum: multique iuxta Hipp. et Gal. mentem negatiuè concludere putantes ab Auctore reÿciuntur, et eiuſdem ſententia. fol. 512. col. 2. littera B.

Dolor vehementiſſimus eſt ſymptoma actionis ſenſitiuæ deprauatæ læſæ. fol.596. col.1. lit. D.

Dormientium ſitus quis ſit magis laudabilis. fol.284.col.2.lit.B.

Dulcia,an, et quando in bilem conuertantur. fol.123. col.1. lit.E.

## E

ECſtaſis eſt vehemens inſania authore Gal. fol.143.col.2.lit.C.

Ecſtaſis apud medicos quot modis accipiatur. fol.143.col.2.lit.D.

Ellebori extractum quomodo preparetur. fol.131.col.2.lit.B.

Emplaſtri ex fimo columbino compoſitio. fol 557.col.2.lit.E.

Empyema quid ſit, & vnde deducatur.f.530. col.1.lit.B.C.E.

Empyema eſt morbus in numero à toto genere præter naturam. fol.530.col.2.lit.B.

in Empyemate pars affecta thoracis capacitas eſt. fol.530.col.2.lit.c.

Empyematis cauſæ. fol.530.col.2 lit.D.

Empyema propriè dictum eſt,in quo verè pus colligitur; impropriè, in quo ſit cuiuſcunque materia putreſcentis collectio. fol.530. col.1.lit.c.

Empyematis ſigna. fol.530.col.2.lit.B.

Empyematis in fieri ſigna. fol. 532. col. 1. litt. c.

Empyema in duobus ſit locis, in pulmonibus nempe, & pleura; & horum locorum ſigna. fol.532.col.2. lit.B.

Empyematis à deſtillatione ſigna. fol. 532. col.2.lit.e.

Empyematis iam confirmati ſigna. fol. 533. col.1.lit.c.

Empyematis euentus. fol.533.col.2.lit.A.

Empyematicus quidam inter vnam, & alteram coſtam ſectus ſuperſtes euaſit, ex Auctoris obſeruatione. fol.533.col.2.lit.B.

Empyematici quicumque vruntur,vel ſecantur. ſi pus purum fluxerit, & album, euadunt; ſi verò ſubſeruentum, & foeculentum, & foetidum pereunt ex Hipp.f.533. col.2.lit.D.

Empyematicus niſi in quadraginta diebus mundificetur, in phthiſim cadet ex Hippo-

pocrate. fol. 434. col. 1. lit. A.

*Empyematis per diætam curatio. fol. 534. col.1.lit.B.*

*Empyematis per pharmaciam curatio. f.534. col.2.lit.c.*

*Empyematici ante quadrageſimum diem ſunt ſecandi; quia poſt hos dies phthiſici fiunt. fol.539.col.1.lit.A.*

*Empyematici in qua parte ſunt ſecandi, & quo die, Hipp. Amati Luſitani, Veſalij, & Auctoris ſententia. fol.539. col.1.l.B. & infra.*

*Enchantis lege carnis lachrymalis magnitudo.*

*Enclyſis quid ſit apud Galenum. fol. 587. col.2.lit.E.*

*Epaphæreſis eſt ſanguinis miſſio repetita. fol. 507.col.2.lit.D.*

*Epaphæreſis quid ſit. fol.583.col.1.lit.A.*

*Ephialtes lege Incubus.*

*Epicauma, & encauma oculorum quid ſint. fol.312.col.2.lit.B.*

*et in quo conueniant, et differant. ibid. lit. D.*

*Epicraſis eſt mali euacuatio, bonique reſtauratio ſenſim facta ſiue medicamento, ſiue ſanguinis miſſione. fol.553.col.1.lit.A.*

*Epilepſiæ diuerſa nomina. fol. 212. col. 1. lit. D.*

*Epilepſia ab apoplexia in quo differat. fol. 212.col.1.lit.E.*

*in Epilepſia tam per eſſentiam, quàm per conſenſum vectrices facultates læduntur ex Galeno aduerſus Marcellum Donatum. fol.212.col.2.lit.A.B.*

*Epilepſiæ definitio ex Galeno. fol.213.col.1. lit. B.*

*Epilepſiæ eſſentia in motu deprauato ex Galeno conſiſtit. fol.213.col.1.lit.D.*

*in Epilepſia pars affecta cerebrum eſt tam ſecundùm ſuum corpus, quàm ſuorum ventriculorum. fol.213.col.2. lit.c.*

*Epilepſia an ſolum ab obſtructione gignatur, an à ſola venenata qualitate. fol.213. col. 2. lit. E.*

*Epilepſiæ cauſæ. fol.214.col.2.lit.D.*

*Epilepſia ſi cito ſit, & cito terminatur, quomodo à materia craſſa generatur, et ad quæſitum Auctoris reſponſio. fol. 215. col.1. lit.B.*

*in Epilepſia materia pituitoſa, vel melancholica ſenſim in cerebri cauitatibus, vbi in ſincipite piam membranam cerebrum attingit, colligitur, quo in ventriculos exprimitur. fol.215.col.1.lit.C.*

*Epilepſiam generant apium, hepar hircinum, & bitumen. fol.216.col.1.lit.B.*

*Epilepſia, alia eſt per idiopathiam in capite, ideſt per eſſentiam, alia per deuteropathiam, ſeu per conſenſum. fol. 216. col. 1. lit.C.*

*Epilepſiæ imminentis tam in pueris, quàm in adultis ſigna. fol.216.col.1.lit.E.*

*præſentis, atque cauſarum ſigna. fol. 216. col.2.lit.D.*

*in Epilepſia ſpuma quid denotet, eiuſdemq; cauſa efficiens. fol.217.col.1.lit.B.*

*in Epilepſia ſpuma ſignum lethale eſt ex Galeno. fol.217.col.2.lit.C.*

*Epilepſia ante pubertatem ſalubris eſt, poſt pubertatem verò incurabilis. fol.218. col. 1.lit.A.C.*

*Epilepſia morbus acutus eſt reſpectu acceſſionis; longus verò reſpectu durationis. fol. 218. col.2. lit.B.*

*Epilepſiæ in acceſſione curatio. fol. 218. col. 2. lit.D.*

*in Epilepſia multa adultis propinantur, pueris non conuenientia. fol. 219. col. 1. lit. A.*

*in Epilepſia deriuatio per ſectionem venæ poſt aures, & ad frontem pueris non conuenit. fol.219.col.1.lit.C.*

*in Epilepſia magno pedis digito puncto ſi cum extracto ſanguine ægri labia inungantur, ab acceſſione liberantur. fol. 219. col.1. lit. D.*

*Epilepſiæ indicationes, & per victus rationem curatio. fol.219.col.2.lit.B.C.*

*ad Epilepſiam puluis pro alimentis. fol.220. col.1.lit.B.*

*in Epilepſia leporis cerebrum, milui caro, & picæ aduerſus aliquos non conueniunt. fol.220.col.1.lit.E.*

*in Epilepſia apium, & coriandrum an, & quomodo conueniant. ibid.*

*Epilepſiæ per chirurgiam curatio. fol. 222. col. 1. lit.D.*

*Epilepſiæ ab humore melancholico hirudines ad venas hæmorrhoidales conueniunt. fol. 222.col.2.lit.B.*

*Epilepſiæ per pharmaciam curatio. ibid.*

*Epilepſiæ decoctum ex ſalſa, china, ligno ſancto, & ſasfras confert. fol. 223. col. 2. lit. A.*

*Epilepſiæ qua externa præſidia ſint opportuna, ad eamdemque medicamenta à tota ſubſtantia operantia. fol. 224. col. 1. lit. B.*

*Epilepſiæ cameli cerebrum, et muſtella exiccatum,*

catum, et cum aliquo liquore exhibitum prodeſt, ex Galeno: item ſecundina humana, aut aſinina in puluerem redacta mirabiliter operatur ex Varignana: ad eandem Auctoris probatum medicamentum. fol. 224. c.2.l.B.C.
Epilepſiæ in pueris curatio, et ad eandem amuleta. fol.224.c.2.l.D.E.
Epilepſiam tollunt lapides in hirundinum nidis inuenti, tam albi, quàm rubei, ex Serapione. fol.225.c.1.l.A.
Epilepſia hic Meſſanæ frequentiſſima, ac præcipuè in quibuſdam monialibus. fol.225. c1..l.C.
Epilepſia à toto corpore quomodo fit, ex Hip. fol.225.c.1.l.D.
Epilepſiæ per conſenſum differentiæ. fol.225. c.2.l.C.
duorum puerorum hiſtoriæ ex Gal. traditæ. ibid.l.D.
Marcelli Donati, Fernelij, Gattinaræ, & aliorum obſeruationes. fol.225. c.2.l.E. & fol.226.c.1.l.A.B.
Epilepſiæ per conſenſum cauſæ. fol.226.c.1. l.E.
ſigna. fol.227.c.1.l.A. euentus. ibid.c.2.l.A. curatio. ibid.l.C.
Epiphora lege Lachryma.
Eryſipelatis ſigna, & cauſæ. fol. 523. c.1. l.A.B.
Euentus futuri nomine tria intelliguntur. fol.500.c.1.l.C.
Euſtachius Rudius malè Galenum interpretatur circa neruos ſenſus tactus per corpus diſtribuentes, et thoracis motus. fol. 172.c.1.l.B.
Excretum per cutim aliud ſenſibile, aliud inſenſibile. fol.16.c.2.l.E.
Excrementa tertiæ coctionis quædam dicuntur eſſe vtilia tum ratione finis, tum propriæ ſubſtantiæ, quædam inutilia prorſus ratione ſubſtantiæ, et vtilia ratione finis. fol.359.c.1.l.C.
ex Excremētis craſſis tertiæ coctionis vngues generantur, ex minus craſſis cuticula, et ex ijs, quæ per cutis poros relinquuntur, ſordes. fol.359.c.1.l.D.
Ex excrementis tenuibus tertiæ coctionis, aliud inſenſibiliter euaporat, aliud in pilos degenerat. fol.359.c.1.l.D.
Expiratio naturalis muſculis non eget, quia fit à coſtarum grauitate. fol. 161. col. 2. l.A.
Expiratio violenta eſt ſimultanea ſpiritus extralatio, quæ à Gal. efflatio dicitur. fol.465 c.1.l.E.
Expiratio naturalis nullo eget muſculo, quia coſtæ ſua grauitate deorſum concidunt. fol.466.c.1.l.E.
Experientia, et analogiſmus duo ſunt inſtrumenta à medendi methodo aliena. fol.498. c.1.l.C.
Expiratio à nullo fit muſculo, ſed à coſtarum grauitate. fol.449.c.2.l.A.
Expiratio violenta à coſtarum grauitate fit opem ferentibus muſculis internis intercoſtalibus. fol.449.c.2.l.B.
Expreſſio oculi prouenit ex ſeptimi muſculi relaxatione, qui ad oculi baſim eſt, neruum opticum circumuoluens, ex Capiuaccio, & Veſſalio. fol.379.c.2.l.D.
Expreſſio oculorum eſt totius oculi extra proprium conceptaculum extuberantia. fol. 382.c.2.l.E.
in Expreſſione oculorum omnes muſculi agere deſinunt. fol.383.c.1.l.C.
Extrapulſio oculi ſtrangulatis, in vehementi capitis dolore, in magno clamore, & in mulieribus violento conatu parientibus quandoque contingit. fol.383.c.2.l.A.
Expreſſionis oculorum cauſæ. ibid. l.B. ſigna ibid. l.D. euentus. fol.384.c.1.l.A. curatio ibid.l.B.
in Expreſſione oculorum cucurbita ceruici in occipitio applicata non probatur ex Auctore aduerſus Paulum, Aetium, & Capiuaccium, ibid. l. c. & quando probatur. fol. 384.l.D.
in Expreſſione oculorum medicamenta pro varia indicatione, variè ſunt eligenda. fol. 384. colum.2. l.A.
in Expreſſione oculorum, quod medicamenta repellentia competant, ex Auic. ſano modo intelligendum eſt. fol.384.col.2.l.c.
Exufflatio pulmonum actio violenta eſt. fol. 497.c.2.l.E.

F

Facultates ſenſitiuæ in duplici ſunt differētia. fol.70 col.2.litlC.
Facultates ſenſitiuæ internæ quot ſunt. ibidem.
Facultates ſenſitiuæ externæ quot ſunt. ibid. lit. D.
Facultati viſiuæ maior ſpiritum animalium copia, quàm reliquis ſenſibus requiritur. ibidem.
Facultates hegemonicæ in cerebro reſidentes loco differunt ex Galeno. fol. 172.

172.c.2.l.B.

*Facultas animalis in rectricibus læſionem ha-bens, aut deprauatè, aut diminutè, cum aliis prauis ſignis mortem ſignificat. fol.* 501.c.1.l.A.

*Fauces ee dicuntur, quæ aperto ore ad lin-guæ baſim inſtar duarum cauitatum con-ſpiciuntur, fol.*434.c.1.l.E.

*à Faucibus tam gula, quàm aſpera arteria originem ducunt, fol.*434.c.2.l.A.

*in Faucibus pariſthmia, ſeu amygdalæ conti-nentur. fol.*454.c.2.l.A.

*Faucibus nullus à Galeno muſculus adſcribi-tur. fol.*434.c.2.l.B.

*Faucium muſculi laryngis, et gulæ muſculi ſunt. fol.*434.c.2.l.B.

*Fluxus cum ſit motus localis habet terminos à quo, ad quem, et mobile. fol.* 274. c.1. l.D.

*in Fluxu, qui ſint termini, et mobile. fol.* 274.c.1.l.D.

*Fluxus prout varios habet terminos ad quem, varia ſortitur nomina. fol.* 274. col. 1. l.D.

*Fluxus in corpore alij ſint toto genere præter naturam, alij non toto genere, ſed ratio-ne vel qualitatis, vel quantitatis, vel ſpa tij, vel loci, per quem exeunt. fol.*275.c.1. l.D.

*Fluxus humorum per venas internas diffici-lis eſt curationis, per externas verò facilis. fol.*362.c.2.l.A.

*in Fluxionum principio cibi, et potus parci-tas competit. fol.*362.c.2.l.D.

*Febres malignæ ſunt morbi à forma, et ad ſubſtantiæ prædicamentum referuntur. fol.*498.c.1.l.B.

*Fomenta quædã sũt ſicca, quædã humida, quæ dã his miſta. Inſuper horum quædã mordẽ tia, quædam morſu carentia, et quædam ex his miſta, ex Hipp. & Gal. fol.*159.c.1. l. B.

*Formicatio neruorum mitis affectio eſt. fol.* 254.c.1.l.E.

*Furfuratio non eſt ſymptoma, ſed cauſa ſolu tionis continui ex Capiuaccio. fol.*15.c.1. l.A.

*Furfuratio eſt ſymptoma in excretis toto gene re præter naturam. fol.*15.c.2.l.B.

*Furfurationis Auctoris definitio. fol.* 15. c. 2.l B.

*Furfurationis cauſæ ichores non ſunt aduer-ſus Capiuaccium. fol.*15.c.2.l.E.

*Furfures à cuticula, et non à membrana car noſa, aut cute exeunt. fol.* 16. col. 1. l.B.

*Furfuracea per lotium exeuntia veſicæ affe-ctionem ſignificant ex Galen. fol.*16.col.1 l.C.D.

*in Furfuribus à principio latet in cute ſolutio continui, temporis verò progreſſu manife-ſtatur. fol.*16.c.1.l.A.

*in Furfuratione dolor tum ab intemperie, tum à continui ſolutione proficiſcitur ex Auctore. fol.*16.c.1.l.D.

*Furfurationis cauſa, & indicationes. fol.*17. c.2.l.C.

*per victus rationem curatio. fol.*16.col.2. l.E.

*per pharmaciam, fol.*18.c.1.l.B.

*& per medicamenta localia. fol.* 18.col.1. l.D.

*ad Furfurationem amygdalæ amaræ in vino infuſæ arcanum ſunt medicamentum. fol.* 16.c.2.l.C.

G

*GAlbanum concoquit, & diſcutit. fol.* 320.col.1.l.C.

*Galenus à Neotericis malè circa capitis dolo-ris ab ebrietate curationem reprehenditur; ab Auctore defenditur. fol.* 65. colum.1. l.C.D.

*Galenus tex.*82.*lib.*4.*acut. Hipp. examinat, & quid ſibi velit per venarum ſpirituum interceptionem, & explicat cur, qui ea op-primantur, ſanguinis detractione ſoluan-tur. fol.*596.c.1.l.D.

*Gali compoſitio. ibid.c.*2. l.B. *huius vſus ad phthiſicos confirmatos, & deploratos ma-ximè valet ex Franciſco Velaſca. fol.*569 c.1.l.E.

*ad eoſdem ſacchari roſati vnius anni vſus ex Meſue, Auicenna, Montano, Valle-riola. ibid.c.*2.l.D,E.

*Galli iuris præparatio. fol.* 137. colum.1. l.D.

*Gallicuſi egregio quodam lentore ſunt prædi-ti, quo humores ad harmoniam reducun-tur. fol.*420.c.1.l.C.

*Gangrenæ futuræ ſigna. fol.* 398. col. 2. l. D.

*Gentilis non bene perlegit Galeni textum, ex* 6.*aph.tex.*31. *vbi hiſtoria iuuenis ophthal-mia laborãtis adducitur, cui vinum mera cum concedit. fol* 305.c.2.l.A.

*Glandula pituitaria à natura facta eſt, vt ce-rebri ventriculos à pituita expurget. fol* 215.c.1.l.E.

Grauitas duobus dicitur modis. fol. 253. col. 2. lit. B.
Guarcen eſt ſurditas à cauitatis obſtructione facta. fol. 401. col. 2. lit. B.
Gutta ſerena eſt viſus ablatio nullo in oculis laſionis ſigno apparente. fol. 377. col. 2. lit. B.
Guttæ ſerenæ curatio. fol. 378. col. 2. lit. A.
in Gutta ſerena ſanguinis euacuatio ex venis angulorum oculi competit. fol. 378. col. 2. lit. E.
ad eandem cauterium inter primam, & ſecundam vertebram; aut laqueus ex ſerico ferro candenti factus vtiliter confert ad regionem tertiæ vertebræ. fol. 379. col. 1. lit. A.
in Gutta ſerena localia nullius ſunt momenti. fol. 379. col. 2. lit. A.

H

HAEmorrhagia propriè ſanguinis è naribus fluxum ſignificat. fol. 416. col. 1. lit. B.
Hæmorrhagia eſt ſymptoma in excretis à toto genere præter naturam. fol. 416. col. 1. lit. E.
Hæmorrhois ſanguinis per venas ſedis fluxum ſignificat. fol. 416. col. 1. lit. B.
Halyartica, & ſecundùm Auicennam haliabar, eſt quando homines interdiu non vident, ſed abſque lumine tempore nocturno vident, quod de Tiberio Imperatore narratur. fol. 374. col. 1. lit. B. C.
Hecticorum ſiccitas cur conuulſionem non faciat. fol. 263. col. 2. lit. B.
Hederæ coronam antiqui in conuiuijs, vt ab ebrietate tuerentur capitibus ſibi imponebant. fol. 66. col. 1. lit. B. C.
Hepar omnium humorum officina eſt. fol. 360. col. 1. lit. C.
Herpetis miliaris vlcuſcula parua à bile ſubtili excitantur; herpes verò à craſſiori ex Gal. fol. 17. col. 1. lit. B.
Hippocrates non fuit veritus liberè fateri ſe in vulnere Antonimi curando à ſuturis deceptum fuiſſe. fol. 380. col. 1. lit. D.
Homine excepto nullum animal ridet, aut flet, & inter cætera animalia prærogatiuas quaſdam in oculis habet. fol. 91. col. 1. lit. E.
Humanum ingenium omnia naturæ arcana cognoſcere non valet. fol. 549. col. 1. lit. B.
Humidum radicale à frigiditate ita attenuari non poteſt, cum craſſum, & glutinoſum ſit, vt in ſudorem in ſyncope abeat, aduerſus aliquot. fol. 593. col. 2. lit. B. C.
Humor vitioſus, aut qualitate, aut quantitate, aut ſubſtantia, aut motu peccat. fol. 9. col. 1. lit. D.
Humor peccans qualitate prima, vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, indicat per contraria refrigerandum, vel calefaciendum, vel exiccandum, vel humectandum. fol. 9. col. 1. lit. D.
Humor peccans qualitate ſecunda, vel craſſa, vel tenui, indicat per contraria, vel attenuandum, vel incraſſandum. fol. 9. col. 1. lit. E.
Humor peccans, vel ſubſtantia, vel quantitate, indicat per contraria euacuandum, vel per medicamentum purgans, vel per ſanguinis miſſionem. fol. 9. col. 1. lit. E.
Humor peccans motu indicat, vel reuellendum, vel deriuandum eſſe. fol. 9. col. 2. lit. A.
Humor melancholicus, quia difficilis eſt præparationis, difficiliſque eductionis, ſenſim præparari, ſenſimque educi debet. fol. 59. col. 1. lit. C.
Humoris melancholici tam naturalis, quàm præternaturalis differentiæ. fol. 113. col. 2. lit. E.
Humorem melancholicum cauſæ generantes. fol. 115. col. 2. lit. A.
Humorem melancholicum graciles, hirſuti, ſicci, & nigri facilè colligunt. fol. 115. col. 2. lit. B.
Humor melancholicus quomodo in vere, vt ait Hipp. generatur. fol. 115. col. 2. lit. D.
Humor melãcholicus an ex oleribus à ſola braſſica, vt ſcripſit Galenus, producatur. fol. 116 col. 1. lit. A.
Humor melancholicus multum temporis ad ſui purgationem, & curationem requirit, & eo magis cum eſt in capite. fol. 131. col. 1. lit. D.
Humor pituitoſus rariſſimè educitur. fol. 141. col. 2. lit. D.
Humor aqueus, & albugineus immediatè ſub cornea continetur, tranſienſque per vueæ foramen ad cryſtallinum humorem extenditur. fol. 334. col. 2. lit. A.
Humor cryſtallinus in humore vitreo omnium oculorum humorum maximò globuli in modum veluti innatat. fol. 334. col. 2. lit. B.

Humore in aqueo oculorum ſpirituum copia reperitur, quorum cauſa cornea extra propellitur. fol.343.col.2.lit.c.
Humoris multa copia ex oculis per multos dies, ex muſculi temporalis vulnere iam curato emanat. fol.358.col.1,lit.E.
Humor vitreus cryſtallinum in ſe immerſum retinet. fol.376.col,1.lit.B.
Humoris aquei in oculo vtilitates. fol.373. col.2. lit.B.
Humores craſſi, & tenues hoc commune habent, vt non facile expuantur. fol. 452, col.2.lit,D.E.
Humores tenues, de loco in locum moti, nulla facta præparatione educendi ſunt, è contra craſſi præparari debent. fol. 458. col.2.lit,B.
Humores turgere dicuntur cum ad aliquam partem determinatam fluunt ex Maſſaria, Auctore, & Galeno. fol.514. col.2, lit.E. & infra.
Humoris concocti copia ſemper in corpore reperitur, cuius ratione in principio medicamentum purgans conuenit, ex Capinaccio, & Saluiano. fol. 515. col. 2, lit. B,
Humoris bilioſi proprium eſt cogere, ſiccare, tendere, atque indurare, & duros pulſus efficere. fol.523.col.1.lit.D.
Hydrophobia quid ſit. fol.111.col.2.lit.D.
Hydropicis tuſſis ſuperueniens malum, ex Hipp. fol.454.col.2.lit.D.
Hyeme morbi laterales, peripneumoniæ, lethargi, grauedines fiunt, ex Hipp. et Gal, fol.489.col.2.lit.c.
Hypochyma lege ſuffuſio.
Hypopyon eſt pus ſub cornea contentum. fol, 331.col.1.lit.B.
Hypopyon ſine ſugillatione quomodo eueniat. fol.331.col.2.lit.c.
Hypopyos capitis ſola concuſſione medium quemdam curaſſe Galenus retulit. fol.332. col.1. lit.c.
Hypopyo ad adnatæ perforationem in deliuiori, et opportuniori loco, cæteris non conferentibus, euenire oportet. fol. 333.col. 1, lit. A.

I

IChor eſt tenue excrementum, & exiccatione indiget. fol.366.col.1.lit.D,
Imaginatio deprauata obiectum vel non recipit, vel aliter, ac illi offertur, recipit. fol.228.col.2.lit.E,
in Imaginibus Auicennas ſanguinem ex arterijs poſt aures mittit. fol.378. col. 1. lit. C.
Incubus quid apud Theologos. fol. 228. col. 1. lit.G.
quid apud Medicos. ibid. lit.D.
Incubi eſſentia, & natura. fol. 228. col.2. lit. C.
Incubus eſt ſymptoma facultatis motricis thoracis abolitæ, vel deprauatæ. fol.228.col. 2. lit.D.
in Incubo imaginatio non decipitur circa obiectum, ſed circa cauſam, aduerſus nonnullos. fol.229.col.2.lit.A.
Incubus inſomnium prauum non eſt aduerſus Euſtachium Rudium. fol. 229.col.2. lit. B.
Incubo alia conſequuntur ſymptomata. fol. 230.col.2.lit.B.
Incubo pars primariò affecta cerebrum ſecundum ventriculos eſt, ſecundariò verò thorax. fol.230.col.2.lit.D.
Incubus morbum in compoſitione ſequitur. ibidem.
Incubi cauſæ. ibid. ſigna. ibid. col.2. lit. C. Euentus. ibid. lit.E. curatio;indicationes. fol.231.col.1.lit.A.B.
in Incubo à ſanguine Raſis vinum prohibet. fol.231.col.2.lit.B.
in Incubo circa locum ſanguinem mittendi Raſis, & Actius ab Auctore conciliantur. fol.231.col.2.lit.D.
in Incubo decoctum ex ligno ſancto, & falſo probatur. fol.232.col.1.lit.B.
in Incubo gr. xv. peoniæ ſingulo mane ab Auicenna proponuntur. fol. 232. col. 1. lit.D.
ad Incubum puluis pro alimentis ex Auctore. fol.232.col.2.lit.A.
ad eundem medicamenta localia. ibidem. littera C.
Indicans præſeruatorium quid ſit, & ad quam Medicinæ partem ſpectet. fol. 442. col.2.lit.A.
Inflammatio eſt tumor à ſanguine. fol. 369. col.2.lit.A.
Inflammatio propriè, & impropriè à ſanguine ſit, et alijs humoribus ex Galeno. fol. 486.col.2.lit.c.
Inflammationes veræ bidui ſpatio ſuppurantur. fol.511.col.2.lit.B.
in Inflammationum initijs omne purgationis genus ab Hipp. reprobatur. fol. 513.col.2. lit. A.
in Inſomnijs dolor quandoq; ... percipitur, et

eius

eius cauſa. Cur item mictio, et aliorum excrementorum excretio. fol. 229. col. 1. lit. B. D.

Inſomnium quid ſit. fol. 229. col. 2. lit. c.

Inſomnium amatum quando ſenſoriјs contingit. fol. 230. col. 1. lit. A.

Inſpiratio à diaphragmate ſine muſculorum thoracis ope ſit ex Galeno. fol. 203. col. 2. lit. A.

Inſpiratio naturalis à diaphragmate ſit. fol. 449. col. 1. lit. E.

Inſpiratio violenta ab omnibus muſculis exterioribus, qui ſunt quatuordecim numero, et à muſculis ſcapulas mouentibus ſit, opem ferentibus etiam abdominis muſculis. fol. 449. col. 2. lit. A.

in Inſpiratione violenta tantum attrahitur aeris, quantum pulmonum capacitas capere poteſt. fol. 429. col. 2. lit. A.

Inſpiratione violenta illi egent, qui vtres inflant, tibicines, et tubicines. fol. 449. col. 2. lit. B.

Intemperies duplex eſt, alia cum materia, alia ſine materia. fol. 36. col. 1. lit. A. B.

Inteſtina non ſolùm ſunt inſtrumenta diſtributoria, ſed concoctoria. fol. 417. col. 2. lit. C.

Iridis oculi vena ex venis piæ membranæ ortum ducunt. fol. 300. col. 2. lit. E.

ad Iridem, ſeu corneam plures terminantur venæ, per quas ſeroſus humor ad oculos fluere poteſt. fol. 337. col. 1. lit. c.

L

LAc vaccinum coagulatum ieiuno ventriculo ante omnia ſumptum deorſum ſtatim illabitur, nec alios cibos corrumpere facit. fol. 456. c. 1. l. A.

Lac humanum, & vaccinum in ordine nutritionis ſummè valet. 568. c. 2. l. E.

Lachrymarum materia in oſſis ſphænoidis cauitate ex cerebro colligitur. fol. 92. col. 1. l. C.

Lachrymarum materia quæ, & vnde proficiſcatur. fol. 92. c. 1. l. E.

Lachryma ſudor quidam eſt. fol. 92. col. 2. l. B.

Lachrymæ in capacitate oculorum continentur, eorumq; proprium excrementum ſunt ex Hieronymo Fabritio ab Aquapendente. fol. 91. c. 1 l. A.

Lachrymarum locus cerebrum eſt. fol. 91. c. 1. l. B.

Lachryma quid ſit. fol. 357. c. 1. l. B.

Lachryma alia eſt naturalis, alia accidentalis. fol. 357. c. 1. l. C.

Lachryma, ne oculorum muſculi exiccentur, vtilitatem præbent. fol. 358. col. 2. l. A.

Lachrymæ tertiæ coctionis tenuia excrementa non ſunt. fol. 359. c. 1. l. B.

Lachrymæ oculorum, præcipuè cryſtallini, & aquei humoris peculiare excrementum ſunt, & non cerebri aduerſus Auic. ac in eorum cauitate retinentur. fol. 358. col. 1. l. B. & c. 2. l. c.

Lachrymarum materia eadem eſt cum ſudore fol. 360. c. 1 l. C.

Lachrymæ ſecundæ coctionis excrementum ſunt. fol. 360. c. 1. l. C.

Lachrymarum materiæ eſt materia ſeroſa in hepate genita, & in cerebro depurata. fol. 360. c. 2. l. D.

Lachrymarum cauſæ. fol. 361. colum. 1. l. A.

Lachrymæ in febribus acutis proueniunt ex cerebro apoſtemate calido affecto, aut male, intemperato, ex Auic. fol. 361. col. 2. l. D.

Lachrymarum ſigna. fol. 361. col. 2. l. E. ſigna cauſarum. fol. 362. col. 1. lit. A. euentus. ibid. lit. C.

in Lachrymas curationem non recipientes probo Medico humaniter, ne iniuſte pecuniæ extorqueantur, euentus prædici debet. fol. 362. c. 2. l. A.

Lachrymarum indicationes, et curatio. fol. 362. c. 2. l. A.

ad Lachrymas ex cauſa calida collyrium: fol. 364. c. 2. l. c.

aliud Raſis, ex cauſa frigida. fol. 364. c. 1. l. D.

Lactumia pueris ſolum euenit, et ſponte curatur. fol. 23. c. 1. l. c.

Lapidem per tuſſim reiectum Alexander Trallianus obſeruauit. fol. 449. col. 2. l. D.

Larynx vocis inſtrumentum eſt, et via aeri inſpirato, et expirato. fol. 434. col. 2. lit. c.

Larynx ex tribus conſtat cartilaginibus, quæ in reſpiratione dilatantur, et conſtringuntur. fol. 434. c. 2. l. c.

Laryngis venæ maiores ſunt, ac venæ faucium, aduerſus Mercurialem. fol. 436. c. 2. l. D.

Larynx, caput bronchiј etiam appellatur. fol. 464. c. 2. l. E.

Lepus marinus pulmonibus eſt venenum. fol. 362.

562.c.3.l.D.
Lethargi nomen apud Græcos, & Latinos. fol.181.c.1.l.c.
Lethargus cuius nam actionis ſymptoma dicatur. fol.181.c.1.l.c.
Lethargi deſcriptio. fol.181.c.1.l.E.
in Lethargo cerebrum, & eius membranæ afficiuntur. fol.181.c.2.l.B. Auicennas aliter ſentiens circa partem affectam ab Auctore conciliatur, & ad eius rationes reſpondetur. fol.181.c.1.l.A.B.
Lethargi cauſæ. ibid. l.D.
Lethargus quandoq; ab intemperie, quandoque à mala compoſitione dependet. fol.182 c.2.l.D.
Lethargus à phrenitide in quo differat, & in quo conueniat. fol,182.c,2.l.B.
Lethargi differentiæ. fol.183.c.1.l.B.
Lethargus per conſenſum rarò fit. ibid.
Lethargi ſigna. ibid.l.D.
Lethargus inter morbos acutos numeratur, et infra ſeptimum lethargicos interire Hippocrates dixit. fol.184.c.1.l.E,
Lethargi indicationes. ibid.l.E.
Lethargo cum cura coacta ſatisfit. fol. 184. c.1.l.E.
Lethargi per diætam curatio. fol.185.col.1. l.D.
Lethargi per chirurgiam. fol.186.col. 1. l.E.
& per pharmaciam curatio. fol.187.c.1. l.B.
in Lethargo ſatureia in aceto infuſa confert. fol.188.c.1.l.G.
in Lethargo vſus caſtorei quomodo ſit adminiſtrandus ex Galeno, quem Capiuaccius male interpretatur. fol.188.c.2.l.A.
in Lethargo ad materiam pituitoſam in toto corpore educendam à Tralliano balneum aquæ dulcis proponitur. fol. 188. col. 2. l. B.
Lethargus eſt inexplebilis, & inexpugnabilis dormiendi cupiditas. fol.592.c.1.l.E.
Lingua ſapores indicat, & vocem edit. fol. 464.c.2.l.B.
Liuiditas eſt inter nigrum, & rubrum diſpoſitio ex Galeno. fol.506.c.1.l.G.
Lotium eiuſdem materiæ eſt cum ſudore. fol. 360.c.1.l.C.
Luſcioſitas, vulgariter viſta corta, ex reſolutione, aut diſſipatione ſpirituum humoris aquei euenit. fol.374.c.1.l.B.
Lycanthropia quid ſit. fol.114.c.2.l.E.

M

MAlignitas eſt ſymptoma in qualitatibus mutatis ipſius humoris ex Auctore. fol.497.c.2.l.D.
Malignitas eſt humorum ſecundum totam eorum ſubſtantiam mutatio, à qua abſq; primarum qualitum opificio agendi potentia ſortitur. fol. 497.col.2.l.E.
in Malignitate ad excellentem putredinis, ſeu corruptionis gradum refugiendum eſt, ab eoque medicamenta accipienda ſunt. fol.198.c.1.l.G.
Malignitas eſt ſecundùm qualitatem occultam ex infinitis elementorum alterationibus genita mutatio. fol.498.c.1l.D.
in Malignitate medendi indicatio, nec à tota ſubſtantia, nec à qualitate occulta, ſed ab experientia, & analogiſmo inuenitur.fol. 498.c.2.l.B.
Malignitas eſt qualitas quædam occulta humori ſuperueniens cauſa coniunctæ rationem habens. fol.499.c.1.l.G.
Maniæ nomen. fol 139.c.1.l.C.
differentiæ. ibid.c.2.l.C.
Mania vt plurimum autumno contingit.fol. 140.c.1.l.B.
Maniæ eſſentia à Capiuaccio non attingitur, & Auctoris eiuſdem inueſtigatio. fol.140. c.2.l.B.C.D.
Maniæ cauſæ. fol.141.c.1.l.G.
Mania per conſenſum ab alijs partibus non fit. fol.141.c.2.l.E.
Mania ex ſanguine in mammis collecto ſignificatur Hipp. fol.142.c.1.l.A.
Maniæ ſigna prænuntiatiua. fol.142. col.1. l. B.
Maniæ ſigna. ibid.l. E.
à ſanguine. ibid.c.2 l. B.
à præaſſata bile. ibid.lit.C.
Maniæ ab aduſta bile conuulſio ſuperueniens lethaliſſima. fol.143 col.2.lit.E.
Maniæ ſi difficultas inteſtinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio accidat bonum. ibid.
Mania quomodo per ecſtaſim ſoluatur. fol. 144.col.1. lit.A.
Maniæ indicationes, per victus rationem curatio. ibid. lit.B.
per pharmaciam. fol.145.col.1.lit. D.
à ſanguine per chirurgiam curatio, & per localia medicamenta. fol.146. col.2.lit. E.
Manna fortis mannæ frendis, & corporis anteponitur ex Auctore. fol. 516. col.1. lit. D.

# I N D E X


*Manus dum apprehendit, muſculi interni agunt, externi patiuntur ; & è contra. fol. 465.col.2.lit.B.*

*Maſacumia eſt compoſitio ex plumbo, ſilice, & vitro, qua terrea vaſa figuli oblinunt, et incruſtant. fol.324.col.1.lit.D.*

*Materiæ ad ſuppurationem, vel reſolutionem tendentis ſigna. fol. 398. col. 2. lit. C.*

*Materia tenuis quandoque tardius craſſa coquitur, & expuitur. fol. 487. col. 2. lit. B.*

*Materia maligna ſtatim purganda eſt. fol. 511.col.2. lit.C.*

*Materia in thorace contenta quomodo per vrinam, & inteſtina deducatur. fol. 536. col.1. lit.A.*

*Eraſiſtratus reprobatur. ibid. lit. B. Meſues, & Falloppij viæ adducuntur, et Auctoris ex Galeno vera ſententia ibid. & infra. Ad os venæ arterialis valuulæ reperiuntur ſygmoides appellatæ, probibẽtes ; ne quid à pulmonibus in cor regurgitet. ibid. Ad os venæ magnæ biantis in cor adſunt aliæ valuulæ, quæ ob figuram triulcæ appelatæ ſunt, impedientes, ne quid à dextro cordis ſinu in cauam remeare poſſit. fol. 536.c.1. lit.C.*

*Materia purulenta thoracis, & pulmonum recipitur in arteria venali, inde in cordis ſiniſtrum ſinum, et ad arteriam magnam, renes, veſicam, canalem communem, et extra deijcitur per criſim virtute valida exiſtente, ex Auctore, et Galeno aduerſus Falloppium. ibid. lit. A. et fol.537. col.1. lit. A. et infra.*

*Maxillæ infantium duorum, aut trium annorum ſpermatis copia repletæ ſunt. fol. 425.col.2.lit.D.*

*Maxillæ ſecundum earum longitudinem duplici ordine, ſurculorum duorum inſtar, vſque ad dentitionis tempus ſeminis copiam conſeruant. fol.425.col.2.lit.E.*

*Medicamentis aliquæ inſunt proprietates, quæ, aut vix, aut nullo modo circa inſirma corpora oſtendi poſſunt. fol.63. col.1. lit.C.*

*Medicamentum ad ſomnum conciliandum. fol 108.col.1.lit.D.*

*Medicamenta vbi intus penetrare debent, ijs quæ tenuium ſunt partium admiſcenda ſunt. fol.147.col.2.lit.B.*

*Medicamenta exornatoria, quæ ad coſmoticen ſpectant, à medico cognoſci tantum debent, & euitari. fol. 323.col.1.lit.B.*

*Medicamenta ſeptica quid ſint. fol.368. col. 2. lit.A.*

*Medicamenta arteriaca quid, & quotuplicia ſint. fol.458.col.1.lit.C.*

*Medicamenta attenuantia, & exiccantia neceſſariò tuſſim mouent. fol.479. col.2. lit. C.*

*inter Medicamenta, & corpora aliquæ proportiones ſunt à medicis obſeruandæ, & inquirendæ, quæ nonniſi experimento cognoſcuntur. fol.482.col.1.lit.D.*

*Medicinæ pars curatiua ſcientifica, & certa eſt. fol.40.col.1.lit.B.*

*Medicinæ occaſio opportuna cognoſcenda eſt, quæ cum præceps ſit, in ipſa ſalutis, aut mortis cauſa reputatur. fol. 99. col. 2. lit. B.*

*in Medicina practica exercenda cognitio quæſiti ſi eſt medico ſufficere debet. f. 549. col.1.litB.*

*Medicus in prædicendo à vanis promiſſionibus cauere debet. fol.474.col.2.lit.E.*

*Medullaris ſubſtantia medullæ eſt intus excauata. fol.176.col.1.lit. C.*

*Melancholia duplex vna excrementitia, alia alimentalis. fol.58.col.1.lit.B.*

*Melancholia quandoque pro humore melancholico, quandoque pro capitis affectu præter naturam à Galeno accipitur. fol. 111. col.1.lit.B.*

*Melancholicus humor homines aliquando facit prudentes, & aliquando ſtultos. ibidem.*

*Melancholia delirium communiter appellatur. ibid.lit.D.*

*Melancholiæ differentiæ. ibid. lit. E. & fol. 112.col.1.lit.E.*

*Melancholiæ definitio. fol. 111. col. 2. littera E.*

*Melancholiæ character eſt timor, et moeſtitia fol.112.col.1.lit.B.*

*in Melancholia cerebrum ſecundùm partem anteriorem, in qua reſidet imaginatio, eſt affectum. fol.113 col. .lit.A.*

*in Melancholia quomodo cor afficiatur. ibid. lit.C.*

*Melancholia imaginatricis deprauatæ ſymptoma eſt. ibid.lit.D.*

*Melancholia ſequitur intemperiem frigidam, & ſiccam, modò nudam, modò cum materia. ibid.*

*Melancholiæ cauſa immediata humor melancholicus, vel ſolus, vel miſtus alijs humoribus eſt. fol.114.col.1.lit.E.*

*Melancholia à carnis putridæ vſu, ex Auenzoaris*

zoaris obſernatione. fol.115.col.2.lit.B.
Melancholiæ futuræ ſigna. fol.116. col. 1. lit. D.
præſentis. ibid.col.2.lit.A.
cauſarum ſigna. ibid. lit.B.
Melancholici à dæmoniacis ſigna diſtinguentia. ibid. lit.D.
Melancholici varijs linguis loqui non poſſunt aduerſum Cardanum, et Petrum de Abano. ibid. lit.E.
Melancholia ſua natura lethalis non eſt. fol.117.col.1.lit.E.
Melancholicorum quorundam obſeruationes. ibid. col.2.lit.B.
Melancholicis ſi hæmorrhoides, vel varices, vel dyſenteria ſuperuenerit, bonũ ex Hipp. fol.118.col.1.lit.C.
Melancholia hypochondriaca à melancholia per eſſentiam in quo differat. fol.118.col. 2.lit.B.
Melancholia hypochondriaca ſequitur, vel intemperiem calidam, vel frigidam reſpectu diuerſorum. fol.119.col.2.lit.D.
Melancholia hypochondriaca quandoque fit ab inflammatione, idest, phlogoſi, quæ intemperies calida eſt. fol. 120. col. 2. lit. C.
Melancholia hypochondriaca frequenter ab obſtructione ortum ducit. ibid.lit.E.
Melancholia hypochondriaca non ab omni loco, in quo poteſt alterari, & aduri humor melancholicus excitatur, aduerſus Petrum Garciam Carrerum. fol.124.col. 2.lit.B.
Melancholia hypochondriaca abſque ventriculi læſione fieri non poteſt, aduerſus Petrum Garciam. ibid.lit.D.
Melancholia in venis oris ſuperioris ventriculi poteſt colligi, & in ijs obſtructio excitari, et aduri aduerſus aliquos. fol.122. col.1.lit.B.
Melancholiæ indicationes, et per victus rationem curatio. ibid. lit.D.E.
Melancholicis acetum an conueniat, et Auctorum conciliatio. fol. 123. col. 1. littera E.
Melancholicis alimenta pinguia, et dulcia competunt. ibid.col.2.lit.D.
Melancholiæ hypochondriacæ dulcia aduerſantur. fol.124.col.1.lit.C.
Melancholia an vigiliæ, & coitus opẽ ferant. ibid. col.2.lit.E.
Melancholia ex ſua eſſentia ſanguinis miſſionem non indicat, niſi tamen concomitãs ſanguis, vel quantitate, vel motu peccet. fol.126.col.1.lit.C.
in Melancholia per conſenſum ex vena communi brachij ſanguis mittendus eſt, qui vbi tenuis ſit, ſiſtendus eſt. ibidem col.2. lit. C. D.
Melancholiæ per pharmaciam curatio. fol. 129.col.2.lit.A.
in Melancholia etſi primo ſanguis tenuis exeat, non eſt tamen ſiſtendus, donec plenitudini ſatisfiat. fol.129.col.1.lit.B.
in Melancholia facta vniuerſali euacuatione ex hæmorrhoidibus per hirundines euacuare licet reuellendi cauſa, & ex venis narium, frontis, & poſt aures deriuandi cauſa. ibid.lit.D.
Melancholiæ puluis ſolutiuus Franciſci de Velaſca. fol.131.col.2.lit.C.
& vſus eius ex Auctore. fol. 132. col. 1. lit. C.
Melancholiæ balneum aquæ dulcis, & alia topica medicamenta. fol.132. col. 2. lit. E.
ad Melancholiam puluis cum coriandro ex gagate lapide ab Hæbreo proponitur, lapis chryſolitus, et Topatium ad gr.v. vel ſmaragdi ad ſcrup.j. ab Andrea de Laurentio. fol.133.col.2.lit.C.
Melancholiæ hypochondriacæ per chirurgiam curatio. fol.133.col.2.lit.E.
per victus rationem. fol. 134. col. 1. lit. E.
& per pharmaciam. ibid.col.2.lit.E.
Meliloti decoctum vim diſcutiendi, & parum adſtringendi habet. fol. 320. col. 1. lit. E.
Membranæ duræ tertius ſinus eſt ſecundùm futuræ ſagittalis longitudinem extenſus, inſculptus, & maximè excauatus. f. 418. col.2.lit.E.
Membrana eſt ſubſtantia neruea exactiſſima ſenſu prædita, et latè extenſa. fol. 418. col.2.lit.B.
Membrana coſtas ſuccingens ob craſſam, et denſam eius naturam tenues, et calidos potiſſimùm humores in ſe admittit; nonnunquam verò, et frigidos, ſed tenues; nunquam verò melancholicos. fol. 489.col. 2. lit. B.
Membrana coſtas ſuccingens, omnibus viſceribus in thorace contentis tegumentum, offert, ex qua duæ illæ membranæ thoracem in duas partes diuidentes ortum ducunt. fol.497.col.1.lit.A.
Membrum, quod contrarijs motibus mouetur, muſculos contrario ſitu oppoſitos ſemper

per

# INDEX

per habet,quorũ vnus laxatur,alter contrabitur. fol.260.c.1.l.A.
Memoratricis facultatis duo ſunt actus, vnus memoria dicitur, alter reminiſcentia. fol.143.c.1.l.B.
Memoria omnium ſpecierum veluti theſaurus eſt, & rerum, verborumq; ab anima perceptorum promptuarium quoddam. fol.149.c.1.l.A.
Memoria tribus læditur modis. fol.150.c.1.l.B.
Memoria deperditæ cauſa. ibid.l.E.
Memoriæ deperditæ ſigna. fol.150. col.2. l.E.
ſigna cauſarum. fol.151.c.1.l.A.
Memoriæ actio in receptione, & retentione conſiſtit. fol.152.col.1.l.E.
Memoria quomodo lædatur à frigiditate, & quomodo à ſiccitate, Galenus, & Auic ab Auctore conciliantur aduerſis Gentilem, Mercurialem, & Turiſanum. fol.153.c.2. lit.A.B.
in Memoria læſa, quandoq; & aliæ duæ hegemonicæ facultates læduntur. ibid.l.D.E.
Memoria deperdita apoplexiam, epilepſiam, vel alium capitis morbũ incurabilem prænuntiat. fol.154 c.1.l.C.
Memoriæ deperditæ ab intemperie frigida cu ratio. ibid.l.E.
ad Memoriam deperditam vnguentum mirabile. fol.156.c.1.l.A.
Memoriæ deperditæ ob ſiccam intemperiem curatio. ibid.l.B.
Memoria deperdita rarò ab humida intemperie ſine materia fit. ibid.c.2.l.C.
Memoriæ deperditæ ab intemperie cum materia pituitoſa curatio. ibid.l.D.
ab intemperie cum materia melancholica curatio. fol.158 c.1.l.A.
Mente conſtare, & ab oblata bene ſe habere bonum eſt, ex Hipp. fol.501.c.1.l.A.
Meſſanæ homines non purgantur, niſi validis medicamentorum dotibus. fol. 243. c.2.l.C.
Morbi particulares non omnes poſſunt ordine aliquo eſſentiali explicari. fol. 5. col.2. l.B.
Morbi per conſenſum contingunt, vel ratione viciniatis, vel ratione generis, vel ratione communitatis operis f.36.c.2.l.E.
Morbis complicatis vrgenti primò incumbendum, alijs non neglectis. fol.282.colum.1. l.D.
Morborum complicatorum curatio vlceris exemplo à Galeno illuſtratur. fol. 282. col.2. lit.B.
Morbis pernicioſis ſi quis depravatum habet odorem, mortem proximè futuram ſignificat. fol.413.c.2.l.E.
Morborum acutorum duplex eſt ordo. fol. 486.c.2.l.C.
Morborum acutorum terminus eſt dies decimusquartus ex Hipp. fol.486.c.2.l.C.
Morbi magnitudo an à triplici fonte deſumenda ſit; & ad quæſitum reſponſio. fol. 499.c.1.l.A.B.
Morbi eſſentia eſt receſſus à ſtatu naturali. 499.1.l.C.
Morbis acutis quando medicamenta purgantia à principio conueniunt.fol.512.c.1.l.E.
in Morbis acutis rarò in principio purgandum eſt ex Hipp. fol.514.c.1.l.D.
in Morbis aliquibus aſcendere licet ad aliqua medicamenta à morbo non indicata, ſed à cauſa cogente. fol.528,c.1.l.E.
in Morbis complicatis attendẽdum eſt magis vrgenti, altero tamen non neglecto, quãdoq; tamen ad vrgens omnia diriguntur, alio prorſus neglecto. fol.567.c.1.l.G.
ad Motum maiorem requiri virtutem,quàm ad ſenſum exGaleno quomodo intelligatur fol.172,c.1.l.C.
Motui, & ſenſui tollendo ſufficit,vt obſtruatur canalis, per quem ſpiritus animalis defertur. fol.176.c.1.l.e.
Motui faciendo requiritur ſpiritus animalis tam vt motus, et ſenſus, quàm vt cerebri principalium actionum inſtrumentum. fol.198.c.2.l.A.
Motus fit à duplici principio. fol.254.col.1. l.A.
Motus voluntarij inſtrumentum muſculus eſt,ad quem facienda plura requiruntur. fol.258.c.2.l.e.
Motus voluntarius à muſculo quomodo perficiatur. fol.259. c.1.l.B.et c.2.l.A.
Motus oppoſiti corporis noſtri ſunt ex muſculis oppoſitis, ex vno nempe trahente, altero ſubſequente. fol.380.c.1.l.e.
Motui quinque neceſſaria ſunt, nempe cauſa mouens, mobile, ſpatium, terminus à quo, et terminus ad quem. fol.416.c.2.l.c.
Motus deprauati tres ſunt differentiæ, ſcilicet naturales, ſed à cauſa præternaturam irritati; naturales, et præternaturales ſimul et præternaturales tantum. f.447.c.2.l.c.
Motus voluntarius in genere eſt in duplici differentia. fol.448.c.2.l.c.
Motus alij ſunt abſolutè voluntarij, alij coacti. ibid.l.D.

*Mulieres aſthmate rarò corripiuntur. fol. 475.c 1 l.c.*

*Muſculi voluntarÿ motus inſtrumenta, in aliquibus diſpoſitionibus agunt, et tamen agere non videntur. fol.203.c.1.l.A.*

*Muſculus ex quibus fibris conflatur. fol. 235.c.2.l.C.*

*Muſculorum motionem aurigæ exemplo pulchre Theophilus declarat. f.259.c.1.l.D.*

*Muſculus à mure, ſeu muſculo paruo dicitur, qui capite, & cauda præditus eſt. fol. 258.c.2.l.E.*

*Muſculus conſtãs ex ligamento ratione capitis ab oſſe ſolido enaſcitur, ratione caudæ in tendinem deſinit, & in os ad motum voluntarium deſtinatum inſeritur. fol. 259.c.1.l.B.*

*Muſculi laryngis, cartilaginibus famulantes, pro voce, & reſpiratione opem ferunt. fol.434.c.1.l.B.*

*Muſculi fauciũ anginam patiuntur. ibid.l.C.*

*Muſculi ſunt motus voluntarÿ inſtrumenta. fol.434.c.2.l.D.*

*Muſculi intercoſtales alÿ ſunt interni, alÿ externi; illi ad expirationem, iſti ad inſpirationem inſeruiunt. fol. 449.c.2.l.C.*

*Muſculi intercoſtales, ſimul cum diaphragmate, quandoque magnæ inſpirationi famulent ex Galeno, qui de muſculis externis interpretandus eſt. fol.449.c.2.l.D.*

*Mydriaſis definitio. fol.347.c.1.l.A.*

*Mydriaſis alia naturalis, alia præternaturam ibid.l.C.*

*Mydriaſis cauſæ. ibid.l.E.*

*Mydriaſis cauſa quomodo ſiccitas, et humiditas eſſe poſſint, cum ſint contraria. Auctoris ſententia ex Galeno aduerſus Raſim. fol.347.c 2.l.B.C.D.*

*Myydriaſis cauſa tumor eſſe non poteſt aduerſus Galenum. fol.348 c.1.l.A.*

*Mydriaſis immediata cauſa eſt humiditas. ibid.l.D.*

*Mydriaſis à ſpirituum copia naturalis eſt, et momentanea. ibid.l.E.*

*Mydriaſis à ſiccitate vix curabilis eſt. fol. 348.c.2.l.A.*

*Mydriaſis ſigna. ibid.l.C.*

*Mydriaſi laborantes ſpecies viſibiles minores, quàm ſunt, intuentur ex Græcorum, Arabum, et Latinorum opinione excepto Galeno oppoſitum docente, et Auctore, et rationes adducuntur. fol.349.c.1.l.C.D.E.*

*Mydriaſis in vno oculo cum viſus deprauatione ex Auct. obſeruatione. fol.349.col.2. l.C.*

*Mydriaſis ægrè curabilis eſt, et poſt vehementem capitis dolorem à quacunq; cauſa prodeuntẽ incurabilis; itidem, et quando fit à ſiccitate, vel à percuſſione. ibid.l.D.E.*

*Mydriaſis à percuſſione ſine vueæ laceratione curabilis eſt. fol.350.c.1.l.B.*

*Mydriaſis à ſiccitate curatio. ibid l. D. et ab humiditate per victus rationẽ. ibid.c.2.l.B. per pharmaciam. ibid.l.E.*

*Mydryaſi pilulæ magis opitulari videntur, quàm reliqua. ibid.*

*ad Mydriaſim ligni ſancti decoctum per 40. dies. fol.351.c.1.l.D.*

*Mydriaſis per chirurgiam curatio. ibid. l. E. per localia. ibid.c.2.l.C.*

*ad Mydriaſim Auctoris medicamentum. fol.352.c.1.l.C.*

*Myocephalos vueæ parua procidentia eſt. fol.343.c.1.l.B.*

*Myrob. uiolatum, caſſia, manna, et alia, quæ noſtris temporibus ſunt in vſu, valde benigna medicamenta ſunt. fol.512.c.1.l.D.*

*Myrrha diſcutiendi, et reſiccandi, et adſtringendi facultatem habet. fol. 320.c.1.l.E.*

N

N*Aniſitas eſt loquendi difficultas. fol. 413.c.1.l.D.*

*Naſus à natura longus factus eſt, ne deorſum per totam faciem mucores exire conſpicerentur. fol.276.c.1.l.A.*

*Naſus tum ornatus, tum vtilitatis gratia à natura factus eſt. fol.410.c.1 l.A.*

*Naſi vtilitates tres ſunt; vna pro odoratu, altera pro ſpirituum animalium generatione aere per ipſum attracto, tertia vt per ipſum cerebri excrementa expellantur: quartam addit Auic. eſtq; litteræ melior prolatio. ibid. l.B.*

*Natura duas aures, et vnicam linguam ad multa audiendum, et pauca loquendum dedit. fol.2.c.2.l.B.*

*Naturæ nihil ſurſum, nihil deorſum eſt. fol. 463.c.1.l.C.*

*Natura ad purgandum materiam, etiam craſſam, ſibi vias reperit nobis occultas, et per anguſtiſſimos oſſium poros. fol.558.c. 1.l.C.*

*Natura ſæpè ludit in rebus non neceſſarÿs: ſæpè ratione abundantis materiæ quaſdam generat paries. fol.537.c.1.l.E.*

*Nebula oculorum quid ſit. fol. 312. col.1. l. E.*

*Nebula oculorum, et caligo in quo conueniãt*

& dif-

# I N D E X

differant . ibid.

*Nerui molles ex anteriori cerebri parte non oriuntur,et duri à poſteriori,aduerſus Galenum. fol.164.c.1.*

*Neruus nullus ex cerebro ortum ducit excep tis illis duobus ductibus non procul à ventriculorum exortu prodeuntibus , et ad mammillares vocatos proceſſus terminatis. ibid.l.E.*

*Nerui omnes ex ſpinali medulla procedunt , vt omnes venæ à vena caua , et arteriæ ab arteria magna . fol.164.col.2.l.A.*

*Neruorum diuiſio ſecundum Galenum , eorumque origo. fol. 171. colum. 2. l. D.*

*Nerui triplici ratione per corpus diſtribuuntur . fol.172. c. 1.l.B.*

*Nerui ſenſum ferentes diuerſi ſunt ab ijs, qui motum ferunt . fol.172.c.1.l.D.*

*Neruorum cum tertio pari à lateribus ſpinæ exorto coniungitur neruorum par exiguum diſtributum pro guſtu faciendo ex Auctoris inuentione . fol. 173. colum. 1. l.E.*

*Nerui alij ſunt molliores , alij duriores , et alij mediocres ex Auctoris diuiſione cum Galeno . fol.174.c.1.l.E.*

*Neruorum externæ ramificationes toti corpori motricem magis , quàm ſenſitricem facultatem vehunt . fol.201.c.1.l.E.*

*Neruorum internæ ramificationes aliæ ſenſum ſimpliciter , aliæ motum ferunt . fol. 202.c.1.l.A.*

*Neruorum primum par,nerui optici dictum, eſt perforatum , ex quo ſpirituum ingens copia pro viſione facienda ad oculos fertur. ibid.l.B.*

*Neruorum ſecundum par oculis, et palpebris motum offert. ibid.*

*Neruorum tertium par guſtus , et tactus ſenſus linguæ diſtribuit. ibid.l.C.*

*Neruorum quartum par per palatum , et ad aures aliquot ſurculos porrigens, guſtus,et tactus ſenſus adminiſtrat . fol.202.c.1.l.c.*

*Neruorum quintum par tribus ſuperioribus longè maius inſtrumentis auditus diſtribuitur . ibid.*

*Neruorum ſextum par , ſatis exiguum, rectè vſque ad extremum oſſis ſacri extenditur . ibid.l.E.*

*eiuſdem hinc inde ramificationes . fol.202. c.1.l.E.*

*et Auctoris obſeruationes . fol. 202. col.2. l. B.*

*poſt cerebellum collocatur immediatè , et vaporibus benignis in ſomno non repletur, ſicut alij nerui. fol.203.c.1.l.C.*

*et famulatur reſpirationi,et voci . fol.202. c.2.l.B.*

*Neruus ex triplici conſtat ſubſtantia. fol. 235.c.1.l.A.*

*per Nerui ſubſtantiã medullarem vehitur facultas . ibid.l.B.*

*Nerui an omne genus morborum patiantur , & Coſtæi ſolutio . fol.334.c.2.l.E.*

*Nerui optici externa membrana totum oculi tegumentum effingit , ex quo ſcbliroticæ , & cornea fit ; interna à pia membrana deducta, vueam, & ſecundinam efformat, medullaris retinam efficit. fol. 373. col. 1. l.E.*

*Neruus opticus in oculorum gratiam ſe ipſum ſecundum tres ſuas ſubſtantias deſtruitur , ibid.*

*Nerui optici ſunt canales rotundi,oblongi,lati, molles, intus excauati , vt ſpirituum tum facultatem , tum quantitatem ferre poſſent . fol.377.c.1.l.A.*

*Neruus à cute detectus , ſi tangatur quouis molli obiecto , ingentem facit dolorem. fol. 390.c.2.l.B.*

*Nictalopia , ſeu cæcitas nocturna ex humoris aquei ſubſtantia propria incraſſata oritur. fol.374.c.1.l.E.*

*Nictalopis , & imaginum curatio . fol.378. c.1.l. B.*

*Nutrices cum curantur inſpicere oportet, ne menſes prouocentur. fol.26.c.1.l.D.*

*Nucum ſuccus à Galeno inuentus, & expertus fuit in ruſtico hortolano tonſillarum inflammatione laborante. fol.443.c.1.l.D.*

*Nutritioni duo neceſſariò requiruntur, concoctio nempe , & diſtributio . fol.284.c. 1 l. C.*

O

*OBſtructio non ſolùm fit à craſſitie , & lentore humorum , ſed etiam à copia . fol.39.c.1.l.D.*

*Obſtructio in neruis opticis à Latinis gutta ſerena dicitur. fol.334.c.2.l.D.*

*Oculorum expreſſio lege expreſſio oculorum.*

*Oculorum membranæ ab ipſius cerebri membranis ortum ducunt. fol.90.c.1.l.A.*

*Oculorum coniunctiua membrana à pericranio continuitate procedit . fol. 296. col. 2. l.c.*

*Oculorum membranæ ſunt frigidæ , & ſiccæ, ob ſpirituum copiam raræ. f.303.c.1.l.E.*

# I N D E X


Oculi ex humoribus, et membranis conſtant. fol.303.c.1.l.E.

Oculorum humores humidi ſunt. fol. 303. c. 1.l.E.

Oculis lactuca, braſſica, & lac à proprietate nocent. fol.305.c.1.l.A.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæſectio, aut medicamentum epotum ſoluit. fol. 305. col. 2. l. E.

ad Oculorum dolores, quod balneum conferat, ex Hippocr. mente. fol. 307. col. 2. l.D.

Oculorum dolori, et inflammationi præſtantiſſimè thus præparatum confert ex Matthiolo, & eius præparatio. fol. 308 col. 1. l.D.E.

Oculorum doloribus rarò narcotica ſunt adminiſtranda. fol. 308. col.2. l. D.

Oculorum iris ſeptem circulorum coniunctio eſt, qui ex quatuor tunicis, & tribus humoribus oculos conſtruentibus fiunt. fol. 313. c.1.l.D.

Oculorum nigro, an qua ex læſione contingunt alba appareant. fol.315.c.1.l.C. ad Ariſtotelis quæſitum reſponſio. ibid. lit. E.

ac Auctoris ſententia aduerſus Ariſt. fol. 315.c.2.l.B.c.

Oculi anatomia. fol. 334.c.1.l.A.

Oculos prominentiores habentes ad iniurias recipiendas faciles ſunt. fol.334.c.2.l.c.

Oculorum membranæ, & humorum ordo, et ſitus. fol. 372.c.2.l.D.E.

Oculis ſingulis tria muſculorum paria ad motum tam ſurſum, et deorſum; quàm dextrorſum, et ſiniſtrorſum, ac obliquè perficiendum ſunt deſtinata.f.379.c.1.l.D.

Oculi baſi ſeptimus muſculus neruum opticum circumuolens non datur, aduerſus Capinaccium, et Veſſalium. fol. 379. col.2. l.D.

Oculi expreſſio non fit ex ſeptimi muſculi relaxatione. fol.380.c.2.l.B.

Oculi baſim ſeptimus muſculus in quadrupedibus tantùm reperitur, quia prona incedunt. ibid. et fol.380.c.1.l.A.

Oculorum muſculi, dum omnes agunt, in tonica diſpoſitione ſunt, & oculos intus retinent, dum vnus horum mouetur ad hominis libitum, oculi mouentur fol.383.c.1. l.C.

Ocymi ex frequenti odoratu ſcorpio in cerebro genitus fuit, ex Hollerio, & Foreſto. fol.38.c.1.l.C.

Odoratui partes famulantes. fol. 411.col.1. l. E.

Odoratus inſtrumentum carunculæ mammillares ſunt. ibid. c.2.l E.

Odoratus læſus eſt ſymptoma actionis læſæ omnibus modis, ſequens omne morbi genus fol.412.c.1.l.D.

Odoratus læſi cauſæ. ibid.l.E.

Odoratus deprauati cauſa vitioſus humor, putridus, ac graueolens eſt. fol. 412. col. 2. l.C.D.

Odoratus læſi ſigna. fol.413.c.1. l.A. ſigna cauſarum. ibid.l.B.C.D.

Odoratus læſi euentus. fol.413.c.2.l.A.

Odoratus læſi curatio. ibid. localia. fol. 414. c.1.l B.& infra.

in Odoratu læſo cum localia adminiſtrantur, os aqua plenum eſſe debet, & caput ad poſteriora reclinatum. fol.414.c.2.l.C. ad eundem ſternutatorium. ibid.l.D.

Odoratui læſo caſtoreum ſummoperè prodeſt. fol.415.c.2.l.A.

Oleum ſambucinum non eſt, quod noſtrates appellant ſeſaminum; nec oleum de ben, quod dicitur moſchelinum, vt commentatur Herculanus. fol.55.c.1.l.A B.

ab Operatione, quæ eſt periculis plena, abſtinendum eſt, ex Galeno. fo.510.c.2.l.B.

Ophthalmia vnde deducatur. fol. 295. c. 1. l.D.

Ophthalmiæ duæ ſunt ſpecies. fol. 295. c. 1. l. E.

Ophthalmia vera adnatæ membranæ limites non excedit. fol.295.c.2.l.C.

Ophthalmiæ definitio. ibid. l E Galeni, & Auicennæ in ophthalmiæ definit. conciliatio. fol. 296. c.1.l.A.B.C.D.

Ophthalmia triplex eſt ex Nicolao Florentino. fol.296.c.2.l. E.

Ophthalmiæ adnatæ, ſeu coniunctiuæ membranæ oculorum inflammatio eſt. fol.297. c.1.l.B.

Ophthalmiæ cauſæ. ibid.

Ophthalmia ab humorum congeſtione non excitatur, ſed ab humorum defluxu. fol. 298.c.1.l.B.

Ophthalmiæ ab humorum congeſtione modus ab Auicenna pulchrè declaratur. fol.298. c.2.l.A.B.

Ophthalmiæ quatuor ſunt differentiæ. ibid. l.C.

Ophthalmiæ aliæ ſunt periodicæ, aliæ non periodicæ. ibid. l.D.

Ophthalmiæ ſigna. fol.299.col.1.lit.D.

Ophthalmiæ ſeu Taraxis ſigna. fol. 299. col. prima

1. lit. E.

Ophthalmiæ, ſeu chymeſis ſigna. fol. 299. col. 2. lit. A.

Ophthalmiæ à ſanguine ſigna. fol. 299. col. 2. lit. C.

à bile. ibid. à melancholia, & pituita. ibid. lit. D. E.

Ophthalmia cum à pituita, vel melancholia excitatur, vel ſemper admiſtum habet ſanguinem pro vehiculo inſeruientem, vel rarò ſit, vel longo temporis interuallo. f. 300. col. 1. lit. B. C.

Ophthalmia à flatu, vel craſſo vapore ex Auicenna, & eius ſigna. fol. 300. col. 1. lit. D.

Ophthalmiæ euentus. fol. 301. col. 2. lit. E.

Ophthalmia ſi malè curetur, relinquit maculam, vel pannum, vel telam, vel huiuſmodi. fol. 302. col. 1. lit. A.

Ophthalmiæ à cauſa externa curatio. fol. 302. col. 2. lit. C.

Ophthalmiæ, ſeu Taraxi, quæ localia medicamenta conueniant. fol. 303. col. 2. lit. E.

Ophthalmiæ per diætam curatio. fol. 304. col. 1. lit. D.

in Ophthalmia alui profluuium prodeſt. ibid. col. 2. lit. E.

in Ophthalmia cibus valdè ſubtrahendus eſt. fol. 305. col. 1. lit. C.

Ophthalmiæ an vinum meracum ſit dandum, vt Hipp. & Gal. an ſit interdicendum, vt Raſis, & contradictionis ſolutio ex Auctore de mente Meſues. fol. 305. col. 2. lit. A.

Ophthalmiæ per chirurgiam curatio. fol. 305. col. 2. lit. E.

Ophthalmiæ per pharmaciam curatio. f. 307. col. 1. lit. E.

Ophthalmiæ ex humoribus acribus, & tenuibus balneum particulare non confert. fol. 308. col. 1. lit. A. B.

ad eandem collyria. ibid.

Ophthalmiæ confert collyrium ex ijs, quæ à Græcis monohemera appellantur, quæ vnius horæ ſpatio dolorem auferunt. fol. 308. col. 2. lit. A. B.

et eius deſcriptio. ibid. ad eandem.

ad Ophthalmiam frigidam, et inueteratam collyrium Galeno, et eius deſcriptio. fol. 309. col. 1. lit. E.

ad eandem Sief de ſpica Meſues, et eius deſcriptio. fol. 309. col. 2. lit. B.

Ophtaſis ſine medicamentorum ope ſæpè euaneſcit. fol. 8. col. 1. lit. D.

Opium ab Indis ad arach. j. ß. pro viribus reſtaurandis aſſumitur. fol. 108. col. 2. lit. B.

Opium ob quantitatem, non qualitatem perimit. ibid. lit. C.

Oppoſitiones membrorum quatuor in corpore noſtro obſeruantur. fol. 439. col. 1. lit. C.

Orator optimis vtens ad perſuadendum medijs ſuo functus eſt munere, etſi non perſuadeat. fol. 454. col. 1. lit. A.

Ordo doctrinæ in eſſentialem, & accidentalem bipartitur. fol. 5. col. 1. lit. C.

Organa, ſeu inſtrumenta auditus, nempe, incus, malleolum, & ſtapes in quacunque ætate eandem ſeruant magnitudinem. fol. 2. col. 2. lit. C.

Orthopnæa eſt, in qua ſpiritus ita denſus redditur, vt ægri vix reſpirare valeant, niſi erecta ceruice. fol. 5. col. 2. lit. A.

Os ſphœnoides, quod à Barbaris baſilare dicitur, eſſi frontis eſt coniunctum, excauatum, ac aqua limpidiſſima repletum & ad oculorum angulos internos vtrinque terminatum, ex Auctoris obſeruatione. fol. 91. col. 2. lit. B. C.

Os ethmoides, ſeu cribroſum, in internam narium capacitatem deſinit, & cum cerebrum male afficitur, per ipſum pituita expurgatur. fol. 275. col. 2. lit. D. E.

Oſſis hyoidis muſculi, dū omnes agunt, ipſum ſuſpendunt, dum verò particulariter agūt, particulariter ipſum mouent. fol. 383. col. 1. lit. B.

Os ex pluribus partibus conſtractum eſt. fol. 424. col. 1. lit. C.

Os non ad orationem, & ſermonem à natura primò intenditur, ſed ad nutritionem. fol. 424. col. 1. lit. A.

Oſſa ſentire Auenzoar voluit. fol. 425. col. 1. lit. A.

Os ſuperius ventriculi cordis nomine ab antiquis appellatur. fol. 572. col. 1. l. C.

Ouum iuxtas diuerſas eius partes, diuerſas habet qualitates. fol. 65. col. 2. lit. D.

Oui albumen cum aqua papaueris agitatum, & alia localia medicamenta pro oculis fol. 308. col. 2. lit. E.

Ouorum albumina ſunt difficilis coctionis. fol. 604. col. 2. lit. A.

## P

PAlpebrarum oculi inflatio, aquoſitas, lapidificatio, grando, hordeolum, & inuiſcatio quid ſint, ſigna, cauſæ, curatio, & in-

dicationes. fol.585.col.2.lit.C. D.E.& fol. 386.col.1.lit. A.B.C.D.E.

ad Palpebrarum inflationem, ſeu emphiſima medicamenta localia. fol. 386. col. 2. lit. A.

ad Palpebrarum grandinem, ſeu chalazion topica medicamenta. fol. 386. col. 2. lit. C.

ad Palpebrarum aquoſitatem, ſeu hydatidem, & hordeolum particularia praſidia. fol. 386.col.2.lit.D.E.

ad earundem innitſcationem medicamenta. fol.387.col.1.lit.A.B.

Palpebrarum oculi durities, ſiccitas, ſcabies, pruritus, aſperitas, ficus, et callus quid ſint, quomodo diſtinguantur, cauſæ, & medicamenta particularia. fol. 387. col.1. lit. C.D.E. & col.2. lit. A.& infra.

ad Palpebrarum prurigines Auctoris vnguentum. fol.388.col. .lit.C.

ad Palpebrarum ſcabritiem, & aſperitatem, ſeu trochoma Pauli collyrium. fol. 388. col.2.lit. A.

ad Palpebrarum exulcerationem. & callum, collyria. . ibid. lit.B.C.

Palpebrarum pilorum inutilis redundantia, defluuium, ſeu glabrities; pilorum inuerſio; pediculatio; palpebrarum retractio, ſeu oculi leporini; et inuerſio quid ſint, cauſa, et curatio. ibid.lit. D.E. et fol.389. col.1.lit.A.

in Palpebris eſt muſculus aperiens, nullus claudens. fol.465.col.2.lit.E.

Palpitatio cordis, Græcè παλμος, & παλμος καρδιας vocatur. fol.572.col. 1.lit.C.

Palpitationis definitiones ex Galeno. ibid. lit. E.

Palpitationem quæ partes patiuntur.fol.572. col.2.lit.C.D.E.

Palpitationis cordis cauſæ. fol. 573. col. 1. lit. A.

Palpitationis, et tremoris differentia. ibid. lit. B.

Palpitationis motus eſt inuoluntarius; tremoris verò eſt voluntarius: obiectio in contrarium adducitur, et ex Galeno ſoluitur. ibid. lit. B. et infra.

Palpitationis cordis cauſa eſt ſubſtantia quædam craſſa, halituoſa. fol. 574. col. 1. lit. D.

Palpitatio motus tremulus non eſt. fol. 574. col.2.lit. A.

Palpitatio cordis eſt ſymptoma in actionibus motricibus deprauatè læſis. fol.574. col.2. lit.C.D. et fol.576.col.1.l.A

obiectio in contrarium adducitur, et ſoluitur. ibid. lit.E. et infra.

Palpitatio à pulſatione in quo differat f.575. col.1.lit.E.

Palpitationis motus duplex. fol. 575. col. 2. lit. A.B.

Palpitatio cordis ab Arabibus per ſimilitudinem cordis tremor, et quandoque ſaltus dicitur. fol.576.col.1.lit. A.B.

Palpitatio cordis tribus conſideratur modis. ibidem.

Palpitationis differentiæ. fol. 576. col. 1. lit. C.D.

Palpitationis cordis motum in quodam vulnerato ad ſcapulam ſiniſtram in thoracem penetrante, etiam extra cubiculum perceptum fuiſſe à Foreſto traditur. fol.576.col. 1.lit.E.

ex Palpitatione cordis thoracis coſtas fractas, & quæ ſupra mammas ſunt de propria ſede depulſas fuiſſe apud Fernelium legitur. fol.576.col.2.lit.A.

Palpitatio cum ſigno quæ dicatur ex Galeno. ibid. & fol.577.c.1.lit.A.B.

Palpitationis cordis cauſæ. fol.576. col. 2. lit. C.

Palpitatio duplex. fol.578.col.2.lit.B.

Palpitationis cordis euentus. fol. 578.col.2. lit. E.

Palpitationis cordis ſigna. fol. 579. col. 1. lit. A.

Palpitatio cordis ſemper magnus dicitur morbus ratione partis excellentiæ. ibid.

Palpitationis cordis per victus rationem curatio. fol.580.col.2.l.A.

& indicationes. fol.581.col.1.lit.A.B.C.

Palpitationis cordis per chirurgiam curatio. fol.582.col.2.lit.B.

in Palpitatione cordis præſentaneum remedium eſt ſanguinis miſſio à quacumque cauſa fiat, et in ipſa acceſſione. ibidem, et infra.

in Palpitatione cordis ab hypochondrijs ſanguinis miſſio ex talo, vel poplite conuenit, item et hirudines ad venas hæmorrhoidales. ibid lit.C.D.

Palpitationis cordis per pharmaciam curatio. fol.583.col.1.lit.E.

Palpitatio cordis rarò à bile ſimplici fit, ſæpè à ſeroſo humore, et ab aduſta melancholia fol.584.col.1.lit.C.

ad Palpitationem cordis Petri Foreſti medicamentum mirabile. fol.586.col.1.l.A. aqua einſdem ad eandem. ibid. col. 2. lit. C.

# INDEX


Palpitationis cordis curatio pulcherrima apud Amatum Luſitanum cent.3. cur.43. ibid. lit. B.

ad eandem Chriſtophori Auega ſacculus, quo ſtatim ſanabat palpitationem cordis. fol.587.col.2.lit. A.

Papaueris ſemina, & oleum papaueris nigri non ſunt ex inducentibus ſomnũ, vt apud Matthiolum. fol.109.col.1.l.A.B.

Paralyſis apud Græcos varia nomina. f.233. col.1.lit.E.

Paralyſis, & pareſis quid ſignificent. f.233. col.2.lit.C.

Paralyſis ſymptoma ſenſus, & motus abolitt ſine hegemonicarum læſione eſt. fol.233. col.2.lit.E.

in Paralyſis pars affecta. fol. 235. col.2. lit. B.

Paralyſis differentiæ. fol.236.col.2.l.B.

Paralyſis quos ſequatur morbos. fol.237.col. 1. lit.B.

Paralyſis ab intemperie calida, aut ſicca fieri poteſt. ibid.lit.D.

Paralyſis cauſæ. ibid.col.2.lit.C.

Paralyſis excitatur à piſciculo, qui torpedo dicitur. fol.238.col.1.lit. A.

Paralyſis à bile, & ſanguine fieri poteſt. ibid. lit.E. & col.2.lit.B.

in Paralyſi cur ſenſus amittitur integro remanente motu, vt de Pauſania ſophiſtico Galenus ſcribit, & quæſiti ſolutio. f.239. col.1.lit. A.B.

Item cur emaciatio, & quæſiti ſolutio. ibid. et col.2.lit.C.D.

Paralyſis dextri lateris, an ſiniſtri curatu ſit difficilior, et quæſiti Auctoris ſolutio. fol. 240.col.1.l. A.D.

Paralyſis tam præſentis, quàm imminentis ſigna. fol.240.col.2.lit. A

Paralyſis ex ſpinalis medullæ, aut nerui, aut muſculi inſignis ſectione, aut vertebrarum luxatione incurabilis. fol.241. col. 1. lit. B.

Paralyſis indicationes, et per victus rationem curatio. fol.241.c.2.l.D.

ad Paralyſim aqua magiſtralis pro potu ex Auctore fol.243.col.1.lit.B.

Paralyſis per chirurgiam curatio. ibid.col.2. lit.E.

per pharmaciam. fol.244.c.1.l.E.

ad Paralyſim decoctum ex ligno ſancto. fol. 243.col.2.lit.D.

Paralyſis cauſæ coniunctæ quibus auxilijs ſuccuratur. fol.245.col.1.l.A.

ad eandem confectio in tabellis. ibid.lit.D.

Paralyticis quibus in locis medicamenta ſunt admouenda. fol.245.col.2.lit.C.

ad Paralyſim cauteria quibus in locis ſunt facienda. fol.246.col.1.l.A.

Paraplegia, hemiplegia, & paraplexia quid ſint, fol.233.col.1.lit.E.

Paraphrenitis delirium eſt in capite per conſenſum ex ſepti tranſuerſi inflammatione ſecundum aliquos. fol.83.col.2.l.D.

Paraphroſini quas habent facultates deprauatas. fol.170.col.2.lit.A.

Parotides ſunt tumores externi ſpectantes ad partem chirurgicam. fol. 408. col. 2. lit. C.

Partes aqueæ in corpore noſtro inſtar glaciei condenſari non poſſunt, vt catoche fiat. fol.177.col.1.lit.B

Partes naturales, niſi lædantur ſecundum ſubſtantiam, non dicuntur per eſſentiam lædi. fol.235.col.2.lit.E.

Partes dexteræ ſiniſtris ſunt calidiores ex Ariſtotele, & Auctoris ſententia. fol. 240. col.1.lit.B.C.

Partibus, quæ voluntariè mouentur, triplex ineſt quies. fol.254.col.2. lit.C.

Pars alia eſt principalis, alia minus principalis, & alia ad meliorem actionem. fol.411. col.1.lit.C.

Partes omnes ſuas moliuntur actiones mediantibus facultate, calido innato, temperie. & propria conſtitutione. fol.152. col.2. lit. B.

Partes ſupra iecur, ſuperiores dicuntur, infra verò inferiores. fol. 440. col. 1. littera D.

Partes à muſculis motæ plures habent ſui motus conſtitutiones, et quæ ſint. fol.466. col. 1. lit.B. et infra.

Partis ſimilaris morbus proprius eſt intemperies. fol.574.col.2.l.E.

Partium corporis caput eſt morbis obnoxium Hippocrate Auctore. fol.5.col.2 l.B.

Pediculi ſerpentes ex Pliny opinione non appellantur aduerſus Marcellum Donatum. fol.19.col.1.lit.C.

Pedicularis morbus quis affectus dicatur, et quas afficere poteſt partes. fol.19. col.2. lit. D.

Pedicularis morbus in carne, et non ex carne putrida cum Ariſtotele, aduerſus Mercurialem Ariſtotelem male reprehendentem generatur. fol.19.col.2.lit.E.

Pediculi ſub cute generantur. fol.20. col.1. lit. B.

Pediculi ex maſſa ſanguinis putrefacta gignun-


gnun-

*gnuntur ex Theophraſto, qui malè à Mercuriali intelligitur. fol. 20. col. 1. l. c.*

*Pediculi ex quolibet humore putrefacto, ſed non adhuc acri, generari poſſunt. fol. 20. col. 1. lit. D.*

*Pedicularis morbi cauſa efficiens quæ ſit, difficilem habet inueſtigationem ex Auerrhoe. fol. 20. col. 1. lit. E.*

*Pedicularis morbis cauſa. fol. 20. col. 2. lit. B.*

*Pediculorum quatuor dantur differentiæ. fol. 21. c. 1. lit. A. B.*

*Pedicularis morbi ſigna, & euentus. fol. 21. col. 1. lit. C.*

*Ex pediculari morbo Pherecides, Sylla ſummus Romanorum Dictator, & Plato ex aliquorum opinione obiere. fol. 21. col. 1. lit. D.*

*Pedicularis morbi indicationes. fol. 21. col. 2. lit. A.*

*per victus rationem curatio. ibid. lit. B.*

*Phaſianorum caro pediculos generat. ibid. lit. C.*

*Pedicularis morbi per pharmaciam curatio. fol. 22. col. 1. lit. A.*

*Pediculi ex bile, quia amara eſt, non generantur. ibid. lit. D.*

*Pediculari morbo vnica non ſufficit purgatio. ibid. lit. E.*

*ad Pedicularem morbum localia medicamenta. ibid. col. 2. lit. A.*

*in Pericardio, ſeu cordis capſula reperitur ſerum. fol. 360. col. 2. lit. A.*

*in Pericardio aqua non continetur ex Auctore, & huius rationes, & in quibus reperiatur. fol. 577. col. 1. lit. C. & infra.*

*Pericardium tantæ eſt capacitatis, vt cor in eo liberè moueri poſſit. ibid.*

*Pericarium Græcè, à noſtratibus hilaritas inſignis dicitur. fol. 588. col. 1 l. A.*

*in Peripneumonia ſimul cum anguſtia eſt caloris augmentum. fol. 470. col. 1. lit. E.*

*Peripneumonia pulmonis inflammatio eſt cum febre acutæ. fol. 522. col. 2. lit. D.*

*Peripneumonia an ex ſanguine ſubtili, & bilioſo, an verò ex craſſo, & pituitoſo excitetur: Galeni locorum repugnantia, eorumq; Auctoris conciliatio. fol. 523. col. 1. lit. C. D.*

*Peripneumonia eſt morbus in compoſitione. fol. 523. col. 2. lit. A.*

*Peripneumonia duplex, vna exquiſita, alia ſpuria. ibid.*

*Peripneumoniæ cauſa. ibid. lit. B.*

*Peripneumonia frequentius ob pulmonis laxitatem ortum ducit ex pituita in doctrina Galeni ex Auctore. fol. 524. col. 1. lit. B.*

*Peripneumonia à bile vehementiora, ac peiora habet ſymptomata, quàm à pituita. ibid. lit. D.*

*Peripneumoniæ ſigna. ibid. col. 2. lit. B.*

*Peripneumoniæ euentus, & per quos ſolet terminari modos. fol. 525. col. 1. lit. D.*

*Peripneumoniæ materia ſi in viam reſolutionis inclinet, bonus eſt ſperandus euentus; ſi in ſuppurationem, anceps; ſi in indurationem, neuter; ſi in gangrænã, & ſphacelum læthalis. ibid. col. 2. lit. A. B.*

*& harum inclinationum ſigna. ibid.*

*in Peripneumonia, & pleuritide ſalus à virium robore ſolum ſperanda eſt ex Galeno. ibid. lit. C.*

*Peripneumoniæ ſi phrenitis ſuperueniat, malum ex Hipp. & ſi ex angina peripneumonia fiat, intra 3. dies pereunt ægri, vel ſi hos effugiant, ſuppurantur. fol. 526. col. 1. lit. C.*

*Peripneumoniæ per chirurgiam, curatio. ibid. col. 2. lit. A.*

*Pauli, Aetij, et Celſi controuerſia in ſanguine mittendo; Altimari conciliatio, quæ reijcitur ab Auctore, eiuſque ſententia. ibid. lit. C. & infra.*

*Peripneumoniæ per pharmaciam curatio. fol. 527. col. 1. lit. D.*

*in Peripneumonia localia maiorem penetrandi vim habere debent, quàm in pleuritide. ibid. col. 2. lit. D.*

*Peripneumoniæ obſeruationes duæ, vna Galeni, quæ inunctione inter primam, & ſecundam thoracis vertebram facta curata fuit; altera Matthioli, quæ vſu antimonij gr. ij. cum ſacch. roſ. euanuit. fol. 528. col. 1. lit. C. D.*

*Peripneumoniæ per diætam curatio. ibid. col. 2. lit. A.*

*Peripneumonici, et pleuritici cur tantopere vinum deſiderent, et Auctoris ex Ariſtotele reſolutio aduerſus Mercurialem. f. 529. col. 1. l. C. et infra.*

*Peſtilentia Athenis vagata memoria nonnullis abolebatur. fol. 143. col. 2. lit. D.*

*Phantaſmata, ſeu imagines in oculis quid ſint, et eorum cauſa. fol. 374. col. 2. lit. B. C.*

*Phantaſmata, ſeu imagines quomodo per aerem moueri videntur, cum earum cauſa ſit ſtatio rei non peruiæ. Auctoris ſolutio aduerſus Mercurialem. ibid. l. D. E. et fol. 375. col. 1. lit. A. B.*

Pl arinx, dicitur à noſtris ſub plurali numero fauces. fol.434.col 1.lit.E.
Philautia, & erotomania quid ſint. fol.111. col.2.lit.D.
Phlogoſis, ſeu inflammatio vel eſt legitima, vel ſpuria. fol.296.col.1.lit.B.
Phlogoſis, ſeu inflammatio vera eſt tumor à ſanguine factus: non vera eſt quicumque tumor calidus, vel partis alicuius calida intemperie. fol.297.col.1.lit.C.
Phlegmone eryſipelatoſa ex ſanguine, cui bilis admiſcetur, excitatur, cum verò ſanguini admiſcetur pituita, phlegmone oedematoſa dicitur. fol.436. col.2. lit. B.
Phlictenes, ſeu veſiculæ, ſeu puſtulæ oculorum quid ſint. fol.314.col. 1. lit.C.D. & col.2.lit.C.D.
earumdem differentiæ. ibid.col.2.lit.A.
Phlictenes oculorum, an vbi albæ appareant, ſint ſuperficiales, vbi nigræ profundæ, an è contra. fol.315.col.1. lit.D. ac Auctoris opinio. fol.316.col.1.lit.B.C.
Phlogoſis non eſt vera inflammatio, ſed excedens quædam caliditas. fol. 77. col. 1. lit.B.
Phrenitidis etymologia. fol.83.col.2.lit.C.
Phrenitis delirium eſt in capite per eſſentiam. ibid. lit.D.
Phrenitis apoſtema calidum eſt in vtroque cerebri velamine. fol.83.col.2.l.D.
Phrenitidis diuiſio ex Gentile. fol. 84. col 1. lit. E.
Phrenitidis quando cerebrum, et quando eius membranas occupat ex Auctore. ibid. col. 2. lit.c.
Phrenitis malè à Capiuaccio definitur. ibid. lit.E.
Auctoris definitio. fol.85.col.2.lit.D.
Phrenitis ſemper aſſociatam ſecum habet febrem. fol.86.col 1.lit.D.
Phrenitidis cauſæ. ibid.col.2.lit.A.
Phrenitis à paraphrenitide, in quo differt. fol. 87.col.1.lit. E.
Phrenitis mitis à bile fit calida, validior à bile flaua, furioſa, ſeu ferina ab atra bile. ibidem.
Phrenitis ſine febre quandoque ab atra bile excitatur ex Galeno. fol. 87. col. 1. lit. A.
Phrenitis à ſolo ſanguine, vel à ſanguine, & pituita mitiſſima eſt. ibid.lit.B.
Phrenitis à ſepto tranſuerſo, vera phrenitis à Galeno nominatur. ibid. lit.C.
Phrenitidis futura ſigna. fol.87.col.2.l C.
factæ. fol.88. col. 1. lit. C.
Phrenitidis febris ſymptoma dicitur. ibid. lit. E.
Paraphreneſis eſt ſymptoma febris. ibid. lit. E.
Phrenitidis veræ à delirio ſigna diſtinctiua. ibid.col.2.lit.C.
Phrenitide cur, cum oculi ſint exiccati, lachrymæ effunduntur. Quare magis in vno, quã in alio apparent. ibid. col.2.lit.B.C.
& Auctoris ſententia. fol. 92. col. 1. lit.D.E.
Phrenitidis ſigna ex ſanguine. fol. 93. col. 1. lit. D.
à cholera. ibid. col.2. lit.B.
à cholera aduſta. ibid. l.E.
Phrenitis in genere exitialis eſt ex Hippocrate. fol.94.col.1.lit.C.
Phrenitici tertium, quintum, & quandoque ſeptimum attingunt diem; ſi verò ſubito mortem appetunt, id ex praua, & virulenta qualitate contingit ex Galeno. fol.94. col.1. D.
Phrenitis ſi cum febre inuaſerit, intra ſeptimum ad mortem deſinit ex Galeno. ibid. lil. E.
Phrenitis cum riſu minus exitialis eſt. ibid. col.2. lit. A.
Phrenitis ſæpe in lethargum, & conuulſionem, et quod peius in gangrænam, et quandoque in hecticam commutatur ex Auicenna. ibid. lit.B.
Phrenitidi ſi adiungatur, vel tremor, vel ſingultus, vel dentium ſtridor, vel vocis amiſſio, vel labiorum tremor cum linguæ conuulſone, & voce tremula, lethale eſt; & præcipuè ſi vrina, & fœces ſponte exeant. ibid. lit.B C.
Phrenitici quandoque ex ſudore, vel ſanguinis è naribus hæmorrhagia euaſerant, ex Auctoris obſeruatione. fol.94.col.2.l.D.
Phrenitidis curatio per chirurgiam. ibid. lit. E.
in Phrenitide bilioſa, aut melancholica, virtute debili exiſtente, vena frontis ſecanda eſt, ex Auicenna, Alexandro Tralliano. fol.95.col.2.lit.A.B.
Phrenitidi bilioſæ cum tumore, ſiue interno, ſiue externo ſanguinis miſſio conuenit aduerſus Capiuaccium. fol. 96. col. 1. lit. A. B.
in Phrenitide à ſanguine ſanguis mittendus eſt. fol,95.col.1.lit.B. quantum ibid.lit.C.

*quando ibid. lit.D. vbi ibid.lit.E. an vſq; ad animi deliquium ſanguinis miſſio conueniat, & Auctoris aduerſus Gentilem ſententia.ibid.c.2.l.C.D.E.et f.97.c.2.l.E.*

*Phrenitidi hirudines ad anum admotæ reuellendi cauſa conferunt,vt et cucurbitulæ ad infernas partes. fol.98.col.1.l. A.B.*

*in Phrenitide bilioſa primo ſanguis mittitur, deinde clyſter inijcitur ex Auic. fol.95.col. 1. lit.D.*

*Pleuritide in ſanguinea ſanguinis miſſio fit per foramen amplũ, in bilioſa per foramen anguſtum. fol.95.col.1.lit.D.*

*Phrenitidis indicationes. fol.101.c.1.l.D.E. curatio per victus rationem. ibid. col.2. lit. B.*

*in Phrenitide bilioſa ſanguis maxima cum cautela mittendus eſt, quia ſanguis frenum bilis eſt ex Auicenna. fol. 96. col. 2. littera A.*

*aquæ hordei, vt alimentum, vel potus, præparatio. ibid. lit.D.*

*Phrenitici an in aere lucido ſint detinendi, vt Aſclepiades vult, et Auctoris opinio. fol. 103.col.2.lit.D.E.*

*in Phrenitide bilioſa pura non eſt ſanguis mittendus, ſed bilis purganda. fol.96. col. 1.lit.D.*

*Phrenitidis per pharmaciam curatio. f. 104. col.2.lit.E.*

*Phrenitici an in principio ſint purgandi, & vtrum lenitiuo,an eradicatiuo medicamento. fol.105.col.1.lit. B.D.*

*in Phrenitide vigilijs,quia inter cætera magis vrgent,primo incumbendum. fol.108.col. 1. lit.A.*

*in Phrenitide localia præſidia maxima egent animaduerſione fol.110.col.2.l.B.*

*Phthiriaſis vnde dicatur. fol.19.col.1.l.G.*

*Phthiſis quid ſit. fol. 559.col.2.lit.C.*

*Phthiſis definitio. fol.560.col.2.lit.B.*

*Phthiſicam quandam mulierem ad 23. annos vixiſſe Auincenas obſeruauit, & Gentilis quendam iuuenem phthiſicum ad 12. annos vitam degiſſe agnouit. fol.560.col.2. lit. D.*

*Phthiſici quando, et quomodo diu viuant, et Auicennas exponitur. fol. 561. col. 1. lit. A. et infra.*

*in Phthiſicis vlcus ſe habet, vt cauſa febris hecticæ, et quomodo producatur. fol. 562. col. 1. lit. A.B.*

*ad Phthiſim ſunt apti, qui anguſto, et ſtricto thorace ſunt,ita vt a tergo in alarum modum ſcapulæ promineant. fol. 562. col. 1. lit. D.*

*Phthiſis cauſæ. ibid. col.2.lit. A.*

*Phthiſis ſigna à quibus deſumantur. fol.563. col.1.lit.C.D.*

*Phthiſis pulſus ab hecticorum pulſu in quo conueniat, & differat. ibid.col.2.l.C. quare ſit durus. fol.564.col.1.l.A.*

*Phthiſis euentus. ibid.col.2.lit.B.*

*Phthiſis indicationes ſibi inuicem repugnantes, habet. ibid. lit.D.*

*Phthiſis per chirurgiam curatio. fol.565. col. 2.lit. E.*

*in Phthiſi non conuenit ſanguinis miſſio; & Auicennas, & Meſues limitantur. f.566. col.1.lit.C.D.*

*in Phthiſi an cauteria conueniant, quando, & vbi adminiſtranda ſint. ibid.col.2.l.A. & infra.*

*Phthiſis per pharmaciam curatio, & indicationes. fol.567.col. 1.l.A. & infra.*

*in Phthiſi lac mane, & ſyrupus de teſtudinibus ſero maximè probantur. fol.568. col. 2. lit. D.*

*in Phthiſi lac caprillum acetoſum probat Meſues, & quibus inutile ſit. fol. 569.col.1. lit.B.C.*

*Phthiſis per victus rationem curatio. f. 571. col.1.lit.B.*

*ad eandem Benedicti Victorij ferculum. ibid. lit.C.alia fercula Auctoris.ibid.lit.E. & infra.*

*Pinguedines antiquatæ maiorem habentium diſcutiendi, recentes verò ſuppurandi. fol. 398.col.1.lit. A.*

*Pituita dulcis minus frigida eſt,quàm inſipida, acida inſipida frigidior. fol.278.col. 2. lit.C.*

*Pleuritide cum quis ſemel, aut bis in die aſſellauerit, ſanguinis miſſio non conuenit ex Auic. fol.98.col.2.lit.D.*

*Pleuræ nulla ineſt arteria. fol. 437. col. 1. lit. G.*

*Pleura eſt membrana omnes ſubcingens coſtas, omniaque thoracis inſtrumenta inueſtiens. fol.449. col.2.lit.B.*

*Pleuritis vnde deducatur. fol. 486. col. 1. lit. D.*

*Pleuritidis varia nomina. ibid.*

*Pleuritis eſt ſymptoma facultatis ſentientis deprauatæ. ibid. col.2.lit.A.*

*Pleuritis ſequitur morbum in mala compoſitione, nempe tumorem inflammatorium. ibid. lit.B.*


Pleu-

# I N D E X


Pleuritis ad vigeſimum, et trigeſimum quartum diem protrahitur, ſicut de Anaxione Hip. fol. 486. c. 2. l. ſ.

Pleuritis à frigidis humeribus non eſt morbus acutus, ſed à calidis ex Auic. eiuſque confutatio. ibid. l. D. & fol. 489. col. 1. l. C. D.

Pleuritis omne morborum genus ſequitur, nempe intemperiem, ſolutionem, & malam compoſitionem, qui tres morbi tumoris eſſentiam conſtituunt. fol. 486. c. 2. l. D.

Pleuritis an ſit morbus acutus. fol. 486. col. 2. l. E.

Pleuritis ſi tranſcendat decimamquartam in ſuppurationem, ſeu empyema commutatur ex Hipp. fol. 487. c. 1. l. B.

Pleuritis ſemper eſt morbus acutus reſpectu ſymptomatum, & vitæ diſcriminis; reſpectu verò terminationis, vt plurimum. fol. 488. c. 1. l. c. D.

Pleuritidis definitio ex Galeno. fol. 488. c. 1. l. C. D.

Pleuritis alia exquiſita, alia non exquiſita. ibid. c. 2. l. A.

Pleuritidis non exquiſitæ pars affecta quæcunque thoracis pars eſt exceptis muſculis intercoſtalibus internis. fol. 488. c. 2. l. A.

Pleuritidis veræ, & exquiſitæ pars affecta membrana ſuccingens coſtas eſt; vera autem, ſed non exquiſitæ ſunt muſculi intercoſtales interni. ibid. l. D. E.

Pleuritidis cauſæ. fol. 489. c. 1. l. A.

Pleuritis ferè ſemper à bile, aut ſanguine, rarò à pituita ſit. ibid. l. E.

in Pleuritide vnde ſcreatus niger ſit. ibid. c. 2. l. A.

Pleuritis frequentius ſit ex humore melancholico, quàm ex pituitoſo, ſi per congeſtionem fiat ex Auctore, Auic. & Nicolao Florentino, & huius ratio. fol. 489. c. 2. l. D. E.

Pleuritis per defluxum nunquam ex humore melancholico ſit, ſed ex pituitoſo. ibid. l. C.

Pleuritis à vaporibus non ſit. fol. 490. c. 1. l. D.

Pleuritidis autumnus ferax eſt. ibidem l. E.

in Pleuritide per defluxum cur ab alimentis craſſi ſucci cauendum ſis, cum ad motum craſſi humores ſint inepti, & quæſiti ſolutio. fol. 491. c. 1. l. A. B. C. D.

Pleuritidis differentiæ. ibid. l. E. ab Idea. ibid. c. 2. l. A. à cauſis. ibid. l. D. à vehementia, ſeu magnitudine. fol. 493. c. 1. l. A. à more. ibid. à partibus ſimilaribus affectis. ibid. l. B.

Pleuritis exquiſita dicitur ab Auic. quæ ſeptum tranſuerſum, quæ mediaſtinum, ac muſculos intercoſtales internos obſidet. ibid. l. C.

Pleuritidis ſigna, inter alias affectiones, ſigna demonſtratiua à Galeno appellantur. ibid. c. 2. l. B.

Pleuritidis ſigna. ibid. l. E. à dolore. fol. 484. c. 1. l. A. à febre. ibid. l. B. à tuſſi. ibidem. à difficultate reſpirandi. ibidem l. E.

in Pleuritide reſpirandi difficultas duobus modis conſideratur, & ratione membranæ læditur. fol. 495. c. 1. l. A. B.

Pleuriticorum pulſus magnus, velox, frequens, durus, ac tenſus eſt; & vnde talis fiat. ibid. c. 2. l. A. & infra.

Pleuritidis ſigna, quæ quinque ſunt, vnum horum ſi deficiat, nequaquam vera conſtituitur, ac legitima; quod Galenus docet, caſuſq; proponit. fol. 496. c. 1. l. A. & infra.

Pleuritis magna ex ægroti decubitu cognoſcitur. ibid. l. E.

in Pleuritide nihil expuere magnæ læſionis ſignum eſt, ac vrinarum cruditati proportione correſpondet, ex Galeno. fol. 437. c. 2. l. B.

Pleuritidis malignæ ſigna. fol. 499. c. 1. l. E. & infra.

Pleuritis per eſſentiam quomodo ab ea, quæ ſit per conſenſum, diſtinguatur, & cognoſcitur. fol. 499. c. 2. l. C.

eiuſdem ſigna cauſarum. fol. 500. col. 1. l. A.

à ſanguine. ibid. à bile. ibid. l. C.

Pleuritidis euentus. folio 500. column. 2. l. B.

in Pleuritide ſputamen nigrum mortem prænuntiat ex Galeno. fol. 501. colum. 1. l. D.

in eadem per ſputum ſanguis exiens ſalutem indicat; ſi bilis, aut pituita anceps euentus eſt. ibid.

in Pleuritide, ſeu morbo laterali ſi circa initium ſtatim ſputum appareat bonum, ex Hipp. fol. 501. c. 2. l. A.

an Pleuritis dexteri lateris, an ſiniſtri periculoſior ſit, eiuſque ſolutio ad Auicenn. & Conciliatiorem remittitur. fol. 502. col. 1. l. A.

Pleritidis indicationes. ibid. l. D.


Pleu-

in Pleuritide ſolus Curtius Papienſis negat ſanguinis miſſionem. fol.502.c.2.l.C.
in Pleuritidem cum incidiſſet, ex Benedicti Victorij Fauentini, & aliorum conſilio, eodemq; Curtio aſſentiente, per ſanguinis miſſionem liber à pleuritide euaſit. ibid.l.C.D.
in Pleuritide quando ſanguis non ſit euacuandus. fol.503.c.1.l.A.B.
in eadem ſanguis, ex eodem latere eſt educendus, ex Græcorum, Arabum, & Latinorum opinione, exceptis Aetio, Veſſalio, Amato Luſitano, & horum rationes. ibid.C.& infra.
in Pleuritide ſemper ex dextero latere ſanguis mittendus eſt: ex Veßalio, ſiue dolor ſit in dextro latere, ſiue in ſiniſtro, quem multi, & ſignanter Luſitanus reprobant. fol. 504.c.1.l.C.
in Pleuritide euacuandus eſt ſanguis à cubito partis dolentis ex Hipp. Gal. & Auctore, & Aetius conciliatur. ibid.c.2.l.A.B.
in Pleuritide ſanguinis tantum mittendum eſt, quouſq; rubicundior euadat, aut ex rubicundo liuidus ex Hipp. quem Galenus interpretatur: Hipp. Aurelianus reprobat. qui ab Auct. refellitur. fol.506.c.1.l.A. et fol.507.c.1.l.C.D.
in Pleuritide an ſedandus ſit dolor, antequam ſanguis mittatur; quid dicant Auicen. et Gal. Capiuaccij reſponſio, eiuſdemq; refutatio Auctoriſq; quæſiti ſolutio. fol. 508. c.1.l.A.et infra.
in Pleuritide notha, non genita à ſanguine fomenta ante ſanguinis euacuationem adminiſtrari poſſunt. fol.509.c.1.l.D.
Pleuritidis per pharmaciam curatio. fol.509 c.1.l.E.
Pleura totam thoracis capacitatem, et ſupernam, et infernam amplectitur. 510. c. 1.l.C.
in Pleuritide quæ præcepta in exhibendis præſidijs traduntur ab Hipp. ſunt quidem ad memoriam mandanda, non autem ijs perpetuo vtendum ex Gal. fol. 510.colum.1. lit.c.
in Pleuritide cacochymia vel peccat quantitate, vel motu, et purgationem, vel euacuandi, vel reuellendi, vel deriuandi cauſa indicat, ex Galeno. ibid.l.E.
in Pleuritide circa purgationem à principio Capiuaccius, et Syluanus æquiuocant. ibid.l.E.
in Pleuritide Hipp. non eſt imitandus circa medicamentorum materiam ſuis tẽporibus vſurpatam, niſi maxima vrgente neceſſitate. ibid.c.2.l.A.
in Pleuritide medicamentum purgans à principio non conuenire ex Hipp. videtur concludendum, et Galeni, et aliorum ſententia. fol.514.c.1.l.E.
in pleuritide medicamentum purgans non præcautionis, ſed curationis cauſa competit, ex Auctore aduerſus aduerſus Ludouicum Mercatum. ibid.l.E.
in Pleuritide manna omnium medicamentorum præſtantiſſima. fol.516.c.1.l.c.
in Pleuritide lenientibus medicamentis materia peccans euacuari debet ex Auctore iuxta Meſues canonem. ibid.c.2.l.B.
ad Pleuritidem arteriaca medicamenta. ibid. l.D.ad eandem ex materia pituitoſa medicamentum ſub forma potus. ibid. c.2.l.D. Lambitiuum. fol.518.c.1.l.C.
in Pleuritide lambitiua, ſeu arteriaca ante corporis expurgationem exhibenda non ſunt, aduerſus medicos ignaros. ibid. col. 2.l.B.
in Pleuritide localia medicamenta à principio ſunt tentanda cum ſumma plenitudinis ſigna in toto corpore non reperiuntur. ibid. l.E. de his Capiuaccius confuse egit, ſicut & Hipp. fol.519.c.1.l.B.
in Pleuritide ſuppurantia non conueniunt niſi poſt 14. diem. fol.520, c.2. l. B. ad eandem emplaſtrum ſuppuratiuum, & vnguẽtum ſuppuratiuum. ibid.
in Pleuritide hederæ terreſtris aqua pro ſecreto habetur, ſi quater in die naturali. vnc. iiij. bibantur. fol.521.c.1.l.c.
Pleuritidis per victus rationem curatio. ibid. l. D.
in Pleuritide clyſteres acres ſunt euitandi. ibid.c.2.l.A.
à Pleuritide Anaxion liberatur per ſudorem tertia die ex Hipp.& ex Valleriola ab inconcocta pleuritide poſt 14.per alui fluxionem. fol.532.c.1.l.Bc
Plexus choroides quid ſint: rete admirabile ab antiquis dicti. fol.201.col. 1. l.D.
Polypus quid ſit. fol.410.col.,1.l.D.
Porrigo, & furfuratio vnde dicantur. fol. 14. col. 1.lit.C.
Porriginis, & furfurationis inter Galenum, Aetium, Paulum, Gordonium, & Auicennam diſcordia, & eorundem ex Auctore conciliatio. fol.14. col. 2.lit. C. & infra.
Prædictiones rectæ, rectam cognitionem, & curationem demonſtrant. fol.258. col, prima

1. *lit.E.*

Procidentia *apud Græcos proptoſim, & apud Auic. corneæ ruptura dicitur. fol.341.col.2. lit.E.*

Procidentia *vueæ affectio eſt, & prout varie modo à cornea exit, varia acquirit nomina. fol.343.col.1.lit.A.*

Procidentia *vueæ ſequitur tum ſolutaneæ vnitatem, tum malam compoſitionem. ibidem.*

Procidentiæ *vueæ definitio. ibid.lit.E.*

*in* Procidentia *quare exit vuea, & non humor aqueus, qui immediate poſt corneam locatur, cum corneæ ſit ſoluta continuitas. ibid. col.2.lit.B.C.*

*Auctoris dubij ſolutio. ibid. lit.* D.

Procidentiæ *vueæ cauſæ. fol.344.col.1.lit.A. ſigna. ibid. lit. C. ſigna differentiarum. ibid. lit.D.E.* Euentus. *ibid. col.2. lit.B. curatio vniuerſalis. ibid. lit.C. indicationes fol.345.col.1.lit.B.C. curatio particularis. ibid.lit.E.*

*ad* Procidentiam *vueæ collyria.ibid.col.2.l.E. et fol.346.col.1.lit.A.B.*

Pruritus*, et ſcabies quibus ex humoribus excitantur, huiuſque inter Græcos, et Arabes controuerſiæ Auctoris determinatio. fol.16. col.2. littera* C. *et infra.*

Pruritus *triſtis ſenſatio eſt, ſcalptura verò voluptuoſa. fol.17.col.2.lit.A.*

Pſyllij *cortex frigida, et humida eſt, medulla verò ſummè calida, et cauſtica. fol. 45. col.2.lit.C.*

Pterygium *oculorum quid ſit apud Auicennam, Raſim, Serapionem, Auenzoarem, et Auctorem. fol.325. col.2. lit. B.C.D.E. et fol.327.col.1.lit.B.*

*in* Pterygio *declarando Galenus, et alij Græci tam ratione ſubſtantiæ, quàm ortus progreſſus, et eſſentiæ, ſeu naturæ conueniunt. fol.326.col.2.lit.B.C.*

*Aetius ab ijs in pterygij ſubſtantia diſſentit. ibid.*

Pterygij *cauſæ. ibid.col.2. lit.A.*

Pterygium *non ex ſeminis abundantia gignitur, vt in oſſium appendicibus ſit, quas inoſſationes medici appellant. ibidem littera B. C.*

Pterygij *cauſa efficiens. ibid. lit.E.*

Pterygij *ſigna. fol.528. col.1. lit.B. euentus. ibid. lit.c.*

Pterygium *vbi ſimul cum ſuffuſione adeſt, non eſt curandum. ibid.lit.E.*

Pterygij *indicationes, et curatio. ibid. col. 2. lit.B.C.D.E.*

Pterygium *nonniſi medicamentis corroſiuis conſumi poteſt. fol.329.col.1.l.B.*

*ad* Pterygium *collyrium. ibid.col.2.lit.A.*

Ptiſana *quid ſit, eiuſque præparatio. f.102. col.2.lit. A.B.C.*

Ptiſana *optimi eſt ſucci, refrigerandi, et agglutinandi vim habet. fol. 420. col.2. lit. B.*

Pubertas *à 14.anno ad 25.vſque extenditur. fol.218.col.1.lit.c.*

Pulmones *non mouentur, niſi thorace dilatato mediantibus muſculis, qui per dilatationem ſpiritum attrahunt, per conſtrictionem expellunt. fol.448.col.1.l.A.*

Pulmonum*, aut thoracis tumor cauſa tuſſis immediata eſſe poteſt. fol. 449. col.2. lit. c.*

Pulmonum *ſubſtantia vaſa diſtributa habet ab arteria venali, et à vena arteriali ita conſtituta, vt in medio aſperæ arteriæ vaſa teneat. fol.449.col.2.lit.E.*

Pulmo *non ſecundum omnes ſui partes, ſed per tracheæ ſubſtantiam membraneam reſpirationi famulatur. fol. 465. col. 1. lit.* A.

Pulmo *ad thoracis dilatationem dilatatur, & non è conuerſo. fol.466. col.2.l.E.*

Pulmo *à muſculis thoracis extenditur, ideoque dilatatur. fol.467.col.1.lit. B.*

Pulmones *aerem ad modum follium attrahunt. fol.469.col.2.lit.D.*

Pulmo *deſtillationibus maximè obnoxius eſt, vnde homines in incurabiles, & læthales morbos incidunt. fol.546.col.1.l.A.*

Pulmo *ex tenuiſſimo, & bilioſo ſanguine nutritur, & ob ſui raritatem facilè pituitam admittit. fol.565.col.1.l.D.*

Pulſus *ferrinus remiſſus mollem indicat inflammationem, non remiſſus crudam ex Galeno, & quid pronuntiet. fol.502. col. 2.lit.D.*

Pulſus *moderatus ſit ex duobus contrarijs; vnde in febribus peſtilentibus clariores decipiuntur medici. fol.594.col.2.l.B.*

Pulueris *citrini Raſis deſcriptio. fol. 309. col.1.lit.A.*

Pupilla *oculorum quid ſit. fol. 313. col. 2. lit. A.*

Pupillæ *circulus quid ſit ex Paulo. ibid. littera* C.

Pupilla *eſt vueæ foramen quoddam inſigne. fol. 342.col.2.lit.E.*

Pupillæ *conſtrictio ab oculi atraphia in quo differat. fol.352.col.2.lit.D.*

Pu-

*Pupillæ conſtrictio naturalis bona eſt; præter naturam mala. fol.353.col.1.lit.B.*
*Pupillæ conſtrictio cum oppilatione, eiuſdem dilatatione peior eſt. ibid. lit.C.*
*Pupillæ conſtrictio alia magna eſt, alia parua. ibid.col.2.lit.A.*
*Pupillæ conſtrictio immediatè, & ex propria natura viſionem lædit. ibid.lit.B.*
*Pupillæ conſtrictionis cauſæ. ibid.lit.D.*
*Pupillæ conſtrictio ab humiditate fit, quando illi accidit, vt membrum ſimilare, quod cribri exemplo Gal. & Auic. patefecerunt. fol.353.col.2.lit.E.*
*Pupillæ conſtrictionis ſigna. ibid.col.2.lit.A. euentus. ibid. lit.E.*
*Pupillas qui habent anguſtas, aſſimilatur vul pibus, ſimijs, & ſerpentibus ex Hipp. fol. 355.col.1.lit.B.*
*Pupillæ conſtrictionis à ſiccitate curatio. ibidem.*
*in Pupillæ conſtrictione Dominici Leonis collyrium non probatur. ibid.col.2.lit.c.*
*Pupillæ conſtrictionis ab humiditate curatio. fol.356.col.1.l.A.*
*Purgandi indicationes à dierum numero non accipiuntur, ſed ab humorum fluxu. fol. 511.col.2.l.D.*
*Purgatio aut eſt reuulſiua, aut deriuatiua, aut euacuatiua. ibid.l.E.*
*Purgatio quando adeſt indicans, et permittens inſtituenda eſt. fol.510.col.1.l.D.*
*Pus non fit niſi à ſanguine, vel carne contuſa. fol.331.col.1.l.A.*
*Pus propriè fit à ſanguine, et carne contuſa; impropriè verò fit ab omni materia. fol. 531.col.1.l.A.*
*Pyrrhus Epirotarum Rex in tota ſuperiori maxilla vnicum dentem continuum à natura efformatum habuit ex Plutarcho. fol. 426.col.1.l.A.*

Q

*Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. fol.68.col.1.l.E.*
*Quiſæpè, et multum exoluuntur ſine cauſa manifeſta, ij de repente moriuntur. folio 501.col.1.l.D.*

R

*Rationalis animæ domicilium, & habitaculum caput eſt, à quo omnes tam interna, quam externæ ſenſationes prodeunt. fol.5.c.2.l.D.*
*Reminiſcentia, quid ſit. fol. 143.colum. 1. l.C.*
*Reminiſcentia ex tribus conſtat actibus. ibid. l.D.*
*Reminiſcentiam intus animalia ſolus homo habet; memoriam verò etiam nonnulla animalia bruta. ibid.*
*Res præter naturam ſunt tres, ideſt morbus, cauſa morbi, et ſymptoma. fol. 31.col.2. l.C.*
*Res ſecundum naturam cognitionis rerum præter naturam metæ ſunt. fol. 357.c.1. l.D.*
*Reſpiratio voluntaria mediantibus thoracis muſculis fit. fol.203.l.E.*
*naturalis verò coſtarum grauitate perficitur. fol.203.c.2.l.B.*
*Reſpiratio genus eſt ad inſpirationem, et expirationem: et rurſus vtraque duplex eſt. fol.449.c.1.l.E.*
*Reſpiratio ad vitam ſimpliciter neceſſaria eſt, ad quam peragendam tria requiruntur. fol.464.c.1.l.E.*
*Reſpiratio aere tamquam materia opus habet fol.468.c.2.l.E.*
*Reſpiratio magna duplici de cauſa fit. fol. 469.c.1.l.A.*
*Reſpiratio tribus modis à ſtatu naturali remo re poteſt. fol.470.c.1.l.A.*
*in Reſpirandi difficultate ſi omnes thoracis muſculi, et ſcapularum manifeſtè ſubleuantur, aut virium imbecillitatem, aut viarum ſpiritus anguſtiam, aut vehementem in corde, et pulmone calorem conijcere oportet. fol.470.c.2.l.B.*
*Retina membrana plures habet venas, per quas à capite in oculum ſeroſus humor deferri poteſt. fol.337.c.1.l.C.*
*Reuulſioni requiritur oppoſitio, et rectitudo, ſeu conſenſus, quod quatuor accipitur modis. fol.43.c.1.l D.*
*Reuulſio, et deriuatio in quibus conueniant, et differant. f.44. c.1.l.A.*
*in Reuulſione rectitudo, et oppoſitio attendantur ex Hipp. et Gal. fol.439.c.1.l.e.*
*Reuulſio duplex alia exquiſita, alia non exquiſita, et quando ijs vtamur. fol.439. c. 1.l.E.*
*Rhagoidis membranæ ortus, et progreſſus. fol.334.c.1.l.C.D.*
*Roſarum ſuccus intus aſſumptus ſolutiuus eſt, extra verò admotus adſtrictiuus ex Galeno. fol.303.c.2.l.c.*
*Ruſtici omnes ſciunt morbum ſui ablationem per contraria indicare, ſed quanti m quo-*

quomodo, et quando, ſolius Medici munus eſt. fol.9.c.2.l.B.

S

SAndaraca Græcorum eſt auri pigmentū; Arabum verò iuniperi gummi, maſtiche aſſimilatum, et vernix appellatum. fol. 288.c.2.l.B.
Sanguinis miſſionem ad animi deliquium indicant maxima inflammatio, ardentiſſima febris, et vehementiſſimus dolor. fol.97.c.2.l.B.
Sanguinis miſſionem indicantes ſcopi quot ſunt. fol.100.c.1.l.A.
Sanguinis in miſſione quandoq; exit ſanguis tenuis, et rubicundus primò, deinde niger, et craſſus. fol.128.c.2.l.c.
Sanguinis miſſio tribus in caſibus in catarrho competit. fol.293.c.1.l.B.
Sanguinis fluxus narium eſt ſymptoma in excretis à toto genere præter naturam. fol. 416. c.2.l.B.
Sanguinis fluxus narium ſequitur vel morbum in mala compoſitione, vt in anaſtomoſi, et diapedeſi, vel morbum in intemperie, vt in anauroſi. fol.417.c.1.lit D.
Sanguinis contentio in venis non eſt ipſarum actio, ſed paſſio aduerſus Capinaccium. fol.417.c.2.l.c.
Sanguinis fluxus è naribus cauſæ. fol.418.c. 1.l.B ſigna differentiarum. ibid.l.D. per anaſtomoſin. ibid.l.E. per diapedeſim, ibid.c.2.l.A, per anauroſim. ibid. l. B.
Sanguis per anaſtomoſim ex virtutis imbecillitate exire poteſt. ibid.
Sanguit narium vt plurimum à venis exit, rarò ab arterijs. fol.419. c.2.l.c.
Sanguinis fluxus narium euentus. ibid.l. E.
Sanguis in aliquibus ſymptomaticè fluit, in aliquibus criticè. ibid.
Sanguinis fluxus ad libras quatuor non eſt malus, ad octo malus, peſſimus verò quando viginti libras excedit ex Auic. ibid. c. 2.l. A.
Sanguinis exitus peſſimus eſt, cum aut ſingultus, aut deſipientia, aut conuulſio, aut totius corporis macies ſuperueniat. ibid. l.D.
Sanguinis fluxus è naribus per diætam curatio. fol.420. c.2.l.B.& infra.
Sanguinis fluxus criticus, niſi vires periclitentur, compeſcendus non eſt. fol.420.col. 1.l.A.
Sanguinis fluxui à multitudine victus incraſſans non competit, ſed attenuās, aduerſus communes omnes practicantes. ibidem l.D.
in Sanguinis fluxu à multitudine ad animi vſque deliquium Auic. ſanguinem mittit. ibid.c.2.l.A.
in Sanguinis fluxu ex vna nare ad hypochondrium eiuſdem regionis cucurbitæ ſunt applicandæ. fol.421.c.1.l.B.
in Sanguinis fluxu narium teſticuli, in mulieribus mammæ, ſæpè aures ſunt alligandæ ibid.
Sanguinis fluxus narium per chirurgiam, & per localia curatio. ibid.l.E.& fol.422 c.1.l.A.
ad eumdem gypſum in poſca infuſum, & fronti applicatum. ibid.l.E.
ad eundem pro naribus Benedicti Victorij Fauentini linimentum. ibid.c.2.l.B. aliud Galeni. ibid. alia duo Auctoris. ibid. l.D. aliud Matthioli. ibid. l.E.
alia quam plura à proprietate agentia. fol. 423.c.1.l.B.C.
Sanguis, dum ſecundum naturam ſe habet, extra vaſa non mouetur. fol. 436. col. 1. lit. C.
Sanguis quando, et quomodo præter naturam euadit; et quare fluit, ſeu mouetur. ibid. lit. D.E.
in Sanguinis miſſione præſeruandi cauſa coloris mutatio expectanda non eſt. fol.506. col.2.lit.B.
at in febribus putridis obſeruanda eſt. ibid. lit. D.
item, et in febribus ex inflammatione propinqua venæ ſectioni, in remota verò non obſeruatur fol.507.col.1.l.A.B.
Sanguinis ſputi nomina apud Græcos, et Latinos. fol.540.col.1.lit. A.
de Sanguinis ſputi parte affecta ſæpe inter Medicos lis excitatur. ibid.lit.B.
Sanguis quibus ex partibus erumpere ſolet ex Galeno. ibid. lit. C.
Sanguinis ſputum non modò peſſimos facit morbos, ſed ſæpè vitam adimit. ibid. lit. D.
Sanguinis ſputi definitio ex Tralliano. ibid. lit. E.
Sanguinis ſputum eſt ſymptoma in excretis toto genere præter naturam, et quos ſequatur morbos. ibid. lit.C.D.
Sanguinis quæuis fluxio, excepta, quæ in mulieribus per vterum fluit, eſt ſymptoma in excretis toto genere præter naturam. ibid. lit.C.

Sanguinis ſputi cauſæ. fol. 541. col. 1. littera A.

Sanguinis fluxus diuerſæ ſpecies, ibid. lit. B. et infra.

Sanguinis ſputi à gengiuis, à faucibus ab vuea, à gutture, ab aſpera arteria, à gula, à ventriculo, à iecore, à liene ſigna. fol. 542. col. 1. lit. B.

Sanguinis fluxus à capite, et thorace ſigna diſtinctiua indigent homine exercitato. ibid. col. 2. lit. C.

Sanguinis ſputi à capite ſigna. ibid. lit. D. & infra.

& à thorace. fol. 543. col. 1. lit. C.

Sanguinis ſputi à thorace per auaıroſim ſigna. ibid. col. 2. lit. C. per anaſtomoſim. ibid. lit. D. per diapedeſim. fol. 545. col. 1. lit. A.

per diæreſim. ibid. lit. D.

Sanguinis ſputi euentus à gingiuis, palato, labijs, ore, faucibus, gula, ventriculo, iecore, liene, pulmone, & th race per eroſionem, per anaſtomoſim, per diapedeſim, per diæreſim. ibid. & infra.

Sanguinis ſputi in genere per indicationes curatio. fol. 547. c. 1. l. A.

Sanguinis ſputi ab ore, faucibus, gurgulione, & palato curatio. ibid. c. 2. l. E.

& à gula, & ventriculo. fol. 548. c. 2. l. D.

ad Sanguinem ſiſtendum coagulum leporis, vel hoedi, vel cerui valet. fol. 550. col. 1. l. A.

Sanguinis ſputi à pulmonibus curatio. ibid. l. D.

in Sanguinis ſputo ab humore acri, vel ſalſo medicamentum benignè purgans nulla expectata coctione à principio competit ex Capiuaccio, & Auctore. ibid. c. 2. l. D. E.

in Sanguinis ſputo ex humore acri, & ſalſo, an conueniat ſanguinis miſſio. fol. 552. c. 2. l. A.

in Sanguinis ſputo à materia acri, vel ſalſa lactis vſus competit modico melli admiſtus fol. 553. c. 2. l. E. & fol. 554. c. 1. l. A. lactis, & mellis doſis. ibid. l. B. offerendi modus ibid.

Sanguinis ſputo aquæ dulcis balneum prodeſt ibid. c. 2. l. A.

Sanguinis ſputi ex pulmone, & thorace ob inſtrumenta refrigerata, tenſa, & fracta curatio. ibid. l. C.

in Sanguinis ſputo circa ſtupefacientium vſū Puluerinus reprobatur. fol. 555. colum. 1. l. E.

ad idem medicamenta Auctoris, & aliorum peculiaria. ibid. c. 2. l. C.

in anguinis ſputo aeris mutatio maximè confert; vnde Galenus ægrotantem ad Tabias agrum Neapolitanum miſit. fol. 557. c. 1. l. B.

ad idem an emplaſtrum ex thapſia à Galeno iuueni cuidam admotum, quod a nullis practicantibus huc vſque animaduerſum fuit, conueniat. ibid, l. D.

Sanguinis ſputi per diætam curatio. fol. 558. l. E.

ad idem ſuillæ tenellæ, & iuuenis caro à Galeno non reprobatur. fol. 559. colum. 1. l. B.

Sanguinis via ex iecore per venam cauam in pulmones, & cor. fol. 588. col. 2. lit. D. E.

Sanguinis miſſio quibus in cruditatibus prohibeatur, retardetur, & permittatur ex Auctore, et tex. Galeni explicantur. fol. 597. c. 2. l. D.

Saponeæ liquidæ, et ſolidæ compoſitio. fol. 517. c. 1. l. A.

Sapores ſunt in duplici differentia. fol. 159. c. 1. l. A.

Sarcocolla concoquit, & diſcutit. fol. 320. col 1. lit. E.

Screatio in omni dolore circa pulmones, & coſtas ſi promptè, & cito ſiat, bonum eſt, ex Hipp. fol. 501. col. 2. l. A.

Sebel oculorum, ſeu rebel Arabum, quamuis à pterygio differat ſecundum ſubſtantiam, ſecundum modum, & locum generationis conuenit. fol. 327. col. 1. lit. C.

Secunda coctio in hepate celebratur. fol. 360. col. 1. lit. C.

Senes non ob ſiccitatem torpeſcunt, vt vult Auerrhoes, ſed propter caloris naturalis extinctionem. fol. 250. col. 1. l. B.

Senum cerebrum quia refrigeratum eſt, ad catarrhum pronum eſt. fol. 278. col. 1. lit. C.

Senſus auditus rationi magis, quàm affectibus idoneus eſt, & ad ſcientias capeſſendas cæteris omnibus aptior. fol. 2. col. 1. lit. E.

Senſui communi duo debentur munera. fol. 160. col. 1. lit. D.

Senſus, & motus tam ad læſionem partis, ex qua nerui prodeunt, quàm ad cerebri læſionem, læduntur. fol. 164. col. 2. lit. B.

Senſus communis animæ ſenſitiua potentia quædam eſt. fol. 192. col. 1. lit. A.

# I N D E X.


*Senſus , et motus quomodo aboleantur ſeruata reſpiratione, nonniſi ab ijs , qui capitis ſtructuram agnouerint , et viderint, ſciri poteſt . fol.200.c.2.l.D.*

*Senſui faciendo requiritur cerebrum, neruus, et cutis, ad motum verò cerebrum, neruus, et muſculus . fol.334.c.1.l.A.*

*Senſus,et guſtus linguæ per eundem feruntur neruum ex* Galeno . *ibid.l.*D.

*Senſus tria neceſſariò requirit . fol.390. c.2. l.* A.

*Senſus tactus fit per medium ſibi coniunctum fol.390.c.2.l.A.*

*Senſus tactus inſtrumentum cutis eſt;medium cuticula . ibid*

*Senſus tactus ſuum obiectum ſub ratione lædentis , aut iuuantis cognoſcere poteſt . fol.* 390.*c.2.l.E.*

*Senſus tactus interiori, & ſuperiori eget virtute ad cognoſcendum obiectum,vt illud fugiat,aut proſequatur . ibid.*

*Senſus tactus duplicem habet virtutem actiuam, vnam partialem, alteram totalem . fol.* 391.*col.*1.*lit.*A.

*Seroſi humoris maior pars à renibus attrahitur, reliquum verò per venam cauam ad vniuerſum corpus fluit . fol.* 360. *col.* 1. *lit.*D. *E.*

*Serum in cordis capſula pro complexionum varietate in maiori, & minori copia colligitur. fol.*92.*col.*2.*lit. E.*

*Sentire pati eſt, moueri agere . fol.*171.*col.*2. *lit.E.*

*Septum tranſuerſum φρένες , ideſt mens , appellatur. fol.87.col.1 lit.D.*

*Septum tranſuerſum iraſcibilem facultatem,quæ in corde reſidet, ab appetitiua,quæ in iecore eſt, diſtinguit, ex* Platone *. fol.* 87. *col.* 1 *.lit.D.*

*Septum tranſuerſum propter medietatem eius circularem membraneam ex neruorum ſubſtantia exortam maiorem , ac cor , & os ventriculi ſuperius communionem cum cerebro habet. ibid.*

*Septo ex tranſuerſo delirium cur nunquam intermittat. fol.92.c.1.l.C. et c.2.l.B.C.D.*

*Septum tranſuerſum duplicem habet ſuperficiem, quarum vna , quæ reſpicit ventrem inferiorem, ex peritonæo ortum ducit ; altera , quæ thoracem reſpicit , ex mediaſtino, & pleura originem trahit . f.* 93. *col.*1 *.lit.B.*

*Septum tranſuerſum tantum thoracem in inſpiratione naturali dilatat ; conſtringit verò dum relaxatur . fol.* 465. *col.*2. *lit.* E.

*Sief album aliud eſt cum opio , aliud ſine opio. fol.*320.*col.*1 *.lit.*C.

*Sief de fellibus Raſis deſcriptio.fol.*341.*col.*1. *lit. B.*

*Signa ſcientifica, quæ accipiuntur à ſymptomatibus, in triplici verſantur differentia. fol.*40 *col.*1.*lit.*C.

*Solutio continuitatis in apparentē,et latentem partitur. fol.*15.*col.*2. *lit.D.*

*Somnus mediocris ad alimenti diſtributionem, & diurnorum laborum leuationem vtilis eſt. fol.*79.*col.*1 *.lit,*C.

*Somnus diurnus vapores in caput trahit. fol.* 79.*col.*1 *.lit.B.*

*Somnus naturalis in duplici eſt differentia.f.* 150.*col.*2.*lit.D.*

*Somni naturalibus definitio . fol.*160.*col.*1, *lit.* C.

*in Somno tam animales, quàm vitales ſpiritus ad ſua principia retrahuntur , ex* Galeno, & *Auic. fol.*161.*col.*1. *lit.*E.

*in Somno partes omnes ſenſu , & motu priuantur, excepto diaphragmate inſpirationi naturali deſeruiente . ibidem colum.* 2. *lit. A.*

*Somnus, & vigilia ſenſus communis paſſiones ſunt . fol.*160.*col.*2.*lit.*C.

*Somnus naturalis tres affert vtilitates. f.*161. *col.*1. *lit.*C.

*in Somno qua de cauſa ſpiritus ad partes expandi prohibentur . fol.*161. *colum.*2. *lit. A.*

*Somnus naturaliter ad ſanitatis recreationem , & conſeruationem facit. ibidem lit. E.*

*Somni ſubiecta tria ſunt . fol.* 162. *col.* 1. *lit. A.*

*Somni definitio. fol.*191.*col.*1.*lit.B.*

*Somnus priuatio ſenſus, & motus eſt ex ſpirituum interclusione, à benignis vaporibus in neruis ſenſus viſus , guſtus , auditus , odoratus, & tactus;et in deferentibus motum in vniuerſum corpus, ex Auctore : fol.*201.*col.*1 *.lit.D.*

*Somnus meridianus in catarrho nocet . fol.* 283.*col.*2.*lit.*A.

*quo tempore, et quibus proſit. ibid.*

*Sonitus ex vulgo, et ex antiquitate , vel maledicentiam aliquorum, vel inimicorum inſidias præſagit. fol.*402.*col.*2.*l.E.*

*Sordes craſſum excrementum eſt , et abſterſione indiget . fol.*366.*col.*1 *.l.D.*

à Spinali medulla nerui omnes prodeunt, per quos ſpiritus animales ad ſenſum, & motum omnibus corporis partibus diſtribuendum, deferuntur. fol.4. col.2. lit. E.

Spinalis medulla in duas ſecernitur partes, quarum vna eſt in cerebro, à qua ſeptem paria neruorum, & ſecundum Auctorem nouem oriuntur, altera verò extra cerebrum, à qua triginta duo neruorum paria prodeunt. fol.5. col.1. l. A.B.

Spinalis medulla eſt veluti neruus quidam magnus ab ipſius cerebri ventriculis anterioribus ortum ducens. fol. 173. col. 1. lit. A.

Spinalis medullæ antequam à capite exeat diuiſio, & ſeptem parium neruorum ab ea exeuntium delineatio.ibid.lit.B.

Spinalis medulla à Galeno cerebrum elongatum dicitur. fol.201.col.2.lit.C.

Spinalis medulla recta per longitudinem vnius digiti, antequam à capite exeat, producitur. 201. col.1. lit.B.

Spinalis medulla, antequam à capite exeat nouem neruorum coniugationes ex ſe producit inter ſe diſtinctas, extra caput vſque ad os ſacrum triginta duo, & per V eſſalium triginta quatuor. ibid. lit.D.

Spinalis medulla eſt cerebrum elongatum.fol. 235. col.1. lit.E.

Spiritus innatus eſt immediatum animæ inſtrumentum. fol.70.col.1.l.D.

Spiritus innatus quid ſit, & quomodo mouetur. ibid. lit.D. E.

Spiritus innatus nunquam partem, vbi implantatus eſt, deſerit. ibid.col.2.

Spiritus animales in gratiam ſenſuum, & motuum totius corporis in cauitatem cerebri fabrefacti ſunt. ibid. lit B.

Spiritui animali motus à medio à natura inest. fol.71. col.1.l.A.

Spiritus animalis an dignitate, & tempore primum habeat locum Auicennæ, & Auctoris ſententia. ibid. lit.D.

Spiritus animales lucidiſſimi naturaliter ſunt fol.113. col.2.l.D.

Spiritus vitalis quomodo in ſpiritum animalem tranſmutatur. fol.198.col.2. l.B.

Spiritus animalis, vt generetur proportionata cerebri temperies, vt cauſa efficiens, requiritur. ibid. lit.C.

Spiritus animales à neruis prodeuntes in vitreum humorem recipiuntur; in quo luciditatem acquirunt. fol.376.col.1.l.B.

Spiritus à parte,in qua generantur, & dimouentur, conſeruantur. fol.588. col.2. lit. B.

Spiritus naturalis non datur ex Auctore. ibid. lit.C.

Spiritus vitalis vbi, & ex qua materia generetur, & per quas vias in totum corpus communicetur. fol. 588. col. 2. lit. D. & infra.

Spiritus animalis vbi, & ex qua materia generatur, & per quas vias diſtribuatur ad ſenſum, & motum totius corporis. fol. 589.col.1.lit.B.

Spiritus prout toti corpori diſtribuuntur,mouentur per ſe à centro ad circumferentiã, & per accidens, & præter naturam è contra. fol.590.col.2.l.A.

Spuma ex humida materia à vento agitata generatur. fol.542.col 2.l.C.

Sputum malè olens, & aquæ fundum petens eijciunt aliqui, qui phthiſici non ſunt. ibid. lit. B.

Sputum, et ſputamen in quo differant. ibid. col.2. lit.D.

Staphiloma, malum, et clauus vueæ variæ procidentiæ, et affectus ſunt. fol. 343. col. 1. lit. C.

Strabones, ſeu toruè reſpicientes, ad læſiones accipiendas diſpoſiti ſunt. fol.334. col. 2. lit.D.

Strabiſmus,ſeu ſtraboſitas quid ſit. fol. 380. col.2. lit.C.

Strabiſmi cauſæ. ibid.

in Strabiſmo vnus muſculus nimis eſt contractus, alter nimis relaxatus. fol. 380. col.2. lit.B.

Strabiſmi immediata cauſa eſt, vel conuulſio vnius muſculi, vel alterius relaxatio. fol. 381.col.1.lit. A.

Strabiſmi ſigna. fol.381. col. 2. lit. C. euentus. ibid. lit. D. curatio. fol. 382. col. 1. lit.C.

ad Strabiſmum duo Auicennas proponit auxilia. ibid.col.2.l.A.

in Strabiſmo ſanguis ex naribus mitti debet. fol.382.col.2.l.B.

Stupor inter dolores reponendus non eſt. fol. 36.col.2.l.A.

Stupor eſt præuia ad paralyſim diſpoſitio. ibid. lit. B.

idem confirmatus eſt paralyſis. fol. 246. col.1.lit.A.

Stupor Græcè narcoſis dicitur. fol.246.col.1. lit. G.

Stuporis obiectum ſenſim procedit. ibidem col.2. lit.E.


Stu-

# INDEX


Stupor dolorem ſoluendi vim habet. ibid.
Stupor quomodo dolorem ſoluat. ibid. l.E.
Stupor eſt ſymptoma actionis ſenſitiuæ, & motiuæ diminutæ. fol.247.c.1.l.B.
Stupor, & paralyſis ſecundùm magis, & minus differunt.
Stuporis natura magis in ſenſus, quàm in ſenſus, & motus ſimul diminutionem repoſita eſt. ibid.l.E.
Stupor in triplici eſt differentia. ibid. col. 2. l.C.
in Stupore, quæ pars afficiatur. ibid.l.D.
in Stupore cur partes externæ primò, et magis afficiantur, et ad quæſitum reſponſio. fol.248.c.2.l.c.
in Stupore quare membra affecta ſint grauia, et ponderoſiora, ratio adducitur. ibidem l.D.
cur Stupori, et paralyſi partium formicatio præcedat. fol.250.c.1.l.C.D.
Stupor tot ſequitur morbos, quot facit paralyſis fol.250.c.2.l.A.
Stuporis cauſæ. ibid.
Stuporis tam imminentis, quàm præſentis, atque cauſarum ſigna. ibid.l.E.
euentus. fol.251.c.1.l.A, curatio, et indicationes. ibid.c.2.l.B.c.
Stuporis per pharmaciam, et localia curatio. fol.257.c.1.l.D.
ad Stuporem oleum æquiualens balſamo Arnaldi de Villanoua. ibid.c.2.l.B.
Succus atrabilarius, vbi alios ſuperauerit, concoctu difficillimus. et ad purgationem ineptiſſimus eſt. fol.501.c.2.l.c.
Sudor quid ſit. fol.593.c.1.l.E.
Sudores frigidi in acuta febre cur mortem portendant. fol.594.c.1.l.A.
Suffuſio eſt aqua in oculum deſcenſus. folio 333.c.1.l.c.
in Suffuſione qua in oculi parte aqua contineatur ex aliquorum, et Auctoris ſententia. ibid.l.D.E.
Suffuſionis definitio ex Auicenna. ibidem c. 2.l.E,
Suffuſio in quo differat ab obſtructione in neruis opticis contingente. fol.334.col.2. l.B.
Suffocatio ex prima, vel ſecunda, vel tertia ceruicis vertebræ luxatione, de qua Hipp. meminit, ad anginam impropriè dictam reducitur ex Galeno, et omnibus ſcriptoribus. fol.435.c.2.l.B.
Suffuſionis à coloribus differentia. fol.334. c. 2.l.E.
Suffuſionum differentiæ, ad ſuffuſionem per eſſentiam, et per conſenſum referuntur. fol.336.c.2.l.A.
Suffuſionis cauſæ. ibid. l.B.
in Suffuſione oculus lumine conſueto priuatur propter pupillæ obſtructionem. fol 334.c. 2.l.D.
Suffuſio eſt morbus à toto genere oculi actionem primariò impediens. fol. 334. col. 2. l. B.
Suffuſio morbus in via potius dicitur, quàm in numero adaucto.
Suffuſio in quo conueniat, & differat cum albuginibus, vlceribus, ſugillatione, & glaucomate. ibid.l.D.
Suffuſio vnico die facta fuit perfecta ex Fernelij obſeruatione. fol.337.c.1.l.B.
Suffuſionis à cauſa efficiente differentiæ. fol. 337.c.1.l.E.
Suffuſio per conſenſum fit duobus modis primus modus. fol. 337.col.2. l.A. ſecundus modus à ſolo Capiuaccio obſeruatus. ibid. l.E.
Suffuſionis incipientis ſigna. fol. 338. col.1. l.B.
à ventriculo. ibid. l. D. à capite. ibid. l.E.
Suffuſionis iam perfectæ ſigna. ibid. col. 2. l.B.
Suffuſionis euentus quo experimento cognoſcatur. fol.339.c.1.l.A.
aliud experimentum. ibid. l.c.aliud à tempore. ibid.l.E.
Suffuſio ſubflaua, vel violacea, vel nigra, vel viridis incurabilis eſt. ibidem col. 2. l. A.
Suffuſionis per victus rationem curatio. fol. 339.col.2.l.D.
à Suffuſione quidam abſtinentia, & cibi minoratione liberatus fuit ex Auic. fol. 340. c.1.l.D.
Suffuſionis indicationes, & per pharmaciam curatio. ibid.l.E.et c.2.l.A.
Suffuſionis curatio per localia perficitur, cum aliqua curationis ſpes adeſt. ibid l.E.
ad Suffuſionem aqua Petri Hiſpani. fol.341 c.1.l.c.
ad eandem vnguentum ibid.c.2. l.A. Aqua Paracelſi. ibid.
Suffuſionis maturæ ſigna. fol.342.c.1.l.D.
Suffuſio cum localibus non cedit, manus operatione indiget. ibid.l.c.
Suffuſionis per chirurgiam curatio. ibid.c.2. l.A.
Sugillatio quid ſit ex Auctore. fol. 330. c.2. l.c.et fol.331.c.1.l.B.
Sugillatio quid ex Pauli, et aliorum opinione ibid.l.A.B.

Sugillatio ad corneam magis,quàm ad adnatam refertur . ibid.l. D.

Sugillationis, & puris ſub cornea collectionis cauſa . ibid. l. E. ſigna folio 331, colum. 1.l.B.

Sugillationis , & puris ſub cornea euentus , ibid.l.D.curatio. fol.332.c.1.l.A.

ad Sugillationem medicamentum vſitatiſſimũ & pulcherrimum Raſis , fol.332,colum.1 l. D.

ad eandem palumbæ, vel columbæ, aut turturis ſanguis deſtillatus præſentaneum medicamentum ; hirundinis verò ſanguis cæteris anteponitur . ibid.c 2,l.B.

Surdaſtres ſunt,qui difficilem habent auditũ , fol.400.c.2.l.B.

Surditas eſt auditus abolita actio . fol.400.c. 1.l.B.

Surditas , grauis auditus , & ſibilus ſecundum magis , & minus differunt . ibidem l.C.

Surditatis definitio Capinaccij inepta eſt.ibid. l. E.

Surditatis, & auditus difficultatis definitiones ex Auctore . fol.401.c.1.l.A:B.

Surditas eſt actionis abolitæ ſymptoma, auditus verò difficultas ſymptoma actionis diminutæ . ibid.l,D.

Symptoma aliud in actionibus læſis, aliud in qualitatibus mutatis, & aliud in excretis datur . fol.14.c.2.l.E.

Symptoma in actionibus triplex eſt ; vnum in actionibus animalibus , aliud in vitalibus , tertium in naturalibus . fol. 35. colum.2, l. A.

Symptoma non indicat niſi ex accidenti ex Galeno , fol.596.c.1.l.A.

Symptomata in actionibus læſis,vel in excretis, aut retentis ſæpè medicum cogunt , vt ſpreto affectu , ijs primò incumbat . ibidem l. B.

Synanches ſigna , paraſynanches , cynanches , paracynanches . fol.437.c.1.l.E.

Synanchis eſt morbus velut laqueo homines ſtrangulans . fol.434.c,1.l.D.

Synanche apud Hipp.omnem faucium affectionem ſpirationem lædentem ſignificat . folio 435.c.1. l.A.B.

Syncope vnde deducatur,eiuſdemq; plura apud Græcos nomina . ibid.c.1.l.D.E.

Syncope quid ſit . fol.588.c.1.l.C.

in Syncope omnes ſpiritus , et virtutes diſſipantur ,ſed primariò vitales . fol.589.c. 1. l. D.

in Syncope pars affecta cor eſt . ibid l.E.

Syncope eſt ſymptoma in actionibus læſis, aut diminute , aut abolitè ſaltem , quoad ſenſum cordis . ibid. col..2.lit. A. et fol.590.c. 1.l.B.

in Syncope cor ſecundùm attractricem,et expultricem facultatem non læditur aduerſus Capiuaccium. fol.589.c.2.l.B.

Syncopes cauſæ . fol.590.c.1.l.C.

Syncope alia fit per eſſentiam,alia per conſensũ. ibid.

Syncope cauſæ ad octo capita ab Auic. reducuntur . fol.591.c.2.l.D.

Syncope à phlebotomia ob timorem fit , ex quo ſpiritus intus rucurrunt , et ſuffocantur.fol. 592.c.1.l.B.

Syncopes ſigna . ibid.l.C.

Syncope à lethargo , caro , et catoche , et apoplexia, in quo differat . fol.592.col.1.et col.2. l.A.

Syncopes ſigna pathognomonica ſunt frigiditas totius corporis , et ſudor diaphoreticus , qui et ſyncopticus dicitur . folio 592. colum.2. l.C.

in Syncope ſudores cur ſint frigidi . fol.593. c. 2.l.e.et 594.c.1.l.D.

Syncopes ſigna à qualitatibus mutatis , quæ ſint . ibid.l. E.

Syncopes per eſſentiam ſigna . fol. 594. col. 2. l.A.B.

ab intemperie ſiue materia . ibid.l.C.

Syncopes per conſenſum ſigna . fol.595. col. 1. l.A.

Syncopes euentus . ibid.l. D.

Syncope ab inflammatione,aut eryſipelate cordis lethalis ante eius incrementum ex Galeno . ibid.c.2.l.B.

et ex inflammatione iecoris , et ventriculi lethalis . ibid.l.C.

Syncopes per chirurgiam curatio . ibidem l. E.

in Syncope quando eſt neceſſaria ſanguinis miſſio , et quomodo id cognoſcatur . fol. 596.c. 2.l.C.

Syncopis per pharmaciam curatio . fol.598.c.2. l. A.

in Syncope aquarum frigidarum , et odoratarum aſperſio non ſemper valet , aduerſus Dominicum Leonem . folio 598. col. 2. l.B.C.

in Syncope frictiones, nodi doloroſi , vomitus, theriacæ , aut mithridatij illinitiones , et vini potio non ſemper probantur . ibidem lit. C.D.E.

Syncopes indicationes. fol.599.c.1.l.A.
in Syncope purgatio eſt euitanda, niſi ſint humores concocti ex Galeno. fol.600. col.1. l.D.
Syncopes per diætam curatio. ibid.c.2.l.D.
ad Syncopen clyſt. fol.602.c.1.l.B.
in Syncope nec cataplaſmata, nec epithemata à principio ſunt admouenda. ibid.l.D.
Syncopes à bile circa ventriculum cognitio, et curatio. ibid.l.E.
Syncopes à toto corpore curatio. fol.603.c.1. l.B.
ad eandem epithemata. fol. 603. col. 1. l.E.
Sacculus. ibid.c.2.l.B.
Syncopes ab hepate, à vermibus, ab vtero, à virtutis reſolutione curatio. fol.604. c.1. l.A.
ad Syncopen aqua caponis confert maximè pro ſpirituum reſolutione, & eius duplex præparatio. fol.604.c.2.l.C.D.
Syncopes ab immodico alui fluxu curatio.fol. 605.c.2.l.B.
An in omni ſyncope conueniat ſemper vinum ibid.l.C.D.
Syrupus de hedera terreſtri. fol.571.c.1.l.A.
eius vſus ad phthiſim tamquam ſecretum proponitur à Neotericis. ibid.

T

Tabach, ſeu herba regina pro maſticatorijs, & gargariſmatis, et ſuffumigijs ad capitis dolorem ſummoperè valet. fol.56.c.1.l.B.
Tabach ex Monarde, et Dalecampio ad ſanguinis ſputum ex gula,et ventriculo valet. fol 549.c.2.l.c.
Tabes etſi tres amplectatur differentias, attamen propriè de phthiſi dicitur. fol. 559. c.1.l.D.
Tabes, et maraſmus diuiduntur in naturalem, et præternaturam ex Galeno. ibid. l. E.
Tabis differentiæ. fol.560.c.1.l.A.
Tabes cum vulcere phthiſis dicitur. fol.560. c.1.l.C.
Tarax eſt ſurditas vitio nerui facta. fol.401. c.2.l.B.
Temperies à calido innato, et humido radicali conſeruatur. folio 588. columna 2. l.B.
Terebenthinæ vſus ad phthiſim valet.fol.570. c.1.l.c.
Thorax totam à iugulo ad pubem vſque cauitatem amplectitur ex Hippocrate. f. 3. col.1.l.E.
Thoracem in duas diuiſit cauitates Galenus ex Hipp. mente. fol.3.col.2.l.B.
Thoracis morbi pulcherrimi, & intellectu difficillimi ſunt, & frequentiſſimè inuadunt. fol.446.col.1.lit.C.
Thoracis morbi ſunt tuſſis morboſa, aſthma, pleuritis, empyema, peripneumonia, ſanguinis ſputum, phthiſis, palpitatio cordis, & ſyncope. ibid. col.1.l.D.
Thorax, caſſum ab aliquibus, clibanum ab alijs nominatur. ibid.
Thorax à iugulis ad inguina totam capacitatem comprehendit ex Hipp. & Ariſtotele. ibid. l.E.
per Thoracem quid ex Galeno,& reliquorum medicorum conſuetudine ſubaudire opus ſit. ibid. col.2.lit.C.D.
Thorax ex neceſſitate dilatatur, et conſtringitur. fol.465.col.2.l.A.
Thorax dum motu contrario mouetur ſucceſſiuè muſculos habet tam dilatationi, quàm conſtrictioni deſtinatos. fol.465.col. 2. l.B.
Thorax reſpirationis primarium eſt inſtrumentum, pulmo ſecundarium. fol. 466. col.2.lit. E.
Thoracis puris erumpentis nota, & pars quomodo explorentur. fol. 539. col.2.l.A.
Thoracis materia ad ſex vncias mane, ſex ad veſperas euacuari debet pro virtutis robore. ibid. lit. D.
Thoraci quando adſtringentia ſunt applicanda, & mitia, ſæpiuſq; mutentur, ne maiorem fluxum excitent, & morbum exaſperent. fol.558.col.1.lit.C.
Thus calefaciendi, doloremque ſedandi facultatem habet ex Galeno. fol.320. col. 1. lit.D.
Timor, & mœſtitia ſequuntur humoris atri colorem. fol.113.col.2.l.B.
Timor, & mœſtitia ſequuntur cerebrum, & ſpiritus ab humore melancholico denigrato, aduerſus Auerroem. fol. 113. col. 1. lit. B.
Tonica diſpoſitio, quid eſt,ex Galeno.fol.203. c.1.l.A.
Reclinatio, quæ nam actio eſt. fol.203.c.1 l. B.
Tonica diſpoſitio eſt cum omnes muſculi oppoſiti operantur. fol.254.c.2.l D.
Tinea lege achores.
Tinnitus in duplici eſt differentia. fol. 403. c.2.l. A.

Tinnitus ab exquiſito auditu fit. fol. 403. col.2. lit. A.

Tinnitus cauſa, tam internæ, quàm externæ. ibid. lit.C.E.

in Tinnitum, vt plurimum incidunt, qui hydrargyrio in lue venerea inunguntur. fol. 404.col.1.lit.B.

Tinnitus ſigna. fol. 404. col.2. lit. A. ſigna cauſarum. ibid. lit. B. Euentus. fol. 406, col.1. lit. B.

Tracheæ pars cartilaginea pro voce edenda eſt facta. fol.465.col.1.lit.A.

Trahendi facultate pollent & dolor, & calor. fol.297.col.2.lit.D.

Tremor à grauitate membri, & à virtute fit. fol.447.col.2.lit.D.

Tremor in duplici eſt differentia. fol. 252, col.1.lit.D.

Tremor eſt ſymptoma actionis animalis, vel motiuæ, vel ſenſitiuæ, vel vtriuſque læſæ, fol.213.col.1.lit.A.

Tremor non eſt ſymptoma facultatis motricis voluntariæ deprauatæ, vt voluit Galenus. ibid. lit.B.

in Tremore quæ pars afficiatur. fol.254.col. 1. lit.C.

Tremor quem ſequitur morbum. ibidem littera E.

Tremor contingit quieſcente membro, vt docet Galenus, & de qua quiete intelligendus ſit. fol.254.col.2.lit.E.

Tremor motus voluntarius non eſt, et fieri non poteſt abſque ipſo. fol.255. col. 1, lit. B.

Tremoris cauſæ. ibid. ſigna. ibid. col.2. lit.C. ſigna cauſarum. ibid. lit.D.

Tremor ſimulatus quomodo dignoſcatur, ibid. lit.D.

Tremoris euentus. fol. 256. col. 1. lit. D. curatio in communi, et indicationes. ibid. col.2. lit.D.

Tremoris cauſa efficiens eſt pugna inter membrum, et naturam. fol.574. col.2, lit. A.

Triplex compoſitio in nobis ex Ariſt. reperitur. fol.3. col.1. l.B.

Tuſſis aſperæ arteriæ paſſio eſt. fol. 447.col.1, lit. C.

Partes, vbi moleſtum expellere tentant, ſe contrahunt. fol.447.col.1.l D.

Tuſſis eſt ſymptoma in motu præternaturam deprauato. fol.447.col.2.lit.B.

Tuſſis eſt motus deprauatus à cauſa cogente, et irritante, ſicut ſingultus, et ſternutatio, et huiuſmodi. fol.447.col.2.lit.E.

Tuſſis in quo cum ſingultu, nauſea, et vomitu conueniat, et in quo differat. fol. 448. col.1. lit.B.C.D.

Tuſsis non eſt motus voluntarius deprauatus aduerſus Altimarum. fol.448.col.1. lit. E.

Tuſsis eſt vehemens exufflatio. fol.449. col.1. lit. A.

Tuſsis duobus conſideratur modis. ibid.

Tuſſis ad motum deprauatum naturalem virtutis expultricis, reſpectu cauſæ præternaturalis, refertur. ibid. lit.B.

Tuſsis, reſpectu reſpirationis, motus thoracis deprauatus dicitur. ibid.

Tuſsis morbum in mala compoſitione, et aliquando in intemperie ſequitur. ibidem lit. c.

Tuſsis cauſæ. fol. 449.col.2.lit.E.

Tuſsis alia naturalis, alia præter naturam; hæc alia eſt per eſſentiam, quæ aut humida, aut ſicca eſt, alia per conſenſum. f.450. col 1.lit. A.B.

Tuſsis ſicca, quam tuſsiculam nonnulli vocant, quid ſit, eiuſque cauſa immediata. fol.449.col.2.lit.D.E.

Tuſſes, et fauces irritantur in conſtitutionibus aquiloneis ex Hippocrate. fol.451.col. 1. lit. B.

Tuſsis per conſenſum quid ſit. ibid. col. 2. lit. A.

Tuſſis ſigna à deſtillatione ex capite. fol.452. col.1. lit. A.

à pulmone. ibid. lit.B. à pleura, ab hepate, a liene, a ventriculo, a toto abdomine, ibid. lit.D.

Tuſſis ſicca ſæpè fit à cauſa exteriori. f. 452. col.1. lit.E.

Tuſſis ſigna cauſarum. ibid. & infra.

in Tuſſi ex tracheæ aſperitate, aut nuda intemperie nihil expuitur. fol. 453. col. 1, lit.D.

Tuſſis euentus. fol.454. col. 1. lit. A. & infra.

Tuſſis indicationes. fol.455. col. 1. lit.A. & fol.457.col.2.lit.E.

& per victus rationem curatio. fol. 455. col.1.lit.C.

Tuſſi, quia ſymptoma eſt, nulla competit curatio. fol.457.col.2.lit.C.

Tuſſis per pharmaciam curatio. fol.457. col. 2. lit.C.

Tuſſis à capitis deſtillatione ex humore tenui, acri, & mordaci, & ex ſalſo maximi facienda eſt. fol.458.col. 2.lit. A.

ad Tuſsim à materia craſſa electuaria probatiſſi-

tiſſima ab Auctore. fol.461. col.1.l.C.
ad eandem ex materia falſa Augenij medicamentum. ibid.col.2.lit.E.
in Tuſſi cauteria affigenda ſunt habita conſiderratione loci, et materiæ, et non in ceruice in materia craſſa, et in ſincipite in tenui, aduerſus nonnullos. fol.463. column.2. l.B.
Tuſſis per chirurgiam curatio. ibid.l.c.
Tuſſis ſiue cum ſputis coloratis, ſiue non coloratis ſemper pleuritidis ſignum eſt ex Auctore aduerſus Mercurialem Galenum male interpretantem. fol. 484. colum.1. lit. C.D.
Turgere propriè eſt, quando materia ita impetuosè fertur, vt periculum adſit, ne præceps in aliquam labatur partem. fol. 511. c.1.l.B.
Turgere impropriè eſt, quando materia ad partem determinatam fertur. ibid.
Thymum eſt, ex quo apes materiam ſugunt aptam melli efficiendo. fol. 3.c.1.l.A.
Tympanum quid ſit. fol.400.c.1.l.D.
ad Tympani conſeruationem tria oſſicula, ſcilicet incus, ſtapes, et malleus, vna cum muſculo exiguo, ſunt data. ibid.
Tympanum eſt ad conſeruationem aeris innati auditus. ibid.

## V

VEnæ, et arteriæ ſenſum habent ex Galeno. fol.35.c.2.l.D.
in Venis brachij multa oſtiola reperiuntur, ſicut in venis cordis ſinus, ex Auctoris ſola obſeruatione. fol.128.c.2.l.E.
Venæ angulorum cum venis narium maximam habent affinitatem. fol. 382. col. 2. l.. c
Venæ non ſolùm diſtributionis, ſed alicuius alterationis gratia ſunt factæ. fol. 417. c. 2.l.c.
Venæ nullam habent actionem propriè dictam, ſed tantummodo vſum præſtant, et cum iecoris, et cordis actione concurrunt. fol.417.c.2.l.D.
Venæ ſi quam habent actionem, eſt ſanguinis diſtributio, et non contentio. fol.417.c.2. l.C.
Vena azygos, id eſt ſine pari, eſt venæ cauæ quartus inſignis ramus in dexterum latus diſtributus, qui ſurſum ad iugula aſcendit, et vtrinque ad brachia diſtribuitur. ibid.c.2.l.C.D.
Vena magna, ſeu caua à iecore, tamquam à principio ortum ducit, et in in duas inſignes portiones, nempe ſurſum, et deorſum partitur. fol.503.c.2.l.B.
aſcendentis portionis ramificationes plures in diaphragma, et in cor. fol.504.col.1. l.A.
Vena dexteri cordis ſinus adeo magna eſt, vt venæ cauæ truncum ſuperare videatur, ob quod cum Ariſtotele Veſſalius, et alij venam cauam à corde ortum habere putarunt. ibid.l.B.
Vena iecoraria, ſeu baſilaris dexteri lateris cum vena ſine pari conſenſum, et rectitudinem habet. ibid.c.2.l.B.
Vena azygos non eſt infra cor, ſed eſt primus ramus, ſolus venæ cauæ poſt cor, et ſupra iecur ex Auctore aduerſus Galenum, et alios. fol.513.c.1.l.A.
et quomodo medicamentum purgans ab ipſa trahat. ibid.l.E.
à Vena caua in portam canalis quidam reperitur ex Galeno Anatomicis omnibus huc vſq; incognitus. fol 537.c.1.l.D.
Venæ cauæ truncus decuplo venæ azygos trunco maior eſt. fol 538.c.1.l.B.
Vena ſaluatella baſilicæ venæ ramus eſt. fol. 549.c.1.l.A.
Ventres tres, et duo artus conſtituunt humanum corpus ſecundum Ariſtotelem, et Gal. ex Auctore. fol.3.c.2.l.D.
Ventriculi cerebri duo ſunt anteriores, et magni; et duo poſteriores, et parui. fol. 4. c. 2.l.C.
Ventriculi os ſuperius eſt in hypochondrio ſiniſtro aduerſus nonnullos. fol. 122. c.1. l.C.
Ventriculi venæ à vena porta trahunt originem. fol.301.c.2.l.D.
Veratri vſus apud noſtrates medicos ex toto abolitus eſt; et ad bilem, et melancholiam educendam valet. ibid.l.C.
Vertebra ſecunda, colli dens ab Hipp. appellatur. fol.435 c.2.l.B.
Vertiginem tria nomina apud Græcos deſignare videntur. fol.67,c.1.l.D.
Vertiginis nomen vnde deducatur. ibid.
Vertiginis nomina apud Galenum, & Arabes. ibid.c.2.l.A.
Vertiginis etymologia ex Gordonio, et Nicolao Florentino deducta ridicula eſt. fol. 67.c.2.l.c.
in Vertigine obiecta immobilia cur moueri videantur. fol.68. c 1.l.D.
Vertigo quare malè à Capiuaccio definiatur. fol 99.c.2.l.c,

quare non integrè, et à Gorræo definiatur. ibid. lit. E.
Vertiginis definitio Auctoris. fol. 71. col. 1. lit. C.
Vertigo epilepſiæ ſimilis eſt ex Auicenna, & in quo ab hac differat. ibidem col. 2. lit. B. D.
Vertigo ſymptoma eſt cerebri malam compoſitionem, & inæqualem intemperiem ſequens. fol. 71. col. 2. l. D.
Vertigo alia per eſſentiam, alia per conſenſum. ibidem.
Vertiginis cauſæ. ibid. lit. E.
Vertigo ſummæ capitis læſionis ſignum eſt ex Hipp. fol. 73. col. 1. lit. C.
Vertiginis per eſſentiam ſigna. fol. 74. col. 2. lit. B.
à pituita. fol. 75. col. 1. lit. B.
à bile, quæ rarò contingit. ibidem col. 2. littera A.
à ſanguine. ibid. lit. C.
à melancholia. ibid. lit. E.
à ventriculo. fol. 76. col. 2. lit. A.
à ſola lege conſortij. ibid. lit. B.
Vertigo ſpiritum præter naturam motorum affectio eſt. fol. 72. col. 1. l. B.
Vertiginis à matrice, à veſica, & à iecore ſigna. fol. 77. col. 1. lit. C. D.
Vertigine, ſi bilis per vomitum eijcitur, furor ſuperuenit: ſi atra bilis melancholia: ſi pituita morbus comitialis ex Aretæo. fol. 77. col. 2. lit. B.
Vertiginis prognoſtica. ibid. lit. D. E.
indicationes. fol. 78. col. 2. l. A.
per victus rationem curatio. ibid. lit. B.
Vertigini ex ſanguine, ſiue per eſſentiam, ſiue per conſenſum ſanguinis miſſio conuenit, quandoque ex baſilica, quandoque ex cephalica. fol. 79. col. 2. l. D.
Vertigini ſanguinis miſſio ex venis poſt aures ex Auic. Raſi, & Galeno competit, & Auctoris ſententia. ibid. lit. G. & fol. 80. col. 2. lit. D.
in Vertigine cucurbitulæ an conueniant, vbi, & quando, ex Auctoris opinione. fol. 81. col. 1. lit. B.
eiuſdem per pharmaciam curatio. ibid. col. 2. lit. B.
eidem cauterium occipiti, vel ſincipiti præſtans auxilium eſt. fol. 82. col. 1. l. B.
Vertiginis à ventriculo, vtero, corde, iecore curatio. ibid. col. 2. lit. A. B.
Vertiginis ex inanitione, et morſu oris ſuperioris ventriculi curatio. ibid. lit. c.
ad Vertiginem medicamenta à proprietate operantia. fol. 83. col. 1. lit. A.
Veternus lege lethargus.
Veſicatorium vt fiat. fol. 169. col. 2. l. C.
Veſalius in oculorum anatome multum defecit. fol. 379. col. 2. l. E.
Victu tenuiſſimo antiquorum noſtris temporibus quare non vtamur. fol. 601. col. 1. lit. E.
Vigilia ſuperflua cruditates facit, laborem affert, mentem, & corpus contriſtat. fol. 79. col. 1. lit. B.
Vigilia, et ſomnus ſenſus communis accidentia ſunt. fol. 190. col. 1. lit. E.
Vigilia luci, ſomnus tenebris aſſimilantur. ibidem.
Vigiliæ immoderatæ ex Rudio definitio, eiuſdemque ab Auctore reprobatio. f. 191. col. 1. lit. B.
Vigiliæ definitio ex ſomni natura petenda eſt. ibid. col. 2. lit. C.
Vigiliæ immoderatæ definitio ex Auctore. fol. 191. col. 1. lit. D.
Vigilia immoderata cerebri relaxatio formaliter non eſt, vt ſentit Capiuaccius, ab ea tamen, tanquam à cauſa immediata, dependet. fol. 192. col. 1. lit. D.
Vigiliæ immoderatæ cauſæ. ibid. lit. E. ſigna. ibid. col. 2. lit. E.
Euentus. fol. 193. col. 1. lit. D. indicationes. ibid. col. 2. lit. B. per diætam curatio. fol. 194. col. 1. lit. B. per medicamenta topica. fol. 195. col. 1. lit. A.
in Vigilijs immodicis rarò ad narcotica recurrendum eſt. ibid. lit. E.
Vigiliæ immoderatæ per pharmaciam curatio. ibid. col. 2. lit. D.
ad Vigiliam immodicam ex Monarde Tabaci ſuffumigium. Merſelli ex opio, quos Indi alcion vocant, cuius doſis ad drach. j. nobiliores verò alios pretioſiores componunt, quos baguen vocant. fol. 196. col. 1. lit. B.
ad Vigiliam immodicam trochiſcos Meſues, Dominicus Leo, vt expertos tranſcripſit. fol. 196. col. 1. lit. C.
Vires noſtrum corpus regentes ex facultatibus naturalibus, animalibus, et vitalibus cognoſcuntur. fol. 500. col. 2. lit. B.
Virium eſſentia in partium ſimilarium temperie, et ſpirituum conſeruatione conſiſtit. ibid. col. 2. lit. A.
Vires corporis ſunt in triplici differentia. fol. 588. col. 1. lit. E.
Virilitatem ineuntes loco pædagogi diuinum vitæ ductorem, ideſt rationem, vt ait

Plu-

# INDEX

*Plutarchus, accipere debent. fol.2. col.1. lit. D.*

*Viſio totius oculi actio eſt. fol. 372. col. 1. lit. B.*

*Viſio, vel diminutè, vel deprauatè, vel abolitè læditur. fol.372. col.1.l.D.*

*Viſionis præcipuus auctor eſt humor cryſtallinus. fol.373.col.2.l.B.*

*Viſio fit per ſpecies illuminatas per corneam, et pupillam delatas. ibid.*

*Viſionis læſæ differentiæ tot fiunt, quot modis humor aqueus læditur. fol.374. col. 1.l.D.*

*Viſionis læſæ quinque differentiæ oriuntur ex humoris aquei ſubſtantiæ læſione. fol.375. col.2. lit.B.*

*Viſionis læſiones fiunt ex quantitate, vel qualitate, vel perturbatione humoris aquei. ibid. lit.B.C.D.*

*Viſionis impedimentum læſio in vitreo humore non affert, ſpecies perturbando, vt in aqueo humore contingit. fol. 376. col. 1. lit. D.*

*Viſionis læſæ in communi curatio. fol. 377. col.1.lit.E.*

*Viſio nocturna, vbi naturalis ſit, nihil tentandum. ibic. col.2.lit.A.*

*ad eandem aqua egregia, quæ cæco nouem annorum viſum reſtituit ex Hollerio.ibid. lit. C.*

*aliud Auctoris medicamentum. fol. 378. col. 1. lit. A.*

*Vitreus humor oculi quas cryſtallino afferat vtilitates. fol.376.col.1.lit.B.*

*Vitreus humor vbi ſanguinem non tranſmutat, nec ſpiritus alterare poteſt; vnde & viſionem incommodat. fol.376.col.1.l.E.*

*Vitreus humor tantum augeri non poteſt, vt anteriorem cryſtallini partem ſuperficialem attingat, cum ab iride prohibeatur aduerſus Mercurialem, et Recentiores. ibid. col.2.lit.C.D.E.*

*Vlcera oculorum quomodo ex Raſi dignoſcantur fol.311.col.1.l.A.B.C.D.*

*Vlcus oculorum, tam adnatæ, quàm corneæ communis paſſio eſt. fol.311.col.1.l.E.*

*Vlcus oculi genus quoddam eſt habens plures differentias nomine diſtinctas. ibid. col. 2. lit.B.*

*Vlcera oculorum corneam lædentia tria ab Aetio numerantur, ſcilicet caligo, nebula, & epicauma. ibid. lit.C.*

*Vlcus oculorum ſuperficiale adnatæ encauma etiam à latinis appellatur. ibid. lit. D.*

*Vlcera oculorum magis profunda corneæ, & adnatæ limites non excedentia, ſunt argenum, foſſula, & puſtula. ibid.l.D.E.*

*Vlcerum oculorum cauſæ. fol.316.col.2.l.B. ſigna vlcera demonſtrantia in genere. ibid. lit.E. in cornea. fol.317.col. 1. lit.B. in adnata. ibid. ſigna harum membranarum vlcerum diſtinctiua. ibid. lit. C. euentus. ibid. lit.D.*

*Vlcerum oculorum per victus rationem curatio. ibid.col.2.lit.C.*

*per pharmaciam. fol. 318.col.1.l.E. per chirurgiam. ibid. col. 2. lit. C. per localia à duabus indicationibus deſumpta. fol.319. col.1.l.B.*

*Vlcus indicat ſui vnionem tanquam curatio per contrarium. ibid. lit.C.*

*in Vlcere duo generantur excrementa, ichor ſcilicet, & ſordes. ibid.*

*Vocis materia, & efficiens. fol. 230. col.2. lit.C.*

*Vocis inſtrumentum larynx eſt. fol.236. col. 1. lit. A.*

*Vuea eſt pars exterior rhagoidis, quæ vuæ inſtar perforata eſt. fol.334.col.1.lit.D.*

*Vuea duplicem habet ſuperficiem, quarũ exterior, quæ corneam reſpicit, pro hominum diuerſitate variè colorata eſt; interior, quæ reſpicit cryſtallinum, admodum nigra eſt. fol.334.col.1.lit.E.*

*Vuea, qua corneam reſpicit, depreſſa eſt, & plana, in qua depreſſione humor aqueus continetur. fol.343.col.2.l.B.*

*Vuea bifariam conſideratur. fol. 347. col. 2. lit B.*

*Vuea quatuor modis à naturali ſtatu recedit. fol.348.col.1.l.B.*

*Vuea vbi ſemel diſtenta fuerit, induratur, nec amplius contrahi poteſt. fol. 349. col. 2. lit.E.*

*Vuea, qua reſpicit cryſtallinum, nigra eſt ad latera alba, poſterius verò variè colorata eſt, exterius qua ſchleroticem tangit, nigra penitus eſt. fol 359. col.2.l.D.*

*Vueæ internæ ſuperfici color niger melioris viſionis gratia factus eſt. fol.360. col. 1. lit. A.*

FINIS.

# REGISTRVM.

§ ✠ §§ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg. *a b c d e f*.

Omnes ſunt duerniones, præter §§ & *f.* qui ſunt terniones.